37
9 E
6

- 924

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES
MINORUM

Digitized by Google

BIBLIOTHEK

Digitized by Google

ANNALES

MINORUM

SEU

TRIUM ORDINUM

A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AB ANNO MDXCI. USQUE AD ANNUM MDC.

CONTINUATI

A

P. F. STANISLAO MELCHIORRI DE CERRETO

PICENAE PROVINCIAE FILIO

MINORUM OBSERVANTIUM S. THEOLOGIAE LECTORE IUBILATO

EX-DEFINITORE GENERALI

ET VELITRIS VOLSCORUM ACCADEMIAE SOCIO

TOMUS XXIII.

ANCONAE

TYPIS GUSTAVI SARTORI CHERUBINI

MDCCCLIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

FERDINANDO MAXIMILIANO

AUSTRIAE ARCHIDUCI

REGNI INSUBRI-VENETI SUPREMO MODERATORI

CLASSIUMQUE IMPERII PRAEFECTO ETC. ETC.

FR. BERNARDINUS A MONTEFRANCO

MINISTER GENERALIS ORDINIS MINORUM

AT primum accepi a patre Stanislao Melchiorri minorum observantium Picenae provinciae filio, ad conscribenda commentaria seraphici ordinis quod praelo mitteretur, iam esse elaboratum, non sine animi mei iucunditate statim incessit mentem cogitatio illud exornandi amplissimo Nomine tuo. Multa tunc ad id tibi praestandum praesto mihi occurrerunt; in primis avitae augustissimae austriacae domus tuae erga pusillum ordinem nostrum pietas ac munificentia prorsus eximia, quovis saeculo monumentis historicis commendata posteris, auctaque per dies comitum, ducum, archiducum, praecipueque pientissimi Rodulphi II. invictissimi caesaris in hisce commentariis vulgata. Is enim franciscalium clarissarumve domicilia de novo erexit, collapsa haereticorum bellorumque incursionibus refecit, opibus ac favoribus locupletavit, viros doctrina praestantes longe com-

Digitized by Google

mendavit, ad episcopales sedes promovit, eosque divini verbi praecones ac aulae suae conscientiarum moderatores deligere sibi gloriae duxit.

Hinc franciscanis ducibus, Margarita ab Austria, a Cruce dicta, parentibus Maximiliano II. *imperatore et Maria hispana, in principe Viennensi urbe nata, posthabitis familiae suae splendoribus et adhortationibus Philippi* II. *Hispaniarum principis ad nuptias sibi ineundas, anno* MDLXXXIV. *aetatis suae decimo septimo inter discalceatas sorores regii monasterii Matritensis cooptata, eximia vitae sanctimonia mirifice floruit. Hisce subinde commota exemplis electissima femina Elisabeth item austriaca, Rodulphi* II. *caesaris soror, defuncto Carolo* IX. *Gallorum rege, Viennam reversa, in asceterio clarissarum ad Reginam suis opibus excitato, tertio seraphici assisiatis de poenitentia ordini adscripta, vitam duxit inculpatam asperitatibusque plenam ad annum usque* MDXCII. *quo coelestia petivit.*

Digitized by Google

Haec illustrium maiorum tuorum gloria decusque maximum. Verum si acta insigniora tua commemoramus, illorum erga ordinem nostrum benevolentiam ac observantiam strenue aemularis. Nam, me totius Terrae Sanctae praeside, cum Ierosolymitanam urbem calente aetate tua perlustraturus advenisses, in aede nostra sanctissimi Salvatoris pauperrima incolatum delegisti, ac inter fratres humanissime diversatus, ordini nostro gloriam et ornamentum adtulisti permaximum. Mira tui placidi moris specimina illuc edebas; Iesu Christi enim agones alta mente recolebas, et loca sacra ipsius servatoris pretioso sanguine consecrata ipsumque Iesu Christi sepulcrum genibus, osculis, gemitibus lacrymisque donans, te PRINCIPEM *optimum omnibusque charismatibus exornatum et ipsi catholicae fidei hostes infensi ac ethnicae superstitionis cultores uno ore depraedicabant.*

Ut autem perenne pignus praecipuae pietatis tuae cumulatissimum in sacratissimi sepulcri Domini

nostri ecclesiam ostenderes, quae vel temporum iniuria, vel rudi arte tanto loco indecora tibi visa fuit, amoveri cupiens, alia impensis tuis ad ea exornanda pretiosiora contulisti munera.

Excipe igitur, SERENISSIME PRINCEPS, opus non ex muneris tenuitate, sed ex addictissimo offerentis affectu dimensum tuo Nomini nuncupatum; et quo praestas ingenii tui acumine ad egregia quaeque parati protege ac tuere, Deum enixe deprecantes, ut te omnibus charum, munificentissimum, et in gerendis civilibus aequa prudentia et sapienti consilio ditatum ad cunctorum subditorum tuorum felicitatem per temporum diuturnitatem incolumem servet, tibique faveat.

Digitized by Google

IN ANNALIUM MINORUM

CONTINUATIONEM

PRAEFATIO

POst aliquot annos cum prodeat tandem XXIII. annalium franciscanorum volumen, ne mireris, benevole lector: infestis enim temporibus quibus periclitata respublica fuit, vires defecerunt non animus: et in me quantum erat, iamdiu tria volumina exaraveram, quae modo pacatis rebus, imperante reverendissimo p. Bernardino a Montefranco totius seraphici instituti vigilantissimo moderatore, edenda tradam. Atque hic ab anno MDXCI. ad annum usque MDC. progrediens, franciscalium acta indubiis monumentis suffulta reperies; queis cum catholica fides ostendatur ab eisdem in efferatas gentes propagata, eorumque vel eximia sanctimonia, vel humanarum divinarumque literarum peritia, necnon et romanorum pontificum mandata et indulta,

vel ad reges legationes, nemo non videt his ornamentum ordinis nostri adauctum, et in ecclesiae universae commentariis conficiendis opem haud exiguam collatam. Quidquid vero historici partes unice agens in vulgus proditurus, supremo catholicae ecclesiae pontifici, magistro infallibili, invicto principi PIO papae IX. quem Deus fausto suae religionis incremento diutissime sospitet, prompta humilique observantia submitto.

Digitized by Google

APPROBATIONES

I.

QUod ab solidae historiae studiosis iamdiu expetebatur: nimirum annales Waddingi temporum hominumque iniuria et incuria, aliquando continuatum iri, id praestare aggressus est vir in re versatissimus p. Stanislaus Melchiorri ordinis nostri ex-definitor generalis. Duobus iam editis voluminibus, idest, totius seriei XXI. et XXII., nunc tertium seu XXIII. praelo submittendum paratum exhibet. Quod cum mihi censura notandum de mandato reverendissimi ministri generalis p. Bernardini a Montefranco commissum sit, attente perlecto, de eo pene idem affirmare haud dubitem, ac de elucubrationibus ipsius Hiberni narratoris apud eruditos passim declaratum lego: opus multa doctaque patientia collectum, locuplex rerum, pretiosum raritate et authentia documentorum, prudenti iudicio digestum, perspicuitate et proprietate dictionis commendabile. Claudilur hoc volumine tota illa historiae franciscanae periodus, quae excurrit ab anno MDXCI. ad MDC. praesertim inter alia scitu et memoria digna quae ad franciscalium missionum apud Iaponiae gentes initia et vices referuntur. Quod attinet ad fidem et mores, nihil repe.i, quod catholicae veritati adversetur; quinimo pietati et religioni fovendae omnia perutilia. Optabile proinde existimo, si innoxium infensis hominum casibus, quantocyus typis mandari possit.

Datum Romae ex coenobio Aracoelitano die VI. Martii MDCCCLVIII.

F. PAULUS PORETTI A MORETTA
Ord. min. Theol. in archiep. Taurin. libr. censor, Terrae Sanctae ex-praeses, commissarius et definitor generalis.

II.

REverendissimi in Christo patris Bernardini a Montefranco ministri generalis iussis obsequens animo, seraphicorum annalium volumen in ordine XXIII. cursim evolvi, in quo vir bonis artibus ac studiis expolitus adm. r. p. Stanislaus Melchiorri ex-definitor generalis, pari cum et sacris et profanis ab anno MDXCI. ad MDC. historiographis incedens monumentis fultus, ad rimatae critices regulas, de variis minoritici ordinis familiis omni expuncto partium studio; de ipsius per non paucas easque dissitas orbis plagas missionibus, illustriumque religiosorum gestis, eruditione tam praestanti, tantaque cum catholicae fidei veritatibus, sanis morum principiis, politicique regiminis iuribus concordia fuse lateque pertractat; ut huiusmodi voluminis lectionem sapientibus pergratam, nostratibus vero ad eccellentiorem demonstrandam maiorum viam, aptissimam fore non dubitem. Hinc servatis prius de iure servandis praelo illud committi posse existimo.

Datum Romae ex conventu Aracoeli die 1. Aprilis MDCCCLVIII.

F. ALPHONSUS MARIA A PADULA
Lect. Iubil. in s. Theol. ex-minister et definitor generalis.

FACULTAS ORDINIS

FR. BERNARDINUS A MONTEFRANCO

REGULARIS OBSERVANTIAE

S. P. N. FRANCISCI

IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, PROVINCIAE SERAPHICAE EX-MINISTER,
EX-CUSTOS TERRAE SANCTAE ETC.
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS, COMMISSARIUS, VISITATOR,
REFORMATOR APOSTOLICUS, HUMILISQUE IN DOMINO SERVUS.

DECRETUM

CUm opus compositum ab Adm. Rev. Patre Stanislao Melchiorri de Cerreto nostrae observantis picenae provinciae filio, lectore iubilato, ex definitore generali, cuius titulus est: *Annales Ordinis Minorum continuati etc.* tomus XXIII. annos a MDXCI. usque ad MDC. complectens, a duobus ordinis nostri patribus a nobis deputatis revisum et approbatum fuerit, et quidem prout important nostri ordinis constitutiones; vigore praesentium facultatem eidem facimus, quatenus servatis servandis illud typis mandare possit.

Datum Romae ex Aracoeli die XIX. Aprilis MDCCLVIII.

F. BERNARDINUS
Minister Generalis

L. ✠ S.

De mandato Rmi in Christo Patris
F. IRENAEUS A PLANIS
lect. iub. secret. gen. ordinis.

Digitized by Google

ANNALIUM ORDINIS MINORUM

CONTINUATIO

Anno Christi	Gregorii XIV.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1591.	anno 1.	anno 15.	anno 384.

ARGUMENTUM.

Narrantur s. *Paschalis Baylon acta. Sancte occumbunt martyres, confessores, ac virgines. Excitantur pro utroque sexu domicilia. Decedunt viri docti ac florent. Eliguntur episcopi, et commissarii generales pro reformandis provinciis. Moritur Gregorius XIV. et Innocentius IX., quorum iussa referuntur. Aliquot memorantur prodigia.*

Um eximiis coelestibus donis ac miraculorum gloria per hoc temporis clareret s. Paschalis Baylon, ideo ejus acta, quae in postremo annalium nostrorum volumine notavimus, duximus prosequenda ex Ioanne Ximenez apud Papebrochium « Nec occulta praesentia solum, sed etiam futura cognovisse Sanctum multis patuit exemplis, quorum aliqua proferam. In his primum locum meretur, quod maxime publicum est, et a pluribus testibus confirmatum, quod scilicet mortem suam sanus praedixit, et infirmus diem qua moreretur, quin etiam horam punctumque temporis prout infra fusius explicabitur. Secundum sit, quod anno MDXCI. mense Octobris omnes capitulares conveneramus Valentiam in conventum s. Ioannis Baptistae, ubi ad me veniens in cellam fr. Didacus Castello guardianus Villae-Regalensis, sub quo vivebat Sanctus, inter prima salutationis verba gratulatus est mihi provincialatum triduo vel quatriduo antequam eligerer. Ego vero cum scirem me esse omnium eligibilium maxime iuvenem (necdum enim trigesimum secundum aetatis annum compleveram), mitte, inquam, frater eiusmodi nugas. Ast ille vultu ac verbis seriis; vere, ait, si fr. Paschalis propheta est, tu provincialis, ego definitor ero. Quaesivi ergo

Annales Minorum ad an. 1585. num. 105.

Acta ss. ad diem 17 Maii p. 58.

Digitized by Google

quomodo, et qua occasione hoc ei Sanctus revelarit. In digressu reposuit ille, caeteris fratribus atque etiam ipsi valedicens, rogavi ut me commendaret Deo; *faciam*, inquit; *ambula feliciter futurus definitor et magister novitiorum, et fr. Ioannes Ximenez fiet provincialis.* Et dictus quidem fr. Didacus de magisterio novitiorum nihil mihi tunc dixit, tum quia abhorrebat ab officio isto, tum quia res erat futura absque exemplo in ordine, cui eatenus nunquam acciderat utrumque munus in eamdem personam conferri. Miro tamen definitorii consensu factum id est, et ipse utrumque admisit, tum quia cogebat obedientia, tum quia ex praedictis noverat eam esse Dei voluntatem. »

II. « In praedicto Villa-Regalensi conventu infirmabatur eius praedicator fr. Petrus Cabrellas, comitus crebros patiens, non tamen adeo vehementes, ut lecto cogeretur decumbere. Desiderabat hic scire, quid de salute sua fr. Paschalis, quia rogatus ut pro ea oraret, responderat: *faciam equidem; verum quid proderit?* Exoravit ergo guardianum, ut, quis morbi futurus esset exitus, edicere eum cogeret obedientiae praecepto. Cui ille contradicere non valens, inflammato nonnihil vultu, ut commotus appareret, dixit infirmo: *frater praedicator vult Deus, ut moriaris, neque amplius praedices verbo, sed opere; vives enim adhuc menses aliquot: igitur te commenda Deo, et habe patientiam.* Quae verba tono tam gravi ac serio dixit, ut nemo de secuturi exitus veritate dubitaret: vixit autem adhuc quatuor menses religiosus iste et ferventissimus praedicator: sed ex ea hora pulpitum nunquam ascendit, mortuus inter brachia mea anno MDXCI. Simili modo cum in Villa-Regali saepius visitaret Andream Ventrel infirmam, dominica quadam die, qua ei hoc obsequium ultimo praestitit, petiit illa ut sanitatem sibi a Domino posceret. Cui Paschalis: *o soror non est bona isthaec tua petitio; potius dicito, Domine Deus, si tuae maiestati placeat me tollere de hac vita, fiat voluntas tua.* Cum vero illa iterum replicaret, et sanitatem reposceret, Spiritu Sancto inflammatus Sanctus, *soror*, inquit, *praepara te; ambo enim cito inibimus iter grande.* Itaque accidit: obiit enim illa proximo die lunae, et ipse dominica subsequenti, cum magna omnium admiratione ad litteram cuncta impleta cernentium, atque imprimis Ioannis Ybanez praedictae mulieris mariti, qui praesens adfuit et iuramento eadem est testatus. »

III. « Quando in eodem Villae-Regalis conventu decreverant cisternam fabricandam locare, quae loco isti imprimis necessaria erat ad vitam ibi ducendam, parata quidem erat materia aliqua, sed considerata faciendi operis amplitudine et profunditate, tam ipsi guardiano quam fabricae magistro videbatur neutiquam suffectura: qua de re valde anxiabatur guardianus, quia in eius opere, quod velut fusile esse debet, si desit aliquid materiae necessariae, periculum est totius perdendi. Hoc videns Sanctus, monuit ne metuerent dare initium operi, nihil enim eis defuturum, sed potius superfuturum aliquid. Quod licet contra opinionem omnium esset, creditum tamen fuit, quia dictum a Paschale: et dictì veritatem rei exitus comprobavit. Eodem in oppido, cum eleemosynae petendae causa plateas obiret, ad ostium cuiusdam clerici, Verbegal dicti, audivit eum incidisse in morbum, dixitque: *dentur ei quamprimum sacramenta, quia iisdem magnopere indiget.* Quod intelligentes domestici, pro ea quam de sanctitate viri habebant opinione, confestim executioni mandarunt: et aeger susceptis sacramentis sine mora expiravit. »

IV. « Mense Martio anno MDXCI. Catharina Torre Villae-Regalis incola periculosa laboravit infirmitate, sanguine in vultum ascendente, eumque in

modum monstruosum inflante. Hanc cum visitaret Sanctus, rogaretque quomodo valeret: tam grave, inquit, malum sentio, Pater, ut nihil dubitem quin móritura sim: ecce enim septem diebus noctibusque continuis nihil dormio propter cruciatus magnitudinem et febris ardorem. Ille vero respondit: *confide in Deo, soror, et ego promitto tibi, quod ex hac infirmitate non morieris: verumtamen rogo, ut confitearis de peccatis, teque pares veluti morituram: quia hac praeparatione movebitur Deus ad sanitatem accelerandam.* Fecit mulier quod iussa erat, et eadem nocte sanam se mirata est, ut verificaretur quod Sanctus dixerat, et ipsa testificaretur, quod hic scriberem, ad eorum instructionem, qui se putant certo morituros mox atque receptis sacramentis testamentum condiderint. Dicta autem mulier iam sana, alia rursum vice est experta certitudinem prophetici istius spiritus. Cum enim iterum ipsam visitaret Paschalis, eiusque frater ex dolore lateris tam male haberet, ut merito crederetur moriturus, dixit ei Sanctus: *ne sis solicitus frater, sed credo quod cito sanandus sis: huiusmodi infirmitates immittit Deus, ut recordemur sui: sed ipse sinet te educare liberos tuos.* Egredienti autem e domo dixit Catharina, ora Deum, pater, pro sanitate fratris mei; vides enim quam damnosa mihi mors eius foret: cui ille: *confide soror, non morietur: ita tibi promitto.* Perstitit ipsa nihilominus etiam tertia vice eamdem suam inculcare petitionem: et ille; *quando ego promitto*, inquit, *bene potes credere.* Quae verba tantae asseverationis plena, prorsus quidem aliena ab eius humili consuetudine fuerunt et contraria ei studio, quo collata sibi coelitus dona nitebatur operire: permittebat tamen Deus, eadem innotescere volens, ut aliquando sic quasi oblivisceretur sui propositi. Completa sunt autem praecise omnia; sequenti enim die aeger convaluit. »

V. « Tertia quoque vice voluit Dominus in eadem muliere confirmare experientiam praedicti spiritus: quindecim enim diebus antequam in ultimam suam infirmitatem incideret, ipse Sanctus obviam ei facta, interrogavit utrum visitasset infirmas duas sibi notas et aequaliter periclitantes de vita. Illo autem affirmante, quaesivit quid de ipsis ei videretur: *Anna Dominica*, inquit, *vivet, et uxor Joannis Ybanez certo morietur:* quod intra paucos dies vere dictum fuisse apparuit. Sed et ipsamet Catharina grandi quodam animi moerore afflicta, eodem dissimulato, accessit ad ostium conventus, confessarium petens sicut ab ostiariis conventuum peti solet. Cui Sanctus, *vehementer*, inquit, *cruciat te, soror, ista aegritudo.* Negavit mulier se quidquam dolere: replicavit ille nihilominus, bono ut esset animo, et patienter ferret afflictionem suam; hac enim via sibi muniret ad coelum. Videns ergo se latere non posse, suumque secretum eidem patere, multum consolationis cepit ex verbis eius, omninoque praesagiens, cito eum inter sanctos recipiendum cum magna gloria, petiit promitti sibi ab eo, quod si prior vocaretur a Deo, pro ipsa apud illum intercederet orando. Respondit autem Sanctus: *si hanc mihi gratiam fecerit Dominus, praesto ero ad omnes petitiones tuas exaudiendas.* Et promissi certitudinem sensibiliter experta est mulier, quoties auxilium Paschalis post mortem eius invocavit, quod etiam confirmabitur miraculis ad preces huius ipsi devotae mulieris factis et infra referendis. »

VI. « Spiritui prophetiae iunxit in eo Deus scientiae donum, utique infusae, quippe qui litteras nullas didicerat. Ipse ego de me dicere possum, quod experiri id voluerim aliquoties, nec unquam frustra. Quamvis enim non uteretur terminis scholasticis theologorum, simplici tamen illo suo vulgarique

Idiomate respondebat mihi eadem ipsa, quae nos non sine labore per multas ac metaphysicas ratiocinationes ad conclusionem deducimus; idque cum tanta facilitate et claritate, ut appareret, quaestionem universam funditus ei perspicuam esse. Confiteor autem quod probandi et arguendi causa semel ausus fuerim rationes aliquot scholasticas ei obiicere: sed ipse adeo me coarctavit, ut me in quamdam propositionem deduxerit, quam evidenter demonstrabat esse falsam. Itaque licet philosophiam ac theologiam praelegissem aliis, mansi tamen ex una quidem parte confusus, ex altera vero salubriter instructus, ut intelligerem, quod licet respectu discipulorum meorum magister dicerer, ipsius tamen potuissem esse discipulus. Idem experimentum sumpsit fr. Emmanuel Rodriguez libris editis clarus, cuius primum discipulus, deinde et socius in cathedra fui: ideoque solebat dicere, quod frater iste si sacerdos foret, absque alio studio posset fieri praedicator, quia per viam aliquando argumentatus cum ipso erat de altissimis mysteriis Trinitatis, Incarnationis aliisque similibus; quodque ad omnia commodissime respondentem magis exercere volens, crebris eum in eodem itinere urserit argumentis, quae cuncta ea facilitate dissolvit, ut quin ea ipsi coelitus infusa esset scientia, nequaquam posset dubitare. Similiter de divinis attributis ad intra, et ad extra velut perfectum theologum ratiocinantem audivisse testatur fr. Joannes de Moya provinciae huius definitor: et cum dictis congruunt testificationes fr. Petri Adam magistri mei, aliorumque theologorum, qui saepe saepius ei proposuerunt difficiliora Scripturarum loca explicanda, ipso ad singula clare demonstrante, eius se discipulum esse, qui neque tempore neque libris indiget. »

VII. « Poterat etiam quoscumque theologicos libros legere atque intelligere, quoties id permittebant occupationes suae; atque ex sic lectis collegit libros duos punctorum singularium ad spirituale solatium suum, memoriamque excerptorum, in quibus de unione hypostatica Verbi summa cum claritate ac brevitate dictum reperitur quidquid a consummato theologo posset expectari: similiter et de angelis, et de aliis materiis theologicis. Hos autem libros, cum esset quadam vice infirmus, obnixe rogavit guardianum, ut post mortem suam iuberet comburi: verus enim humilis nolebat in mundo vestigium, aut indicium aliquod superesse, unde honoris aut gloriae aliquid ad se proveniret. Postquam tamen convaluit nova quaedam puncta in iis adnotare perrexit, ex iis quae recenter vel legerat, vel fuerat meditatus. Dicet hic aliquis: si eos tam serio latere volebat, ut comburi peteret, cur ipsemet hoc non fecit de suae mortis die admonitus a Deo? Ita ego aliquando ipse mihi: sed inspiravit mihi Deus, ut inspicerem librorum istorum primas paginas, atque in iis scrupuli mei solutionem reperi, scriptam charactere prorsus recenti in pagina nova, caeteris expresse superadiuncta, quod facile apparebat, facta cum caeteris collatione, in quibus scriptura valde deformis multumque obscurata spectabatur. Verba autem quae ibi scripsit, ad mortem se parans, huiusmodi sunt. »

VIII. « *In nomine sanctissimae Trinitatis Patris, Filii, et Spiritus Sancti, trium personarum et unius veri Dei, creatoris omnium visibilium, atque invisibilium, cui sit gloria et imperium per omnia saecula saeculorum. Amen.* ✠ *Ego fr. Paschalis Baylon natus ex oppido Turris Formosae S. Mariae de Horta, scripsi hanc farraginem pro mea spirituali recreatione, ex multis sanctis libris fideliter collectam.* Qui titulus dictis libris praefixus duo me docuit: primum quod abdicaverit a se

Digitized by Google

omnem vanam gloriam, negando sua esse quae scripserat: deinde quod cum immediate eum scripserit ante mortem suam sibi divinitus revelatam, divinitus quoque prohibitus fuerit id, quod adeo catholicum et pretiosum erat, dare flammis, sicut faciendum proposuerat. Porro librorum istorum unus datus fuit fr. Joanni de Angelis commissario, qui tunc provinciam visitabat; alter penes me remansit, qui eum pro magno thesauro servo, et pro solatio sane singulari, dum autographum viri tam sancti video, et singula tam certae veritatis considero esse, ut nec littera quidem abesse vel addi debeat; sed scriptura einsmodi est, ut ipsissimam referat paupertatem. Ne quid enim chartae perderetur, tam sunt densae lineae ut se contingere videantur, et quamvis puncto uno finito inchoetur aliud, non tamen et linea: sed interposita crux distinguit in eadem continua linea paragraphus usque ad finem chartae absque ullis marginibus; ipsa vero charta, in qua scribebat, plerumque erat conglutinata ex fragmentis hinc inde per solum inventis et collectis. Sunt in iis libris exercitia quaedam spiritualia, quorum infra specimen dabimus; operiuntur autem panuorum rudium frustulis operose consartis, ne scilicet dilectae paupertatis insigne a foris deesset. »

IX. « Dicitur quod eorumdem librorum unum aliquando viderit illustriss. dominus Joannes de Ribera archiepiscopus Valentinus et patriarcha antiochenus, soloque exterioris speciei visu motus voluerit cum eorum auctore versari familiarius, singulari deinceps affectu illum complexus. Quem quidem affectum etiam mortuo servans, petiit ex eius vestibus aliquid sibi dari venerationis ergo: quod acceptum pius ille ac prudens praelatus, praemisso osculo imposuit capiti coram me magnoque cum animi sensu dixit: pater provincialis quid agimus? simplices isti nobis extorquent coelum de manibus. Crememus libros nostros. Cui respondi, culpam hi non habent, sed superbia nostra: hanc crememus. Cumque ei narrarem miracula quaedam per invocationem nostri Sancti facta, dixit per quam affectuose dominatio sua illustrissima, quod optaret mortuum fuisse in suo archiepiscopatu, ut posset debita cum diligentia informationes curare ad promovendam eius venerationem publicam necessarias. »

X. « Porro ad praedictorum omnium confirmationem placet hic attexere clausulas aliquas de libro excerptas in haec verba. Deus est spiritus purissimus, et subtilissimus, materiae omnis et corporis expers. Deus est perfectissimum ens, in quo perfectiones omnes accumulantur, potestas, auctoritas, maiestas, sapientia, pulchritudo, liberalitas, misericordia, pietas, gratia. In Deo non potest inveniri distinctio partium diversarum propter eius summam simplicitatem: ita ut ipsius esse sit eius essentia, essentia sit posse, posse sit velle, velle sit voluntas, voluntas sit intellectus, intellectus sit intellectio, intellectio sit esse, esse sit sapientia, sapientia sit bonitas, bonitas sit iustitia, iustitia sit misericordia: quae licet habeat contrarios effectus effectibus iustitiae, ut sunt ignoscere et punire, una tamen est res, quia eadem est eius iustitia, quae misericordia, et eadem misericordia quae iustitia eius. Tribus autem modis debemus Dei meminisse, scilicet cognoscendo eius potentiam per opera creationis, sapientiam per opera redemptionis, bonitatem per opera glorificationis et remunerationis. Prior memoria debetur Patri, secunda Filio, tertia Spiritui Sancto. Atque haec sunt eius formalia verba, quae deinceps prosequitur ad comprobandam unitatem divinae essentiae et pluralitatem personarum, tanta cum

Digitized by Google

subtilitate et elegantia, ut quantumcumque caecus, videre quis possit, ad ea scribenda, nedum ad intelligenda opus fuisse caelesti dono et gratia speciali. »

XI. « Vidimus et mirati sumus in Sancto nostro gratias gratis datas, quae cum ipsa hominis sanctitate connexionem necessariam non habent, ad eas nunc transeamus, quae reipsa sanctum ac Deo gratum constituunt. Inter has prima et caeterarum fundamentum humilitas est, quae ita excelluit in Paschali, ut quicumque de eodem sibi noto testimonium iurati dixerunt, virum humillimum uno omnes ore appellarint, quam ex vero sequentes casus nonnulli docebunt. Cum esset portarius in conventu S. Joannis Baptistae Valentiae, guardianus loci austerus et senex, coram tota communitate eum in refectorio acerrime reprehendit, quaedam verba proferens, quae morosae isti aetati potius quam veritati congruebant, et alteri excutere patientiam potuissent, dicensque inter alia: plenus confidentia es, quia putas thesaurum te habere in manibus: profecto nisi caveris tibi, thesaurus iste in aes vel argillam convertetur. Stabat ad haec omnia genuflexus Sanctus defixis in terram oculis, et capite inclinato, sed internum gaudium ipse vultu praeferens, veluti si suas laudes audivisset, condolentibus interim ei fratribus, quod ita publice tractaretur adeo sanctus frater, vel quia tunicam reliquerat in claustro ad solem expositam, vel quia superiori placebat ea ratione ipsius exercere virtutem. Ipse vero finita reprehensione surrexit, et guardiani pedes, uti moris est, in signum gratitudinis osculatus, accurrit ad ostium conventus aperiendum, quia eo vocatus per nolam erat. Ibi cum aliquandiu moraretur fr. Joannes Insulanus arbitratus eum studio cunctari propter senium reprehensionis acceptae, seorsim abducto dixit: frater Paschalis patientiam habe: cui Sanctus; *a qua vero in re?* in illa, inquit alter, reprehensione tam aspera. Tunc ille magna cum humilitate dixit: *frater, scito quod per os nostri guardiani locutus est Spiritus Sanctus.* »

XII. « Idem respondit alteri fratri ipsum solari volenti, quod fracto olivarum vasculo eiusdem frusta collo obligata circumferentem aggressus pari ferocia guardianus, ut negligentem incuriosumque notasset. Dicenti enim videri quod modum excessisset superior pro re tantilla locutus tam aspere: *tace, inquit Sanctus, quia vere eius verba, ut a Spiritu Sancto prolata accepi.* Idem similiter Villenae contigit. Fuit etiam cum eleemosynarius conventus graviter eum redarguit, quasi eleemosynas tanto a se labore conquisitas, nimia liberalitate prodigeret, cui nec unum quidem verbum in sui excusationem respondit. Neque vero cuiquam unquam se reprehendenti gravius aliquid reposuit, quam quod saecularibus quibusdam eius admonitionem iustam non ferentibus, eumque per comitium appellantibus caprarium, atque opilionem, hilari vultu dixit: *ne turbemini fratres, quia de omni verbo otioso rationem Deo dabit homo.* Inter alios porro humiliationis voluntariae actus, frequens ei fuit et per omnem vitam observatum, quod cum iuvenes fratres de manu magistri sui benedictionem acciperent, ipse cum iisdem se nudans disciplinam faceret. Humiliora officia domus promptiori exequebatur affectu: unde cum aliquando nomen suum in tabula, ubi illa distribuuntur, praetermissum videret, ad eius curatorem accurrit, rogans ne eo merito privatum se vellet: itaque et in latrinis purgandis et in eluendis immunditiis sedulo versabatur. »

XIII. « Eadem virtus adeo solicitum eum reddebat, ut quae sibi honori possent verti, omnia occultaret. Eadem faciebat, ut vilissima quaeque sibi

Digitized by Google

in habitu victuque collecta seponeret. Eadem cogebat quamcumque speciem praelationis declinare. Quod si aliquando praesidentis conventualis munus obedientia imponebat, nolebat id apparere exterius, ac ne benedictionem quidem a se peti : et quia hoc effugere omnino non poterat, quando simul portarii exercens officium, egressuris debebat aperire ostium ; hoc aperto se recipiebat post ianuam, ne se honorari conspiceret. Eadem optabilem ei suavemque reddebat quemcumque in opere aut verbo despectum, quod vel ex ipso eius incessu oculorumque deiectu notare poterant ii, qui alias nunquam hominem viderant. Eadem impediebat ne se ullo cuiusquam dicto factove laedi putaret : quare nec iratum eum quisquam vidit, nec murmurantem audivit. Quod si murmurantem ipse audiebat aliquem, cavebat ne apud se damnaret, sed continuo sibi obiiciebat aliquam illius laudem, quo celaretur vitium alienum saltem in oculis suis : solumque sciebat proprias licet levissimas culpas aggravare et manifestare, credens se omni bono indignum, dignum malo ; neque aliquid sibi praeter aequum fieri, sed omnes Dei creaturas per quas patiebatur quidpiam, considerabat, ut vindices exiguae virtutis et gratitudinis suae. »

XIV. « Proximum humilitati tam profundae erat absolutissimae studium paupertatis, ad quod comprobandum sufficit videre vestes ipsius tritas, viles ex panniculis consutas usque eo, ut impossibile esset invenire mendicum, qui eas haberet ex tot frustillis, duorum digitorum latitudinem raro excedentibus, consarcinatas. Quae quidem frustilla panniculorum omnis generis requirebat in sterquiliniis, lotaque seponebat ad usus suos, necnon filamentorum fragmina et aciculas cuspide orbas, quibus a se collectis inducebat ipse cuspides ad cotem ad hoc comparatam. Sandalia etiam vetera prorsusque detrita consuebat sibi ut melius poterat. Lampades cum assula pinea accendebat, ut cerae parceret: cumque vidisset aliquando olei quidquam effundere fratrem, magno cum zelo velut reprehendendo dixit: *iste est pauper?* Dici non potest, quo spiritu fratres exhortaretur, ut vere pauperes esse niterentur, et resartis tunicis palliisque non minus gauderent, quam elegantiis saeculares. Verba autem sua confirmabat exemplis, quorum aliqua de excessu forsan culparit quispiam. Tale fuit, quod cum interiores quosdam panniculos annos decem aut octo gestasset, eos denique haberet tam densis lanei lineive panni segmentis opertos, ut quae esset eorum materies praecipua discerni nequiret, et veluti in clypeorum duritiem stipati viderentur. Itaque et ego et quotquot eum novimus, audemus dicere, quod licet multos religiosos viderim amatores paupertatis, neminem tamen huic similem in victu vestituque. »

XV. « Vestes novas nunquam admisit, sed ab aliis detritas vilioresque volebat. Cum autem novam ei tunicam fecissent Jumillae, alterique tunicae integrandae deessent segmenta ea, quibus ad latera immissis in orbem pars inferior laxatur, detracta tunicae sibi datae reddidit, dicens sibi sufficere partes reliquas, qui macilento erat corpore. Ipsas igitur consuens adeo arcte stringebatur ad pedes, ut gressum difficulter formaret ad ambulandum. Hac de causa cum aliquando in civitate Murciae a quibusdam ecclesiasticis explo-deretur, non solum nihil questus est, sed in se potius culpam contulit male formati incessus. Si pedem alterutrum offendens laesisset, huic sandalium resartum aptabat, altero pede nudus permanens, causamque quaeren-

tibus respondebat, minime aequum videri, ut sanus iisdem, queis infirmus deliciis frueretur. Par erat eius in victu paupertas, vix aliud comedentis quam micas frustillaque panis in canistris collecta: obsonium autem, quod Jumillae addebat, erant reliquiae ex pridiana pauperum olla corrosae, aut raphanorum lactucarumve inter ossa abiectarum residua. In cella eius nihil vidisses praeter stragulum vetus ac ruptum, crucem ligneam et Deiparae virginis imaginem chartaceam; atramentarium insuper arundineum ad conscribendos libros suos, cum ea quam supra diximus parcimonia chartae compaginatos. Atque haec omnis eius suppellex fuit quam humanis despicabilis oculis tam grata divinis, quod et miracula probaverunt ad recularum tam vilium contactum patrata. »

XVI « Paupertatem consequitur poenitentiae rigor: paupertas enim exercetur in paupere et parco cibo atque vestitu, et hoc est poenitentia: et haec in Sancto nostro tam fuit singularis, ut quantumcumque de ea dixero, parum tamen dixisse videbor. Siquidem ordinarius eius vestitus unica semper tunica fuit, quamvis multos annos habitaverit in conventibus ac regionibus frigidis, ut sunt Jumillae, et Almanzae montanae; ubi etiam religiosissimi quique, licet duas tunicas palliumque induti, necesse habent saepe ad communem focum recurrere, etiam sic aegre hyemem omnia gelantem tolerantes; nam inter glaciales crustas et nivium algores discalceatus semper ambulabat. Quem autem calorem addere potuisset cilicium ex spinis carduorum contextum, quo aliquando induebatur, aut rastellum ex lamella ferri stanno obducti minutimque pertusi? Nullum profecto, ac ne illud quidem cilicium, quod ex setis equinis contextum ei erat loco telae hollandicae vestisque Paschalis, adstrictum rudi catena, cuius aliqui annuli detritis grossioris lini segmentis obvoluti erant, ne mutuo constrictu inter ambulandum laborandumve sonum ederent, suaeque poenitentiae asperitatem curiosis proderent. »

XVII. « Sed forte quod vestitui deerat, supplebat copia alimenti? minime vero: neque enim commune illud quod indulgetur in religione, membris ieiunio maceratis, admittebat ipse: sed cum alii carnes edebant, solo ipse pane vescebatur quam saepissime. Alias solum iusculum apponebat sibi, illudque ad mortificandum gustum iam frigidum: quia carnes non sumebat nisi rarissime, et quasi nunquam coenabat. Jeiunabat ordinarie omni feria sexta, multisque per annum diebus in pane et aqua: imo totis decem primis annis observavit eiusmodi ieiunium ter quavis hebdomada. Nunquam extra communem refectionem sumebat quidpiam, ne quidem baccam vel uvam unam. In festis autem Nativitatis et Resurrectionis aliisque similibus, quando fideles solent esse in eleemosynis largiores, ut religiosis lautius aliquid abundantiusque praebeatur, ipse magis studebat temperantiae; nec volebat ut sibi diversis in patinis apponerentur edulia, sed simul omnia in unam confundebat scutellam. Non deerant interim qui subinde explorarent, utrum appositam sibi carnem comederet; notaruntque, quod magna cum cautela suam dissimulans abstinentiam, solas herbulas, quibus erat incocta, gustaret; ipsam vero vix unquam comedabat, sed veluti si comederet, extractis paulatim ossibus dissecabat in frustula, quae denique successive reponebat in scutellam pauperum. »

XVIII. « Quando in praedictarum solemnitatum vigiliis post coenam conveniebant religiosi ad recreatiunculam aliquam, ut moris tunc est, sumendam, aliquid scilicet passarum aut ficuum fructuumve pro tempore parabilium, ipse

Digitized by Google

pro suo refectoriani munere ea inferebat, tum ad orationem se recipiebat in chorum, quia nequidem exiguum istud solatium lasso corpori suo voluisset indulgere, quod Christo confixerat in cruce, neutiquam vel ad momentum dimittenda, quamvis singularitatis nota ei propterea imponeretur ab aliquibus. Quod si propter mandatum superioris nequiret subterfugere, corpore quidem intererat collationi, animo vero expatiabatur ad consideranda divina illa mysteria, quae talibus diebus ecclesia celebrat. In huiusmodi consideratione raptus aliquando extra se, dum consideret in scamno saxeo una cum caeteris, tunc in culina, eo quod frigus esset, ad collationem congressis, ante tempus surrexit magno cum impetu clamitans atque vociferans, ita ut a tribus quatuorve fratribus, qui ei manus iniecerant, aegre posset summa vi contineri. Videns ergo superior eorum brachia in conatu deficere, voce elata dixit: fr. Paschalis per sanctam obedientiam impero ut quiescas. Ille autem quievit statim, a sensibus tamen tam alienus, et tam debilis remansit, ut cadens in terram fuerit pro mortuo efferendus inter brachia, deferendusque in cellam. Similis casus eidem aliquando accidit ad Dominam nostram de Lorito, ubi cum iciunasset quadragesimam apostolorum seque ad pentecosten celebrandam appararet, ipso die et hora tertia qua Spiritus Sanctus adveniens sua hominibus elargitus est dona, religiosis in oratione coniunctis, non potuit se continere Sanctus quin cum stupore omnium alte exclamaret. »

XIX. « Flagellabat se ipse ferme quotidie, praecipue quando officium erat de martyre, tum ut vel sic experiretur dolores martyrii in ipsius sancti, qui colebatur societate, tum ut poenam illam vice martyrii offerret Deo, testareturque quam pro eo optaret totum sanguinem fundere. Observatus est autem in festis S. Michaelis, vel Angelorum diutius se flagellare, quia istis diebus hoc faciebat novies recitando psalmum *Miserere*, in honorem novem chororum angelicorum. Infirmus nullum solatii admittebat genus ex iis quae aliis praeberi solent, non culcitram, non lodices: neque prius se dabat curandum medico, quam compelleretur expresso superioris mandato. Toto autem infirmitatis tempore quantumcumque graves essent fortasse cruciatus, nunquam queri, nunquam audiebatur vel gemitum dare. Mox vero ut eum dimiserat febris, surgebat e strato, seque ad chorum vel infirmariae ipsius sacellum oraturus conferebat, in qua quidem actione aliquando inventus est tam imbecillis, ut non posset ascendere scalas, nisi dorso ad parietem connixus. Aliquando quartanam patiens, cum ei curam adhibere nollet, idque ei scrupulo ducerem respondit: *scias, frater, quia quartanam non patior ex aliqua naturali causa, sed per Dei specialem voluntatem.* Eum alias quartana laborantem expresso mandato compulit guardianus comedere carnes: sed has ille tunc quidem obedienter manducavit, sub noctem autem sumpta acri disciplina compensabat corpori, quod fuerat eius mortificationi ipsa die detractum, quamvis ea dies esset febrilis recursus. »

XX. « Lectus eius Almanzae storea erat iuncea, et lignum pro cervicali, vileque stragulum quo se operiebat. Fuit autem ibi multo tempore sub capana, in cella tam paupere, ut neque portam haberet, neque ex toto esset cooperta. Alias in aetate provectiori dormiebat supra tabulas pellicula instratus. Verum ut neque dormiens a se cruciando cessaret, aut perfectam quietem corpus caperet, colligebat sese veluti in globum, ore genua contingens, et corpus stragulo implicans sic alligabat, ut non posset omnino sese extendere. Cum in oppidum egredienti contingebat socium aliqua in domo considere, ipse

sedilia fugiens, circumspiciebat sibi suppedaneum aliquod humileve scabellum, et in hoc ipso adhuc notabatur ex uno solum latere considere solitus, ex alio velut suspensus se cruciare. Hortabatur vero etiam alios fratres, praesertim iuniores, ut duriter tractando suum corpus, saepeque in pane et aqua ieiunium servando, ipsum posset spiritui subiicere. Cum autem die quadam vidisset religiosum in sua cella habentem poma, quaesivit ex eo Sanctus, cur ibi aliquid edulii haberet. Ipso vero respondente, quod non haberet ea esus causa, sed solum ut visu olfactuque delectatus benediceret Domino, subiunxit Sanctus; *scias, frater, quod qui libenter habet in sua cella esculenti quidpiam, nunquam obtenturus est spiritum perfectionis:* quam vocem audivi et diligenter notavi. »

XXI. « Postquam a saeculo, ubi quam amans fuerit precandi, diximus, ad statum religiosum transierat, tanto inter orandum gaudio spiritus perfundebatur Paschalis, ut cum potentias omnes haberet occupatissimas, praesentem semper Deum ante oculos mentis suae cernens, id ipsum exterius appareret. Nam et cum esset inter medias saecularium turbas, semper inveniebatur tam alacri, sereno et placido vultu, ut quisquis eum consideraret in facie, oculis, labiisque perpetuum quemdam veluti risum notaret. Et oculos ille quidem ac faciem sic saepe elatos in coelum ferebat, ut qua pedes irent, quandoque non videret. Ita cum nocte quadam egrederetur de choro, ubi prolixius oraverat, nec attenderet ubi figeret gressum, de sublimiori gradu ad imum scalarum pedem corruit tanto cum impetu, ut ego qui tunc forte vacabam studiis, audito lapsu voluerim egredi cella. Sed subito omnia quieta audiens, paullopost ipsum habui ad cellae meae ostium, pulsantem modeste ac lumen petentem: in quem intuens, vidi vultum eius grandi tubere turgidum, indeque intellexi ipsum fuisse, qui ceciderat: nam ex ore ipsius aegre id potui elicere. Cum autem nullum vellet malo isti remedium, noluit ut ego id quaesitum egrederer cella: sed ipse ad suam se magna cum patientia silenter contulit: quamvis tam gravis lapsus fuerit, ut eius quod tunc passus est incommodi, reliquias tulerit per omnem deinde vitam. »

XXII. « Nihil aggrediebatur unquam, de quo non exquisivisset Dei per orationem consulti voluntatem, quod sequenti casu declarabitur. Expediebat vehementer conventui, ut cuidam eius necessitati consuleretur: et quia sciebat guardianus, quod Sanctus, si scriberet provinciali, promptum ab eo remedium obtineret, rogavit ut faceret et rem indicaret. Epistolam ergo scripturus abiit in cellam cum chartae scheda, quam eum in finem dederat guardianus: qui aliquanto post tempore scire volens an absolvisset, ex improviso cellam aperuit, invenitque Sanctum genibus in oratione defixis, iunctisque manibus inter quas chartam tenebat, rogans Dominum, ut pennam regeret, et quae scribi vellet ipse intus dictaret. Neque tantum id faciebat in maioris momenti negotiis, sed etiam ad minimas actiones. Alias cum dormientibus aliis, religiosi quidam transirent eius cellam, audiverunt ipsum intus suspirantem atque gementem: in quo ne saepe deprehenderetur formidans, haud raro sese conferebat ad hortum, ubi observatus a nemine, dulcia cum suo Jesu misceret colloquia. Suspicabatur hoc quidam frater Jumillae: ergo speculaturus quid ageret, ibidem se latenter abscondit, viditque se penetrantem inter condensas quasdam arbores cum crebro brachiorum motu, velut aliquid solicite quaerentem, et blanda voce iaculatorias emittentem pias ac fervidas, quarum memo-

riam particularem retinuisse se negavit religiosus iste: ego vero eas manu ipsius propria sic reperi descriptas. »

XXIII. « *Doce me, abyssus profundissima, creatrix rerum omnium sapientia, quae in divina tua lance appendisti magnitudinem montium colliumque, et pondus terrae tribus digitis suspendisti. Suspende, Domine, pondus corporeae gravitatis huius, quod circumfero tribus tuis invisibilibus digitis, ut videat et cognoscat quam admirabilis sis in omni creatura. Tu es lux suprema, quae fulgebas ante aliam omnem lucem in montibus sanctis tuae antiquissimae aeternitatis, cui omnia manifesta et conspicua fuerunt, priusquam fierent. O lux, ab omni macula abhorrens, quaenam deliciae sunt tuae maiestatis cum homine? Unde praeparasti in me thronum regia tua excellentia dignum, in quem intrans deliciarer? Unde habet homo, ut fiat templum puritatis tuae, teque intra se recipiat?* In hunc modum nulla transibat ei hora diei, quam eiusmodi orationum varietate non distingueret, totus intra se collectus, ad fruendum eo, quem intra animam suam portabat paradiso: hoc enim ex evangelica doctrina eum hausisse apparet ex verbis in libro eius scriptis, huiuscemodi. »

XXIV. « *Regnum Dei intra vos est, inquit Salvator. Quale est istud regnum? Id nempe de quo Apostolus ad Romanos* VIII., *iustitia, pax, gaudium in Spiritu Sancto. Ubi iustitia ponitur tamquam omnis huius boni radix; pax vero et gaudium uti fructus huius radicis, in quibus consistit nostra quies atque felicitas. Atque hoc significant nobis duo nomina Melchisedechi, qui appellabatur rex iustitiae, rex pacis. Haec enim duo sese invicem comitantur: nec enim unquam pax sine iustitia, aut iustitia sine pace invenitur. In vanum igitur laborat quisquis, pacem quaerens et verum gaudium citra iustitiam, et bonam conscientiam.* Hactenus ille: alibi vero sic scribit: *amem te, Domine, fortitudo mea, refugium meum, liberator meus in laboribus atque periculis. Quid mihi est in coelo, Deus, et extra te quid volui supra terram? Deficit anima mea et caro mea in desiderio tuae maiestatis: quia tu es Deus cordis mei, tu pars mea et haereditas mea in aeternum.* Has similesque voces pronuntiabat Sanctus inter illas arbores S. Annae de Monte. Et quamvis is, qui explorabat ibi actiones eius, conabatur latere, ei cum patientia et consueta sibi lenitate sensum aliquem suum declaravit dicens: *cur me persequeris?* »

XXV. « Solebat orare cum tanta attentione et vehementia spiritus, ut absque sensu externarum rerum raptus in Deum, aliquando etiam conspiceretur ad cubitum unum elevatus a terra. Ita Jumillae in choro eum a se visum, cum illuc forte esset ingressus, deposuit fr. Andreas Rodriguez, sicque eo viso vehementer pavefactum. Notavit etiam mulier quaedam Villae-Regalensis, Francina Sebastiana, quod die iovis sancto eum viderit orantem coram Sanctissimo, totoque corpore prorsus immobilem ac si clavis fixus solo fuisset, per horas omnino quinque continuas. Sacrificio missae tam devotus intererat, ut similem affectum aspiraret omnibus intuentibus. Saepius quoque observatum fuit, quod eidem sacrificio ministrans, flexis genibus et manibus ante faciem iunctis (qui erat ordinarius orantis usus) diflueret lacrymis copiosissimis. Eadem Francina utpote particulariter Sancto devota, duobus vel tribus diebus antequam infirmaretur, notavit, quod tempore totius missae cui serviebat, subridere sibi perpetuo sit visus: pleno autem risu exhilarari eum vidit, cum librum ab epistolae cornu ad alterum, quod evangelii dicitur transferret. Cumque post

dies ab inde circiter decem audiret eum obiisse, identidem cogitationi suggerebatur, quod risus iste fuerit indicium alicuius notitiae de glorioso suo fine acceptae. Et huic testimonio consonant plurium fratrum dicta, asserentium quod per eosdem dies extraordinariam quamdam in eo laetitiam notarint; qua fiebat ut inter ambulandum rideret cantillaretque, velut laetissimo aliquo nuntio recreatus. Devotissimus erat etiam Reginae coelorum et rosarii eius quod partim ex eius scriptis intelligitur, partim videtur colligi ex ea assiduitate, qua ipsum semper manibus tractabat: quibus si ad aliquod ministerium peragendum habebat opus, expediebat eas iniecto in collum virgineo serto, quod a se non prius, quam spiritum ipsum suum dimisit. »

XXVI. « Porro ut iis satisfaciam, qui cum desiderio imitandi cupiunt videre specimen piorum exercitiorum eius, transcribam hic quaedam ex eius libello circa orationem meditationemque notata. *Meditatio*, inquit, *est studiosa operatio intellectus, occultae veritatis notitiam investigantis. Oratio est devota attentaque suspensio mentis in Deum, ad avertenda mala, et bona concupita obtinenda. Contemplatio est suspensa elevatio animae in Deum, quae iam mundanis rebus mortua, degustat gaudia pacis et dulcedinis internae. Otium et quies sancta, sunt affectus contemplationis, quos potissimum vita contemplativa intendit. Lectio est diligens consideratio scripturarum cum attentione intellectus. Dico, inquit S. Bonaventura, quod nostra locutio et nostra oratio sunt desiderium alicuius rei, aut petitio conformis desiderio nostro. Gloriosus autem S. Chrysostomus docens quomodo oratio sit principium et causa grandium bonorum, sic loquitur: aequa res esse potest aut iustior, aut pulchrior, aut sanctior, aut plenior sapientia, quam conversari et loqui cum Deo? Si enim ii, qui agunt cum sapientibus, cito efficiuntur sapientes, quid dicemus de iis, qui semper cum Deo loquuntur, deque suis rebus omnibus cum eo consultant? O quanta est sapientia, quanta virtus, quanta prudentia et bonitas, et temperantia, et aequalitas morum, quam secum trahit studium orationis! Non errabit igitur, qui dixerit, quod oratio sit causa omnis virtutis et iustitiae; et quod nihil eorum quae sunt animae necessaria ad eam intrare possit, si desit oratio: quin potius, quemadmodum civitas carens muris et propugnaculis facilem hosti praebet ingressum, sic anima, quae non est oratione munita facile vincitur a daemone et vitiis impletur. Nihilo longius a veritate recedet, qui sustinuerit orationem esse tamquam nervos, quibus contexitur, in omnem sese partem movet: et sicut ipsi tam necessarii sunt corpori ad vitam, ut iis sublatis dissipanda continuo sit omnis eius harmonia, et consonantia; ita animae per nervos orationum manent firmae, idoneaeque ad vitam spiritualem exercitationemque perfectam in curriculo virtutis.* »

XXVII. *Ratio propter quam Deus nos creavit adeo pauperes et virtutibus destitutos, fuit, ut nos exerceremus in oratione, eaque mediante pertingeremus ad ipsum, et virtutes ab eo peteremus. Tam necessaria nobis oratio est, ut sine illa secundum Deum vivere nequeamus: estque haec virtus veluti pignus, quod Deus a nobis exigit, ut nos coniunctos sibi teneat: sciebat enim quam utilis nobis foret praesentia sua, et conservatio, quamque periculosum nobis foret vel tantillum ab eo separari. Quandoquidem Deus maxime cupiat favores suos nobis dare; in omni quam petes re, confide firmiter daturum Deum quod petieris. Nihil petas*

Digitized by Google

nisi ad hoc prius a divina voluntate praemovearis, qui maxime cupit dare et annuere petitioni tuae, quam voles petere; et expectat donec aliquid petere incipiamus: itaque ad petendum moveri magis debes propensione, quam ad largiendum habet Deus, quam necessitate propria eius rei quae petitur. Exerce animam tuam per actus vehementes atque potentes ad volendum quidquid vult Deus, removens a tua voluntate omne bonum et commodum, quod ex tali voluntate consequi poteris, eo solum excepto quod voluntas Dei mereatur supra omne concupiscibile appeti, eoque quod sua divina maiestas velit nos adipisci quod cupimus, ut eo obtento fiamus maiores servi Dei, eumque amemus perfectius. Petitiones et orationes tuae omnes semper tali intentione signentur: et quando petes, pete cum amore et per amorem cum instantia et importunitate. Abstrahe animum a rebus huius mundi, et cogita in eo nihil esse praeter Deum et animam tuam: neque cor tuum iisdem distrahi vel ad modicum patere. Iudicium caecum simplex et humile, memoria supra seipsam experrecta, amor divinus omnia nostra sicut oleum condiat. »

XXVIII. « *Quatuor sunt gradus perfectionis, scilicet anima omnibus rebus creatis spoliata, imo et a suo corpore abstracta: anima unita Deo per spiritum et voluntatem: anima familiaris divinae maiestati: anima quae recepit quidquid impositum fuerit, tanquam de manu Dei, ubique gratias agens. Duplex est modus contemplationis; alter per creaturas in intellectu, atque hic modus est valde difficilis et laboriosus, quia exercetur per potentias et intellectum cum spatio temporis: cuius licet multa utilitas sit, nunquam tamen assequetur perfectionem qui in hoc solo sistit; neque pure et absolute est homo spiritualis. Alter modus, uti fere est sine labore, sic ferme sine temporis impendio cum maximo merito tendit ad perfectionem: sed modus hic absconditus est et pauci eum inveniunt: appellatur autem nominibus variis: nunc quidem scientia infusa, alias sapientia abscondita, alias theologia mystica, vel exercitium aspirationis. Invenitur vero per viam aspirationis, quae est ignis incensus, ardens in corde, altus ferventibus vivisque desideriis amoris, qui nutrit et sustentat animam devotam cum voluntatis affectibus continuo novis. Hunc ignem divini amoris accendit divina bonitas per suam infinitam clementiam intra viscera amantis animae, et ipse per quietam perfectamque contemplationem continuatur, in qua et non sine ea potest servari incendium istius amoriferae flammae, quae animam assimilat camino, per quem ipsa se sublevat, immersura se centro illi sempiterno, unde divini amoris disciplina processit et ignis huius prunae candentes. Quieta contemplatio et finis in quem terminatur hic amor, est amor sempiternus, qui in hac vita coeptus incendi, nunquam extinguitur, neque ardere desinit, donec ad vitam aeternam pertingat. Contemplari, secundum praecisam vocis notionem, est animam sese attollere in Dei amorem pure et absolute, non involvendo se nubibus aut obscuritatibus notitiae rerum creatarum, earum praesertim quae infra animam rationalem sunt.* Atque hactenus sunt ipsa Sancti verba, quibus etiam exercitia sequentia expressa inveniuntur. »

XXIX. *Cum transieris viam purgativam et aliquanto tempore in ea constiteris, idest in notitia tuae exiguitatis, miseriae, et vilitatis: cumque nonnullos annos insumpseris meditandae passionis D. N. Iesu Christi eius-*

que sanctissimae vitae: cum denique Deum in suis creaturis cognoveris, teque in virtutibus excreveris cum multa tui notitia; incipe magna cum humilitate te dare et occupare in via, quam vocant illuminativam, et in ea, quam appellant unitivam, quae consistit in agnitione beneficiorum divinorum cum gratiarum actione, atque in suavi exercitatione amoris et charitatis Dei. Summa porro exercitiorum vitae illuminativae haec sit. »

XXX. *Die lunae multa cum diligentia debes considerare beneficium creationis dicendo: gratias tibi ago Deus meus et rex supreme, quod ab aeterno me praedestinaveris, et in perpetua charitate amaveris. O ardentissime amator mi, pater mi, gloria mea, spes mea, quando fideli amore te diligam? quando te intimis visceribus complectar?* »

XXXI. *Die martis, beneficium gratificationis, dicendo: gratias tibi ago Domine mi supreme, cui complacuit me gratificari in tuo dilectissimo Filio, eidem non parcens. Gratias tibi ago, Domine, quia dedisti mihi Spiritum Sanctum in signum adoptionis, in privilegium amoris, in annulum desponsationis, participando eius dona, fructus, et sanctas inspirationes. Atque hic age gratias pro omnibus sacramentis.* »

XXXII. *Die mercurii considera beneficium vocationis, dicens: gratias tibi ago Domine mi et Deus supreme, quod toties exerrantem revocasti, et restituisti modo per inspirationes internas, modo per externas admonitiones.* »

XXXIII. *Die iovis beneficium iustificationis dicens: gratias tibi ago Domine mi et Deus supreme, quod dignatus sis voluntatem meam sic commutare, ut quaecumque ad poenitentiam spectant et antea mihi erant amara dulce nunc sapiant.* »

XXXIV. *Die veneris beneficium donationis dicens: gratias tibi ago Domine mi ac Deus supreme, quod mihi dederis in donis naturalibus intellectum capacem et tenacem memoriam, in donis fortunae robur et decoram conformationem corporis, in donis gratiae pure credere et ardenter imitari etc.*

XXXV. *Sabbato beneficium gubernationis dicens: gratias tibi ago Domine mi ac Deus supreme, quod in hoc esse me conservaveris, dando mihi incrementum quotidianum, valetudinem bonam, ingenium hilare, cum ex me ipso nihil sim.* »

XXXVI. *Dominica beneficium glorificationis dicendo: gratias tibi ago supreme Deus, quod mihi concesseris gaudia paradisi, dando mihi supra naturae meae exigentiam fruitionem divinitatis, visionem mei Redemptoris, et gloriosae Matris eius. O Domine, quanta mihi laetitia erit videre regem coelorum in suo decore, et dominam meam virginem Mariam, totam deificatam et glorificatam.* »

XXXVII. *Simili modo utendum est punctis aliquot elevativis, ad affectum in singulis dictorum beneficiorum innovandum elevandumque animum dicendo: o suprema bonitas! o altissima aeternitas! o incomprehensibilis maiestas! o amator ardentissime! o hospes suavissime! o sapor sanctissime! o rex praeclarissime! o magister prudentissime! o recreator sufficientissime! o redemptor largissime! o custos diligentissime! Quomodo, Domine, dignas tibi gratias referre potero pro tantis beneficiis, tantis donis, tantis misericordiis? Neque solum in his vitae illuminativae exercitiis huiusmodi punctis uti debes, sed etiam in exercitiis aliis. Debes*

Digitized by Google

etiam in recognitione istorum beneficiorum ruminare auctoritates aliquas Scripturae, elevando animam tuam atque dicendo: benedictio, sapientia, claritas, gratiarum actio, honor, virtus, et fortitudo Deo nostro per omnia saecula saeculorum. Amen. Quia vero oratio, ut sit perfecta, tribus partibus constare debet, scilicet agnitione culparum, imploratione misericordiae, et actione gratiarum; ideo sciendum est, quod gratias Deo agere non sit aliud, quam elicere actum interiorem animae, quo agnoscimus Deum pro domino infinito et universali, a quo dimanat omne bonum: quo etiam is, qui bonum aliquod coeleste recepit, delectatur, considerando per eiusmodi benefactum magis habilem factum se esse ad serviendum datori omnis mali: et delectatur videndo se aptum esse ad magis amandum meliusque serviendum datori omnis boni. »

XXXVIII. Denique sub titulo exercitiorum vitae unitivae haec descripta reperio. *Veniens ergo frater ad locum orationis, teque muniens signo sanctae crucis, ac spiritum intus recolligens assume personam et affectum filii et sponsae cum affectu amoris: informa meditationem de laudibus perfectionibusque divinis: ac disce in iis gustare quam dulcis sit Dominus in hunc modum.* »

XXXIX. *Die lunae primo debes amanter considerare, quomodo Deus est conditor omnis esse, idest principium et finis cunctarum rerum, a cuius arbitrio pendent omnia.* »

XL. *Martis cogita quomodo iste tuus dilectus sit decor universi, omnesque creaturas fecit formosas: ipse est cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, in quem desiderant angeli prospicere.* »

XLI. *Mercurii perpende quomodo is, quem amando requiris, est gloria mundi, quem adorant angeli, laudant archangeli, tremunt potestates, cui denique omnes serviunt.* »

XLII. *Jovis cognosce quomodo is, quem amas totus est charitas: et quod is qui manet in eo, maneat in charitate, et Deus in eo. Item quod sicut natura ignis est ardere, incendere et calefacere; ita proprietas charitatis divinae sit ardere, gratias suas largissime effundere, inflammare amorem, incendere, salvare, redimere, custodire, liberare, et illuminare.* »

XLIII. *Veneris considera quomodo is, quem multum amare desideras, sit regula et exemplar omnium rerum.* »

XLIV. *Sabbato expende quomodo is, quem amas est quietissimus, et absque ulla sui mutatione mundum perpetua ratione gubernat, sator coeli terraeque.* »

XLV. *Dominica agnosce quomodo is, quem diligendo concupiscis, sit sufficientissimus: et qui illam possidet, possideat quidquid sibi opus est.* »

XLVI. *Singulis porro exercitiis istis servire possunt elevativa haec puncta: o Domine, tu amor meus es, meus honor, mea spes, meum refugium, mea vita, mea gloria, meus finis. O amor meus! o beatitudo mea! o servator mi! o gaudium meum! o director mi! o magister mi! Non quaero Domine, nec volo, ut mihi proponatur, aut dicatur alia res, nisi tu Domine Deus meus: quia tu mihi sufficientissimus es, pater meus, frater meus, nutritius meus, rector meus, custos meus, totus desiderabilis, totus amabilis, totus fidelis. Adorationis quoque actus hac forma exerceri debet mente magis quam voce: o excelsissime Domine, anima*

mea adorat te super iudiciis iustitiae tuae, pro nostra redemptione exercitis in dilectissimo Filio tuo. Gratiarum actionem sic concipies. O supreme omnium Domine, anima mea tibi offert gratias et laudes pro ardentissimo amore, quo dilexisti me ante ordinationem mundi, virtute cuius me praedestinasti, et me fecisti christianum, meque convertisti et eruisti a saeculo. Et hoc modo possumus dicta verba applicare ad agendas gratias pro quocumque beneficio. Appellanda etiam oranti sunt merita mysteriorum vitae D. N. Iesu Christi, dicendo: o Domine per vestram sanctam incarnationem miserere mei peccatoris. Ad proseguendam vero huius exercitii viam, existimo aptissimas esse nocturnas vigilias, privando corpus omnibus superfluis, nec praeter praecisam necessitatem ei quidquam indulgendo in victu aut somno, ut te possit per iter amoris portare: quia anima contemplativa non curat corpus, nisi quatenus obligatur; idque solum pro Dei amore, cui cupit placere, et quia divina maiestas id iubet. Anima iusta quae transiit per viam purgativam et illuminativam, et viriliter invigilat custodiendae quieti interiori, acquirit absconditam sapientiam, et gustabit dulcedinem, quam largitur Deus diligentibus se. Aufer a te omnem amorem proprium, et tui ipsius honorem perfectum concipe: cupias vere et ex animo contemni, affligi, deprimi ab omnibus, et pro vili haberi. Neque tamen magnum quid esse putes, si ipsis iniuriis laeteris et oblecteris: scis enim, quia eas iuste mereris, propter multa tua graviaque peccata. Atque haec omnia ex diversis quidem locis, ex uno tamen ipsius libro collecta sufficiant, ad explicandum orationis et contemplationis practicae spiritum, quo dirigente talia sapere et scribere potuit. »

XLVII. « Magnam esse fidem suam vivam, solidam, et ferventem demonstrabat Sanctus, loquendo de mysteriis eius cum tanta certitudine et efficacia, ut omnibus miraculo esset, adderetque animos ad amplectenda fugiendaque ea, quae nobis ut talia fides proponit. Notabile imprimis erat quanta delectatione et voluptate narraret vitam et miracula, passionem et mortem D. N. Iesu Christi, idque tam asseveranter et dilucide, quasi singulis mysteriis praesens adfuisset. Cum ei per obedientiam iniunctum fuit Jumillae de Christi nativitate ad fratres verba facere, ita fecit ac si ipse, dum erat per campos pastor, eorum unus fuisset, quibus angelus gaudium istud magnum evangelizavit: cum iisque praesepiolum vidisset, et infantem in eo positum adorasset, addebat quomodo plorantem panniculis involvebat mater, et sua ei ubera praebebat, iubilantibus interim festiveque modulantibus coelestium spirituum exercitibus: inter quae quoties pronuntiabat sacra Iesu ac Mariae nomina, ea id faciebat teneritudine ac reverentia, ut satis appareret ipsi intus in corde esse descripta. De tempore porro et loco, quo natus est Christus haec eius manuscripta invenio. »

XLVIII. *Cum gloriosa virgo Maria tam pretiosum Filium de Spiritu Sancto concepisset, die* XXV. *Decembris, nocte silenti et quieta, peperit unigenitum suum in pauperculo tugurio. Natus est ergo ex purissimo ventre sacratissimae virginis Mariae, quae fuerat filia sancti viri Joachim et legitimae uxoris eius Annae: quae ipsum peperit iuxta computum scriptorum anno ab orbe creato* V∞ CXCIX., *ab Urbe condita* DCCLII., *anno imperii Octaviani Caesaris Augusti* XLII. *Cum autem gloriosa coelorum Regina esset in loco tam desolato, circumdata fuit splendidissima luce. Tum hora sacratissimi partus adfuit in media nocte dominica die: natus-*

Digitized by Google

Anno Christi 1591.	Gregorii XIV. anno 1.	Rodulphi II. anno 15.	Religionis Minorum anno 384.

que est D. N. Iesus Christus sub rupe quadam, quae erat iuxta diversorium. Natus est, inquam, nosque illuminavit sol iustitiae Iesus Christus Deus noster, et nos de excelsis visitavit. Atque infra. *Secundum nativitatem divinam habet Christus patrem sine matre; secundum humanam matrem sine patre.* In hunc modum pergit ille explicare magnalia vitae et mortis Christi, confirmando mysteria fidei nostrae et articulos humanitatis Christi auctoritatibus prophetarum, quibus nos theologi solemus uti contra iudaeos. Contra haereticos vero grande nobis argumentum datur ex ea confidentia, qua in itinere francico usum diximus mori paratum, contra quos etiam sic scripsisse legitur.

XLIX. *Haereticos Scriptura sacra insensatos appellat: contra quos, inquit Salomon Sapientiae v., accipiet armaturam zelus Dei, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum: induet pro thorace iustitiam, et accipiet pro galea iudicium certum: sumet scutum inexpugnabile aequitatem: acuet duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos: quae proprie est appellatio haereticorum: quia non solum habent obscuratum intellectum, sed etiam torpent sensu ad qualecumque bonum opus: unde consequitur, ut verissimum sit, quod de iis affirmat fides. Praeterea Deus est auctor naturae: ex quo sequitur primo, quod peccatum infidelitatis et haereseos sit peccatum stultorum, et cavillatorum ignorantissimorum; ideoque appellantur a s. Petro indocti, instabiles, insipientes: et s. Paulus de iis dicit, quod tenebris obscuratum habeant intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam, quae est in illis propter caecitatem cordis ipsorum.* Ita Sanctus. Nunc vero addere vellem, quae de articulis divinitatem spectantibus manu sua nobis reliquit descripta; sed manus mihi constringit proposita brevitas: specimen accipe in verbis sequentibus. »

L. *In illa aeternitate et duratione infinita absque principio atque mutatione, priusquam aliquid visibilium creaturarum appareret, erat Deus unus in essentia et trinus in personis, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, singulis habentibus inter se perfectissimam beatitudinem, gaudium, et communicationem ineffabilem, cum Verbum, idest, aeternus, unicus, et unigenitus Filius Dei semper procedat ab aeterno Patre suo, per spiritualem et intellectualem generationem; simulque procedat Spiritus Sanctus per amorosam processionem et spirationem Patris ac Filii. Habent autem omnes tres personae unam eamdemque substantiam, quamvis sint tres verae ac reales personae sine principio et sine fine: et omnes tres inter se cognoscunt, communicant, amant, gaudent infinito cum gaudio; quod maius esse non potest nec crescere, quamvis omnipotentissima maiestas illa millenos mundos crearet, qui in eam amando semper occuparentur. Pater aeternus ab alia nulla persona procedit: Filius procedit ex solo Patre: Spiritus Sanctus ex Patre et Filio. Non est maior nec prior una persona quam alia; sed omnes tres aeternae sunt, aeternitate eadem omnes tres perfectione sunt aequales: eadem omnibus sapientia, bonitas, potestas, dominium, et imperium. Haec ergo fidei nostrae, quam profitemur confessio est: unus Deus in Trinitate, et Trinitas in unitate.* Progreditur deinde Sanctus pari passu altissima quaeque de inscrutabili mysterio dicere, quae absque ullius falsitatis fermento proferri ab homine litterarum rudi, quis est qui non obstupescat? »

LI. « Fratres omnes multique saeculares signanter testificati sunt notatam a se fuisse in Sancto praecipuam quamdam devotionem erga sanctissimum eucharistiae sacramentum: adeo enim imbuta erat anima eius isto dilecti sui pretiosissimo pignore, ut quoties vel tantillum otii a consuetis officiis suppetebat, quadam veluti violentia traheretur in ecclesiam; mille vicibus eo recurrens, sicut mille vicibus inde avocabatur ab obedientia per nolulam ad ostium sonantem. Contingebat tamen haud raro, ut aliquantula patientia opus haberent pulsantes, donec se expedivisset ab illo dulci amoris carcere: cum autem eis satisfecisset, rursus inveniebatur, aut missas audiens, aut genibus flexis versus sacrarium protensis illuc manibus, et ea corporis positura, ut videretur sagittas amorosi affectus vibrare in istum amatorem hominum, sub accidentibus panis latentem. Ex eodem fonte profluebat insignis reverentia erga sacerdotes, quos ad ostium venientes, qua ratione exciperet, pium erat vel intueri. Positis enim humi genibus sacerdotis dexteram ambabus apprehendebat manibus, osculabatur amanter, faciei, oculis, ori admovebat: idque faciebat sacerdotibus sine discrimine omnibus, religiosis et saecularibus, atque eorum benedictionem petebat. »

LII. « Communicabat devotissime, non vultum contorquens, aut vehementia emittens suspiria, quemadmodum novi quidam spirituales, ferventes musto imperfectionis suae: sed vultu alacri, quieto, modesto, in quo legeres internam laetitiam animae talis hospitis praesentia dignatae: ad cuius etiam receptionem praeparabat se per confessionem peccatorum, multo crebrius faciendam quam communicaret: neque enim hoc faciebat quotidie. Quo autem id faciebat die, maiorem recollectionis atque silentii curam monstrabat: utebatur etiam quibusdam devotissimis precatiunculis, quarum hoc specimen accipe: *o Domine Deus meus, creator coeli et terrae, rex potens, qui manu illa tua robusta me ad tuam imaginem et similitudinem creavisti: quis sum ego, ut memor sis mei? aut quis est homo, Pater pientissime, quod sic magnificas eum? tuoque cordi atque amori tam prope iungis? statim ac creasti eum, fecisti dominum, dando ei copiosissimam mensam in paradiso voluptatis: sed post redemptionem parasti ei alterius longe generis mensam, teque ei in ferculum apposuisti manducandum. O Domine, quae tanta liberalitas, quae magnificentia tam eximia? quod cum sis qui es, Deus infinitus, creator, et redemptor, meo te includas pectori? o mi bone Iesu! o salus mea! offero tibi pauperem animam meam et cor languidum. Multoties divinam tuam maiestatem offendi, et tamquam proditor Absalon de regno cordis mei te expuli. Purga me fons aquarum viventium; sana me medice salutaris; indue me fide et spe firma, meque dignum te templum effice. Formidabat magna cum fide Centurio, quia accedebas ad domum illius: Baptista prius sanctificatus quam natus, baptizare te metuebat: et ego peccator non metuam te suscipere, creatorem ac dominum angelorum? o Pater coelestis, da mihi vires et robur ad opus tam grande. O Fili Patris sapientiam, et prudentiam mihi largire. O Spiritus Sancte, amor Patris atque Filii inflamma cor meum, et purifica animam tuae charitatis igne, ut viva cum fide recipiam hoc sanctissimum sacramentum.* »

LIII. Alias orationes sic descriptas habebat: *rex coelorum, Domine mi Iesu Christe, ego peccator indignus accedo ad sanctum altare tuum, invitatus voce tua divina, et fretus clementia. Tu me vocas ad mensam*

Digitized by Google

Anno Christi 1594.	Gregorii XIV. anno 1.	Rodulphi II. anno 15.	Religionis Minorum anno 384.

tuam, teipsum mihi in cibum offerens: ergo, licet parvulus, audebo tamquam alter Beniamin venire ad convivium, quod meus maior natu Ioseph germanis suis praeparavit. Supplico maiestati tuae, ut referam inde eos fructus quos tam sublime sacramentum in tuis amicis operatur. Infirmus sum, tu medicus meae salutis. Peccator sum, tu es qui iustificas impios. Pauper sum, tu infinitis divitiis locuples. Da mihi augmentum fidei, incrementum charitatis, complementum virtutum omnium, cum quibus tibi serviam, te omni vita mea laudem, te denique fruar in coelo per gloriam. Amen. Domine Deus mi, Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui in die sanctae coenae tuae per infinitam, qua nos semper amasti charitatem, constituisti et ordinasti sacramentum pretiosi corporis et purissimi sanguinis tui in memoriam tuae dolorosae passionis, dedistique sanctis apostolis tuis comedendam carnem tuam sacratissimam et bibendum pretiosissimum sanguinem, supplico tibi Domine, et humiliter peto, ut emollias duritiem cordis mei, des mihi lacrymas compunctionis, quibus omnes peccatricis animae meae sordes abluantur. Multum enim et diversimode usque hodie peccavi cogitatione, verbo, visu, et opere. Mea est haec culpa, Domine, mea maxima culpa. Nihilominus vere confiteor, et firmiter credo, quod tu Domine potes condonare omnia peccata mea, per infinitam bonitatem et misericordiam tuam: ergo mi dulcis Domine, ignosce mihi omnia, quia de omnibus et singulis doleo, firmiterque propono solicitius imposterum omnem noxam cavere. O mi piissime Domine da mihi servo tuo tantam ac talem devotionem, qua hodie te recipiam in statu gratiae sicut convenit. Tu, Domine, ore tuo sancto dixisti: ego sum panis vivus qui de coelo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. O panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiat effectum amoris tui: sana illud ab omni infirmitate, ne qua alia dulcedo praeter te ei sapiat. O panis sanctissime, qui continens delectamentum omne, et omnem saporem: qui semper nos reficis, et nunquam deficis: comedat te cor meum tuaque dulcedine delectabili ac sapido gustu repleantur viscera animae meae. O panis sacer, panis vitae, panis purissime, qui de coelo descendens vitam mundo dedisti. Veni Domine, veni in cor meum: sentiat anima dulcedinem beatissimae praesentiae tuae. Pelle a me inimicos omnes, qui mihi incessanter insidiantur. Fugiant Domine, fugiant a facie infinitae potentiae tuae, ut a te, Domine, intus ac foris custoditus, recta via tendam ad regnum coelorum, in quo facie ad faciem semper contemplabor tuam infinitam essentiam, teque in aeternum contentus vivam. Amen. »

LIV. « Orationum quoque post communionem recitandarum huiusmodi formulas sibi descripserat. *Gratias tibi ago, Pater aeterne, qui me dedisti Filio tuo non solum liberandum a satanica tyrannide, sed etiam ad me solandum faciendo se cibum in hac sancta hostia. Gratias tibi reddo infinitas redemptor mi, quod tanta cum liberalitate ditaveris animam meam ipso tuo corpore et sanguine sacro. Gratias tibi dico Spiritus Sancte, charitas perfecta, quia visitasti cor meum, et in eo tuum sanctum amorem amplificasti. Omnes angeli laudent, et omnes creaturae glorificent te, Deus meus, une ac trine, Pater, Fili, ac Spiritus Sancte. O Domine, utinam per hoc sacramentum maneat anima mea per amorem unita tecum! rogo maiestatem tuam, ut posthac nunquam offendam te.*

Fastidio mihi sit mundus et eius pompae omnes: toto spiritu tuo dominare debili carni meae, ut te favente perfectum referam triumphum de diabolo. Crescat in me sancta dilectio tua, perficiantur in summo gradu fides et spes mea, ut proficiat anima mea de virtute in virtutem, donec videat et per claram visionem fruatur eo, quod hic adorat fideliter, possideatque cum laetitia perfectae gloriae eum ipsum, quem inclusum et opertum suscepi in hac sancta hostia. »

LV. *Laudes et gratias tibi reddo, piissime ac benignissime Domine Deus creator meus ac rerum omnium: tibi qui me peccatorem indignum, non propter merita mea, sed per gratiam tuam, dignatus es satiare pretioso corpore unigeniti Filii tui Iesu Christi, Dei ac Domini nostri. Supplico humillime tuae sacratissimae maiestati, ut haec sanctissima communio et receptio gloriosi Filii tui non sit ad poenam et condemnationem animae meae, sed iuvet ad inveniendam vitam, et obtinendam indulgentiam peccatorum. Sit ea mihi verae fidei armatura, confirmatio spei, et scutum bonae voluntatis. Sit emendatio vitiorum: auferat et removeat a me omnem carnalem concupiscentiam; foras eiiciat omnem vanitatem; sit fraenum linguae meae, et virtuosa reformatio animae. Sit augmentum ardentissimae charitatis, profundissimae humilitatis, honestatis, pacis, ac reverentiae, perseverantiaque in omni bono, in omni virtute et sanctitate. Sit tutela certa contra insidias inimicorum meorum visibilium et invisibilium: sit perfecta mortificatio omnium mearum motionum carnalium, et spiritualium, ac denique sit modus inseparabilis coniunctionis inter me et te Domine Iesu Christe. Rogo te, Domine, ut placeat tibi me miserum peccatoremque ad convivium gloriae coelestis vocare: in qua tu eris, Domine, benedictis sanctis tuis verum lumen, perfecta et consummata laetitia, plena beatitudo, et gaudium interminabile. Amen. Gratias tibi reddo rex meus, spes et gloria mea Iesu Christe, creator et redemptor mi, pro ineffabili hoc favore, quem recepit anima mea, facta cubile tuae divinae maiestatis. Dic, o Domine liberalissime, quod dixisti in domo Zachaei, quando pauperculum eius coenaculum es ingressus: hodie domui huic salus facta est, quia hic est filius Abrahae. O rex gloriae, sana animam meam, corrobora illam in tribulationibus, et da ei gratiam, o fons omnis gratiae, ut semper te amet, tibi serviat, te laudet in hac vita, et in altera te fruatur per gloriam. Amen. Iesus.* »

LVI. « Ad Deiparam quoque se convertens, dicebat: *o sancta Maria dignissima mater D. N. Iesu Christi, regina coeli terraeque serenissima, quae meruisti tuo in ventre sacratissimo eumdem gestare creatorem rerum omnium, cuius venerabilissimum corpus recepi hodie; dignare Domina intercedere pro me, ut quidquid contra hoc sacramentum peccavi per ignorantiam, negligentiam aut malitiam, propter tuam deprecationem mihi condonet Iesus Christus Filius tuus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen. Iesus.* Ad eamdem porro Dominam, et Sanctos omnes sic loquebatur: *o excellentissima et nobilissima mater Dei ac D. N. Iesu Christi, sacratissima virgo Maria, quae eumdem dominum et creatorem universorum meruisti concipere in tuo purissimo et sacratissimo utero, cuius pretiosissimum corpus praesumpsi hodie indignus suscipere; vos autem sancti angeli, sanctique omnes et sanctae Dei, qui continue contemplamini eumdem aeternum*

Digitized by Google

Anno Christi	Gregorii XIV.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1591.	anno 1.	anno 15.	anno 384.

Deum per claram visionem, quem ego peccator non formidavi recipere; vos ego oro obtestorque humillime, ut me iuvetis in referenda Domino Deo nostro gratia pro tam grandi beneficio, quia ego minime sufficiens ad hoc sum; et rogate eum, ut mihi condonet, quod cum exigua praeparatione me contuli ad recipiendum hoc sanctum sacramentum; atque mihi det gratiam, ut ab hinc me praeparem cum maiori multa devotione ac reverentia, qualis tam sublimi sacramento convenit; atque ita denique per suam infinitam misericordiam me vobiscum collocet in perpetuam gloriam paradisi, in qua ipse semper vivit et regnat sine fine. Amen. Iesus. »

LVII. « Nullis verbis explicari potest, quantam devotionem et amorem haberet erga Deiparam virginem, cuius nomen nunquam audiebat appellari, quin religiose caput inclinans, alios ad sui imitationem traheret. Quandocumque autem transibat locum, in quo erat aliqua imago eius, valde notabiliter profundeque toto capite atque etiam corpore inclinabatur, praesertim quando transibat eam quae est in loco dicto *De profundis* in Villa Regali, cui non solum caput inclinabat, sed quoties solus erat etiam flectebat genua, uti ex ipsa culina saepe notavit coquus, licet ipse nesciret se observari a quoquam. Ego quoque eum saepius genuflexum vidi ante imaginem Conceptionis, quae est in ecclesia: cuius puritatem non solum defendebat, vocando Immaculatam, sed etiam in chartis suis descripsit officium, quod in eius festo recitamus. Hoc autem die, et in die Nativitatis dignum erat visu spectaculum, quomodo particulari quadam et excessiva devotione toto vultu inflammatus, et quasi extra se raptus appareret. Quod si tunc novitium aliquem aut ex iunioribus unum habebat obvium: *veni huc*, inquiebat, *frater, et genua flecte. Numquid credis in Deum? dic ergo ut ego, benedicta, laudata, glorificata, et exaltata sit Immaculata Conceptio*, *vel* (si is dies erat) *Nativitas parvulae.* Maiori etiam cum lubentia animi in iis habitabat conventibus, qui titulum Dominae nostrae ferebant; et sic ei divinitus datum videtur, ut in eo qui dicitur Dominae nostrae de Lorito habitum religionis assumeret, et hunc cum meliori habitu Beati communicaret in Villa Regalensi Dominae nostrae de Rosario. »

LVIII. Volupe ei erat de rosarii devotione, deque gratiis et indulgentiis per eius usum obtinendis, quarum longum catalogum sibi descripserat, et quomodo quovis die mercurii possit eo recitato liberari anima ex purgatorio, ultra plenariam indulgentiam quam sibi ipsis lucrantur confratres, iuxta bullas Pauli III. et Pii V. Quid vero rei sit rosarium his verbis notavit: *dicitur rosarium, quia Ave Maria, tamquam rosae albae sunt applicatae et additae mundissimae Dominae nostrae; Pater noster vero tamquam rosae coloratae sacratissimis plagis supremi nostri et dulcissimi D. N. Iesu Christi. Nominatur psalterium, quia tot continet Ave Maria, quot sunt psalmi Davidis. Vocatur corona propter circulum mysteriorum, quae consideranda proponit. Sed et rosarium Domini nostri debet christianus recitare et contemplari: cuius forma cuidam Dei servo fuit in hunc modum revelata. Cum religiosus aliquis contemplaretur mysteria reginae angelorum, matris, ac dominae nostrae, videbatur ei quod nostra dulcis mediatrix recitanti psalterium suum specialem gratiam petebat a Filio, cui hic cum ineffabili suavitate respondit, ut etiam suum ille recitaret*

BIBLIOTECA NAZ... VITTORIO EMANUELE

rosarium, pro Ave Maria dicendo; ave benignissime Iesu; et pro Pater noster, salutationem angelicam. »

LIX. « Atque haec omnia sunt verba ipsius Sancti, deinde se extendentis ad explicanda mysteria praedictae coronae, multasque eius indulgentias explicando, quid sit indulgentia plenaria, quid indulgentia tot vel tot annorum vel quarantenarum de impositis poenitentiis, ad describenda etiam varia grana per summos pontifices benedicta: quae omnia ab eo scribi videtur Deus voluisse ad confusionem haereticorum huius temporis. Denique hanc orationem pro articulo mortis chartae consignavit. *O sanctissima mater misericordiae, virgo grandis, virgo magnifica, virgo suprema, mater Dei, regina terrae atque coelorum, excelsa imperatrix angelorum et hominum, singularis advocata peccatorum, atque post Deum refugium certum, remedium atque auxilium afflictorum. O Maria dulce nomen, nomen amoenum, nomen suave, et vires conferens; filia Patris, mater Filii, sponsa Spiritus Sancti. O mater Dei, princeps gentium, respice hunc pauperem peccatorem. Ad te clamo: veni dulcis domina, succurre in hac hora tantae necessitatis. Haec est hora propter quam semper te invocavi: ne me deseras in hoc articulo, o dulcis adiutrix, qui tibi me ex toto corde commendo: adiuva me per D. N. Iesum Christum etc.* »

LX. « Qui tantus fuit amator Virginis, haud dubium quin et fuerit virginitatis, et hanc illibatam conservavit usque ad finem vitae. Huc certe spectabat rara eius abstinentia, qua non solum a carne et vino tot annis abstinuit, sed etiam cum propter infirmitates suas iussus esset modico vino uti, selegit sibi semper viliores et acidas magis vini reliquias, et has ipsas adhibebat tam parce, ut potius videretur sibi auferre gratum et naturalem gustum aquae, quam vini utilitatem spectare. Eodem referebantur tam frequentes et tam prolixae disciplinae, tot et tam variae hispiditatis cilicia, catenaque lumbos debilitatos stringens. Nulla tamen virtus citra pugnam probatur: quare nec huic sancto viro defuisse tentationes castitati contrarias verosimiliter credi posset, et si nonnisi incerta aliqua earum indicia haberemus. Ad certiorem tamen scientiam meam voluit Deus, ut quasi oblitus propositae sibi circa talia taciturnitatis (quia neque minimam quidem mentionem de eiusmodi rebus aut ipse faciebat unquam, aut ab aliis coram se fieri patiebatur) indicaret mihi, quisnam gravissimus assultus fuerit, quem hoc in genere unquam passus est. Tempore quodam praesumpsit daemon infernali suo flatu reaccendere iam pene extinctos in eo concupiscentiae carnalis stimulos, et mulieris cuiusdam speciem imaginationi eius importunissime ingerere; quam similiter in ipsius sancti viri desiderium accendebat. Ita dispositis machinis diu varieque velitatus, tandemque plena conflicturus acie, tam acribus stimulis exagitavit quadam die aestiva Paschalem aeque ac mulierem, ut Paschali quidem, dum religiosi alii post sumptum prandium requiescerent, necesse fuerit recurrere ad ecclesiam et misericordiam a Deo postulare: sed mulier imbecillior, omni pudore ac timore abiecto, recta venit ad conventum (erat is s. Ioannis de la Ribera Valentiae) et magno impetu campanulam pulsans excivit, pro officii ratione, Paschalem. Hic cum more suo illuc veniens dixisset: *laudetur D. N. Iesus Christus*, aperuit ostium, totusque contremuit, coram se videns eam, cuius causa sic tentabatur. Ipsa autem horae opportunitate, et loci solitudine audacior, nihil verba morans, ut nimium lenta, expansis in eum brachiis involabat, am-

Digitized by Google

plexura, nisi resilisset velocissime Sanctus; confusaeque ac dicenti: quid fugis? an existimas quod te velim amplecti? nihil respondens, occlusisset raptim fores, atque ad suum se recepisset asylum, victoria relata de hoste visibili aeque ac invisibili. »

LXI. Passiones etiam reliquas animi nihilominus mortificatas habebat Paschalis, praesertim quae ad irascibilem et concupiscibilem facultatem pertinent. Erat ille quidem iuxta depositionem medici Villae-Regalensis Ioannis Francisci Beneit, qui admodum familiariter vivente usus fuerat, naturali complexione cholericus, nunquam tamen in suo ostiarii officio, aut alia quavis occasione notatus est patientia victa aut infracta iratus turbatusve; ad summum, si quid sibi dicebatur aptum provocare indignationem, aut sese modeste quieteque excusabat, aut silebat omnino, vultu semper eodem semper sereno: adeo ut sua illa temperies ad hoc tantum ei servire videretur, ne quod cholericis contrarii melancholici solent, esset in operibus suis remissus. Quare neque necesse erat studiose observare horas ac tempora, quibus cum eo agendum esset, ut aliquid impetraretur. Amorem consanguineorum, et patriae usque eo repressit, ut hanc revisere nunquam petierit, nunquam voluerit; illis vero nullum ostenderit aliquando affectum alium, quam spiritualem per orationes ex desiderio cunctos in coelo conspiciendi. Honorem omnem mundanum contemnens, in refectorio coram fratribus, et in populo coram saecularibus libenter sese humiliabat. Ergo anno MDLXXXVI. cum pro aqua frugibus impetranda institueretur Almanzae generalis processio ad aedem Dominae nostrae de Bethlehem, sesqui leuca distantem ab oppido, coram innumerabili hominum omnis conditionis sexusque et aetatis multitudine vidimus eum venire discalceatum, cum gravi cruce in manu, et spinea corona in capite, rudique ad collum fune, quasi solum se reum negatae de coelo pluviae cunctis vellet indicatum. »

LXII. Mortificationem porro sensuum, quam sibi sumpserat observandam, nescio an commodius explicare possim, quam iis quae de ea reliquit verbis. *Debes in animo infixa habere principia duo. Primum ut de te sentias, quod sentires de corpore mortuo foetidoque, et vermibus scatente, ad cuius praesentiam horrescunt vivi, caput avertunt, obturant nares. Alterum, quod si tecum ex merito vellet agere aliquis, deberet tibi eruere oculos, truncare nares, aures, labia, et omnia tui corporis membra deformare ac sensus torquere, quia cum iis offendisti Deum: atque in hoc ita deberes laetari, ut nihil optabilius existimares; omnes autem diffamationes, calumnias, exprobrationes quamvis graves atque acerbas combiberes, velut liquorem delectabilem, recipiens eas cum singulari gaudio et cordis tripudio. Opus est etiam, ut te convertas atque reclines inter brachia Christi pauperis, humilis, contempti, mortui, diffamati pro tua reparatione, usque dum etiam ipse in omnibus sensibus tuis mortuus sis, solusque crucifixus vivat in corde tuo.* »

LXIII. Silentii legem hanc sibi fixerat, ut de suis ipse rebus nunquam de aliis nonnisi parce loqueretur, quantum necessitas postulabat. Hinc fit, ut tam pauca sint, quae sciuntur de intrinsecis eius virtutibus, deque revelationibus ac favoribus coelitus ei factis, quos alioqui multos fuisse praesumere facit vitae eius sanctissimae ratio. Eo in itinere, quod Xativa Valentiam simul fecimus inter alios de virtutibus sermones, valde laudabat silentium et recollectionem, in qua ab exterioribus vacans anima, tota occupatur videndis audiendisque iis,

quae Deus interius agens obiicit menti. Ipse vero maiori diei parte seiunctus a me ambulabat taceus meditansque divina: adeo ut necesse mihi esset iteratis fere interrogationibus, et quasi forcipibus extrahere ab ore eius verba. Dicebat mihi aliquando; *crede, frater, quod totum bonum religiosi consistat in oratione; oratio autem mentalis et quieta haberi nequit ubi est effusio sensuum et multa loquacitas. Certum est, quod qui os suum non claudit, similis est vasi liquoribus odoriferis pleno, aut fornaci calefactae, a quibus apertis, vis omnis odoris calorisque exhalat. Curare debemus, ut thesaurum nostrum abscondamus a latronibus; qui enim eum portat discoopertum per viam adeo plenam grassatoribus, videtur eos invitare ad praedam.* »

LXIV. Neque solum servandum silentium in lingua, sed et in gestu vultuque: quia fieri potest, ut cor quidem cohibeat linguam, per oculos tamen, frontem, et colorem prodat secretum gaudii, doloris, vel indignationis latentis. Verum de his ipsumet Beatum audiamus in libro suo sic scribentem. *Dicebat s. Gregorius Nazianzenus rationem reddens cur suo se episcopatu abdicaret; recordabar quietis meae et silentii; meque ab eo arceri videns, quod ab initio vitae amaveram, atque in magnis periculis constitutus promiseram Deo, omnia dimisi, et recessi.* Quod autem hoc eius silentium et quies fuerit recollectio, de qua agimus, ostendit idem sanctus doctor cum ait: *in veritate nihil mihi videtur praestantius, et conducibilius homini ad vitam aeternam, quam clausis sensibus exterioribus, extra mundum et carnem positum converti ad semetipsum, alienatum et alienum a curis humanis, solique Deo ita loqui, ut rebus omnibus visibilibus superior, animamque divinis affectibus plenam habens et rerum coelestium ideis absque mixtura corporearum, efficiatur homo verum speculum divinae imaginis macula carentis; atque adhuc in terra positum fieri quodammodo socium angelorum; et contempta ac dimissa fragilitate humana, ad superhumanas transferri superveniente Spiritu Sancto. Quod si aliquis vestrum eiusmodi ardorem aliquando sensit, intelligit quid dicam.* »

LXV. Non impediebat tamen iste, de quo locuti sumus, silentii amor, quominus suis locis temporibusque loqueretur de Deo rebusque divinis, nullo humano timore vel respectu ab hac sancta sua consuetudine abstrahendus. Faciebat hoc semper, et quidem cum fructu singulari, quoties visitabat infirmos, aut solabatur moestos; et elucebat tunc ex ipso loquentis vultu ingens fervor cordis, de dilecto suo sapidissime apud alios ratiocinantis, adeo ut taedio nemini esset colloquium tale quamvis prolixum. Sic cum aliquando in oppido Elche decumberet aegrotus, ad eumque visitandum quidam conventus amicus venisset statim post meridiem, alleviando spiritui moesto indulgens Sanctus, institutam de Deo orationem sine fatigatione protraxit usque in noctem. Cumque saecularem illum moneret guardianus iam noctem ingruere excusavit se ille, negans totum istud tempus visum sibi esse plusquam horam. Singulis autem dicebat aetati aut conditioni cuiusque congrua; aleatoribus ut se abducerent ab eo vitio, quo simul et anima et facultates exponuntur periculo; iuvenibus ut se commendarent Deo, castitatem colerent, prava consortia declinarent; senibus ut patientes essent et exemplo bono caeteris; novitiis ut multas poenitentias facerent, ieiunarent multum, comederent parum; omnibus ut regulas et leges sui status servarent. Denique sermo eius universus aliud non erat, quam efficax ad virtutem inductio. »

Anno Christi 1591.	Gregorii XIV. anno 1.	Rodulphi II. anno 15.	Religionis Minorum anno 384.

LXVI. Quod attinet ad charitatem erga Deum et proximum, in qua perfectio virtutis consistit, has ipse leges praescripserat sibi in libello: *ad vitam aeternam consequendam, tria debent homines scire ac facere; erga Deum habere cor filii; erga proximum cor matris; erga seipsum iudicis.* Itaque optime noverat paupertati et parcimoniae circa seipsum iungere liberalitatem erga proximum. Accidit aliquando in Villa Regali ut post solis occasum ad ecclesiam nostram veniret mulier afflictissima, dicta Magdalena Rupert, remedium angustiis suis petitura a Deo: cum enim haberet domi tres filios infirmos, non solum caetera opportuna eo in casu solatia deerant, sed propter summam egestatem, etiam panis quem iis frangeret. Oranti supervenit Paschalis, clausurus ecclesiam, quaesivitque, eo loci tam sero cur esset. Pater, inquit illa, afflictionem quamdam patior, in qua rogo, ut me commendes Deo. *Faciam*, respondit Paschalis, et templum ea egressa clausit. Ipsa vero per rimas introspiciens, vidit Sanctum in media ecclesia mox genuflexum, promissa complere: et magna cum spe impetrandi auxilii domum regressa, accessit ad armarium, ubi frustillum panis dimiserat, quod dividere volebat in filios, potius ut benedictum quid, quam ut cibum: et ecce duos integros panes in eodem reperit, quos cum nec ipsa nec quisquam domesticorum ibi posuerint, fatendum ab angelis fuisse allatos ad preces servi Dei Paschalis. Quia autem non solo pane egebat mulier, movit Deus personas devotas duas, quibus nunquam illa suam necessitatem indicaverat, ut subministrarent ei omnia, quamdiu filii aegrotabant. »

LXVII. Quin etiam post mortem subvenit Sanctus eidem mulieri opitulanti. Cum enim filium suum quadrimum aliquando de solo attolleret irata, magno cum impetu manum tenellam a compage sua movit. Ex hinc puerulus propter vehementiam doloris plorare et eiulare inconsolabiliter cepit: ergo quarto die chirurgum vocans mater, iussa est ab eo in diem sequentem atque horam certam praeparare aquam calidam et alia quaedam: ipsa interim ad ecclesiam nostram accurrit, ut Sancto iam mortuo filii sanitatem commendaret. Hinc magna cum fiducia exauditae orationis suae domum regressae, et ut iussa erat facienti, supervenit chirurgus, manumque pueri curare volens, reperit iuncturae suae restitutam: quam etiam ille, qui desierat flere, movebat in partem quamcumque iussisses. Ergo ab alio valentiori medico praeventum se videns chirurgus, domo excessit admirabundus. Duobus postea mensibus maiorem eiusdem mulieris filium Iacobum contingit a pectore deorsum usque ad pedes sic inflari, ut consultus medicus iudicaret morose curandum, praebitis potionibus purgativis. Ergo cum suae sibi conscia paupertatis necessarios ad id sumptus fieri a se non posse intelligeret, recurrit ad sepulchrum Paschalis, rogans a Deo ut impetraret purgationem, quam emere ipsa filio nequiret. Rem miram! Ipso die coepit adolescenti laxari alvus cum ultroneo per triduum fluxu, cuius beneficio evacuatis humoribus, tumor omnis subsedit, qui nonnisi lentissime curandus putabatur. Hoc autem miraculum cum aliquando fr. Hieronymus Planes definitor cuidam sorori, de Sax dictae, narrasset, quae et ipsa necesse habebat purgari, se quoque pari fide commendavit Sancto, et absque potione experta est salutarem suae orationis effectum. »

LXVIII. Erat mandatorum et regularum observantissimus Sanctus, neutiquam tamen scrupulosus: quare cum aliquando in choro adstaret proximus lateri meo, factaque inclinatione ad recitandum Pater noster, animadverteret me eo absoluto, iterum illud repetere ex quodam scrupulo, severe monuit,

ne id alias facerem: Deum enim offendi, et daemoni occasionem dari ad animam inquietandam importunis scrupulis, qui sunt tamquam pulices conscientiae, eamque fatigant et conturbant, ac perdere faciunt conversationem cum Deo, et tranquillitatem contemplationis, refrigerando flammam amoris divini, atque adeo aperiendo portam cuivis spirituali damno. Mittere aliquando voluit guardianus eleemosynarum collectorem, ut cereos aliquos peteret pro ornatu sepulchri in hebdomada sancta, ut moris est: quia autem devotae personae a quibus petendi erant, debebant eos comparare pecunia a cerario, scrupulosior ille excusabat sese, eo quod petitioni huic intervenire debebat pecunia. Aderat tum forte guardiano Sanctus, et petiit ut haec eleemosyna sibi committeretur petenda; commissam autem sibi rem magna cum alacritate suscepit, et absque ullius scrupuli indicio. Primo enim contrahebat debitum apud cerarium, candelas credito accipiens, deinde, quos sperabat libenter pretium soluturus adiens, dicebat: *Domine tali viro debentur tot cerei; fac nobis charitatem, et solve pretium; fuerunt enim pro sanctissimo sacramento.* »

LXIX. Monebat omnes, ut Dei mandata servarent, dicens, ut si vellent solatium a Deo et favorem eius in suis laboribus promereri, saepius confiterentur et emendarent vitam; comperturosque experientia, quod ea ratione supra se ac familiam suam acciperent benedictionem divinam. Quando autem instruebat fratres, primum quod eis inculcabat, erat observatio regulae specialiter circa punctum paupertatis, cum limitationibus Nicolai III. et Clementis V.; circa quod punctum multum etiam laudabat opus Patris *(Joannis)* a Fano. Dicebat: *fratri franciscano fugiendam esse pecuniam sicut pestem, uti ei vere est: nec eam esse attingendam, nisi sub modis cautelisque per regulam et pontifices romanos iam dictos praescriptis.* Cum forte illum religiosus quidam adeo sancte vivere observasset, accessit ad eum interrogans; frater quid agam, ut salver? cui ille respondit: *non aliud frater, quam serva regulam, idque ad litteram; itaque vive securus de coelo obtinendo.* Alius religiosus saepe rogabat Paschalem, ut ipsum Deo commendaret; ille vero positis continuo humi genibus, dicebat: *Domine, da gratiam fr. Petro* (sic enim vocabatur) *ut servet regulam*; nec unquam mutavit hanc phrasim quotiescumque ab hoc interpellabatur. »

LXX. Non solum autem habebat semper penes se regulam in libello descriptam cum omnibus interpretationibus, expositionibus, et modificationibus summorum pontificum atque doctorum, tam accurato studio eam perlegens atque considerans, ut prae multis litteratis eam calleret et intelligeret: sed etiam redigebat in praxim tam quoad praecepta quam quoad consilia; mireque gaudebat, si videret fratres circa regulam solicitos, et quaestionem super ea moventes: me quoque induxit, ut eam transcriberem cum expositionibus, quas habebat in suo libro. Imprimis autem optabat eam custodiri quoad paupertatem tam dilectam Christo, et a s. Francisco tam commendatam: multumque delectabatur observantia, quam videbat in nostra discalceatione vigere. Itaque licet videret multos ex sancto quodam zelo transire ad capucinos, qui Barcinonae et alibi in Catalonia maximi vulgo fiebant, eo quod apud ipsos crederetur perfectius regula observari; ipse tamen quietus semper mansit in provincia, ad quam Deus eum vocaverat, nunquam aut opere aut verbo ostendens ullum desiderium capucinorum. Certum tamen est ipsum adeo fuisse perfectionis amantem, ut si credidisset ibi commodius eam se assecuturum, medium huiusmodi continuo fuisset amplexus. Verum probe intelligebat, quod eadem

Digitized by Google

utrobique res esset (sicut etiam experti sunt varii, qui ab illis reversi in provinciam, id se comperisse affirmabant) ideoque nolebant hanc dimittere, neque pro extruendo altari uno destruere aliud. Et vero eadem apud nos et illos vivendi est ratio, neque in ullo puncto substantiali diversa; etsi forte differentia sit aliqua in forma exteriori et ordinationibus quibusdam hic aut illic magis vel minus rigidis; adeo ut qui apud nos non erit perfectus filius s. Francisci, nec erit in alia parte franciscanae religionis: quod vicissim de patrum capucinorum congregatione dictum velim propter exactam quae inter eos viget regulae nostrae evangelicae observantiam: ut utrinque religiosi quieti vivamus, et gratias agamus Domino, qui pro sua bonitate infinita nos vocavit, ut sine aemulationibus et contentionibus serviamus ipsi tamquam fratres et filii eiusdem sanctissimi patris et perfectissimae matris. »

LXXI. Dum igitur s. Paschalis spectatae sanctitatis radiis catholicam Christi ecclesiam illustrabat, non defuerunt plerique ex ordine, qui illam proprio sanguine purpurarent. Lata namque mense Octobri ab Elisabetha Angliae regina contra catholicos lege, multi sacerdotes piique viri variis in locis ad crudele martyrium attracti fuerunt. Hinc ob orthodoxam fidei defensionem in civitate Dublini in vincula coniecti Terentius Mazzenio, Magnus O Fredlinus, et Age Macdaughlim intemeratae vitae sacerdotes, ibidem inedia et poenalitatibus affecti occubuerunt. In coenobio s. Catharinae v. et m. Thenas, oppidi Brabantiae in provincia Germaniae Inferioris, die XXVII. Augusti vitam cum morte commutavit Thomas a Beringhen Mechlinensis sacerdos, columbina simplicitate exornatus qui ab haereticis Geusiis captus, in puteum coenobii deorsum capite mersus fuit. Eius exuviae e communi fratrum tumulo subinde eductae, illatae fuerunt in choro eiusdem ecclesiae ad evangelii partem.

Spondanus ad an. 1591. n. 19.

Terentius Mazzenius et socii mm.
Brenan tom. 1. pag. 129.

Thomas a Beringhen m.
Sedulius p. 693.

LXXII. Cum iis in coelo mercedem laborum suorum accepit in provincia s. Gregorii Insularum Philippinarum in coenobio Dominae nostrae Maniliae Franciscus a Gata laicus, poenitentiae operibus addictus, et animarum zelo ita accensus, ut socium sponte se dederit operariis evangelicis in easdem insulas proficiscentibus. Saepe in montana se conferebat, et humanitate summa qua praeditus erat, infideles ibidem degentes ad Christi fidem suscipiendam alliciebat; inde secum adducti, consodalium suorum ministerio sacrum baptisma suscipiebant. Nudus humi decubans decessit, labiis lateri ss. crucifixi, quem dulcissimis verbis alloquebatur, admotis. Ibidem etiam obiit Joannes Corteza item laicus natione graecus, innocentia vitae, humilitate, obedientia, ac silentio spectabilis. Eo loci coelestia item petivit die Parasceve Domini Hieronymus de Aquilar sacerdos, de quo plura diximus. Carceres, ludibria, ac ingentes poenalitates tulit ab idololatris in perlustrandis regionibus Cochincinae, Syami, ac Sinensium, ut infideles Christo Domino adduceret. Nudatis semper incessit pedibus, solis herbis silvestribus reficiebatur, ac asperrimo cilicio ad nudam carnem licet revinctus crebris tamen flagellis se caedebat. Inter ss. crucifixi oscula, et divinae charitatis actus expiravit.

Franciscus a Gata.
Martinez pag. 39.

Joannes Cortesa
Id. ibid. pag. 40.

Hieronymus de Aquilar.
Idem ibid. Ann. min. ad an. 1582. n. 6. ad an. 1538. n. 10.

LXXIII. In coenobio s. Josephi Tullae in provincia s. Evangelii meritorum plenus ad Dominum abiit Alphonsus Urbani sacerdos hispanus, concionator fervidus, qui relicta provincia Castellae cui adnumeratus erat, in Mexicanam regionem adveniens, ibidem concionandi munus prosequutus est toto vitae suae tempore. Hinc nullis parcens laboribus, ter in quolibet die concionabatur tum lingua mexicana, tum hispana, tum otomica. Interim omnibus omnia factus, devios ad resipiscentiam revocabat, nutantes confirmabat, pauperesque solabatur.

Alphonsus Urbani.
Torquemada t. 1. pag. 571.

Digitized by Google

Cum incolae de Tulantzinco gravi pestilentia anno MDLXXVII. affecti fuissent, ipse una cum socio infirmorum curam sibi assumens, de domo in domum se conferebat, vel ut cibaria eisdem ministraret, vel sacramenta conferret, vel in agone constitutis opitularetur. Licet morti proximus, e lectulo surgens, ac in genua provolutus, sacrosancta synaxi refectus fuit. Tolucae in conventu Assumptionis Deiparae eiusdem provinciae obiit Garcias a Salviaterra hispanus, inter laicos franciscanae observantium familiae adnumeratus ex consilio cuiusdam viri pauperis extemplo sibi in via comitem se praebentis. Emissa professione, aliquamdiu mansit in conventu s. Idelphonsi de Horcos in Extremadura, portarii officium gerens summa patientia animique erga omnes comitate. Ex maiorum suorum venia in s. Evangelii provinciam adveniens, totius vitae suae cursu moram traxit in laudato coenobio de Toluca, idem portarii munus obiens. Florebat paupertate, abstinentia, humilitate, charitate erga Deum, ceterisque ita virtutibus, ut eum velut sanctum, perfectumque virum omnes venerarentur. Saepe cum Christo abscondebatur in quodam oratorio eiusdem conventus a communi fratrum frequentia semotum, ubi diris se flagellis usque ad sanguinis effusionem caedebat, ac coelestibus meditationibus die noctuque vacans, extra se frequenter rapiebatur; unde licet vocibus et nutibus consodalium concussus, non tam facile revocabatur. Eius sanctitatem Deus testatam voluit aliquibus signis et prodigiis. Servo suo in via erranti, quae ducit e civitate Tehucan ad alteram de Toluca, praesto adstitit Deus ope duorum angelorum sub specie iuvenum ei in impervium iter comitantium. Michaelem de Toluca dolore dentium afflictum, digitis suis dentibus eius admotis, sanavit. Crucis signo a variis morbis immunes reddidit pueros quamplures eiusdem loci.

Garcias a Salviaterra. *Id. tom. 3. p. 568.*

LXXIV. Mortales exuvias deposuit die III. Ianuarii in coenobio Portuensi provinciae Portugalliae Antonius Alverne clericus, prae nimia animi sui humilitate ad presbyteratus ordinem suscipiendum adduci haud passus. Sacristae officium semper obivit. Ferventi oratione, et assidua rerum coelestium meditatione delectabatur, in quibus multa a Deo dona obtinuit. Vivus ac mortuus velut sanctus ac Deo dilectus habitus est. Die X. Martii Atienzae in provincia Conceptionis obiit Antonius laicus, germanus b. Salvatoris ab Horta, cuius hauserat spiritum. Omnium virtutum genere spectatissimum fuisse scribit Waddingus. Eamdem provinciam sanctitatis suae radiis illustravit Antonius Morenus, die XXIX. eiusdem mensis defunctus in conventu Villaelvini dioecesis Palentinae. Sacerdotali dignitate iam insignitus, ad minores observantes convolavit, inter quos adeo divinis rebus operam dabat, ut a rerum exteriorum sensu videretur alienus.

Antonius Alverne. *Apiologium Lusitanum ad diem 3 Ianuarii.*

Antonius Laicus. *Wadd. ad an. 1266 num. 19.*

Antonius Morenus. *Idem ad an. 1424. num. 14.*

LXXV. Dies suos complevit in conventu s. Eulaliae de Marchena in provincia Granatensi Franciscus de Angulo sacerdos, cuius patria ignoratur. Orationis praesidio non semel a Deo extemplo cibaria obtinuit suis consodalibus pene destitutis, dum praesidebat coenobio Montiliae. Stipes a christifidelibus sponte oblatas, nisi necessitas afforet, recipere haud patiebatur. Scripsit *memoriale fratrum coenobii s. Laurentii Montiliae*, qui ab anno MDXV. usque ad annum MDLXXVIII. cum sanctitatis fama decesserant. In conventu s. Ludovici Malachae eiusdem provinciae obiit Ferdinandus Gomez item sacerdos, vitae innocentia, spiritu prophetico, et austeritate vitae spectabilis. Toto corpore ad instar indumenti revinctus erat asperrimo cilicio. Mense Decembri dormitionis requiem accepit in conventu s. Francisci de Veas dioecesis Toletanae in pro-

Franciscus de Angulo. *De Torres p. 203.*

Ferdinandus Gomez. *Idem pag. 306.*

Digitized by Google

vincia Cartaginensi Bonaventura Gozar sacerdos, maximus virtutum cultor, et innocentia vitae decoratus. Elatis manibus, et oculis in coelum defixis, humilem in Christo spiritum exhalavit, illa verba: *laudate Dominum de coelis* devote proferens.

Bonaventura Gozar. *Huelamus cap. 6. §. 3.*

LXXVI. Sancto fine quievit die xx. Novembris Philippus Barcinonensis in conventu s. Antonii Abulae in provincia s. Iosephi discalceatorum, qui iuvenis Complutum adveniens, laicorum habitum suscepit in s. Angeli eiusdem civitatis coenobio. Vix in sortem Domini vocatus, spiritus sui obsecundans fervori, cunctis asperitatibus indulsit. Ac primo ciborum abstinentia; iusculo aqua et pane confecto sese ad prandium reficiebat; coena interim illi semper vacua fuit. Nudis incedebat pedibus, cilicio acuto contectus erat, et pauperrimo semper habitu induebatur. Algente hyeme, detractis sibi vestibus, sub dio quiescebat, aut in nives saepe se volutabat. Iesu Christi agones intense recolebat, cuius dolorum particeps effectus fuit in palmis, pedibus, et latere. Iniit consilium cum fratre Georgio Calzada familiari suo, ut de nocte mutuo dire se caederent; quod vitae genus trium annorum spatio tantum continuavit, ut maiorum suorum mandato obtemperaret. Erga ss. eucharistiae sacramentum summo fragrabat dilectionis affectu. Ante sacram aram provolutus, lacrymis et suspiriis totus afficiebatur, ecstases et raptus interim passus. Post sui mortem miraculis inclaruisse tradunt.

Philippus Barcinonensis. *Joannes a s. Antonio in Chron. prov. s. Pauli pag. 593.*

LXXVII. Hoc eodem anno Ludovicus Galatinus sacerdos, auctor fratrum reformatorum in provincia s. Nicolai pie obiit in conventu s. Mariae de Casali Brundusii, sanctae paupertatis, altissimaeque contemplationis cultor eximius. Die xxv. Octobris cum sanctitatis opinione abiit ad Dominum in coenobio Florentiae Carolus Sperarelli minorita conventualis, insignis theologus, qui in ecclesia sui ordinis sub auspiciis seraphici doctoris congregationem nobilium confratrum erexerat, ut sedulam operam navarent opitulandi carceribus inclusis, tum ut cito eorumdem causae absolverentur, tum ut pro ipsorum spirituali salute de ecclesiae ministris providerentur.

Ludovicus Galatinus. *De Passeno p. 155.*

Carolus Sperarelli. *Monum. prov.*

LXXVIII. Inter fratres capucinos hoc eodem anno beato fine quievit in provincia Picena Ioannes ab oppido Collisamati dioecesis Camerinensis, sacerdos vitae munditia, et arcta sensuum mortificatione exornatus. Cum in Mondavii eiusdem provinciae coenobio munus guardiani obiret, fratribus inopia ciborum prae nimia nive laborantibus, fusa prece copiosam a Deo statim annonam obtinuit. Mortis suae tempore dignatus est b. Mariae virginis praesentia recreari; postquam vero ter illam velut praesentem devote salutasset, placide obdormivit in Domino. In Cossetana provincia obiit Bartholomaeus Darrocensis laicus, vir praecipuarum virtutum genere cumulatus, incorrupta praesertim virginitate. Sassaris in Sardinia dies explevit suos Candidus Brixiensis sacerdos, viam humilitatis, patientiae, obedientiae, ac sui ipsius omnimodae abnegationis arreptus a sui adolescentia. His virtutibus instructus, in Sardiniam cum aliis duodecim fratribus missus, tam praeclara ibi virtutum luce enituit, ut magnam sibi sanctitatis famam apud omnes conciliaverit. Ea in civitate alterius pro suis conventus fundamenta iecit. Illius funus cohonestavit archiepiscopus pontificalibus amictus cum clero, atque immensa prorsus christifidelium multitudine.

Ioannes a Collesamato. *De Aremberg. t. 2. pag. 236.*

Bartholomaeus Darrocensis. *Idem ibid. p. 675.*

Candidus Brixiensis. *Id. ibid. p. 655.*

LXXIX. In conventu ss. crucifixi Pistorii in provincia Hetruriae nonagenarius decessit Iacobus Cremensis sacerdos, antea in Amadeorum familiam cooptatus. Tanta erat afflictatione corporis, ut ferme quotidianis ieiuniis vacaret.

Iacobus Cremensis. *Id. ibid. 454.*

Digitized by Google

Una interim tunica, et plerumque lacera, ipso et brumali tempore corpus contegebat, ac super nudas tabulas sopori se dabat. Divina insuper agens mysteria, uberes lacrymas conspergebat. Ad extremum vitae deveniens, b. virginis aspectu dignatus est; in eadem provincia praenuntiato sui obitus die e vivis ereptus est Marcus a Maraldo item sacerdos, simplicitatis vitae ac orationis assiduae studio commendatus. Iis accedunt in laudata provincia Guido a Cortona laicus, austeritate vitae clarus; Otto item a Cortona, qui tanto mentis candore praeditus erat, ut lethalis culpae labe nunquam contaminatus fuerit; et Fabianus Bergomas, miris ecstasibus a Deo exornatus.

Marcus a Maraldo. *Idem ibidem.* Guido, et Otto a Cortona, ac Fabianus Bergomas. *Idem ibid. p.* 675.

Laurentius Oscensis. *Id. ibid. p.* 239.

LXXX. Barcinone in conventu s. Eulaliae carnis sarcinam deposuit Laurentius Oscensis hispanus sacerdos, e Romana in Cataloniae provinciam inter ipsa fundationis initia missus. Barcinonam appulsus, prae suae virtutis laude novitiorum magisterium obtinuit. Cum multus esset in oratione, maiorem noctis partem in sacris vigiliis et lacrymis insumebat. Deiparam veneratione ac cultu prosequebatur eximio, quo fiebat, ut quamplura ab ea beneficia obtineret. Hinc cum in eius coenobio panis aliquando defecisset, novitio cui refectionis cura erat, panem ab ipsa virgine petere iussit; eo vix orante, copiosus panis extemplo ministratus conspicitur. Similia alio tempore evenerunt. Cum vero pictam eiusdem virginis imaginem secum deferret, ac aegrotis deosculandam praeberet, pleraque beneficia ab eisdem consequebantur. Non paucos etiam infirmos signo crucis incolumes etiam reddidisse tradunt.

Bernardus Auximanus. *Boverius tom. 2. pag.* 463.

LXXXI. Auximi in Piceno cursum vitae complevit Bernardus in eadem urbe natus. Inter capucinos adscriptus, ita sibi bellum indixit, ut ad petulantiam carnis coercendam, ipsa quandoque naturae necessaria se abstineret. Hinc ferme perpetuae eius erant abstinentiae, ac ieiunia in pane et aqua, ac tanta austeritate corporis commoda prosequebatur, ut hyemis tempore tunica una et quidem obsoleta uteretur. Ob sui virtutum praestantiam in Galliam missus cum fratre Matthia Salodiensi, non modo gregarios homines, verum et ipsos reges ad sui amorem et admirationem alliciebat. Apud Henricum III. tanta valuit gratia, ut ipse maiora regni sui negotia cum eo conferret. Parisiensem provinciam prudentia, consilio, ac virtute bis administravit. Colloquia de altissima paupertate, de orationis studio, et de mentis puritate servanda apud suos frequentia habebat. In Picenum sextum post annum reversus, divinis concionibus cum ingenti animarum fructu incubuit; at laboribus fractus, sexagesimo quarto aetatis suae anno sancto sine quievit. Ferunt scripsisse *tractatum de passione Domini* in varias meditationes per hebdomadam distributum.

Sbaralea in sup. ad script. tit. B.

Maria Horvalan. *De Torres p.* 518.

LXXXII. Cum eis adhaeserunt in coelo et aliquot sorores clarissae. In monasterio s. Clarae Giennae in provincia Granatensi sancte occubuit Maria Horvalan monasterii abbatissa, flagrantissimae charitatis erga ss. eucharistiae sacramentum, ante cuius aram ferventer diuque orabat. In monasterio s. Clarae Montiliae eiusdem provinciae obiit Maria de Angelis, in recolenda passione Christi Iesu assidua; ibidem et coelestia petivit Maria Magdalena eadem in civitate nata, quae vitam duxit inter ieiunia ac austeritates, revincta interim ad nudam carnem cilicio.

Maria de Angelis. *Idem pag.* 665.

Maria Magdalena. *Idem ibidem.*

Ioanna a Iesu. *Idem pag.* 757.

LXXXIII. In eadem provincia die XV. Augusti in monasterio immaculatae conceptionis Aquilarii erepta est Ioanna a Iesu. Nobilibus orta parentibus, adhuc infans pietati, abstinentiae, et orationi iugiter vacabat. Ex cuiusdam libri de Christi passione, ac praecipue de spinarum dolore Iesu Christi capiti infixarum lectione perculsa, Dominum deprecabatur, ut saltem unius spinae

Digitized by Google

dolorem, quem in passione sua sustinuerat, experiretur in capite suo. Annuit Christus votis eius decimoquinto aetatis suae anno. Post id temporis in laudatum virginum collegium ingressa, illico caeteris consororibus etiam aetate grandaevis magistra virtutum apparuit. Morti proxima ita a valido spinarum dolore excruciata fuit in tempora, ut alterum oculum extemplo emitteret. Haec summa animi constantia, admirandaque patientia sustinens, paullo post beatam animam efflavit anno aetatis suae vigesimo tertio. In monasterio s. Ioannis de Poenitentia Belvisii in provincia Angelorum cum ingenti sanctitatis fama, praenuntiato suae dormitionis die, obiit VI. Februarii Beatrix a Cruce, cuius corpus post mortem ita suaviter olevit, ut totam domum repleverit. Voce coelitus delapsa semel et iterum electa fuit in eiusdem monasterii abbatissa. In eodem monasterio die XII. Iunii ad Dominum migravit Ioanna a Cruce, altissimae contemplationis virgo, quas inter saepe elevabatur, omni sensu destituta. Die enim XIII. Octobris in festo ss. Septem Fratrum minorum martyrum tanto mentis excessu affecta est, ut per plures dies haud potuerit suis sensibus restitui. Membra ciliciis edomabat ac flagellis. Quare ob ingentem sanguinis effusionem, exanimis pene remanebat. Nusquam lecto, vel strato usa est. Multis favoribus et revelationibus a Deo cumulata, obiit eadem, qua praedixerat, die.

Beatrix a Cruce. *Daza part. 4. lib. 4. cap. 50.*

Ioanna a Cruce. *Idem ibidem.*

LXXXIV. Pro eisdem clarissis parantur aliquot domicilia. In regione montium de Urbe prope monasterium s. Luciae summi pontificis facultate: *Inter universa* VIII. idus Februarii, Marius Ferreus de Ursinis civis romanus paravit eo loci satis amplam pro clarissis aedem, assignatis interim reditibus pro monialium sustentatione. Subest iurisdictioni cardinalis vicarii de Urbe. Lata interim alia constitutione: *Romanus Pontifex* die XX. Septembris adprobat idem pontifex monasterium erectum in oppido de Alcaniz dioecesis Caesaraugustanae in regno Aragoniae. Actum hoc tempore fuit apud communitatem Corinaldi in dioecesi Senogalliensi in Piceno de erigendo novo clarissarum monasterio in eodem oppido, adiunctis bonis alterius monasterii s. Luciae, quod ibidem olim extabat.

Monast. de Urbe.

Monast. de Alcanis.

Monast. Corinaldi. *Monum. prov.*

LXXXV. Ministro provinciae minorum observantium Castellae Petro de Calazato, clausurae legibus se ultro subiecerunt, velumque sacrum acceperunt moniales de tertio ordine Cefuentes, titulo dominae nostrae de Belen; moniales de Fuensalita sub invocatione Spiritus Sancti; moniales de Almagro sub auspiciis dominae nostrae de los planes; et moniales monasterii Daimel immaculatae conceptionis titulo. Item cura Isabellae a s. Hieronymo sororis monasterii de Santarem idipsum praestiterunt in collegio virginum de tertio ordine de Villalonga dioecesis Ulyssiponensis.

Monasteria Cefuentes, de Fuensalita, de Almagro, et Daimel. *Salazar in prov. Castellae pag. 93.*

Monast. Villalonae. *De Reparanza t. 1. pag. 548.*

LXXXVI. Ex monumentis provinciae s. Bernardini nobis nuper missis a fr. Alexandro de Crecchio provinciae chronologo ac theologiae lectore novimus, anno MDLXXVII. fratres minores de observantia obtinuisse coenobium s. Clarae Bucclanici dioecesis Theatinae, locique possessionem an. MDLXXXII. ratam habuisse Sixtum V. pontificem. At indubia res est, eo tempore ecclesiae gubernacula non Sixtum, sed Gregorium XIII. tenuisse. Extitit anno MDLXXXIII. etiam pro eis coenobium sub invocatione Septem Fratrum mm. filiorum s. Felicitatis in oppido Mosciani dioecesis Interamnensis, erectum a ducibus Aquaviva in oratorio dominae nostrae de Casali, quod spectabat ad commendam abbatialem eiusdem familiae, s. Angeli titulo. Fratres ibidem gerunt animarum curam. Eodem anno in oppido Rapini excitatum fuit alterum coenobium sub invocatione s. Antonii abbatis, quod tamen dimiserunt fratres ob sui ruinam, ac aquarum penuriam.

Conv. Bucclanici. *Monum. prov.*

Conv. Mosciani. *Monum. prov.*

Conv. Rapini. *Monum. prov.*

Digitized by Google

Anno Christi 1591.	Gregorii XIV. anno 1.	Rodulphi II. anno 15.	Religionis Minorum anno 384.

Conv. Rocchae contradae. *Monum. prov.*

LXXXVII. Fatiscente coenobio s. Martini apud Roccham contradam in dioecesi Senogalliensi provinciae Marchiae, alterum pro observantibus erectum fuit hoc anno prope oppidi moenia, s. Ioannis Baptistae titulo, piorum loci eleemosynis. Primum lapidem ibidem posuit Rodulphus a Tossiniano episcopus Senogalliensis, iam minorita conventualis. Reparato subinde illo s. Martini, laudato in oppido duo obviant pro observantibus domicilia.

Conv. de Tomason. *Salazar p.* 296.

LXXXVIII. In villa de Tomason dioecesis Toletanae in provincia Castellae erectum fuit pro eisdem fratribus coenobium sub invocatione Conceptionis, opibus Mariae de Mendoza, germanae Didaci de Mendoza ducis oppidi Francavillae. In eum tamen intrarunt hoc anno, accedente venia Gasparis de Quiroga cardinalis et archiepiscopi Toletani. Incolitur a xx. fratribus. Extitit et hoc anno pro eis coenobium s. Mariae de Flores de Alora in provincia Baetica.

Conv. de Alora. *Monum. prov.*

Conv. Villae de Saxona. *Monum. prov.*

Oppidanorum Villae de Saxona Valentinae dioecesis in provincia Valentiae sumptibus, itidem pro eis erectum fuit coenobium titulo s. Mariae de Laureto pro XVIII. fratribus. Conventus s. Catharinae v. et m. Thenensis in provincia Germaniae Inferioris Geuziorum incursu expoliatus fuit, ac ferme dirutus; attamen anno MDCXXVI. piis christifidelium eleemosynis restauratus fuit. Provincia s. Hieronymi in Dalmatia aucta est coenobio b. virginis Assumptae posito extra oppidum Pagi in loco Turris veteris, expensis d. Georgii Discovich. In provincia Bohemiae recuperarunt minores conventuales coenobium s. Mariae Magdalenae Misensis, Hussitarum furore solo aequatum, reparatum piorum impensis. Primum coenobii praesidem accepit p. Camillum eiusdem instituti. Eis item accesserunt diversis in locis conventus Baiolati, Corniae, Plani s. Petri, et s. Petri del Vallo in custodia Principatus, de quibus solum nomen habemus ex monumentis archivii ss. XII. apostolorum de Urbe. In provincia s. Angeli recepit Seraphinus siculus conventum s. Francisci Pasquitii.

Convent. Thenensis spoliatus. *Monum prov.*

Conv. Pagi. *Monum. prov.*

Conv. Misensis. *Monum. prov*

Conv. Pasquitii. *Monum. prov.*

Conv. Caracensis. *Monum. prov.*

LXXXIX. Ex valetudinario matris Dei misericordiae Caracensis civitatis, quod aliquandiu incoluerunt fratres discalceati provinciae s. Iosephi, hoc anno transierunt in conventum s. Antonii de Padua eiusdem civitatis pro eis constructum opibus ex testamento relictis a pientissimo domino Antonio a Cerdas loci incola. Eo suos misit Bartholomaeus a s. Anna provinciae minister. Commorantur XVI. fratres. Iidem fratres discalceati erexerunt in civitate de Cavite in provincia Insularum Philippinarum valetudinarium pro infirmis pauperibus illius civitatis.

Martinez pag. 50 *num.* 79.

Monum. prov.

XC. In provincia s. Nicolai Barensis obtinuerunt fratres observantes reformati conventum ss. Annuntiationis Hostumi; in provincia Marchiae eis obvenerunt conventus s. Iacobi Cinguli, s. Mariae de monte Civitatis Novae, s. Francisci Massae, et s. Antonii de Padua Montis Sancti.

Ex catalogo Michaelis a Tugio.

XCI. Minores capucini multiplicarunt aedes suas. In provincia Barensi obtinuerunt conventum Lavelli, Venusii, et Trani; in provincia Aprutina conventum in oppido Gypsi Theatinae dioecesis; in provincia Lombardiae conventum Gunstallae nullius dioecesis; in provincia Pedemontana conventum Montis Calerii Taurinensis dioecesis; in provincia Tusciae conventum Monteneanae dioecesis Clusinae, et conventum in oppido s. Quirici Pieventinae dioecesis; in provincia s. Ludovici conventum in civitate Campentoracti; in provincia Tolosana conventum s. Lupi in civitate Narbonae: *Ad ea libenter* die x. Septembris; in provincia Helvetica conventum in oppido Badae dioecesis Constantiensis.

Sbaralea tit. P.

XCII. Quae de Paulo Argoli minorita conventuali hoc anno defuncto tradit Hyacinthus Sbaralea, exscribimus: *Paulus Argoli a Tagliacotio in Aprutio*

Digitized by Google

provinciae s. Bernardini min. conv. sac. theologiae magister, et Andreae Argoli celeberrimi astronomi matematicique frater, natus anno MDLXX., *et a parentibus, ut eum adhuc puerum a prava valetudine liberarent, Deo divoque Francisco Assisiati dicatus; cuius in ordine brevi adeo profecit; erat enim singulari memoria, praecoci, excellentissimoque ingenio, ut nondum sacris ornatus ordinibus, et doctoris lauream, et concionandi munus acceperit; et ea ingenii sublimitate praestabat, ut in congressibus vix parem haberet, solitus non prius, cum disputaret, acquiescere, quam adversarium vel erroris admonuerit, vel pene oppresserit, inquit de eo Paulus Freherius in theatro viror. erudit. claror. part.* 1. *tom.* 1. *sect.* 3. *Sed iuvenem egregium et ad maiora enixius contendentem valetudo destituit, vivendique finem fecit Rosiliani prope Barium, dum eo in oppido conciones quadragesimales haberet annos* XXI. *dumtaxat natus, anno Domini* MDXCI. *Reliquit autem post se ineditas conciones quadragesimales lingua vernacula; latine vero opus ingens hoc titulo: propositiones paralellae s. Thomae Aquinatis et Scoti comparatae, examinatae, cribratae etc.*

XCIII. Obiit inter capucinos hoc anno Angelus Breisonius Gallus, unus ex fundatoribus Aquitaniae provinciae, vir sui temporis concionator eximius. Gallica edidit lingua *sermones duos de beata virgine Maria.* Desideratus est penes minores observantes Marcus Ulyssiponensis, alias de Bethania ex provincia Portugalliae. Ab adolescentia pietate et litteris inter eos institutus, mox peritus evasit latinis, graecis, et hebraicis linguis. Maioris perfectionis gratia incensus, manus admovit una cum aliquot aliis sodalibus ad erigendam discalceatorum s. Antonii in Lusitania provinciam, cui exinde secundus praesedit. Iussu Andreae Insulani ministri generalis ordinis potiores urbes, et praecipua fratrum minorum coenobia Italiae, Hispaniae, ac Galliae lustravit, ut ex collectis provinciarum monumentis, chronicon minorum vulgaret. Opus scripsit idiomate lusitano ex illis potissimum mss. Mariani Florentini, illudque tribus partibus distinxit. Prima pars prodiit Ulysipone anno MDLVI; altera ibidem MDLXII; tertia postremo Salamanticae an. MDLXX. Primam chronicae partem in linguam hispanicam transtulit Didacus Navarro provinciae Castellae minister; in italicam Horatius Diola Bononiensis; in gallicam Ioannes Blancona ex minoritis de observantia. Eidem operi quartam partem addidit Baretius Cremonensis bibliopola Venetiis an. MDCVIII., Antonius Daça hispanus, Bartholomaeus Cimarelli picenus, et Leonardus a neapoli eiusdem instituti. *Idem lib. A.* *Idem lib. M.*

XCIV. Idem Marcus scripsit vernacula lingua etiam *exercitia et meditationes devotas de vita et passione Iesu Christi Domini nostri* editas Visaei an. MDLXXVII. Delectus inde ad moderandam ecclesiam Portuensem in Lusitania an. MDLXXXI., gregem sibi concreditum praedicationis verbo, doctrina, et pietate fovit. Conimbriae an. MDLXXXV. publici iuris fecit *reformatas suo tempore suisque auspiciis Portuensis episcopatus constitutiones, synodoque stabilitas.* Reliquit et alia sui ingenii monumenta. De eo habemus *cantica b. Iacoponi Tudertini versu lusitano, vitam Iesu Christi, tractatum de personis illustribus, et meditationes super orationem dominicam.* Eius nomine editae sunt ab Andrea Schoto *censurae quatuor librorum.* Idiomate item lusitano scripsit *vitam b. Colettae virginis*, quam mss. extare affirmat Georgius Cardosa in suo agiologio lusitano ad diem XI. Septembris. Tradunt *Ann. min. ad an. 1581. n. 54.*

etiam edidisse latino sermone libros aliquot viris doctis accomodatissimos. His aliisque exantlatis laboribus pie decessit hoc anno die xi. Septembris.

Sbaralea tit. L. XCV. Litteris hoc tempore florebat Ludovicus Silvester a s. Angelo in Vado, civitate quam olim *Tiphernum Metaurense* veteres dixerunt. Is nobili ortus genere, inter minores conventuales cooptatus, moderatus est mediolanense, et patavinum sui ordinis gymnasia. Perusii anno MDLXXX. edidit *viridiarium s. p. Francisci, eiusque seraphicae religionis.* Hoc anno typis Brixianis quatuor tomis in folio ab eo castigata, et notis margineis illustrata prodierunt *commentaria Ricchardi de Mediavilla ordinis minorum in quatuor libros sententiarum, et quodlibeta eiusdem Ricchardi.* An autem eius sit *catalogus universalis totius seraphici ordinis, idest cardinalium, generalium, capitulorum, scriptorum etc. dicatus cardinali Iulio Feltrio de Ruvere ordinis minorum protectori, impressus Florentiae apud Iuntas an. MDLXXVIII. disputant eruditi.* Hieronymus Urbani e Monte Politiano item conventualis, iam procurator generalis ordinis scripsit *bullarium compilatum an. MDXCI. ex bullis originalibus in conventu s. Crucis min. conv. existentibus.* Haec mss. servari in conventu Montis Politiani tradunt.

Idem tit. H.

Wadding. tit. A. XCVI. Antonius Alvarez Beneventanus provinciae s. Iacobi ex observantium familia egregius verbi Dei praeco hispanice hoc anno scripsit *sylvam spiritualem variarum considerationum ad recreandam animam, in tres tomos distinctam.* Franciscus, vocatus etiam Ferdinandus Davila ex eodem ordine vulgavit Venetiis *conciones in quadragesimam, et in festos sanctorum dies eiusdem temporis.*

Possevinus in appar. sacro.

XCVII. Ad episcopalem ecclesiam Argentinam in provincia Valachiae die vii. Ianuarii promotus est Bernardinus Quirinus ex minoritis de observantia, patria Cretensis, et illius provinciae iam minister; item ad ecclesiam Meliapuren. seu s. Thomae in regno Bisnagario Franciscus a Villa eiusdem ordinis, ut tradit Hyacinthus Sbaralea in catalogo mss. episcoporum franciscani instituti. Die xxvi. Aprilis electus est episcopus Guardiensis in regno neapolitano Bartholomaeus Beccarius conventualis Maceratensis, Feretranae dioecesis: *Apostolatus officium* vi. calendas Maii, et die xxxi. Iulii Aurelius Novarinus Cremonensis eiusdem instituti ad ecclesiam metropolitanam Ragusinam: *Apostolatus officium* pridie calendas Augusti. Eidem indulget pontifex: *Exponi nobis* die xxv. Septembris ut secum deferat libros suo labore acquisitos, conditione adiecta illos post sui mortem ad conventum Cremonensem concedendos. Pontificis voluntate Petrus Tossinianensis laudati ordinis professor, episcopus Venusinus transfertur ad ecclesiam Senogalliensem in Piceno.

Ex bull. Cocquelines tom. 5. par. 1. pag. 270.

XCVIII. Habito die xxvi. Aprilis a pontifice consistorio secreto apud s. Petrum de Urbe de concedendo usu galeri rubri dd. cardinalibus ex ordinibus regularium assumptis, illud die ix. Iunii in festo ss. Trinitatis eisdem dedit in aedibus hortorum quirinalium, antequam descenderet ad ss. apostolorum basilicam, ea tamen lege, ut perpetuo illud deferrent more aliorum, habitu tamen in caeteris nihil immutato. Cardinales galero rubro insigniti fuere Constantius Sarnanus ex minorum conventualium ordine, Michael Alexandrinus, et Hieronymus Asculanus ex instituto praedicatorum, et Gregorius de Montelparo ex sodalibus eremitarum s. Augustini. Scribit Nangius apud Benedictum xiv. Innocentium iv. eo signo decorasse cardinales, ut significaret *in persecutione fidei et iustitiae romanam ecclesiam, quae caput est omnium ecclesiarum, prae caeteris debere caput apponere, si necesse fuerit cruentandum.*

Benedict. XIV. de canonis. ss. lib. 3. cap. 33. p. 237.

Anno Christi 1594.	Gregorii XIV. anno 1.	Rodulphi II. anno 15.	Religionis Minorum anno 384.

XCIX. Franciscus Petrart franciscanus de observantia, quem diximus electum episcopum Chalcedonensem, et suffraganeum archiepiscopi Cameracensis, hoc anno, accedente etiam voluntate Henrici IV. Galliarum regis, institutus fuit prior monasterii b. Mariae vallis scholarium, erecti in oppido Montensi. Autographum proferimus. *Ann. min. ad an. 1590. n. 93.*

Universis praesentes litteras inspecturis.

Nos frater Ioannes Chaillon sacrae theologiae professor, humilis subprior monasterii, seu prioratus s. Catharinae Parisiensis, pater superior, visitator, corrector, et reformator prioratus b. Mariae vallis scholarium oppidi Montensis a nostro prioratu immediate dependentis, notum facimus, quod coram nobis personaliter constitutus fr. Paulus de la Rue delator litterarum, et procurator nominibus devotorum religiosorum in schedula electionis factae ab ipsis, ad hanc praesentem annexa inscriptorum, prout de suo procuratorio fidem facit in promptu complectentem, qui verbo tenus exposuit dictos religiosos via Sancti Spiritus fecisse electionem de persona reverendissimi fratris Francisci Petrart episcopi Chalcedonensis, ad regendum et gubernandum tam in temporalibus, quam in spiritualibus dictum prioratum etc. Igitur praefatus procurator nomine procuratorio instanter et humiliter nos tamquam illius dicti prioratus superiorem requisivit, quatenus dignaremur super confirmatione electionis dictorum religiosorum, et consensum praebere et dare. Hinc visis et lectis litteris decreti huiusmodi electionis, auctoritate ordinaria qua fungimur in hac parte, Christi nomine prius invocato, electionem via Spiritus Sancti factam de persona dicti reverendissimi confirmandam, admittendam, ratificandam, et approbandam duximus, prout tenore praesentium confirmamus etc. habita ratione dignitatis, qua praefatus electus fungitur; idque pro hac vice tantum, nullatenus approbantes regis quam catholici denominationem in pari casu fieri insolitam, ne quis iuribus et privilegiis dictae domus eo ipso in posterum derogetur, et supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsitan intervenerunt, ac eidem reverendissimo fratri Francisco Petrart episcopo Chalcedonensi de eodem prioratu cum iuribus et pertinentiis universis, si qui et quantum opus sit, de novo providemus. *Ex Gallia christiana t. 7. p. 855.*

Datum in dicto nostro b. Catharinae monasterio anno Domini MDXCI. *die* XXII. *Septembris.*

C. Nondum expleto undecimo a sui electione mense, summus pontifex a regimine totius ordinis minorum conventualium absolvit Franciscum Bonfigli, eique Ludovicum Albutium a Sarono oppido dioecesis Mediolanensis generalem ordinis procuratorem suffecit, vicarii generalis apostolici auctoritate munitum, datis ad eum litteris die XXVIII. Maii, quas in archivo secretariae brevium frustra desideravimus. Nos huius depositionis causam ignoramus. Hac in re mentem suam ita aperit Antonius Benoffi. *Non si sa,* inquit, *la cagione di condotta sì risoluta del pontefice inclinato per natura a facilmente credere agli altrui rapporti: dai registri dell'ordine si raccoglie che il Bonfigli erasi dichiarato contro il vizio del giuoco, contro il parlare indecente, e contro i detrattori dell' ordine presso i supremi tribunali. Forse li due interpontefici che allor successero, prolungarono lo scoprimento dell' innocenza del ministro generale.* Anno insequenti Clemens VIII. illum ad generalatus officium restituit. Ludovici Albutii loco, procuratoris ge- *Compendio di storia minoritica p. 278.*

Digitized by Google

neralis officium suscepit Ioannes Paulus a Locarno dioecesis Cremensis, qui cum vix electus dies suos explevisset, ad id munus assumptus fuit mag. Marcus Natalis Cremonensis.

Idem Gil. de procurat. ordinis p. 56.

Ex archivo ss. XII. apostol. de Urbe.

CI. Hoc anno ex eodem instituto missi fuerunt aliquot commissarii generales in varias provincias ad eumdem ordinem reformandum. Pro Neapolitana provincia destinati fuerunt magistri Philippus a Perusio, et Ludovicus ab Insula; pro Calabriae provincia m. Caesar Pergulensis; pro s. Nicolai provincia m. Ioannes Maria a s. Leone; pro statu Veneto m. Marinus Morus Venetus; pro Hetruriae provincia m. Hieronymus Urbani a Montepolitiano; pro conventibus conventualium reformatorum regni Neapolis et Siciliae m. Constantinus a Corinaldo; pro omnibus conventibus conventualium reformatorum ubique existentium m. Dominicus Seraphinus.

CII. Aliqua iubet et indulget summus pontifex. Iubet servari ecclesiarum immunitatem: *Cum alias* IV. calendas Iunii; iubet concionatoribus regularibus Cremonen. ne inconsultis episcopis populum hortentur ad eleemosynam faciendam ad quorumcumque necessitates sublevandas: *Reminiscimur* die XXIV. Maii; statuit diversas ordinationes circa Indos Insularum Philippinarum ad christianam fidem nuper conversos: *Cum sicuti* die XVIII. Aprilis; ut commissarii generales Indiarum minorum de obser. in officio permaneant usque ad aliorum novorum adventum: *Religiosorum* die XXV. Aprilis; ne fratres reformati conventuales, neque alii religiosi habitum capucinorum deferant: *Beati Francisci* die VI. Iulii; iubet ne capucini christifidelium confessiones audiant: *Decet* die I. Iunii. Haec constitutio lata fuit hoc anno, non vero an. MDXC. ut minus vere scribit Michael a Tugio; nam Gregorius XIV. electus fuit an. MDXC. die V. Decembris; quaedam statuit pro bono regimine monasterii conceptionis Civitatis Regum: *Regimini* die II. Septembris; assignat quamdam eleemosynam monasterio s. Clarae Gerundensis: *Decet* die XXIV. Aprilis; moderatur constitutionem Sixti V. super illegittimos et super novitiorum receptione: *Circumspecta* idibus Martii; commendat Margaritae a Cruce moniali professae in monasterio discalceatarum oppidi de Madrid nuntium suum: *Mittimus* die XI. Maii; indulget ut Christophorus ab Incarnatione praedicationi divini verbi dumtaxat incumbat: *Ut quietiori* die XXV. Augusti; plura etiam indulget Francisco a s. Martino circa redemptionem captivorum: *Cum in regno* die VII. Martii; indulget translationem festivitatis s. Clarae, quae solemni ritu peragitur in cathedrali ecclesia Toletana: *Quae ad sanctorum* die XXVI. Iunii; ratum habet privilegium fratribus mendicantibus a Pio V. concessum circa animarum curam apud Indos: *Quantum* die XVI. Septembris, et indulgentias ecclesiis Insularum Philippinarum concedit: *Ad augendam* die XXVIII. Aprilis; confirmat altare privilegiatum in ecclesia conventualium terrae Pionae dioecesis Paduanae, concessum a Gregorio XIII. ubi antea degebant minoritae observantes: *Dudum* die VI. Iulii; indulget ut duces et principes domus Lotharingiae ingredi valeant in monasterium s. Clarae Mussipontani: *Expositum* die XXV. Iunii; similia indulget Mariae archiducissae Austriae pro monasterio clarissarum oppidi Monachii in Bavaria: *Poscunt* die I. Augusti.

Bullar. capuc. tom. 1. pag. 43.

Spondanus ad hunc ann. n. 14.

CIII. His aliisque ad ordinis seraphici decorem praeclare gestis, idem pontifex Gregorius XIV. die XV. Octobris, aetatis anno quinquagesimo septimo ex calculi morbo et alvi effluxu quibus dire afflictabatur, ad superna convolavit, expletis in ecclesiae regimine mensibus decem, totidemque diebus. Quartodecimo post Gregorii obitum die, pontificatus dignitatem accepit Ioannes Anto-

Digitized by Google

Anno Christi 1591.	Innocentii IX.	Rodulphi II. anno 15.	Religionis Minorum anno 384.

nius Facchinetti Bononiensis, presbyter cardinalis tituli ss. quatuor coronatorum, Innocentii IX. assumpto nomine, qui III. nonas Novembris coronationis insignia adeptus, VI. idus laudati mensis lateranensis basilicae ecclesiae possessionem accepit. Ipsius mandato: *Ad aures nostras* die XVIII. Novembris, Thomas a Massa commissarius generalis minorum de observantia ad perlustrandam Mediolanensem provinciam se contulit. At dum pontifex multa ecclesiae catholicae perutilia moliebatur, corporis gracilitate, ieiuniis, ac morbis pene consumptus, IV. calendas Ianuarii, altero vix regiminis mense exacto, ad coelestem patriam migravit, anno aetatis suae septuagesimo tertio.

CIV. Quaedam miracula hoc anno evenisse narrantur. Cum Maceratae in Piceno dira grassaretur lues, haec illico evanuit, celebratis mille sacrificiis in honorem s. Didaci in ecclesia s. Crucis minorum de observantia eiusdem civitatis, ex eleemosynis collectis a pientissimis ac nobilibus feminis Claudia Floriani, Lucretia Amici, et Alexandra Rotelli. Simili in contagio idipsum olim peractum fuisse in eadem civitate ex consilio quorumdam piorum religiosorum ignoti instituti ex autographis monumentis aperte novimus.

Gasparini mss. provinc. Marchiae tom. 1. pag. 70.

CV. Desperato alvi affluxu patiens d. Guidus Monticelli medicus Bononiensis, fiduciale habuit recursum apud moniales clarissas Corporis Christi eiusdem civitatis, ut earum supplicationum ope a s. Catarina sanitatem recuperaret. Strepito facto de nocte, adstitit protinus beata ad latus eius quam ille propriis oculis conspexit; mox edito voto faciendi quidquid illa sibi ad illius et Dei honorem inspiraret, paullo post sanus evasit.

Acta m. ad diem 9. Martii n. 175. pag. 86.

CVI. In monasterio s. Stephani clarissarum Recineti in Piceno providit Deus sponsis suis summa egestate laborantibus; nam ferventi oratione in ipso coenaculo praemissa, et facto super quinque panes, quos unice ex eleemosynis illa die acquisierant, crucis signo a monasterii abbatissa Baptista ex gente Confalonieri eiusdem civitatis, ita panis excrevit, ut plenius sufficeret ad alendas sexaginta quinque sanctimoniales. Altera die effusis item ad Deum precibus, et elata voce lecto evangelio s. Ioannis, ubi de moltiplicatione panis a Christo peracta in deserto agitur, extemplo tota familia spectante, arca frumenti vacua, inventa est plena. Hinc solutis labiis omnes praecinerunt hymnum *Te Deum laudamus*, ut Deo de tanto beneficio grates redderent. Bina haec prodigia rata fuerunt ab Arcadio Bonamici eiusdem urbis publico notario.

Ex archivo monasterii Franciscii ad altum Anconae.

ARGUMENTUM.

Summus pontifex Clemens VIII. creatur. Ad moderandum universum ordinem fratrum minorum conventualium, a cuius regimine Franciscus Bonfigli depulsus fuerat, iterum restituitur. Parantur aedes pro fratribus et sororibus. Coelestia petunt viri Dei ac virgines, quos inter s. Paschalis Baylon. Viri docti obeunt, et inclarent. Instituuntur episcopi, et commissarii visitatores. Quaedam mandata, ac summi pontificis indulta exhibentur.

Ciaconius tom. 4. col. 249.

ROmana ecclesia ob mortem Innocentii IX. summi pontificis duobus mensibus suo viduata pastore, III. calendas Februarii praesentis anni Clementem VIII. antea Hippolytum Aldobrandinum presbyterum cardinalem tituli s. Pancratii a Sixto V. creatum excepit. Is ex Silvestro Aldobrandino Fani in piceno, ubi pontificia auctoritate tunc temporis rectoris munus gerebat, et Lesa Deta parentibus inter Florentinorum, non vero Fanensium, ut minus recte scribit Fleury, optimates illustres natus, praeclara semper de se doctrinae, prudentiae, probitatis, iustitiae, ac pietatis specimina, praecipue cardinalatus honore insignitus praebuit. Vix ad pontificatus apicem assumptus, ut divinarum rerum cultus augeretur, boni mores conservarentur, pravi corrigerentur, romanus clerus vitae innocentia caeteris praeluceret, populusque ad pietatem incenderetur, visitationem quam per seipsum in Urbe egit, peculiarem omnium totius urbis ecclesiarum tam patriarchalium, collegiatarum, et parochialium, quam quorumcumque ordinum regularium virorum ac mulierum constituit. Pontificem per seipsum perlustrasse ecclesiam et coenobium minorum conventualium ss. XII. apostolorum de Urbe, et aliqua edidisse mandata ad illius familiae reformationem aperte novimus ex archivo eiusdem coenobii.

Fleury storia eccles. lib. 179. n. 119.

II. Hoc tempore idem summus pontifex commisit Hieronymo cardinali de Matthaeis ordinis minorum de observantia protectori, ut causam cognosceret reverendiss. Francisci Bonfigli a Gualdo, qui malevolorum suorum apud Gregorium XIV. agentium opera, anno elapso a regimine totius ordinis conventualium fuerat demissus. At immunem ab imputationibus et criminibus declaratum, ad generalatus officium restituit pontifex, lectis, quas vulgamus, litteris coram patribus in sacrario conventus ss. XII. apostolorum de Urbe.

Ann. min. ad ann. 1591. n. 100.

Ex archivo ss. XII. apost. de Urbe.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto filio Francisco a Gualdo universi ordinis fratrum minorum conventualium s. Francisci ministro generali salutem et apostolicam benedictionem.

Ex reg. secret. brev. in mense Aprili pag. 369.

Cum alias postquam fel. rec. Sixtus papa V. praedecessor noster electionem de persona tua in ministrum generalem universi ordinis fratrum minorum conventualium s. Francisci in capitulo generali Romae de anno Domini MDXC. celebrato factam approbaverat et confirmaverat, mortuo dicto praedecessore, tu per nonnullos dicti ordinis fratres apud piae mem. Gregorium papam XIV. etiam praedecessorem nostrum de quibusdam imputationibus, aut alias quomodolibet ad renunciandum dictum generalatus officium in manibus b. m. Hieronymi tituli s. Petri ad Vincula presby-

Digitized by Google

teri cardinalis de Ruere nuncupati, dicti ordinis tunc protectoris coram nonnullis eiusdem ordinis professoribus et sacrae theologiae magistris, licet contra tuam voluntatem inductus fueris, ad praedictum vero generalatus officium loco tui dilectus filius Ludovicus a Sarono Mediolanen. dioecesis eiusdem ordinis vicarius generalis usque ad novam electionem generalis ministri in capitulo generali iuxta statuta et ordinationes eiusdem ordinis faciendam ab ipso Gregorio praedecessore nostro motu proprio et ex certa scientia constitutus fuerit, ac alias prout in litteris in forma brevis sub dat. Romae in Monte Quirinali die XXVIII. *Maii* MDXCI. *desuper confectis plenius continetur, dictoque Gregorio praedecessore vita functo, cum apud recol. mem. Innocentium papam* IX. *similiter praedecessorem nostrum, tu super omnibus et singulis dictis conquestus fueris, seu recursum habueris, idem Innocentius praedecessor universum hoc negotium venerabili fratri nostro tunc Gabrieli episcopo Sabinen. cardinali Paleotto nuncupato audiendum, cognoscendum, seu de eo se informandum, et eidem Innocentio praedecessori referendum commiserit, dictusque Innocentius praedecessor morte praeventus causam expedire nequiverit; cumque etiam novissime nobis humiliter supplicari feceris, ut super huiusmodi gravaminibus cognoscere, ac in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos causam huiusmodi dilecto filio nostro Hieronymo tituli s. Pancratii presbytero cardinali Matthaeo nuncupato cognoscendam, seu de ea se informandum, nobisque referendam commisimus. Nos igitur, quibus dicto Hieronymo cardinali referenti constitit partibus hinc inde pluries ad rem auditis, visisque processibus, informationibus, querelis, accusationibus, attestationibus, et rebus quibuscumque in actis deductis, consideratisque considerandis, te non esse repertum culpabilem, nec de iure punibilem, sed fore et esse ab huiusmodi querelis, accusationibus, imputationibus, et praetensionibus absolvendum, et propterea ad dictum generalatus officium, sicut praefertur, quomodolibet resignatum vel dimissum, resignationi, seu dimissioni eiusdem officii generalatus nemini oblati, reponendum, restituendum, et reintegrandum, tenores omnium et singularum litterarum praedictarum, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine ab imputationibus aliisque praemissis, apostolica auctoritate tenore praesentium absolvimus, ac causa huiusmodi ad nos harum serie advocamus, illamque penitus extinguimus, ac quascunque querelas contra te, ut praefertur, datas ac processus desuper quomodolibet formatos coram quibusdam iudicibus et personis cassamus et annullamus, ac perpetuum silentium quibuscumque personis desuper interesse habentibus, seu quomodolibet praetendentibus imponimus, teque ad dictum generalatus officium restituimus, reponimus, et plenarie reintegramus, ac per praesentes restitutum, repositum, et plenarie reintegratum esse volumus et mandamus, non solum praedicto, sed omni alio meliori modo usque ad proximum capitulum generale iuxta statuta et ordinationes praedicti ordinis celebrandum, cum omnibus et singulis gratiis, facultatibus etiam tibi nominatim a fel. record. Sixto v. postquam tu ad generalatus officium assumptus fuisti concessis, necnon universis privilegiis,*

indultis, honoribus, praeminentiis, introitibus, reditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, quibus ante imputationes, querelas, et processus contra te datos et formatos, ac renunciationem seu demissionem et abdicationem ab officio generalatus praedicto utebaris, et uti valebas, et quibus alii ministri generales dicti ordinis uti, frui, potiri, et gaudere consueverunt, ac demum omnibus in singulis litteris Sixti praedecessoris huiusmodi contentis, perinde ac si renunciationem aut demissionem praedictas non fecisses, dictusque Ludovicus eiusdem ordinis vicarius generalis, ut fertur, deputatus sive constitutus minime fuisset, supplentes omnes et singulos tam iuris, quam facti, ac solemnitatum etiam substantialium defectum, si qui intervenerint in eisdem, necnon omnes et quascumque facultates a nobis vel romanis pontificibus praedecessoribus nostris super regimine, gubernio et administratione, et cura dicti ordinis quomodolibet in genere vel in specie non solum praedicto Ludovico, sed quibusvis aliis eiusdem ordinis fratribus concessas, ac litteras per eumdem Ludovicum a dicto Gregorio praedecessore, ut praefertur, obtentas, revocamus, cassamus et annullamus, omnesque molestias et gravamina pro praedictis imputationibus iniuste ac indebite fuisse illatas et illata, ac iniuste indebite attentatas, et attentata, ac inde sequuta quaecumque irrita et inania motu, scientia, et potestate similibus declaramus. Praeterea singulas latas litteras Sixti praedecessoris huiusmodi in omnibus et per omnia approbamus et confirmamus, tibique, quatenus opus sit, universum ordinem praedictum, omnesque ac singulas eiusdem ordinis personas regendi, moderandi, gubernandi, reformandi, ac omnia alia et singula, quae a quibusvis praedecessoribus tuis ministris generalibus de iure et laudabili consuetudine fieri consueverunt, potuerunt, et debuerunt, faciendi et exequendi plenam et liberam ac omnimodam facultatem concedimus, necnon praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari posse, sicque in praemissis omnibus et singulis censeri, ac ita per quoscumque iudices et commissarios, et causarum palatii apostolici auditores quavis auctoritate fungentes, sublata eis etc. contigerit attentari. Mandantes in virtute sanctae obedientiae, aliisque arbitrii tui poenis ipso facto incurrendis, omnibus et singulis procuratori, ordinis commissariis, ministris provincialibus, custodibus, visitatoribus, guardianis, et fratribus quibuscumque dicti ordinis nunc et pro tempore existentibus, ut te in ministrum generalem dicti ordinis habeant et recognoscant, ac te repositum, restitutum, ac plenarie reintegratum revereantur, tuisque monitis et mandatis salubribus pareant et obediant. Non obstantibus, ut dicta tua renunciatione sive demissione praefati generalatus officii, ut praefertur, facta, vel tuo iuramento forsan firmata, ac quibuscumque in litteris tam a Gregorio, quam aliis romanis pontificibus praedecessoribus nostris in eiusdem Ludovici favorem emanatis etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XXVIII. *Aprilis pontificatus nostri anno* I.

III. Thomae a Massa generali curiae romanae commissario indulget idem pontifex, ut custodia Albaniae novem minorum observantium instructa coeno-

Digitized by Google

biis, provinciae titulo decoraretur, litteris datis Hieronymo cardinali Matthaeio ordinis patrono: *Exponi nobis* die v. Martii. Ad provinciae dignitatem erecta iam fuerat in generali comitio anno MDXC. Romae habito. Ea proinde, quae suo loco diximus, consulto praeterimus. *Ann. min. ad an. 1590. n. 12. et seq.*

IV. In provinciam s. Gregorii Insularum Philippinarum plerique advenere ex minorum ordine viri salvandarum animarum zelo succensi, Maniliae benevole excepti. Eorumdem nomina sunt Franciscus Ramos caeterorum praeses, Ioannes de Noguera, Bernardinus Pasqual, Antonius a s. Thoma, Alphonsus a s. Anna, Didacus a Cruce, Fernandus a s. Bonaventura, Ioannes a s. Michaele, Franciscus a s. Ioanne, Alphonsus Masias, et Antonius Banol sacerdotes; Antonius a s. Clara diaconus, Ambrosius a Placentia clericus; Franciscus Munoz, Didacus a s. Maria, Andreas a Cruce, et Philippus a Iesu laici. Omnes fuerunt in coenobia et valetudinaria illius provinciae designati a Paulo a Iesu administro. *Martinez p. 46.*

V. Quoniam autem in Belgii et Germaniae Inferioris ditionibus religio catholica tum armorum vi, tum haereticorum furore maculata erat, ideo huic malo volens occurrere pontifex, mandavit episcopo Tornacensi: *Romanus Pontifex* die XVI. Iulii, ut in ss. Ioannis Baptistae, et Mariae Magdalenae fratrum de observantia coenobio in provincia s. Andreae Belgii seminarium institueret, ubi eiusdem ordinis sodales philosophia, ac ss. ll. studiis instructi, ad continendos in catholicae fidei confessione ac pontificis obedientia fideles in conterminas provincias mitterentur. Item pontifex indulsit: *Cum sicut accepimus* die XII. Maii precibus comitis de Monterei domini oppidi de Mollid dioecesis Aurien- sis in Wesiphalia, ut coenobium eiusdem oppidi fratrum de tertio ordine ferme vacuum concederet fratribus minoribus de observantia. Seminarium Tornacense. Conv. de Mollid.

VI. In provincia Granatensi recipiunt iidem fratres coenobium sub invocatione s. Bonaventurae, positum prope Baetiam, quod in proprio fundo instruxerat Gonzalvus Ramirez ecclesiae cathedralis canonicus. Ibidem primum praesidem Didacum a s. Francisco posuit Antonius a Villaregali provinciae minister. Conventus b. Mariae de Consolatione Algaydarum anno MDLXXXIII. concessus provinciae Baeticae, rediit ad provinciam Granatensem. Conventum item titulo Dominae nostrae de angelis recollectorum in civitate Leonae in provincia ss. XII. apostolorum Peruani regni circa haec tempora posuit civium munificentia s. Franciscus Solanus illius regionis apostolus. Conv. Baetiae. *De Torres in prov. Granat. p. 155.* *Id. ibid. pag. 136.* Conv. Leonae. *Didacus a Cordoba in vita s. Francisci Solani p. 284.*

VII. Benedictus Leopoliensis minister provinciae observantium Poloniae possessionem accepit conventus s. Andreae apostoli civitatis Warthemburgensis, a quo antea pulsi fuerant fratres ab haereticis, ei oblatum ab Andrea Barthoraei cardinali ac episcopo Varmiensi. Ab anno MCCCXXVI. spectabat ad Saxoniae provinciam. In provincia s. Angeli eis etiam obvenit conventus s. Mariae Lauretanae oppidi Tori dioecesis Beneventanae, oppidanorum opibus constructus. In oppido Secli Neritonensis dioecesis in provincia s. Nicolai pro eis item extitit coenobium titulo s. Mariae angelorum, aere proprio fundatum ab illustri muliere Iulia Spinelli uxore Guidi de Amati illius loci domini. Hoc tempore incolebatur a sex fratribus. In provincia Siciliae positus etiam fuit ab incolis conventus s. Mariae de Iesu extra oppidum Massareni dioecesis Syracusanae. Conventum Bihazensem in provincia Bosniae Croatiae eiusdem ordinis occupatum fuisse hoc anno a Turcis tradit Vigilius Greiderer. Discalceati fratres provinciae s. Antonii in Lusitania intrarunt in coenobium s. Antonii Conv. Warthemburgensis. *Monum. prov.* Conv. Tori. *Monum. prov.* Conv. Secli. *De Fanno p. 62.* Conv. Massarens. *Monum. prov.* Conv. Bihazensis a Turcis occupatus. *Greiderer tom. 1. l. 2. n. 480. p. 147.*

Digitized by Google

Conv. Pontislimani. *Ann. min ad an. 1490. n. 27.*

positum prope oppidum Pontislimani dioecesis Braccarensis, ab eis prae vetustate labentem renovatum iuxta sui instituti formam.

Monum. prov.

VIII. Fratres minores reformati occuparunt per id temporis in provincia Romana conventum s. Francisci Fontis-Columbae; in provincia s. Bernardini conventum s. Iuliani prope Aquilam; in provincia Basilicata conventum s. Mariae de sepulcro Potentiae, custode Stephano a Fortuca; in provincia Terrae Laboris sub custode Paulo a Capua coenobium b. Mariae de Puteo Sussuvii. Novum pro eis coenobium erectum fuit ad II. lapidem ab oppido Cameratae in provincia Siciliae titulo s. Viti dioecesis Agrigentinae, agente fratre Innocentio Calderera Chisense ex eodem ordine. In eadem provincia accesit hoc anno minoribus conventualibus iuxta Cagliola conventus s. Francisci Alexandriae laudatae dioecesis, concessus a Carolo Barresio oppidi harone, cuius possessionem accepit Franciscus Imperiali a Bibona. At fratres paupertate pressi abierunt; ab eo tamen denuo revocati fuere anno MDCIV.

Conv. Cameratae. *Pirrus in not. eccl. Agrigent. tom. 1. p. 757.*

Conv. Alexandriae. *Cagliola p. 119.*

Ex catalogo Michaelis a Tugio.

IX. Capucinorum familia diversis in locis domicilia recepit. In provincia Marchiae obtinuit conventum Fabriani; in provincia Bononiae conventum Imolae; in provincia Brixiae conventum in pago Manerbii dioecesis Brixiensis; in provincia Tusciae conventum in oppido Luciniani Aretinae dioecesis; in provincia Calaritana conventum s. Antonii in civitate Calaritana; in provincia Neapolitana conventum Calatiae, et conventum in pago Iesualbi dioecesis Avellinensis; in provincia Calabriae Rhegiensis conventum in civitate Balneaviae nullius dioecesis; in provincia Aprutina conventum in pago Luci dioecesis Marsorum; in provincia Siciliae iuxta Pirrum conventum Pithinaei dioecesis Cephaludensis; in provincia Flando-Belgica conventum Brugae dioecesis Tornacensis; in provincia Tolosana conventum Carcassonae; in provincia Insulensi conventum Duaci dioecesis Attrebatensis, in civitate Insularum Tornacensis dioecesis et Tornaci eiusdem dioecesis.

Pirrus in not. eccl. Cephalud. tom. 2. pag. 858.

Monast. Neapolis. *De Eugeniis Napoli sacra pag. 582.*

X. Hoc anno Lucia ex illustri progenie neapolitana Caracciolo cupiens se Deo suo intimius adhaerere, domum in eadem civitate coemit, in qua cum aliquot virginibus inculpatam vitam ducens, initium dedit monasterio clarissarum primae regulae sub invocatione s. Mariae virginis, vulgo *dello Splendore*. Ita brevi tempore monialium numerus excrevit, ut et sexaginta sorores, et virgines triginta educationis caussa ibidem ingressae numerarentur. In provincia Terrae Laboris extitit etiam monasterium tertii ordinis sub cura minorum de observantia in civitate Nolae, Spiritus Sancti titulo. Ibidem pie decesserunt Laura Vitallico austeritate vitae illustris, et Christina de Elia pluries b. Virginis praesentia recretata. Monialibus clarissis in Sicilia concessum fuit monasterium s. Martiani Leontini dioecesis Syracusanae, quod olim spectabat ad sanctimoniales ordinis s. Benedicti. Erectum etiam fuit in oppido Laurini dioecesis Caputaquensis pro eis monasterium: *Aequum reputamus* die V. Februarii.

Monast. Nolae. *Antonius a Nola in chron. prov. p. 105. et pag. 166.*

Monast. Leontini. *Pirrus in not. eccl. Syracus. tom. 1. pag. 675.*

Greiderer tom. 1. pag. 378. n. 186.

XI. E vivis hoc anno erepta, ut paullo post videbimus, Elisabeth Austriaca Maximiliani II. Caesaris filia, Caroli IX. Galliarum regis vidua, quae fundaverat clarissarum monasterium Viennae, quaeque angustam pro se suisque familiaribus mulieribus domum aptaverat eidem monasterio contiguam, obvenit fratribus de observantia monasterii moderatoribus, qui ante hoc tempus degebant in eorumdem s. Hieronymi conventu. Fundatricis cubiculum commissario generali immediato sanctimonialium praesidi; reliquae vero aedes confessario caeterisque fratribus inserviunt.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1592.	anno 1.	anno 15.	anno 385.

XII. Sponso Christo hoc anno adhaeserunt in coelo aliquot sacrae virgines. Elisabeth Lopez Flaviobrigae nata, obiit in monasterio s. Clarae de Virviesca in provinvia Burgensi, quae eumdem habitum quem primo induerat, nunquam mutavit, nec refecit, semperque gestavit usque ad septuagesimum aetatis suae annum, quo pie decessit. Florebat apud omnes puritate vitae, virtute orationis, abstinentia, sinceraque humilitate. In monasterio s. Clarae Villaecomitis in Portugallia die II. Februarii obiit Philippa a s. Francisco, vix expleto suae professionis anno. Angelicis ditata moribus, ita alta mente recolebat divinae incarnationis mysterium, tantoque dilectionis affectu prosequebatur memoriam pueri Iesu in praesepe reclinati, ut eius imago quae venerabatur in monasterio ab ea expetita, eique a monialibus tradita recipiens, inter illius amplexum et oscula dulciter expiraret. Hoc eodem anno ibidem rapta est Helena a Cruce, virgo spectatissimae vitae, et eximii animi candoris. Die XIX. Aprilis coelestia petivit in monasterio Matris Dei de Xabregas eiusdem provinciae Petronilla Petri Vaez de Cunhia uxor, quae in Indiis occiduis in quibus militabat, defuncto viro, vitam inter sorores s. Clarae laudati monasterii ducens, miris claruit virtutibus. Emissa professione, multa tulit a daemone, quae tamen semper precum et austeritatis auxilio devincebat; verba *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* proferens, expiravit.

Elisabeth Lopez. *Monasm. prov.*

Philippa a s. Francisco. *De Esperanza t. 2. pag. 214.*

Helena a Cruce. *Id. ibid. p. 226.*

Petronilla de Cunhia. *Agiologium Lusitan. ad diem 19. Aprilis.*

XIII. In monasterio s. Clarae Cordubae in provincia Granatensi decessit Francisca a Cruce. Fertur tenella in aetate in puteum aquis plenum delapsam, minime madefactam fuisse singulari b. Mariae virginis praesidio. Ut erga coelorum Dominam gratam se exhiberet, in monasterium ingressa, sororibus orationis, mortificationis, innocentiae, morumque gravitate exemplo fuit. In monasterio s. Antonii Baetiae eiusdem provinciae obiit Aloisia de Lamas, quae nondum tyrocinio expleto, ita dire corpus macerabat, ut mitius aliquanto secum ageret magistrae suae auctoritas impulerit. Spinis coronata ac lignea cruce onusta, qualibet die veneris in loco refectionis ingrediebatur, sorores excitans ad sponsi sui sectanda passionis vestigia. In monasterio s. Clarae de Loxa laudatae provinciae obiit Maria a s. Iacobo, humilitate praestans. Licet illustri genere nata, summis precibus a loci abbatissa obtinuit toto vitae suae tempore hortorum cura sibi demandari. Silentio ac solitudini dedita adventus et quadragesimae tempore neminem alloquebatur, nisi urgeret necessitas.

Francisca a Cruce. *De Torres pag. 531.*

Aloisia de Lamas. *Id. ibid. pag. 583.*

Maria a s. Iacobo. *Id. ibid. pag. 629.*

XIV. Romae in monasterio capucinarum Sanguinis Christi apud montem quirinalem beate quievit Tranquilla virgo, quae annuente Gregorio XIII. pontifice e monasterio in hierusalem Neapolitano una cum quatuor aliis sororibus anno MDLXXVI. in Urbem ad illud fundandum advenerat. Mansuetudine, paupertate, silentio, et austeritate vitae refulsit. Tanto in Deum mentis excessu ferebatur, ut non raro dum labori cum aliis incumbebat, vel in choro communes preces fundebat, ipsius vultum coelesti splendore perfusum sorores conspicerent. In daemonis invidiam incidens, eam ac socias edito saepe ab ipso in monasterio ingenti strepitu, a sponsi coelestis sinu avellere conabatur. At illa daemonem intrepida aggressa, ad fugam compellebat illis davidicis verbis: *Exurgat Deus et dissipentur inimici eius, et fugiant, qui oderunt eum a facie eius.*

Tranquilla virgo. *Boverius tom. 2. pag. 496.*

Psalm. 67. 1.

XV. Sorores de tertio ordine pie decedunt et hoc anno. Commemorandus in primis venit obitus Elisabeth filiae Maximiliani II. imperatoris, et Mariae regali hispano genere ortae. Viennae in Austria die XV. Iunii anni MDLIV. nata, sacro baptismatis fonte abluta fuit ab episcopo Agriensi. Insigni erga pauperes

Elisabeth Austriaca. *Greiderer tom. 1. p. 449. num. 511. et seq.*

Digitized by Google

commiseratione ab infantia divinitus exornata, obsonia sibi parata frequenter subtrahebat, ut pauperibus iuxta aedes regias transeuntibus occulte ministraret. Aliquando etiam ad eorumdem paupertatem consulendam, nodulos sive aureos, sive argenteos a suis vestibus evellebat, eisque erogabat. Sciscitanti cur id ageret, aulae magistrae respondebat: *nodulos sibi e manibus cadere, sibique non esse possibile eos retinere.* Oratione etiam nocturno tempore plurimum ea in aetate delectabatur; unde clam de lectulo surgens, erga Deum dilectum suum charitatis flammam excitabat. Anno vitae suae XVIII. Carolo IX. Galliarum regi Parisiis desponsata, eo in statu ita virtutibus floruit, ut subditos ad Dei amorem et timorem pariter alliceret. At Deo disponente, per mortem viri sui a matrimonii iugo a quo unicam filiam acceperat, nondum quadriennio expleto, soluta, eodem anno MDLXXIV. die XIII. Maii mundo ac regno valedixit.

XVI. Hinc castitatis amore illecta, firmiter proposuit se altero nunquam viro nupturam. Ne vero ullo tempore sibi nuptiarum molestiae inferrentur, priusquam Viennam inter suos se conferret, scripto instrumento idipsum cavit. Anno MDLXXV. Henrico III. germano mariti sui in Galliarum rege coronato, initisque cum Ludovica Lotharinga ab eo nuptiis, Elisabeth Germaniam petentem comitatus est cardinalis Atestinus. Cum autem ingens hominum numerus circa eius currum confluueret, hae voces fletibus mixtae personuerunt: *o quam misera erit patriae nostrae facies, quum salus nostra discedat a nobis!* Pragam deducta, iterum ad secundas nuptias obeundas solicitata fuit a viris principibus; eas tamen constantissime recusavit; imo cum consensus ab ea peteretur, animus illi concidit aliquando. Viennae in monasterium clarissarum inde ingressa, die XXVI. Iunii per epistolam ut propositum mutaret, tertio quaesita est ad nubendum. In grave iterum deliquium incidens, ac inde sensibus suis, curantibus loci abbatissa et sorore Maria Thollnerin, restituta, profusis lacrymis dixit: *duos hodiernos sanctos* (ss. Ioannem et Paulum mm.) *in testes mei propositi invoco, quoniam mortalium nullus me ad nuptias amplius ineundas commovebit.* Hinc die XXIII. Iulii plenius liberata, ut Deo suo gratam se ostenderet, singulis annis eadem die in pane et aqua, quamdiu vixit, ieiunare atque templum omnium ss. Pragae in Hradschin propriis sumptibus excitare, seu potius restaurare decrevit.

Ann. min. ad an. 1575. n. 44.

Ibid. ad an. 1582. n. 56. et seq.

XVII. Anno MDLXXXII. Viennae pro monialibus clarissis monasterium titulo s. Mariae angelorum ad reginam suis impensis excitare coepit, ubi ad immediatas claustri aedes pro se suisque aulicis virginibus domum humilem apposuit, ut per chori ianuam ei pateretur ad moniales accessus. Michaele Alvarez commissario ac conscientiae suae moderatore, humilitatis gratia tertio sororum, non vero, ut scribit Lequile, clarissarum ordini se addixit, earum tunicam palam deferens, et regulae praescripta impigre absolvens.

Lequile tom. 2. pag. 403.

XVIII. Seraphico induta sacco, magis magisque virtutibus floruit. In primis charitate erga egenos. Singulis enim maioribus b. Virginis festivitatibus, novem mulieribus egenis amictum praebebat, bisque eadem die ad mensam eisdem deserviens. In diebus annuntiationis eiusdem Virginis, et in Coena Domini earum pedes lavabat; in die vero s. Ioannis Evangelistae duodecim mulieribus idipsum praestabat. In festo s. Michaelis archangeli novem pauperibus eleemosynam, cibum, potumque larga porrigebat manu. Inserviebat diebus baccanalibus in mensa sororibus clarissis; pauperibusque vero manu sua cibaria parare, ac distribuere in deliciis habebat. Vigiliis, ieiuniis, corporisque austeritatibus iugiter intenta, singulis quartis, sextis feriis, ac sabbato perpetuo abstinentiam

servavit. Valetudinaria, et cryptam maiorem ss. martyrum cathedralis ecclesiae s. Stephani, vilibus induta vestibus, parvoque famulatu stipata saepe pede invisebat. Praeter monasterium et templum clarissarum s. Mariae angelorum quod erexit, plura alia diversis in locis vel restauravit, vel annuis reditibus locupletavit, vel sacra supellectili ditavit. Acatholicorum errores iugibus lacrymis deflens, Deum suum exorabat, ut abiuratis erroribus ad agnitionem verae fidei flecterentur haeretici, et ut catholici in fidei confessione confirmarentur.

XIX. His aliisque virtutibus ac meritis cumulata, xxxvii. aetatis suae anno, omnibus ecclesiae sacramentis devote susceptis, die xxiii. Ianuarii in crucifixi osculo, cum sanctitatis opinione decessit, Petro Luck franciscano de observantia eidem in extremo agone opitulante. Suae dormitionis tempore aliqua evenisse prodigia scribit Vigilius Greiderer, cuius acta ex ipso notavimus. Eo in instanti se fortuito intuitum fuisse angelum, nubes quibus coelum obductum erat, velut ense scidisse, ac illico eas evanuisse quidam de aula regia olim excubiator tradit. Eadem quoque hora, qua regina expiravit, Ursula monasterii abbatissa manibus et pedibus ita gravata morbo, ut sine adiutricibus sororibus movere se haud valeret, de lectulo surgens bene incedere coepit. Haec altera die cum aliquibus aliis sororibus communem in mensam ingressa, suavissimum avium concentum audivit. Quibusdam etiam ante reginae obitum diebus stella quaedam perfulgida, spectantibus sororibus, apparuit, quae tamen, ipsa e vivis erepta, ab eorum oculis illico evanuit. Eius per urbem vulgata, morte, quatriduo ad eius tumulum omnium ordinum cives confluxerunt. Funebrem de ea habuerunt orationem d. Melchior Kloselius Viennensis et Neostadiensis episcopus, et in die anniversario p. Ioannes Romelius iesuita.

XX. Quoniam vero pia monasterii fundatrix in ultimis tabulis decreverat, ut corpus sub simplici lapide conderetur hisce inscriptis verbis: *peccantem me quotidie, et non me poenitentem, timor mortis conturbat me: quia in inferno nulla est redemptio, miserere mei, et salva me;* ideo ut eius voluntati satisfieret, consuetis induta vilibus vestibus, arcae ligneae inclusa, ac sarcophago stamneo imposita, adstantibus post quintam diem Ernesto et Matthia archiducibus, toto clero, senatu, populoque Viennensi ante altare maius a cornu evangelii, illis verbis lapidi sepulcrali incisis, tumulata fuit. Inde apposita etiam extitit inaurata inscriptio arcae ligneae, quam ponimus.

D. O. M.
SERENISSIMA AC CHRISTIANISSIMA
ELISABETHA
GALLIAE REGINA
D. MAXIMILIANI II. ROMANORVM IMPERATORIS AVGVSTI FILIA
D. RVDVLPHI II. ROMANORVM IMPERATORIS AVGVSTI SOROR
CAROLI IX. GALLIARVM REGIS CONIVX
QVAE TANTO PATRE FRATRE CONIVGE DIGNISSIMA
VIRGO CONIVX VIDVA
CASTITATIS INGENVITATIS CONSTANTIAE RARVM EXEMPLVM PRAEBVIT
CVIVS ABITVM GALLIA
TAMQVAM REGNI CVM IPSA PROSPERITAS ABIRET
OBITVM AVSTRIA
TAMQVAM SANCTISSIMA PATRIAE PARENS OBIRET

ACERBE LVXIT
QVAE DIVINO IN NVMINE MENTE FIRMITER FIXA
IN AEGRORVM SOLATIA IN ELEEMOSYNAS
INTEGRIS FACVLTATIBVS EFFVSIS
TE VIENNAE (SED QVANTVLVM PARTIS) CONSCIA
CASTAM ADEO VIDVITATEM VIRIDI ADHVC IVVENTA
IN HOC SACRO VIRGINVM CONTVBERNIO A SE INSTITVTO SERVAVIT
VT NVLLA IPSAM QVANTVMVIS EXCELLENTISSIMI OBLATA CONIVGII OCCASIO
PIO AB INSTITVTO VEL LATVM VNGVEM FLECTERET
RELIGIOSAM ADEO MENTIS HVMILITATEM BEATE COLVIT
VT ETIAM MORIENS
EXTENVATVM IEIVNIIS AC VIGILIIS CORPVSCVLVM
(REGINA FVNERIS AC TVMVLI POMPA SPRETA ET INTERDICTA)
IN EXIGVO ISTO
(QVOD IPSIVS IVSSU VILI STRATVM SAXO CONSPICIS)
SEPVLCRO CONDI VOLVERIT
HIC REQVIESCIT
VIXIT ANNOS XXXVII. MENSES VIII. DIES VII. HORAS VII.
OBIIT DIE XXII. IANVARII ANNO DOMINI MDXCII.

Maria Elisabeth de Voels. *Idem tom.* 2. *pag.* 578. n. 217.

XXI. Elisabeth Austriae reginae unita est hoc eodem anno in coelis die XXIII. Augusti soror item tertii ordinis Maria Elisabeth de Voels, defuncta in monasterio Ridleriano provinciae Bavaricae, eximiae pietatis, charitatis, ac mirae in adversis patientiae. Decessit virgo item tertii ordinis Elisabeth Costa in oppido Frentani provinciae Messanensis, quae tantae erat austeritatis, ut maiorem anni partem in panis et aquae ieiuniis traduceret, aspero cilicio carnem edomaret, nudis semper pedibus incederet, et saepe ad sanguinis effusionem flagello se caederet. Integros interim ferme dies divinarum rerum contemplationi ac orationi vacabat in ecclesia capucinorum eiusdem loci. Obitus sui diem et horam praedicens, cum sanctimoniae fama ad dominum, pauperum luctu qui velut piam matrem sibi ereptam lugebant, convolavit.

Elisabeth Costa. *Boverius tom.* 2. *pag.* 497.

Cherubinus a Nucibus. *De Arembg t.* 2. *pag.* 92.

XXII. Coelesti gloria potiti sunt inter capucinos aliquot viri Dei. In conventu Aquaevivae provinciae Barensis Cherubinus a Nucibus, in qua aliquando munus vicarii provincialis obivit. Ex praesidum mandato generalis commissarius provinciae Parisiensis renunciatus, totus se addicens divini verbi praedicatio-

Sbaralea lib. C.

ni, ingentem animarum fructum retulit. Scripsit *opusculum de sacramentali confessione* Neapoli an. MDXCVI. impressum, et *tractatum de passione Domini eiusque meditatione* ibidem vulgatum. Propagavit oratione XL. horarum nuper institutam. Divina peragens mysteria, non semel charitatis ardore ita aestuabat, ut animo sursum erecto etiam corpore in Deum transferri videretur. Interim Spiritus Sancti gratia illustratus, nonnunquam futura praedixit; nonnulla quoque edidit signa atque prodigia. In eadem provincia spiritum Deo reddidit Baptista Rotundanus laicus, qui tam asperrimum vitae genus sibi sequendum praescripserat, ut a multis velut omnium poenalitatum specimen haberetur. Solitudinis amore captus, solus in specu Vallis Fellensis, quae intra Grottariae conventus septa continetur, vitam degens, unice terrae fructibus et crudis herbis, non tamen ad satietatem, semel in die vescebatur. Hyberno tempore vilissima tunica amictus erat, nudisque pedibus glaciem ac ni-

Baptista Rotundanus. *Id. ibid. p.* 674.

vem calcabat. Inde in asperrimi montis, qui Rotundae adhaeret, desertum secedens, priorem austeritatem novis asperitatibus accumulavit. In hac montis solitudine mansit vir Dei viginti annorum spatio. Defunctus in quodam eiusdem montis antro, exanime corpus suavem odorem spiravit Thomas item a Rotunda laicus obiit et hoc anno, altissima rerum divinarum meditatione praeditus, ecstasum et prophetiae dono interim exornatus.

Thomas Rotundanus. *Id. ibid. p.* 677.

XXIII. Fregellae (vulgo Pontecorvo) in conventu eiusdem ordinis in provincia Neapolitana fulmine ictus decessit Samuel a s. Antimo laicus, virtutibus patientiae, misericordiae erga egenos, et sui ipsius abnegationis, adhuc in saeculo degens, spectabilis. Capucinorum instituto adscriptus, vitam arripuit ita angelicam, ut animi candorem et simplicitatem in dictis ac factis spiraret. Apud Apulos adhuc memoria viget Ioannis a Manfredonia laici, puritate ac vitae austeritate eximii, in cuius morte meruit b. Virginis praesentia recreari; in provincia Cossetana obiit Hilarion a Iasolis hispanus, concionator fervidus, pluribusque charismatibus a Deo cumulatus.

Samuel a s. Antimo. *Id. ibid. p.* 675.

Ioannes a Manfredonia. *Id ibid. p.* 908.

Hilarion a Iasolis. *Id. ibid. p.* 406.

XXIV. In coenobio Murrivallium in picena provincia dies complevit suos Bartholomaeus Caesenas, eremita vulgo nuncupatus, ex patritia huius civitatis Cacciaguerra familia ortus. Post varia vitae discrimina capucinorum habitu indutus, miris inter eos virtutibus floruit adhuc tyro. Ut carnis solicite concupiscentiam edomaret, dies ita disposuit, ut una quidem die parum obsonium sumeret; altera eo pene abstineret; dirae interim sui ipsius flagellationes sanguine redundabant. Cum autem procero et gracili esset corpore, angustum nihilominus ex viminibus in quo quiesceret, in cella sibi praesepe levi palea stratum confecerat, ut vix ipsius membra caperet. Orationis amator, licet guardiani, novitiorum magistri, et etiam vicarii provincialis officio fungeretur, crebo tamen precibus per diem, et per totius ferme noctis, tribus exceptis, horas sese dabat, mentis excessus haud semel passus. Daemonem minis, terroribus, et conatibus ipsum in dies aggredientem orationis, humilitatis, patientiaeque auxilio devincebat, et ab obsessis etiam corporibus, solo vocis imperio, expellebat. Ferrariae in provincia Bononiae obiit alter Bartholomaeus Caesenas, qui in saeculo licet sacerdos, una cum altero sacerdote illius urbis tam effrenem vitam agebat, ut nullis uterque sceleribus parcerent. At teterrima inferni in somnis visione perculsus, ad fratres minores de observantia illico advolans, aliquot annorum spatio austerissimam vitam inter eos duxit, inde ad capucinos se conferens, cum ipsam provinciam vitae sanctimonia illustrasset, senio ac poenalitatibus consumptus pie decessit.

Bartholomaeus Caesenas. *Id. ibid. p.* 130.

Bartholomaeus Caesenas. *Id. ibid. p.* 347.

XXV. Floruit in eorumdem provincia Hetruriae tum virtutibus, tum verbi Dei praedicatione Silvester Albinganensis sacerdos. Charitate Dei vulneratus, tum in ministerio praedicationis, tum in choro psallens non semel in mentis excessum rapi visus est. In provincia Pedemontana obiit Petronius Vercellensis spectatissimae vitae, qui erucas hortum coenobii depascentes praecepto ad fugam compellit, et pauperem a lepra afflictum liberavit. In ipso ss. Annuntiationis festo coelestia petivit Vincentius Andriensis sacerdos, morum innocentia, mentis puritate, ac omnimoda obedientia exornatus. Summa animi devotione ferebatur in b. Virginem; nam eadem ipsa die cum eam vocibus dulcissimis inclamasset, ex hac vita migravit. Novariae etiam raptus est Vincentius a Santudecio sacerdos tanta perfectione cumulatus, ut in instituto carne et vino abstineret, frequentibus flagellis membra cilicio, ac ferreis cingulis fraenaret. In Parisiensem provinciam missus, enituit charitate praecipua erga ae-

Silvester Albinganensis. *Id. ibid. p.* 406.

Petronius Vercellensis. *Id. ibid. p.* 677.

Vincentius Andriensis. *Id. ibid. p.* 435.

Vincentius a Santudecio. *Id. ibid. p.* 458.

Digitized by Google

grotos diro contagio affectos. Quo in ministerio, eodem morbo correptus, vulnus contraxit, quod ad mortem usque sanie manans patientissime toleravit. Sulsunae in provincia Catalauniae magna apud omnes sanctitatis fama relicta, angina spiritum Deo reddidit Gabriel ab Insulis Balearibus sacerdos, inter capucinos adscriptus in provincia Genuae. Ad eius tumulum aliquas tabellas fuisse appensas pro gratiis ab eo receptis testantur de Aremberg, et Boverius.

Gabriel ab Insulis Balearibus. *Id. ibid. p. 436.*

XXVI. Inter discalceatos fratres obiit die II. Augusti in conventu s. Francisci de monte Maniliae, praedicto suae mortis die, Petrus Ferrer hispanus, Vallisoleti nobilibus parentibus ortus. Relicta militari vita, cui addictus erat Maniliae, eorumdem discalceatorum habitum ea in civitate suscepit. Conversioni infidelium diu occupatus, non semel ab ipsis conquisitus fuit ad necem; at singulari Dei beneficio liber ab eorumdem manibus semper evasit. Multos tamen ex illis ad fidei lumen adduxit. Charitate eximia exhornabatur erga infirmos, quibus solatio erat, vulnera interim lambens licet sanie manantia. Cilicio asperrimo revinctus erat, ieiuniis perpetuis dirisque flagellis, fuso etiam sanguine corpus tundebat. Pie etiam ibidem decessit Stephanus de Solis hispanus, in eodem s. Francisci Maniliae coenobio franciscalium habitu indutus. Eo namque advenerat tamquam socius d. Francisci Sandeni Insularum Philippinarum moderatoris. A suis inde missus evangelii praedicandi caussa in provinciam de Camarines, errores quibus Indi illius regionis imbuti erant circa animarum transmigrationem penitus evellit, pluresque sacro baptismatis sacramento tinxit. Laboribus pene consumptus, laetus superna petivit.

Petrus Ferrer. *Mortmez pag. 47.*

Stephanus de Solis. *Idem pag. 49.*

XXVII. In coenobio eorumdem fratrum rosarii ad ripam Tietaris amnis in territorio Abulensi provinciae s. Iosephi obiit in Domino die XV. Iulii Christophorus de Cabezuelas, de rosario etiam dictus, quia eodem in conventu religiosum habitum induerat. In universitate Salamanticae operam dederat liberalibus artibus ac sacrae theologiae studiis, eratque sacerdotali dignitate insignitus. In instituto primum iter arripuit sui contemptus, omnimodae humilitatis, ac sincerae mentis puritatis. Praedicationis munus tam fervido spiritu exegit, ut audientium animos commoveret, ad resipiscentiam flecteret, et ad prosequendas virtutes alliceret. Assidue in excipiendis confessionibus diversatus, maximos peccatores e vitiorum coeno ad viam virtutis revocabat. Hinc sui sanctitatis opinionem apud omnes reliquit.

Christophorus de Cabezuelas. *Joannes a s. Maria part. 1. lib. 2. cap. 39.*

XXVIII. Quievit die I. Augusti in conventu s. Annae Villenae in provincia s. Ioannis Baptistae Rochus Morenus sacerdos, Conchae in Hispania oriundus, solitudinis et ferventissimae orationis vir. Cum in eodem coenobio una cum s. Paschale Baylon sibi coniunctissimo moraretur, sancta aemulatione ducti, precibus, ieiuniis, ciliciis, et omnium virtutum exercitatione florebant. Humilitate et obedientia eximius, licet munus coenobii praesidis et definitoris provinciae fungeretur; iter tamen cum faceret, socio etsi laico, tamquam subditum se dabat. Hoc eodem anno e vita migravit in coenobio s. Rochi Gandiae eiusdem provinciae Franciscus Sierra, seu de Bayona sacerdos, item socius individuus s. Paschalis Baylon, ambo humilitatis, abnegationis, et paupertatis viam terentes. Inedia et poenitentia, oratione ac sanctis meditationibus tam diurno, quam nocturno tempore delectabatur.

Rochus Morenus. *Panes in prov. s. Ioan. Bapt. p. 1. cap. 57. pag. 211.*

Franciscus Sierra. *Idem ibidem.*

XXIX. Emmanuel a Castroviridi die XXI. Maii pie decessit in conventu s. Antonii de Oliveto in provincia Portugalliae, singularibus virtutibus excultus. Paullo ante eius mortem cuidam consodali suo, qui ad eum solandum acces-

Emmanuel a Castroviridi. *Agiologium Lusitanum ad diem 21. Maii.*

Digitized by Google

serat in sua infirmitate, dixit: *hodie videam magna*. Migravit e vita die ss. Trinitatis, quam impense venerabatur. Die xxx. Maii in valetudinario Ulyssiponensi obiit Antonius a s. Michaele silentio, oratione, ac sensuum fraeno spectabilis. Perpetuo abstinuit carne, vino, et piscibus. Edebat panem cum calida aqua cinere mixtum, et aliquando crudas herbas sylvestres. Cilicium asperrimum instar habitus totum corpus contegens, gerebat. In provincia Granatensi obiit Petrus Gondè sacerdos, qui cum sub Philippo II. Hispaniarum rege in Flandria militasset, audita concione b. Petri Nicolai Factoris, militari vita relicta, inter minores observantes cooptatus est, ubi tam inculpate se gessit, ut ab omnibus velut sanctitatis forma haberetur. In coenobio s. Francisci de Logrono provinciae Burgensis coelestia petivit Didacus Marzan, paullo ante sacerdotali dignitate initiatus. Emicuit virtute obedientiae, assiduae orationis, et sensuum mortificatione. Terrificam aeris tempestatem repulit sola Iesu Christi invocatione. Eximio cordis affectu ac dulcissimis verbis colebat b. Virginem sub mysterio immaculatae conceptionis. Anno xxviii. post sui mortem reserato tumulo, eius corpus odorem suavissimum efflavit, ac integrum et flexibile repertum fuit. Die xi. Iulii ad astra migravit in conventu apud oppidum s. Martini Civitatensis dioecesis in provincia s. Michaelis Ioannes Muniz laicus, mirandis operibus commendabilis, cuius acta monumentorum deficientia haud notare valemus. Ea enim nostri temporis est calamitas, ut fratribus in Hispaniarum regnis e coenobiis ejectis, ac eorumdem archivis incensis, quae a nostris gesta fuere, penitus ignoramus.

Antonius a s. Michaele. *Id. ibid. ad diem 30. Maii.*

Petrus Gondè. *De Torres p. 307.*

Didacus Marzan. *Monum. prov.*

Ioannes Muniz. *Ann. min. ad an. 1452. n. 62.*

XXX. Meritorum plenus raptus est in coenobio s. Mariae de spe Vallis de Scopesso in provincia Conceptionis die vi. Ianuarii Petrus a Campo laicus. Adolescens percupidus inter minores observantes cooptari, cum repulsam passus esset a praeside coenobii s. Francisci de Navarette, se contulit ad celebre eremum s. Mariae de Monteserrato, ubi in antro inter inedias et austeritates vitam ducens, Deum ac Virginem matrem ferventer exorabat, ut quid sibi agendum foret benigne ostenderent. Annuit Deus et b. Virgo votis suis; nam coelesti voce recreatus, intellexit se a Deo et b. Virgine ad minorum institutum vocari. Hinc festinanter Barcinonem contendit, et habitu impetrato, tyrocinium inchoavit, et professionem emisit, factus consodalium suorum praecipuarum virtutum exemplar.

Petrus a Campo. *Daza part. 4. l. 3. cap. 23.*

XXXI. Ut carnis petulantiam coerceret, sandaliis perpetuo caruit, etiam algente hyeme, et unicam omnium obsoletam tunicam gestavit. Quatuor horarum spatio super nudam tabulam sopori se dabat in una coenobii cellula, quae vix eum capiebat, in qua coelestibus meditationibus vacans, diris flagellis interim membra cruentabat. Laboriosa monasterii munia semper obivit, in quibus laxatas corporis vires solo pane aut oleribus crudis reficiebat, nec oleo, nec aceto unquam usus. Portarii officium summa charitate complebat erga pauperes praesertim, quibus alendis aliquando Deus suis precibus annonam multiplicavit. Similia obtinuit a Deo pro consodalibus suis in summa egestate positis. Crucis signo vel saliva nonnullos aegrotos incolumes reddidit. Prophetiae dono illustris, plura praedixit, cordium arcana penetravit, et daemonis fraudes aperuit, ac astus delusit.

XXXII. His virtutum meritis cumulatus, ad tantam sanctitatis opinionem penes omnes devenit, ut verbis et scriptis celebraretur, ac pro sancto haberetur. Hinc cum b. Petrus Nicolaus Factor in coenobium Barcinonense advenisset, intuitus Dei servum eiusdemque virtutes suspicatus, festinanter amplexus,

Baretius part. 4. lib. 8. cap. 76.

Digitized by Google

nomine proprio quin illum unquam agnovisset, vocavit, fratribusque ac aliis praesentibus dicens: *Petrum a Campo virum esse magni spiritus et sanctitatis, ac cito ab ipso Deo magnificaturum.* Apertius tamen de eo scribit Franciscus Gonzaga, qui pro muneris sui ratione conventum illum lustravit, officio functus totius ordinis generalis administri. *Adducam*, inquit, *in medium de omni virtute optime meritum fr. Petrum a Campo laicum professum et octogenarium, qui quicquid necessariis occupationibus residuum sibi est, id totum in oratione consuevit; quique tanto devotionis excessu frequentissime suspenditur, ut supra seipsum raptus, et ultra humanum sensum aliquid sentiens, quid circa se exterius agatur, nesciat. Sed quia is adhuc in vivis agit, et iuxta Sapientis sententiam vir post mortem laudandus venit, haec de ipsius virtutibus dicta sufficiant, praesertim, cum ex his quae residua sunt, ea facile quis coniectare possit.*

Gonzaga in prov. Catalaunior conv. 20.

XXXIII. Quare eximio Dei amore vulneratus, et in lacrymas effusus, ad Deum ubique locorum sive in conspiciendis imaginibus, sive in publicis supplicationibus, praesertim Corporis Christi, sive in communi suorum coenaculo, sive in ecclesia, sive in claustro, sive in itineribus, diebusque solemnibus mire elevabatur, vivido interim splendore circumfusus. Cum sacerdotibus in sacro peragendo deserviret, saepe missale et ampullulas in manibus tenens, ecstasim patiebatur. Quae quidem miranda etiam evenerunt, dum morti proximus, sacrum evangelium de Iesu Christi passione sibi legi postulaverat. Post haec, illa psalmorum *misericordias Domini in aeternum cantabo* proferens, spiritum Deo reddidit vix illis eiusdem psalmi expletis: *ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus et susceptor salutis meae*, annos numerans LXXXXIX.

Psalm. 88.

XXXIV. In coenobio s. Mariae de Iesu Panormi in provincia Siciliae obiisse die XIX. Ianuarii Christophorum Panormitanum ex strictiori observantia, antea minoritam conventualem tradit Fortunatus Hueber in suo Menologio seraphico. In reformatorum instituto inediis, disciplinis, ac vigiliis incubuit; in oratione saepe in ecstasim rapiebatur, coelesti luce perfusus. In eadem provincia sanctitate floruit Guilielmus a Calatahierone sacerdos, cuius obitus evenit die IX. Iunii in conventu s. Petri civitatis Plateae. Inculpatam vitam duxit totius vitae suae tempore, sive guardiani munus obiret, sive inter saeculares degeret, sive in servandis sui instituti regulis, ordinisque constitutionibus. Delato post sui obitum in ecclesiam corpore, a brachii paralysi liberata fuit Margarita Gamberboni, vix eidem corpori eo admoto.

Christophorus Panormitanus. *Hueber ad diem 19. Ianuarii.*

Guilielmus a Calatahierone. *Mazzara tom. 5. pag. 86.*

XXXV. Prae caeteris vero commemorandus venit s. Paschalis Baylon felix obitus, qui hoc anno die XVII. Maii omnibus cumulatus charismatum donis, coelorum regna petivit. Reliqua eius acta subnectimus exscripta a Ioanne Ximenez auctore coevo. » Fieri nequit, ut aliquis sit verus Dei servus, quin daemonem patiatur inimicum, tantoque ferociorem et importunum magis, quam ferventius studioque maiori incumbit in eius gloriam promovendam in seipso et aliis. Ergo neque die, neque nocte cessabant nefarii Paschalem oppugnare: noctu tamen durior plerumque erat conflictus. Ordinarie enim tunc audiebant religiosi, cellae eius vicini magnos in ea fragores ac strepitus, et quandoque tantus, ut universa subverti videretur. Audiebatur non raro etiam ipse grandem edere clamorem, ad quem accurrentibus fratribus, et quid ei accidisset requirentibus, excusabat molestiam aliquam vel somnum esse, ipsisque agebat gratias pro benevolo succursu. Fratres nihilominus haud dubitabant, quin luctae istae essent cum daemonibus; harum enim indicia in ipsius corpore dabant mane

Acta ss. ad diem 17. Maii.

Digitized by Google

livores et cicatrices a plagis relictae. Accidit aliquando Valentiae, ut ad eum sic ad noctem exclamantem accurrenti fr. Iosepho de Cardenete, et interroganti quid rei esset, responderit: *o frater, si videres equitatum discurrentem per claustrum, obstupesceres profecto.* Alias quoque idem ei respondit: et reipsa quotquot hac de re testantur religiosi, asserunt tantum subinde in cella eius solitum audiri tumultum, ac si integrae legiones equitum per ipsam discurrerent. »

XXXVI. » Quales tamen eae pugnae fuerint, nunquam ex ore eius sciri potuit, solum aliquando dixit fr. Iacobo Morales amico et confessario suo, conflictus grandiores esse cum meditabatur aliquid de passione Christi, cuius cruce mediante semper victor remanebat. Fr. Petro de Aranda similiter fassus quadam vice est, quod aliquando Valentiae aegro apparuerit daemon in forma Christi crucifixi, multo sanguine perfusi: sed agnitum a se, illustrante intus Deo, fuisse lupum sub ovina pelle, et qua merebatur ratione exceptum. Alias cum fr. Christophoro Claver visitans viduam Almericam, cum coram eo sermo incidisset de somniis, terriculamentis, et visionibus diabolicis dixit: *nihil istorum esse metuendum;* se quidem timere nihil quamvis in Loritensi conventu multo cum strepitu saepe conati sint daemones eum terrere, specialiter quando sub forma crucifixi per cellae fenestram ingressus satanas, egressus est per portam. Idem se vidisse etiam fassus est, cum quodam die inter fratres Valentiae de isto argumento sermo agitaretur. Dicebat etiam se eumdem vidisse aliquando cum taeda accensa in manibus discurrentem, veluti omnia incensurum: non tamen se ausum fuisse clamare, ne fratres hora tam intempestiva excitaret. Quae omnia non tam admirabamur ab eo visa, quam praeter consuetudinem eius manifestata, volente id, scilicet Deo, ad instructionem nostram. »

XXXVII. » Talibus autem pugnis atque victoriis, necnon illustribus suarum virtutum exemplis decoravit Sanctus omnes, in quibus aliquando hospes egit, conventus, idest plerosque huius provinciae: feliciores tamen fuerunt illi, qui inquilinum habuerant. In primis conventus s. Ioannis Baptistae Valentiae, ubi annis multis portarium et refectorianum egit: uti et in conventibus s. Onuphrii de Xativa, et s. Iosephi de Elche. Plurimum autem temporis vixit Sanctus in conventu Loritensi, ubi et habitum sumpsit, et per solemnem professionem ordini est inseparabiliter adiunctus. Hinc ille excurrebat ad vicina oppida Aspes, Agostes, Eldae, Noveldae, imo et Alicantes ad eleemosynam de more petendam, et suo proximos aedificabat exemplo. Jumillae etiam commoratus est Sanctus in illo solitario conventu s. Annae de monte. Almansae ad septem annos habitavit, ubi ego eum multis diebus magistrum habui: ibi vidi eius mortificationes, abstinentias, disciplinas, ieiunia, atque alia opera cum magno spiritus fervore facta, dum esset hortulanus, coquus, refectorianus, et portarius; solebatque dicere, tamdiu ibi se haesisse, ut iuxte expelli iam posset. Ayorae quoque, ubi haec nunc scribo, in conventu s. Antonii Patavini aliquoties fuit, sed dumtaxat hospes. At Villenae in conventu s. Annae fixa et diuturnior ei commoratio fuit, cum egregiis duobus ac veris s. Francisci filiis fr. Alphonso Rodriquez guardiano, et fr. Francisco de Bayona. »

XXXVIII. » Ultimus, quem incoluit, conventus, Villa Regalensis fuit, quo eum altera eaque postrema vice adduxi Xativa, ubi aegrotantem inveniebam, illic dicturus per quadragesimam, unde etiam post aliquot annos in coelum transiit. Sita est Villa Regalis in fertili planitie burrianae, octo leucis Valentia distans, Barcinonem euntibus: cuius forma ac situs spectabilis est, eo quod

structa in quadrum, longitudine maiore quam latitudine, in medio platea dividatur, ducta a porta in portam, quam alia rursus in medio transversim scindens, sic crucem constituit, ut ex eius puncto medio in quatuor oppidi portas prospectus pateat. Minores autem hinc inde plateae duae, totidem minoribus plateis utrinque transversim ductis quadrifariam sectae efficiunt, ut uno cum maioribus plateis concurrentes faciant cruces novem: muros autem ornant iustae altitudinis turres, quatuorque ad angulos propugnacula excurrentia ad portarum custodiam. Hanc loco formam dedit conditor suus invictissimus rex Iacobus primum subacta Valentia, et condito palatio ornavit filius eius Petrus, quem hic natum credunt multi, eoque trahunt ortum extra urbis muros, dictum Infantium. Alterum eius latus cingit mare; alterum e propinquo cingit millus fluvius: quae autem pars Valentiam respicit, in suburbio conventus Carmelitarum spectatur; ex altera Barcinonem versus conventus noster s. Mariae a rosario dictae, ubi morantur franciscani discalceati provinciae s. Ioannis Baptistae. »

XXXIX. » In hoc conventu habitanti Paschali non solum felix sua mors obtigit, sed etiam divinitus creditur revelata. Ut enim taceam extraordinariam illam vultus hilaritatem, et risum fere continuum ante mortem, deposuit fr. Alphonsus Camacho, quod Sanctus paucis priusquam infirmaretur diebus eum rogavit, ut sibi pedes aqua calida lavaret. Miratus ille petitionem tam insolitae rei; nam nec ab itinere rediens permittebat, ut quisquam sibi pedes lavaret; prompte paruit. Lavanti autem Sanctus dixit: *fieri potest, ut aegrotem, mihique oleum sanctum sit ministrandum; quo casu expedit pedes habere mundos.* Proximo vero dominico die decubuit aeger, et postea extrema unctio ministrata ei est. Ipso quoque dominico die paucis antequam decumberet horis, egressus ad eleemosynam corrogandam, accessit ad singulas suorum devotorum aedes, omnes visitans magna cum charitate: tantum in una earum cuidam infirmae dixit, ut praepararet se, quia ambo ingressuri erant magnum iter: et ambo eadem hebdomada obierunt. Denique, ut in processu historiae videbitur, diem et horam exitus sui distincte praedixit. »

XL. » Sanus fuerat toto dominico illo die: sub noctem vero sensit calentem febrim cum lateris dolore; quem tamen dissimulavit, usquedum proximo lunae die illucescente, religiosus quidam videns cunctari Sanctum, nec aperiri ecclesiam, venit ad cellam eius et dixit: veni, frater, ecclesiam aperi, quia iam tempus est. Cui ille, *has*, inquit, *claves accipe, frater, et ecclesiam operi: non possum ipse, quia infirmus sum.* Accurrit ad guardianum frater, eique rem indicat. Guardianus medicum accersiri iubet, qui curationem a sanguinis missione exorsus, mandavit culcitram aegro et lodices sterni: quod licet recusaret Paschalis, permittere tamen propter obedientiam debuit, quin et indusium lineum induere; ita tamen, ut dilectus sibi habitus ab oculis eius non auferretur. Crescebat interim violentia mali, cuius tamen indicium nullum dabant gemitus, querelae, suspiria, ac ne motus quidem ex una in alteram partem, quamvis angustias tantas pateretur, ut non solum vox, sed etiam respiratio quandoque interclusa videretur. Nunquam ille solatium aliquod, sicut aegri passim, nunquam cibum aut potum petiit, praeterquam postrema nocte, ut in agonia robustior descenderet. Solum ergo deficere Sanctum notabiliter ex pulsu arteriae, et ipsius corporis debilitate patebat, medico supra modum admirante, quod cruciabiles istas lateris affecti puncturas non saltem motu corporis pro-

Digitized by Google

deret. Tantumque aberat a quaerendo solatia, ut aquam subinde ad refrigerium offerentibus diceret, necessariam haud esse. »

XLI. » Aderat eo loci definitor provinciae fr. Didacus Castellion, qui et amicus Sancti familiaris et guardianus aliquando fuerat. Hic discessurus Valentiam, ubi morabatur, cupiebat primum certificari utrum ex ea infirmitate moriturus esset Sanctus; tali casu mansurus ibi ad mortem et sepulturam eius spectandam. Id ipsum ergo sine ambagibus ex illo quaesivit: et Sanctus consueta sibi simplicitate respondit: *quod non ante sabbatum:* idque ipsum postea pluries respondit; diem tamen et horam discrete reticens. Sed et in hoc, ut sui oblivisceretur aliquando, voluit Deus: cum enim fr. Alphonsus Camacho infirmarii tunc munere fungens, dixisset: admone me, frater, qua hora moriturus es, ut habitum tibi tuum reddam, in quo expires. Sanctus cum id se facturum promisisset, quamvis et veneris et sabbati dies iam transiissent, habitum tamen non petebat: illucescente autem dominico die quo obiit, magna cum instantia eum petiit ab iis qui aderant religiosis. His vero sese subducentibus, ne eo motu mortem ei accelerarent inter manus suas, ipse una ante illam hora surrexit de strato, solusque se vestire coepit. Superveniens autem infirmarius iuvit eum, et intellexit hanc esse horam, quam eo signo indicandam promiserat. Notabile porro est, quod cum die quadam indicasset medicus, morbum lethalem et videri ultimam fore; ipseque responderet, nullum sibi laetius posse accidere nuntium, qui multis annis eum concupiscenter optaret, *sed de die*, inquit, *mortis quid videtur? quando is erit?* respondit medicus verosimile sibi ex morbi processu, quod die veneris: cui Sanctus; *non*, inquit, *ante sabbatum aut ultra; quando Deus voluerit.* Haec tam prudens et circumspecta responsio definitori qui valde premebatur, persuasit fieri posse, ut longiori adhuc tempore vita Sancto protraheretur, ipseque interim sua Valentiae negotia expediisset; itaque abiturum se dixit. Quo intellecto, *ne eas*, inquit Paschalis, *nec enim poteris.* Manebat tamen ille constans in proposito discedendi, et ibat; cum tanta ei tibiae unius contractio omniumque membrorum convulsio advenit, ut in proxima cella decumbere coactus sit, iam se mori ratus: unde inter manus religiosorum revectus ad cellam propriam, tota ea nocte stupefactis sensibus quasi lethargicus mansit, sicut tempore catarrhi generalis: mane autem alleviatus, intellexit Dei voluntatem esse, ut maneret, sanctique viri exitum felicem praesens videret. »

XLII. » Crescebant dolores, et decrescebant vires Sancto: ergo extrema sibi dari sacramenta petiit, et singulari cum devotione suscepit. Tum sepulturam corpori suo petiit, et accersito guardiano tradidit ei diversarum indulgentiarum grana benedicta, quae habebat veteri involuta panniculo, petentibus distribuenda, et dixit: *quia brevi non erit tempus, frater, quo declarare tibi possim horum granorum indulgentias, volo eas manifestare charitati tuae.* Quibus sigillatim explicatis, etiam tradidit ei precatoria sua serta rosario iniuncta, dicens: *hoc Trinitatis est, istud Adriani, aliud vero generalis etc.* Eodem tempore veniebant ad eum plurimi ex urbe primarii, qui valedicentes, benedici sibi ab eo petebant: quod citra excusationem devote largiterque faciebat, commendando enixe eis servitium Dei, et curam pauperum. Optabat tamen esse solus, et hoc ipsum saepe inculcaverat sanus: sed non potuit ita omnibus se excusare, praesertim fratribus extremum videre et alloqui tam dilectum fratrem cupientibus: qui licet aegre vocem formaret, dicebat tamen singulis aliquid quod eis magis necessarium erat. Cuidam ergo enixius postu-

lanti consilium aliquod ad salutem obtinendam: *vellem*, inquit, *frater, prolixius tibi loqui si possem: in summa dico: cave arctiores cum mulieribus amicitias iniungere, et serva ad litteram s. p. Francisci regulam: hoc faciens sine dubio salvaberis.* »

XLIII. » Tandem dominica Pentecostes illuxit, cum habitum petiit, sumpsitque, ut dictum est: in lectum autem reclinatus quaesivit identidem a quodam religioso, num datum esset signum campanae ad missam maiorem: quo denique respondente datum esse, magna cum laetitia videbatur eam vocem excipere, tamquam certum transitus sui felicis indicium: totusque in crucifixi cuiusdam imagine defixus, instanter petiit, ut se humi sternerent, cupiens scilicet eodem quo s. Franciscus, modo expirare: sed hoc ei concessum non est. Tenens ergo rosarium manibus innexum, subito coepit alta voce clamare: *Iesus, Iesus,* seque signare, et adstantem religiosum rogare, ut benedicta aqua conspergeret tum ipsum, tum cellam universam; eo ipso satis indicans, aliquid terrificum et malignum suis oculis obiici. Denique intra decimam et undecimam horam, eodem momento quo sanctissimum sacramentum elevabatur a sacerdote solemnem missam celebrante, maxima cum quiete ac renidenti vultu, animum suum reddidit creatori die XVII. mensis Maii anno Christi MDXCII. aetatis suae LII. cum annis XXVIII. in religione vixisset. Defuncti gloria mox revelata est duabus huius provinciae et regni personis perquam celebribus opinione sanctitatis: quibus in diversa loca distractis, monstravit Dominus animam Paschalis, instar Eliae, curru igneo subvectam. Una earum (cuius utpote viventis reticetur nomen) fr. Didaco Castellion in confessione dixit, quod hanc revelationem habuerit in campo: interrogata autem, corporaliter ne an spiritualiter id vidisset, respondit se quidem eam vidisse corporalibus oculis; cum autem hos clausisset experimenti causa, spiritualiter tamen eamdem visionem perseverasse. Alterius testimonium eo credibilius evadit, quod cum antea nunquam Sanctum viderit, omnia tamen vultus in ea visione a se conspecti corporisque lineamenta perfectissime descripserit: neque admiratione caret, quod utraque ad eumdem confessarium ex diversis locis advenerit, eamdem visionem revelatura. »

XLIV. Ipsius s. viri corporis vultusque habitudinem ita descripsit laudatus Ioannes Ximenez eius familiaris. » Fuit, *inquit*, fr. Paschalis statura mediocri, optime conformato, vultu non formoso quidem, sed gratioso, delectabili, et amoeno, rotunda fronte, et utrinque versus tempora elevata, cum duabus aut tribus rugis nonnullaque calvitie. Oculi cerulei, parvi, profundi, alacritatem, vivacitatemque sic praetendebant, ut modestiae honestatique congrue decederet nihil. Palpebrae rugosae et nigris praecinctae ciliis, oculorum exilitatem obscuro illo suo colore supplebant. Supercilia arcuata et minime subtilia; nasus altus, modicus beneque formatus; os mediocre erat; sub hoc infraque sinistrum labium apparebat cicatrix, quae ipsum aliquantulum contrahens, nullam addebat vultui deformitatem, sed efficiebat, ut semper videretur subridere. Mediocritatem non excedebant aures; genas honestus rubor, vultum reliquum color fuscus quidem, sed tamen perquam vivus tingebat. Collum grande una alterave ruga contrahebat; barba non admodum densa, canitiei aliquid habebat mixtum. Manus et pedes perquam bene proportionati callos grandes induerant; hi quia iis semper nudis ambulabat; illae ex multiplici operis gravi assiduoque labore. Caro ei plena erat, sed exsucca; vires firmae et sanitas integra usque ad quinquennium, vel sexennium vitae ultimum. »

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1592.	anno 1.	anno 15.	anno 385.

XLV. Porro viri Dei corpus eodem cum colore ac vultu tam vivido, speciose, flexibileque remansit, ut iam non vita functus, sed velut dormiens videretur. Hinc cum Deus eiusdem viri sanctitatem multis mox defuncti patentibus signis confirmasset, Praetor et Iurati Villae Regalensis totius universitatis nomine hoc anno amandarunt Ioannem Iorda velut syndicum et procuratorem ad episcopum Dertosensem, ut iuridicam informationem actuum vitae, mortis, ac miraculorum Beati instruere diguaretur. Petitis annuens episcopus, Hieronymo Gascò parocho ac vicario perpetuo Villae Regalensis, ac priori s. Thomae ordinis praedicatorum misit, ut negotium istud conficerent, ac inde referrent, hisce datis litteris.

Nos Gasparus Punhes, Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Dertosensis etc. dilectis nobis in Christo Hieronymo Gascò presbytero et vicario perpetuo ecclesiae parrochialis oppidi de Villa-real, officiali foraneo villae et stationis Almanzorae, et priori monasterii s. Thomae ordinis praedicatorum s. Dominici villae Castellionis planitiei nostroe Dertosensis dioecesis, salutem in Domino, et in commissis debitam adhibere diligentiam.

Noveritis quod coram nobis hodierno die comparuit magnificus Ioannes Iorda notarius, civis dictae Villae Regalis nostrae dioecesis Dertosensis, et alter ex iuratis dictae Villae anno praesenti: et nobis dicto nomine iurati obtinuit et praesentavit quamdam scriptam papyri supplicationem, schedulam sive scripturam, in eo super qua quidem scriptura informationem recipi supplicavit. Nos vero volentes in et supra praedictis rite et legitime procedere, prout tenemur, quia rerum probatio de iure est differenda; ideo dicto Iorda instante et requirente, tenore praesentium vobis dicimus, committimus, et mandamus, quatenus nostra ex parte et pro nobis, omnes et quoscumque testes quos pars dictorum iuratorum de Villa-real dare et producere voluerit in super probandis contentis in dicta papyri schedula, quam vobis ad partem clausam et sigillatam mittimus, ac de vita et moribus dicti fr. Paschalis Baylon, et de per eum gestis, illos ambo simul et diligenter recipiatis et examinetis, medio iuramento et notario publico et idoneo vobis bene viso interveniente, interrogando eosdem testes super praedictis, ac de scientia, et causis scientiae, et aliis circumstantiis in similibus interrogari solitis. Quorum quidem testium dicta et depositiones scripto traditas et nemini ostensas, nobis per fidum latorem confestim mittere procuratis, significantes nobis vestris cum litteris responsivis, quae, qualis, et quanta per nos ipsis testibus fides sit adhibenda. Testes vero qui a vobis nominati fuerint, si se gratia, odio, amore, vel timore, vel favore subtraxerint, cogatis per censuram ecclesiasticam veritati testimonium perhibere, quoniam nos vobis in et super praemissis plenarie committimus vices nostras.

Datum Dertosae die 1. Decembris MDXCII.

G. episcopus Dertosanus

S. Marti notarius.

XLVI. His acceptis litteris, concredito muneri solicite manus admoverunt, ac quae de fr. Paschalis virtutibus ac prodigiis vulgata erant, rite expenderunt. Missis ipsius beati viri virtutibus, de quibus decessores nostri et nos in annalibus fusiori oratione egimus, de prodigiis dumtaxat hic sermonem instituimus, excerptis ab actibus episcopali Dertosana auctoritate confectis. Potiora

ex laudato Ioanne Ximenez ferme ad verbum notamus; nam centum septuaginta quinque fuisse ab eis adnotata novimus ex Christophoro de Arlia postero Beati viri scriptore. Ac primo quidem ea quae evenerant, cum triduo in ecclesia populorum frequentiae ac venerationi pateret.

Acta ss. pag. 125. num. 130.

XLVII. Baptista Cebollin Castellionensis ecclesiam matutino tempore ingressus, claudicans et fuleris innixus, post manus Beati osculum, rectus illico incessit, factumque in se miraculum pleno ore divulgans. In spem huius miraculi erecti Ioannes Simone, et Maria Ferrer coniuges eiusdem loci, ad Beati corpus adducunt filiolam Catharinam ab annis multis tumoribus ovorum ad instar in fronte, brachio, ac pede affectam. Dum solemne sacrum operabatur, mater discooperiens plagas filiae suae, eas inungebat sudore accepto a vultu et collo Beati, ex quibus continuo emanabat. Cum elevaretur sacra hostia a sacerdote, subsiliens pater laudatae filiolae exclamare coepit: *bono animo, bono animo simus. Miraculum! miraculum! fr. Paschalis oculos aperit.* Editis his vocibus, caeteri qui aderant, cadaver versus se convertentes, ipsius Beati oculos apertos viderunt ad calicis etiam elevationem in altare defixos, usque dum calix repositus esset a sacerdote super corporale. Eo in instanti puella convaluit ita, ut nullum in ea infirmitatis signum remanserit.

XLVIII. Prodigii fama per finitima loca vulgata, eo plures infirmi convenichant valetudinem se fore adepturos sperantes. Isabella Cano in primis quae cum distortum humerum haberet, brachio nec uti poterat, nec ipsum elevare, nisi alterius auxilio; quinimo aliorum tactum prae nimio dolore etiam reformidaret, propere accurrens ad b. Paschalem, ad feretri contactum illico brachium pro lubitu civit. Ursula Mascarell in tibiis foede exulcerata, nec deambulare, nec quidpiam operis agere poterat; at accedens ad ecclesiam coenobii, et perlinitis sacro illius corporis humore plagis, domum rediit, nullo vel levissimo tam horribilium plagarum vestigio apparente. Ab inveterato viginti ab hinc annis affectus tumore in collo sensim liber evasit quidam vir Arcis Lunzola dictus, ut manum Beati eidem tumori admovit. Peruncta sudore ex vultu manante Beati, diu pluribus cruciata doloribus perfecte convaluit Caecilia Miro in manum altera, quae frustra antea agentibus chirurgis, humida valde remanserat.

XLIX. Balthassar Rubert cum pluribus ab hinc mensibus prae nimio sanguinis in oculo affluxu debili esset visu, morbum repulit, vix oculis suis b. Paschalis manum admovit. Ad Beati manus osculum mox oculum aperuit Iosepha filia Petri Ferrandiz, cui totius anni tempore tam male affectus fuerat, ut clausum haberet omnino. A foedo apostemate in sinistro oculo ad instar ovi columbini, libera penitus extitit Beati manum osculo Gratia Moreno, uxor Petri Costa Villae Regalensis; et Sperantia Vaciana divinum implorans auxilium coram Beati corpore, experta est illico suppressionem molesti rheumatismi, qui per unum oculorum diffluebat, et vultui suo foeditatem afferebat.

L. Ferventi oratione ante Beati corpus effusa, Ioannes Simon Montero immunis nocte insequenti evasit ab incurabili hernia, a qua dire ab annis quadraginta afflictabatur; et Beati manus osculo a simili morbo, quod tulerat ab annis triginta, incolumem sese reddidit Christophorus Lobet civis Valentinus. Maria Calveria uxor Hieronymi Nieto sexagenaria, viribus ita consumpta, et asthematico morbo perculsa, ut nec ad viginti passus procedere absque maxima defatigatione valeret. Octenni puerulo comitata, coepit inire viam Villam Regalensem versus, b. Paschalis pedes osculatura; quam sine molestia plenius

Digitized by Google

absolvit, illosque exosculans, ab asthmate liberatur, ac deperditas vires recuperat. Catharina Castellana, ut sancto corpori brachium suum quod morbo movere haud poterat, admovit, subito sanitatem recepit.

LI. Helena Gilabert incola Villae Regalis, annos numerans viginti duos, cum a sexennio vel decennio intumescentem digitum haberet, a quo per plures fissuras copiosa sanies effluebat, ut nec ipsamet infirma nimium foetorem tollerare posset, invocato Paschalis nomine, et imposita digito eius tunicae particula Beati, dimisit eam febris qua lecto affixa erat, et fissurae digiti convaluerunt. Rediit loquela et valetudo Bernardo Bartor quadragenario, continua febri et lethargo laboranti, ut pia mulier capiti eius imposuit linteolum madefactum ex miraculoso sudore vultus eiusdem Beati. Ioanna Domingo sexagenaria, quinquennio sinistro crure clauda, et in osse sacro disrupta, adducta aegre ad Beati feretrum, post datum manui osculum, et in genua se, quod quinquennio facere nequiverat, demittens, ipsum os dislocatum in suam se recepit iuncturam, et quod fractum erat, perfecte consolidatum.

LII. Huiusmodi linteoli sacri usu plures infirmi sanitatem recuperarunt. Isabella Ioanna Guerra agricola Villae Regalis, quae a triennio gravi pectoris dolore affecta neque dormire, nec comedere, nec bibere poterat, linteolum suo pectori imposuit, et bene se habere sensit. Capitis interim dolore supra modum cruciata eadem mulier, ipsum linteolum quod penes se habebat, capiti admovit, et illico libera evasit. Simili linteoli contactu convaluerunt duo pueri eiusdem oppidi, febribus afflicti.

LIII. Tibiarum vulnus peramplum, quod aegre ferebat duobus ab hinc annis Vincentia Perez, sanatum fuit manu Beati eidem vulneri admota. Ab incurabili narium infirmitate post manus pedesque sancti viri osculum immunis reddita est Ioanna Pitarque, et altera Angela Bona naribus suis digiti eiusdem Beati tactis.

LIV. His aliisque fermo innumeris insepulto per triduum corpore, a christifidelibus b. Paschalis intercessione consequutis, ut ingens populorum eo affluentium accursus vitarent fratres, sacram Beati exuviam tumulo mandare voluerunt sub concavo altaris conceptionis Deiparae, ubi flexis genibus ferventes preces fundere solebat Beatus. Capsae imposito vivae calcis quantitatem superiniecerunt, ut cito consumptis carnibus, ossa nuda haberentur et candida. Cum tumularetur, fr. Iacobus Morales confessarius Beati liber evasit a gravi rheumatismo, qui a sexto mense guttur eius ac pectus oppilaverat, suspensa in collo particula rescissa ex fune, quo Beatus cingebatur. Octavo post obitum mense, privata auctoritate a Francisco Ximenez provinciae ministro reserato tumulo, eius corpus quod suavem odorem efflabat, flexibile in carne, licet calce perfusum, cum integris oculis, naribus, labiis, barba, collo, ventre, ac manibus repertum fuit. Biennio post Didacus Castellionensis item provinciae minister, illud reperit nonnulla ex parte violatum, consumptis calce vestibus. Altero tempore eo reserato desiderati fuerunt ambo pedes, sera resecti. Hinc lata a maioribus contra raptores excommunicationis sententia, iidem restituti, ad sectionis locum aptati fuere.

LV. Sepulto igitur b. Paschalis corpore, innumeris illico et prodigiis inclaruit. Praecipua notamus. Catharina Sala agricola Almanzorae, quae ex alto retrorsum super acervum lignorum lapsa dorsi spinam circa os sacrum fregerat, et utriusque comminutionis partes in modum crucis ita discuneatae fuerant, ut extrorsum prominentes, corpus misere instar globi erat convolutum; delata

ad coenobium Villae Regalis, confracta ossa illico in suum se reduxerunt locum, dum ante Beati sepulcrum intense orabat. Liberum se reperit fr. Ioannes Sanchez de Arguelles, incola coenobii Villae Regalensis a gravibus febribus, et dolore capitis, imposito eius capiti pileolo b. Paschalis. Viri sancti pelliculam qua solitus erat ad pedes tempore infirmitatis uti, pectori admovens Salvator Sola Villae Regalensis, gravissimo asthmate a sexennio affectus, mox sanus redditus est, et ambulans per cubiculum coepit exclamare: *bone Iesu quid est hoc? o sancte frater Paschalis! ecce iam sanus sum.* Sandalium Beati contactu mox convaluit Iacobus Aviniente Iuratus Villae Regalensis, qui ab anno MDLXXXV. ventre tumente colicos dolores pati gravissimos coepit ex urinae suppressione. Eodem in instanti eiecit etiam calculum cum magna arenarum copia. Iacobus Saera incola Useras pleuritide ita laborabat, ut vita periclitaretur, additis interim febribus et doloribus permultis; at beneficio particulae habitus Beati, altero post die surrexit de lecto bene validus. Eugenia Nicola, puella Salvatoris Sola Villae Regalis post sextum a sui nativitate mensem rupta ex una parte intestina, ad volumen ovi gallinacei protuberabant; eius pater filiae sanitatem a Beato devote deprecans, die sequenti sanam parvulam mater invenit.

LVI. Pileoli ipsius Beati contactu perfecte convaluit Claudia filia Petri Serratinae Villae Regalis, quae ab octo annis cum vitae suae periculo variolis simul ac pustulis pestilentibus affecta erat; interim videndi quam abstulerat morbus, potestatem recuperavit. Eodem pileolo sanata fuit ab inflato interius gutture Francisca Montanez; ipsa enim nocte disrupto apostemate, mirabilem copiam purulenti humoris eiecit, et paulatim convaluit. Michael Vicente ob acutam diuturnamque febrim, medicorum iudicio morti proximus, sanus e lecto surrexit vix ei exhibitum quem petierat, eumdem Beati pileolum. Ipsum enim fr. Franciscum Ximenez hemicraniae dolore correptum ob nimium in scribendo vitae Beati studium, vi cuius nullam quietis horam capere valeret, extemplo sanatum fuisse fatetur, frustulo ipsius habitus parti dolenti apposito. Febris gravis illico etiam evanuit a fr. Francisco de Torres amanuensi laudati Francisci, vix pileolo viri Dei suo capiti admoto. Ioanna Costado annos nata viginti, collapsa ex maceria domus suae ita lumbos fregerat, ut impedita fuerit aliquid operis facere, accedentibus interim die nocteque cruciatibus. Hinc accepta particula habitus Beati, et parti offensae posita, eodem instanti ab omni cruciatu libera fuit. Oleo lampadis ante sepulcrum Beati collucentis quo se ungebat Hieronyma Trullench, annorum duodecim puella, ab apostemate, unde continuo manabat humor in oculo, libera evasit, usumque oculorum obtinuit. Iacobus Ripolles incola Cabanes prae nimio in agris labore, ruptus in inguine uno, novendio in honorem Beati expleto, partis integritatem obtinuit. Similia per novendium huiusmodi consequutus est Petrus Pasqual annos octodecim natus, male affectus in cruribus, maxime circa iuncturas; nam die ultimo ipsa crura apparuerunt ab omni tumore libera.

LVII. Anna Hernandez Almanzani nata ab atrae bilis abundantia anno MDCCII. ita afflictabatur, ut die nocteque eam prosterneret saepe, sensuum usu privaret, totoque corpore tremisceret, olim et os rubie tumidum haberet. At excipiens allatam sibi vestem Beati, ac ei seipsam commendans, beneficium sanitatis accepit; curavit postea ex serico faciendam thecam, ubi sacra Paschalis vestis occluderetur. Bernardus Lopez cui ex lapsu collum contortum apostema fecerat, pristinam rectitudinem, flexibilitatemque recepit, et apostema illico ad illius

Digitized by Google

vestis contactum detumuit. Ex iumento lapsus periculosum vulnus in caput acceperat Augustinus Moreno, vi cuius valetudo eius desperabatur. At mater eius Petronilla admovens filii collo frustulum vestis Beati, intra paucos dies, summa chirurgorum admiratione, perfecte convaluit. Anno MDXCIII. Isabella Gonzalez septem annorum puella, ex nato super oculum dexterum tubere, quod subinde totum vultum, collum, ac pectus inflaverat, medicorum iudicio certo meritura credebatur. At ei de nocte imposito Beati habitu, statim obdormivit, et mane experrecta, oculum suis manibus reclusit, adstantibus dicens, se cum illo clare videre.

LVIII. Haec et alia, quae vix duorum annorum curriculo b. Paschalis intercessione evenerunt miracula, iuridice expensa, ad episcopum Dertosensem retulerunt commissarii sequenti epistola praemissa.

Illustrissimo ac reverendissimo dd. n. Gasparo Punhes Dei et apostolicae sedis gratia episcopo Dertosensi, Hieronymus Gascò presbyter, vicarius perpetuus ecclesiae parochialis villae de Villareal etc. et fr. Bartholomaeus comes monachus prior monasterii, seu conventus s. Thomae etc. cum debito honore et reverentia, ut decet, salutem.

Insequentes complentes, et hoc in effectum deducentes contenta in quibusdam de testium receptione litteris per magnificum et discretum Ioannem Iorda nomine in eisdem litteris contento impetratis, sigilloque curiae vestrae dominationis in earum dorso cera rubea impresso sigillatis, nobisque per dictum Ioannem Iorda notarium dictae villae Villae-regalis vicinum, die XIV. mensis Ianuarii MDXCIII. praesentatis, et per nos cum eis, quibus par est, humili obsequio et subiecta reverentia, quae datae fuerunt Dertosae die 1. mensis Decembris an. a nativitate Domini MDXCII. mediante Ioanne Iorda notario praedictae Villae, per nos ad praedictam testium exceptionem specialiter assumpto, omnes et quoslibet testes, quos dictus Ioannes dicto nomine dare et producere voluit, diligenter recepimus, eosque de scientia et causis scientiae, et aliis circumstantiis in similibus interrogari solitis interrogavimus. Quorum quidem testium depositiones in scriptis redactas neminique ostensas, clausas, et sigillo meo et d. Hieronymi Gascò in cera rubea in earum dorso impresso sigillatas per praesentium latorem mittimus, significantes vestrae dominationi, quod ipsi testes sunt vitae, famae, et conversationis optimae et honestae, et tales, ut proculdubio eorum dictis et expositionibus plena, ut pie scire atque intelligere possumus, adhiberi valeat fides. Et exinde tamquam obedientiae filii, nos mandata vestrae dominationis insequi, et complere quam libentissime parati etc.

Datum in dicta villa Villae-Regalis die VIII. mensis Augusti anno a nativitate Domini MDXCIV.

Fr. Bartholomaeus comes prior
Hieronymus Gascò presbyter
Ioan. Hieronymus Iorda notarius et scriba.

LIX. Post haec aliis signis ac prodigiis eximiam fr. Paschalis sanctitatem dignatus est Deus variis locis palam demonstrare. Anno enim MDXCV. videndi facultatem ad Beati sepulcrum consequutus est Petrus Fuster Lucensis, cui ante duos annos oculorum acies hebetaverat. Isabella Alvera post editum foetum assiduis lumborum ventrisque cum valida febri tormentis vexabatur; at invocato Beati nomine, dum ei imponebatur de nocte ipsius habitus particula, eadem

Acta ss. pag. 85. et seq.

Digitized by Google

nocte omni morbo caruit. Morti proximae prae nimio lateris dolore ac febribus Sperandiae Raphael mulieri Valentinae allatus est Beati habitus, qui cum ei impositus fuisset, rediit statim in se, oculos aperuit, et loqui incoepit. Inde edito voto, cum se commendasset Beato, eadem nocte eidem apparuit his dicens: *eia Domina*; et statim perfectam sanitatem obtinuit, ac festina ad eius sepulcrum se contulit. Michael Altemella adhuc quinquenuis, fortuito illapsus in aquam prope molendinum, aquarum violentia in eius canali ferebatur. Quem videns mater iam sub aquis demersum, b. Paschalem pro filii incolumitate invocavit: illum in aqua requisitus, sanus ac salvus sine ullius laesionis vestigio repertus fuit. Urinae continuae effluxu exinde caruit, visitato B. corpore Iacobus Adell iuvenis annorum duodevigiati; corpori eiusdem Beati exhibitus Petrus puer filius Gabrielis Clarà oppidi Almanzorae, dextera in parte hernioso, cui intestina ad ovi similitudinem erumpebant, nullum in eo prioris mali signum mox apparuit; post Beato preces fusas a moniali clarissa Castellionensi Gratia nomine, illico ab ore eius molestum carnis accrementum, antea saepe frustra recisum chirurgorum auxilio, evanuit.

LX. Caecilia Zorbina mulier Benicarlensis, paralysi correpta, media sui corporis parte a capite ad pedem praeclusa remanserat, omni usu brachii cruisque ita impedito, ut forficibus ea incisa, nec sensum nec humorem darent, nec caro quidem ibi iam superesse, sed sola ossibus pellis obducta videretur. At fama miraculorum Beati excitata, tam magnam erga eum fiduciam concepit, ut duorum mensium spatio identidem somniaret se ab eo fore sanaturam. Dormienti tandem Beatus apparuit, mandans expresse, ut Villam Regalensem se conferret, si vellem salutem recuperare. Hinc die XVI. Octobris an. MDXCV. conventum fratrum eiusdem oppidi petens, fratrem Iacobum Morales rogavit, ut aliquam Beati particulam afferret, suoque corpori male affecto imponeret. Attulit ille catenam, pileolum, et Beati chordam, quibus eius corpori admotis, integram sanitatem obtinuit; mirandum prae omnibus fuit, carnem infirmi lateris paullo ante nullam, subito tam plenam apparuisse, ut in nullo differret ab illo alterius lateris, nisi candore ac mollitie, utpote nova ac recens. Assequuto prodigio die XIX. eiusdem mensis, de mane Benicarlum advenit, ubi incolae ad eam excipiendam ac videndam pro rei novitate accurrentes, non sine lacrymis Deo gratias egerant. Iacobus Vives de Useras oppido, octodecim annorum adolescens, mente captus, ut catenis aliquando constringendus foret, precibus Deo effusis in Beati honorem a matertera sua Sperantia Mascaros, sano iudicio redditus est.

LXI. Hieronyma Pastora Castellionensis enixa, magno cruciatu ac dolore, foetum omni sensu motuque expertem, imo et gelidum, spopondit Beato se ituram ad sepulcrum eius, si huic mortuo foetui tantum vitae daret, ut sacro baptismate regenerari valeret; natus illico oculos aperuit, et baptizatus, integris quinque diebus vixit. Tres ferme horas gravissima febri, aliisque accidentibus letiferis correpta fuerat, motus interim et anhelitus expers Vincentia Maxiana sex mensibus nata, quae cum pro mortua haberetur, sepulcrale linteum pro corpore parabatur involvendo. Moesta mater in hortu domus suae se recepit, et gemitu ac eiulatu in terram provoluta, deprecabatur Beatum, ut mortuam filiam, vivam sibi redderet. Domum inde ascensa, vivam filiam ac bene valentem invenit.

LXII. Hinc cum in dies ob miraculorum frequentiam aucta esset erga Beatum christifidelium devotio, plura ei exhibita fuerant indubii cultus specimina. In

Digitized by Google

primis Paschalis exuviae e sacello immaculatae conceptionis quo iacuerant, translatae fuerunt ad latus evangelii aree maioris, ubi universitatis Villae Regalensis impensis erectum fuit in sui honorem oratorium, non adeo tamen accomodum, ut eo confluentium numero plane sufficeret. Quare provinciae patrum decreto aedes huic sacello contigua instructa fuit, ut cunctis ipsius Beati arcam per crates ferreas pateret. Obviat in eo sacello sepulcrum alabastrinum pretiosissimum, opibus elaboratum pientissimi Caroli Borgia Gandiae ducis, trium in domo sua miraculorum erga Beatum debitoris. Horum primum fuit foecunditas concessa uxori suae Artemisiae Doria; alterum eiusdem partus prodigiose expeditus; postremum quod idem filius Cymba in flumen s. Nicolai Gandiensis ingressus, et capite in aquis casu delapsus, visus inde fuit pedibus super aquas incedere, auxilium ei praebente quodam fratre discalceato, qui sine dubio fuerat Beatus. Arcam argenteam Beati miro artificio instructam, faciendam curavit Ferdinandus Ferrer eques Valentinus, cui ad extremum adducto, famulae suae precibus Beato effusis, vita servata fuit. Ad sacelli latera tabellae minores ac maiores, ac anathemata plene innumera miraculorum, lampadibus argenteis interim ante arcam continuo collucentibus, inspiciuntur.

LXIII. Cum igitur Deus tot tantisque prodigiis gloriosum reddidisset beati viri sepulcrum, ad quod undique confluebant utriusque sexus fideles, episcopi, archiepiscopi, optimates, principes, et ipse Philippus III. Hispaniarum rex cum aulicis suis, vel eius exuvias veneraturi, vel reliquias postulaturi, vel ei grates pro acceptis beneficiis acturi, idem Philippus rex supplices litteras dedit ad Paulum V. pontificem, ut pro muneris sui ratione b. Paschalis processum instituere dignaretur. Quibus indulgens pontifex, die XXII. Iunii anno MDCXX. sacr. rituum congregatio ex pontificis mandato remissoriales litteras ad episcopos aliquot regni Hispaniarum misit pro conficiendis processibus, quos vocant, in genere super virtutibus ac miraculis b. Paschalis.

LXIV. Dum haec in Urbe apud s. r. congregationem agebantur, audiri inceperunt ex area Beati quaedam insuetae percussiones, quo toties iteratae admiratione plurimos afficerunt. Eas primo audivisse fr. Didacum Baylon Beati neptem, iuvenem puritatis et sinceritatis vitae eximium, ante sepulcrum patrui sui orantem, cui omnem rei a se gestae successum prosperum aut adversum in dies, velut viventi narrabat, aperte novimus ex actis pro eius canonizatione confectis. Cunctis quadam die ei de more relatis, gravem extemplo ad instar hominis convolventis, insimulque suavem pulsum ex arca percepit, animia tamen animi consolatione repletus. Verum licet et alii plurimi inde idipsum tum in imaginibus, tum in tabellis, tum in reliquiis, tum ad Beati invocationem experti fuissent, non defuerunt tamen aliqui, qui de eius veritate dubitarent. At tot mirabilium testimonio virorum tum pietate, tum doctrina praestantium veritate comprobata, apud omnes inde invaluit opinio, eos pulsus divinitus destinatos esse ad praesagia mali, vel boni alicuius adventura. Eorum tamen effectus tam varii sunt, quam inscrutabiles; universim vero observatum est, grandiores pulsus laevorum; moderatiores autem successuum felicium plerumque indicia fore. Aliquando evenit, ut praesentibus multis, audiantur a paucis. Aliquando audientes interius recreant, aliquando reprehendant, ac ad poenitentiam et ad devotionem suaviter excitent.

Acta ac. pag. 103. n. 42. et seq.

LXV. Aliqua in primis, quae infausta ex gravioribus pulsibus subinde evenire notamus. Anno MDCXL. in mense Octobri ad Beati sepulcrum auditi fuerunt frequentes magnique fragores ad instar igneae balistae per dies quatuordecim,

Digitized by Google

maxime vero in die s. Andreae apostolo sacro. Post haec innotuit Lusitanum regnum a regis obedientia defecisse. Unicum etiam Ioannes Puego sacerdos orans ad Beati sacellum validum pulsum intellexit, qui paullo post cognovit mulierem ignea balista occisam. Nocte praecedenti obsidionis civitatis Dertosanae a copiis gallicis peractae, centum viginti sex fortes pulsus numerati fuerunt.

LXVI. Leves vero motus ad significanda eventura felicia notantur. Praecipuos commemoramus. Indictis publicis supplicationibus ab archiepiscopo Valentino atque a Philippo IV. rege pro pace ineunda Hispanos inter ac Anglos, cum in ipso ecclesiae fratrum Villae Regalis introitu decantarentur preces illae: *ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris*, ex Beati arca pulsus levis perceptus fuit, qui omnium animos in spem erexit id assequendi, quod postulabatur. Paullo post inita fuit et firmata inter eos concordia. Factum iuramento confirmavit Albertus Perez presbyter Villae Regalis. Octies pulsus iteratus fuit ad idem sepulcrum, dum Galliarum copiae Tarraconensis et Ilerdensis civitatis diram diuturnamque obsidionem solverunt.

LXVII. Ad devotorum solatium pulsus editi fuerunt ex eadem area. Gratiam quam Beati intercessione petierat a Deo, obtinuit fr. Franciscus de Benavante provinciae s. Ioannis Baptistae discalceatorum minister, post auditum intra eam levem pulsum. Iisdem signis expertus fuit Thomas Mas Villae Regalis quoddam suae familiae negotium bene successurum; Magdalena Iordan sanitatem a parentibus recuperandam; Francisca Cabrera post sexennii sterilitatem filiam sibi ex coniugio obventuram.

LXVIII. Francisca Ybanez postulans a Beato medelam morbo scabiei, quo affecta erat in collo filia eius recens nata, ex eodem pulsu cognovit, filiam fore sanandam; quod et evenit. A brachii curatione securus redditus fuit iisdem pulsibus quidam iuvenis Villae Regalis; Gaspar Gali carmelita a diuturna; et Iosepha de Mas a gravi contra fidem tentatione. Iuvenis quidam perditae vitae Romam proficiscere volens, audito grandi pulsu ex Beati sepulcro, licet reluctans, confessionem emisit, et iter suum laetus inde arripuit. Dum iuvenes aliqui in ipso Beati sacello procaciter fabulantur, ex Beati corporis motu quasi sese anxie versantis, iusto terrore percussi, culpam cognoverunt suam, et in terram prostrati, veniam humiliter a Beato petierunt. Poenitens peccatum in confessione sacramentali reticens pulsu Beati corripitur, et ad emendationem perquam perditae vitae ad sincere se confitendum adducitur.

LXIX. Ex sacris reliquiis et Beati imaginibus crebri constantesque pulsus percipiuntur. Francisca de Ortega nobilissima femina in Beati imagine picta in ecclesia s. Aegidii conventus Matritensis pulsum advertens, illico domum suam se contulit exploratura, an aliquid sinistri evenisset. Comperit filium toto corpore concisum a fratre suo, phrenesi laborante; at eo attente inspecto, nullum praeter laesionis signa in eo vulnus invenit. Hinc inter se illa temporis momenta conferens, portentum illud evenisse ea hora, in qua pulsum ex imagine audierat, testata fuit. Eadem ipsa fuit, quae alio tempore loquela, motu, et omni fere sensu expers, propter filiolam quam mortuam in utero gestabat, ex medicorum iudicio morti proxima, ut admota eidem fuit Beati reliquia, quae multis horis absque motu iacuerat, moveri aliquantulum coepit, partus dolores experire, edere mortuam infantulam, cibum poscere, ac brevi convalescere.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1592.	anno 1.	anno 16.	anno 385.

LXX. Ioannes Herrera Perez advocatus cancellariae Matritensis imaginem papyraceam Beati habens in cella fratrum Villae Regalis, quo se contulerat in eius festivitate, cum quieti se daret, pulsum audivit, ex quo affectus ingens devotionis erga Beatum erupit. Importunis inde precibus piaque violentia tabellam pauperem in sacello Beati appositam impetravit, et eidem substituit alteram, duobus pro ea exoruanda, aut quatuor millibus scutorum expensis. Fr. Didacus Danon sacerdos, incola coenobii Villae Regalis appensam teneus in pectore lipsanothecam cum particula ossium Beati, continuo pulsus eo modo quo rota horologii illa edebat, quamvis strepitum ciret rosario, quod ad eum finem manu volvebat assidue. Ludovicus Bertrandus Piedra ex maligno tubere quod manui eius increverat, tam grandem pati coepit dolorem, ut ultra Almenarae oppidum, tribus leucis distans a Villa Regali patria sua, progredi nequaquam valeret. Re delata ad fratres coenobii, eo missi fuerunt quidam religiosi cum beati reliquia, quam osculandam petierat infirmus, spe consequuturus sanitatem Beati intercessione. Quod revera illico evenit, pulsum interim reliquia dante posita in sui cubiculi mensula.

LXXI. Labente anno MDCX, ac subinde die XXVI. Februarii anni insequentis S. R. congregatio Ginesio Casanova episcopo Segobiensi mandavit, ut in specie super Beati virtutes ac miracula auctoritate sedis apostolicae processum efformaret. Illum quam citissime absolutum, et ad Urbem missum, eiusdem S. congregationis consulto, ratum habuit Paulus V. summus pontifex, ac votis annuens episcoporum, archiepiscoporum, et Francisci cardinalis de Lerma, imo et Philippi III. Hispaniarum regis ad eumdem pontificem litteris datis sub die V. Iunii an. MDCXIII., die XXII. Maii, et die V. Decembris subsequentis anni, necnon ministri generalis ordinis hoc edidit de Paschalis canonizatione decretum.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

In sede principis apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, a Domino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Ex bull. Cherubini tom. 4. pag. 28.

§. 1. *Sane pro parte dilectorum filiorum ministri generalis et aliorum superiorum, necnon fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia discalceatorum nuncupatorum, nobis nuper expositum fuit, quod bon. mem. Paschalis Baylon eiusdem ordinis dum vixit professor, multis et eximiis virtutum, gratiarum, ac miraculorum donis a Domino illustratus fuit; quapropter non solum universus ordo praedictus, sed etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, ac dilecti filii nostri Franciscus s. r. e. cardinalis Lermae nuncupatus, necnon totius regni Valentiae proceres nobis humiliter supplicari fecerunt, ut donec canonizationis honorem, quem dicto Paschali Baylon ob eius excellentia merita aliquando, divina adspirante gratia, habitum iri sperant, ab apostolica sede impetrent, idem Paschalis Baylon Beatus vocari, ac de eodem officium et missa, ut infra, recitari possit.*

§. 2. *Quare nos, re prius per venerabiles fratres nostras s. r. e. cardinales sacris ritibus praepositos, quibus eam examinandam mandavimus,*

Digitized by Google

mature discussa, de eorumdem cardinalium consilio huiusmodi supplicationibus inclinati, ut ipse bon. mem. Paschalis Baylon in posterum Beatus nuncupari, atque de eo singulis annis die XVII. Maii, quo obdormivit in Domino, a fratribus eiusdem ordinis in regno Valentiae commorantibus tamquam de confessore non pontifice iuxta rubricas breviarii et missalis romani officium recitari, et missa celebrari, necnon in ecclesia fratrum eiusdem ordinis oppidi Villae Regalis in eodem regno Valentiae existentis, ubi eius corpus requiescere asseritur, ab omnibus presbyteris tam saecularibus quam regularibus missa, ut supra, similiter celebrari libere et licite possit et valeat, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

§. 3. *Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quatenus opus sit, dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.*

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXIX. Octobris MDCXVIII. pontificatus nostri anno XIV.

LXXII. Alio vulgato diplomate indulsit laudatus pontifex cunctis utriusque sexus religiosis ministro generali subiectis, ac presbyteris Villae Regalis, ac Turris Formosae recitationem divini officii, ac celebrationem sacrificii missae ad b. Paschalis honorem.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex eodem bullar. pag. 20.

Alias pro parte dilectorum filiorum ministri generalis, et aliorum superiorum, necnon fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia discalceatorum nuncupatorum nobis exposito, quod bon. mem. Paschalis Baylon eiusdem ordinis dum vixit professor, multis et eximiis virtutum, gratiarum et miraculorum donis a Domino illustratus fuerat, et idcirco non solum universus ordo praedictus, sed etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, ac dilecti filii nostri Franciscus s. r. e. cardinalis Lermae nuncupatus, necnon totius regni Valentiae proceres nobis humiliter supplicari fecerunt, ut, donec canonizationis honorem (quem dicto Paschali Baylon ob eius excellentia merita aliquando, divina adspirante gratia, habitum iri sperabant) ab apostolica sede impetrarent: idem Paschalis Baylon Beatus vocari, ac de eodem officium et missa recitari posset; nos, re prius per venerabiles fratres nostros eiusdem s. r. e. cardinales sacris ritibus praepositos, quibus eam examinandam mandaveramus, mature discussa, de eorumdem cardinalium consilio huius supplicationibus inclinati, ut ipse bon. mem. Paschalis Baylon in posterum Beatus nuncupari, atque de eo singulis annis die XVII. Maii quo obdormivit in Domino, a fratribus eiusdem ordinis in regno Valentiae commorantibus tamquam de confessore non pontifice iuxta rubricas breviarii, et missalis romani officium recitari, et missa celebrari, necnon in ecclesia fratrum eiusdem ordinis oppidi Villae Regalis in eodem regno Valentiae existentis, ab omnibus presbyteris tam saecularibus quam regularibus missa, ut supra, similiter celebrari libere

Digitized by Google

et licite posset et valeret, apostolica auctoritate concessimus et indulsimus. prout in aliis nostris in simili forma Brevis sub die XXIX. *Octobris anni* MDCXVIII. *expeditis litteris, quarum tenor praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem sicut dictus Philippus rex, ac dilecti filii minister generalis, necnon alii superiores et fratres eiusdem ordinis s. Francisci de observantia nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga ipsum beatum Paschalem gerunt devotionis affectu, plurimum cupiant, concessionem et indultum, ac desuper confectas litteras huiusmodi ad universum ordinem fratrum minorum s. Francisci de observantia huiusmodi, ac etiam ad praedictum Villae Regalis, ubi eiusdem b. Paschalis corpus requiescere, necnon Turris Formosae Seguntinae dioecesis, unde idem b. Paschalis oriundus esse asseritur, respective oppida, per nos, ut infra, extendi; nobis idcirco humiliter supplicari fecerunt, ut eorum votis in praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de eorumdem cardinalium consilio posterioribus huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem et indultum ac desuper confectas litteras huiusmodi ad omnes utriusque sexus religiosos dicti ordinis minorum regularis observantiae in regnis Castellae et Aragoniae commorantes, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus et ampliamus. Necnon ut in Villae Regalis (ubi eiusdem b. Paschalis corpus requiescere) ac Turris Formosae, ubi idem b. Paschalis, ut praefertur, natus et educatus esse asseritur, oppidis praedictis ab omnibus utriusque sexus regularibus, ac etiam presbyteris, et clericis saecularibus, de eodem b. Paschale iuxta rubricas breviarii et missalis romani huiusmodi de communi confessoris non pontificis officium recitari, et missa celebrari respective valeat, auctoritate et tenore praedictis concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus etc. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis etc.*

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die X. *Februarii* MDCXX. *pontificatus nostri anno* XV.

LXXIII. Paulo V. die XXVIII. Ianuarii MDCXXI. e vivis erepto, Gregorius XV. eius successor causae b. Paschalis hucusque expensae rite instructus officium et missam ad Beati honorem ad universum ordinem extendit, interim mandans s. r. congregationi, ut ipsius Beati acta ac miracula denuo expenderet. Quod et explevit tribus habitis congregationibus hoc lato inde die V. Martii anno MDCXXII. decreto. *Cum s. r. congregatio causam canonizationis b. Paschalis Baylon ordinis minorum regularis observantiae discalceatorum provinciae s. Ioannis Baptistae in Hispaniarum regnis, a fel. record. Paulo papa V. tribus rotae auditoribus commissam, et ab eisdem mature discussam ad effectum eiusdem canonizationis, referente illmo cardinali Bellarmino, approbasset, ac de processu tam remissorialium et compulsorialium actorum, quam testium examinatorum validitate, deque ipsius Beati virtutibus, sanctitatis fama, reliquiarum ac sepulcri veneratione, multis denique et praeclaris post ipsius obitum miraculis sufficientissime constare pronunciasset, placuit eidem summo pontifici, simul cum beatificationis indulto, facultatem quoque recitandi de ipso, tamquam de confessore non pontifice officium fratribus eiusdem ordinis in regno tantum Valentiae commorantibus concedere. Cumque postea hanc recitandi officium concessionem ss. d. n. Gregorius XV. ad universum praefatum ordinem extendisset,*

atque ad supplices eiusdem ordinis instantias iterum huic sacrae congregationi causam dicti Beati ad effectum pariter canonizationis demandasset; eadem congregatio, referente illmo cardinali Boncompagno, omnibus iis, quae ante beatificationem ipsius examinata fuerant, iterum ac diligenter discussis censuit posse ss. d. nostrum eumdem Beatum, quem Philippi III. catholici Hispaniarum regis, et omnium fere Hispaniae procerum atque antistitum preces, Sanctum atque in coelis regnantem declarari postularunt solemni canonizatione quandocumque voluerit, universae catholicae ecclesiae proponere venerandum.

Franciscus Maria cardinalis a Monte.

Ioan. Bapt. Rinuccius secret.

Acta n. pag. 113. n. 82. et seq.

LXXIV. At cum die XVIII. Aprilis eiusdem anni emanatum fuisset diploma solemnis beatificationis Petri de Alcantara discalceatorum fundatoris, causa b. Paschalis suspensa fuit ad annum usque MDCXLV. quo Innocentius X. datis iterum litteris remissorialibus ad Didacum Serranum episcopum Segobiensem, et ad Hyacinthum Minuarbem episcopum Maioricensem, alter post eius beatificationem initiatus fuit processus. Ex priori, et hoc altero sequentia b. Paschalis prodigia innotuerunt.

MORTUI AD INVOCATIONEM B. PASCHALIS AD VITAM REVOCATI.

LXXV. Petrus Gil Barioli, una leuca ab oppido Villae Regalis habitans, ex gravi infirmitate iam mortuus, et linteo sepulcrali involvendus, revixit, et nomen Iesu ingeminavit, vix magno affectu prolatis hisce verbis ab eius moesta uxore: *o beate Paschalis, si marito meo vitam a Deo impetraveris. promitto me visitaturam sacellum tuum, ibi hoc linteum appensuram, et quidquid cerae impenderetur in funus oblaturam.* Antonius Gregorius incola eiusdem loci in iurgio quod habuit cum uxore Isabella Ferreol, ictu baculi fortuito occidens infantulam suam, multas post preces eiusdem mulieris Beato effusas illico filia revixit. Ioanna Colou filium suum anniculum a quinque horis iam mortuum, emortualique item pallio coopertum, vivum, edito voto visitandi Beati sepulcrum, excepit, ac suis uberibus quae per dies aliquot haud attigerat, admotus, lac avide suxit.

LXXVI. Ancilla Augustinae a Iesu Murciensis, vertigine capitis correpta ruens in angulum lapidis, cranium disruptum apparuit. Vocati ad eam curandam chirurgi, cum per tres horas nullum vitae indicium in ea reperiissent, eam iam mortuam iudicarunt. At Augustina domina eius confidens in Beati protectione, admota capiti famulae suae Beati reliquia, illico vitam recepit, et domum cum ipsa sana rediit. Ioannes Fernandez Villae Regalis inter uxoris brachia mortuum puerulum suum filium inveniens, ad auxilium Beati confugiit, et statim eum sic recepit, ut is quasi nihil passus, ad plateam festinanter advenit cum aliis pueris lusurus. Petrus Blaseus trium aut quatuor annorum parvulus circum vas plenum musto ludens, in eum ruit: a patre ubique frustra quaesitus, tandem unco ferreo per fundum vasis circumducto, extractus fuit puer iam praefocatus. Pater accipiens inter brachia mortuum filiolum, in plateam cucurrit, prostratusque in terram, et vultu ad coenobium fratrum converso, eiulans magna fiducia dixit: *pater Paschalis redde mihi viventem filium.* Et puer continuo signa vitae edidit, et inter binas horas, toto spectante populo, revixit.

LXXVII. Puella duobus annis nata, filia Seraphinae Garriz eiusdem oppidi, absente matre, in magnum aquae scyphum delapsa, occubuit: a matre educta,

filiam iam defunctam cunctis in platea extantibus collacrymans ostendebat. Interim cum ob algentem hyemem filiae corpus ad instar marmoris esset congelatum, suasa fuit, quod accenso igni admoverentur membra, ut tractabilia fierent. At frustra; quin etiam parte brachii licet adusta, in eodem statu cadaver permanebat. At mater Beati intercessionem continuo ingeminans, in vitam rediit puella, undequaque sana ac integra.

LXXVIII. Altera etiam puella Francisca Coflent annorum duodecim, nata in loco Nules, aquam ex puteo hauriens in ipsum decedit tam profundum, ut nemo auderet eo descendere ad eam liberandam. At dimissis in puteo funibus, parentes rogarunt hominem, ut eis corpus filiae illigaret. Praestitit ipse, dum parentes firma fide deprecabantur Beatum, ut praesenti necessitati succurreret. Hinc puella foras educta, respirare coepit, et perfecte se illico habere. Filius Ioannis Rochela civis Oriolensis iam mortuus, ad sepeliendum componebatur. At mater audiens famam miraculorum Beati, cuius nomen et locum in quo venerabatur, ignorabat, cum magna fide exclamavit: *Sancte, qui ad s. Gregorium coleris, suscita mihi istum puerum nunc, alias autem accipiat Deus; non autem modo, quando pater eius abest.* Post horas plusquam sex ipsa in suo cubiculo ingrediens, vivum reperit semestrem filium, mamillam ei praebuit, ac miraculum publicavit. Similia evenit Catharinae de Ledesma incolae Oscensi, in annis puellaribus ad extremum adductae ob pustularum pestilentium morbum, cum vix pater eius vovit Beato dandi viginti libras cerae, si filia sua vitam denuo obtinuisset. Ioseph trium mensium infans, filius dominae Paulae Montanacho urbis Calaritanae in Sardinia anno MDCLV. cum fascis a matre involveretur, tam vehementi fuit symptomate pressus, ut toto corpusculo dire contorto velut mortuus iacuisset. At voto b. Paschali a parente facto, illico revixit, et mamillam apprehendens, avide lactem hausit.

INVOCATO BEATI NOMINE VARIAE INFIRMITATES DEPULSAE.

LXXIX. Michael de Espelia tertiana octo ab hinc mensibus febre laborans, et nullum ad eam expellendam inveniens remedium, Beato se commendans, subito convaluit. Similia a Beato accepit Chiterea Sanchez Iumillensis in longa gravique infirmitate. Item invocato in sero Beato, mane sanum se reperit a gravi morbo Petrus Montes, iam a medicis pro derelicto habitus. Helena Miravert Villae Regalis ad mortem infirma cum se Beato commendasset, inde obdormiscens, experta est sibi ad aurem sentire: *iam sana es.* Experrecta, sanam se cognovit. Eius filia Helena Palan ob copiosum sanguinis per os ac nares effluxum, vocavit in auxilium Beatum, et nullo adhibito remedio, illico convaluit. Francisca Fabregada Beatum orans pro filio suo utroque inguine disrupto liber evasit extempore, evanescentibus interim duobus tumoribus quibus integro biennio ea in parte afflictabatur. Iacobo Vives Villae Regalis annos sexaginta et amplius numeranti intestina sic proruperant, ut eo curando per biennium chirurgi operam perdidissent. In spem obtinendae sanitatis a Beato erectus, ad eius sepulcrum accessit, et sanitatem obtinuit. Iacobus Franch eiusdem loci, et Eugenius Valentinus calculis laborantes, quos aliquando in praesens mortis periculum adduxerant, Beati intercessione, felicius eiecerunt, nulla adhibita cura.

LXXX. Franciscus Martinez sacerdos inter fratres discalceatos grandi adeo petra cruciabatur, ut urinae cursum prorsus obstrueret. Hinc ad extrema deductus, hortatus fuit a quodam fratre, ut a b. Paschale gratiam curationis fidenter peteret, ac assulam eius sepulcri sibi imponeret in parte morbo affecta.

Dum eam suo corpori admovit, expertus est petram velut comminui, aeque ad secessum provocari. Et illico tantam arenarum calculorumque copiam eiecit per secessum, quantum capere possent duae iunctae manus. Plura miracula in eo evenisse iudicarunt periti; primo quod petra ultro rupta, et absque fistula per secessum egressa fuerit, ac tandem quod sanitatem mox recuperaverit.

LXXXI. Annorum duorum filiolus Petri Ramirez de Arelisno illapsus in puteum octoginta palmorum profundum, totum fere confractum putabatur. Eius pater ut rem intellexit, filiolum Beato commendans, illum absque laesione extractum laetus vidit. Iacobus Blau Villae Regalis ruens ex equo, cum sanguinis per nares et os copiam emitteret, nullum remedium reperiebant medici, ut medelam eidem afferrent. Uxor ipsius ad Beati sepulcrum accedens, oravit pro salute viri sui; et ille statim sanitatem obtinuit. Filius Isabellae Matta Jumillensis cum pede tibiali pulpae implicitus ortus esset, ipsius matris ad Beatum precibus, pedem mox habuit explicatum riteque efformatum. Monserrada Calvet ex Almanzora enixa puerum, cuius capiti grande tuber pomo aureo aequale enatum erat, ac biduum post ad capitis magnitudinem auctum, repente curatus fuit, ut mater eius, praemissa Beati invocatione, capiti manus suas imposuit. Praeter incisionum signa a chirurgo frustra adhibita, nihil postea pater in capite filii detexit. Antonius de Burgos angina tam gravi afflictabatur, ut ne aquae quidem guttam traiicere pateretur. At Paschalis opem implorans, rupto apostemate, incolumis redditus est.

MIRACULA PER BEATI RELIQUIAS EDITA.

LXXXII. Admota catena et capucio Beati Vincentiae Arcis Almazaranae, cui coxendicis et costularum duarum laxatione attracti erant nervi, ipsam in pedes erectam invenit mater, domum repetens a qua exierat, quaesitura stipem pro ea. Ioannes de la Fuente e ramo arboris olivae in terram prolapsus ita periculose vulneratus fuerat, ut exonerandae visicae facultate privaretur, licet a medicis adhibita fuissent remedia. Pater excitavit post osculum reliquiae Beati, filium ut beatum in eo periculo invocaret. Mox sopitus filius, et inde experrectus, se esse sanum inclamavit. Catharinae Hernandez caro intumuerat ab humero ad pectus ita, ut pestilenti humore tincta, de eius salute medici desperarent. At a quodam religioso particula ligni feretri Beati ei oblata, et ab ea parti lesae admota, a somno illico correpta fuit, ac inde excitata, evasit incolumis, flavo quodam humore ex loco manante. Convaluit etiam, carbunculo supra pectus enato, Isabella Cava, dum supra pectus eius parochus locabat Beati reliquiam.

LXXXIII. Isabella filia Ioannis Iorda ab anno sexto aetatis suae fistulas et strumas ad collum incurabiles habens, liberata fuit ultimo die novendialis peracti a parentibus in sacello beati, adhibita etiam eiusdem reliquia in partibus male affectis. Adducta ad beati sepulcrum Francisca Navarro utriusque oculi usu orbata, multis cum lacrymis petiit unius saltem oculi sibi usum restitui, quo posset eius familiae consulere. Hinc tacta Beati catena, suum desiderium explevit. Similia assequuta est a Beato et altera mulier Francisca Montanes ambobus oculis videndi facultate privata, reliquiarum beati attactu. Particula ex habitu beati sibi imposita, Petrus Perez chirurgus momento temporis incolumis redditus est a vehementi febri, a stomachi dolore, et a frequenti sincope, quae misere septem ab hinc annis patiebatur. Eadem febri correptus, et in lethargo positus, pileoli beati contactu, simul et lethargum excussit, et febrim dispulit Petrus Carala, Chinches natus. Sandaliis beati tacta

Digitized by Google

immunis illico fuit Cosmas Damianus civis Valentinus, febri continua ac phrenesi affectus. Ludovicus quinquennis puer, filius Salvatoris de Mata chirurgi Valentiae lethali febri correptus, teneris cum lacrymis osculatus b. Paschalis tunicam, una ferme hora extra se factus, sedit in lecto. Eum quid ageret interrogavit avus suus: cui ille respondit: *quid agerem, quando iam sanus sum b. Paschalis beneficio?* Hinc de lecto surgens, per cubiculum ambulavit, cibum petiit, et mox convaluit.

LXXXIV. Antonius Català in loco de Torrentis dum animam agebat, illico in se reversus ex contactu reliquiae Beati ei admotae a fr. Ioanne Baptista Durano, quaesivit ab eo, qua re eum tetigisset. Respondit ille, reliquia beati Paschalis. Rogavit inde ut eam iterum suo capiti imponeret: quo peracto, sopitus ac mox experrectus, a mortis periculo evasit, a perfecte sanum se cognovit. A morte ad vitam puella Ioannis de Tezeda chirurgi Ospensis filia item rediit ad contactum reliquiae Beati, ipso patre prodigium proclamante. Anna Orquiza Elchensis annum attingens duodecimum, acutissimos capitis dolores pati coepit ac sustinuit alios duodecim annos; quare rheumatismum malignum procreantes in gengivis, dentes inutiles ad manducandum redditi fuere. At admoto, quo obierat, capiti eius linteolo Beati, ac insimul a suis excitata ad maiorem fiduciam reponendam in Sancto, somno se dedit usque mane, et sana surgens, dentes sibi solidatos experta est.

VALETUDINES CONSEQUUTAE VOTO VISITANDI SEPULCRUM BEATI.

LXXXV. Ioannes Monton a septem annis lecto affixus, et ita immobilis, ut aliena manu pascendus esset; et si aliquantulum se erigere vellet, duobus furcillis uti deberet, in spem erectus obtinendi sanationem a Beato, si eius sepulcrum visitaret; iter arripiens cum suis furcillis, tandem eo pervenit, duabus leucis confectis triginta horarum spatio. Effusis ibidem magna devotione et lacrymis precibus, subito fulcris relictis convaluit. Inde domum repetiit, nemine ei auxilium praebente. Maria Larga Almagorensis ob prolapsum tribus aut quatuor in partibus laxata, inter acutissimos dolores nullus chirurgorum eam curare praesumebat. Humanis hinc destituta auxiliis, petiit adduci ad Beati corpus, ac viva cum fide orans, sanitatem in momento recepit. Quidam villicus de Pozzolo Valentinae dioecesis adeo claudus erat, ut praeter furcillas quibus fulciebatur, etiam duobus hominibus opus esset ad ambulandum. Ut advenit coenobium, expleta confessione sacramentali, rogavit guardianum, ut suam incolumitatem a beato intercederet. Suis votis annuit guardianus, qui paullo post hominem illum obviam habuit tenentem in manibus furcillas, ac clamantem: *pater guardiane, s. Paschalis salvum me fecit: accipe ergo has furcillas, easque ad sepulcrum appende.* Ludovicus filius Sperantiae Alis ex Castellione-planitiei angina afflictus, desperante de sui salute medico, a matre ad Beati sepulcrum adductus, eodem instanti loqui coepit, eique dixit: *ego mater, iam sanus sum.*

LXXXVI. Oleo lampadum collucentium ante sepulcrum Beati inuncta filia Magdalenae Iorda, quae tumorem ovo similem nullique remedio cedentem gestabat ad collum, statim sanata fuit. Martha Anzar Villae Regalis surditate laborans, cum in eius aures infusum fuisset idem oleum per quatuor dies, tandem auditum perfecte recuperavit. Sepulcri Beati contactui subito evanuit hernia Gabrielae Clarae Almazonensis, qua in uno inguinum tertio aetatis suo anno affecta fuerat. Eodem morbo detentam ab annis quinque Ioannam Ortiz liberavit Beatus, novendiali indicto a matre ad beati sepulcrum. Eodem modo

perfecte convaluit filia Antonii Alfari chirurgi oppidi Cabanes. Filius unius anni Franciscae Miralel eiusdem oppidi capite deorsum lapsus in cophinum vivae calcis, inventus fuit ab ipsa matre oculis plene exesis. Delatus hinc ab ea ad Beati sepulcrum, expletoque *Pater* et *Ave*, illico puer oculos aperuit, omnis laesionis expertes. Filius etiam Isabellae Nosca deperditum oculum habens ex pustula, et palpebram a chirurgo abscissam, ex voto matris faciendi novenam ad Beati sepulcrum, et oculum argenteum offerendi, oculum et palpebram filio obtinuit. Michael Martinez ex ordine eremitarum s. Augustini auditum recuperavit, vix auribus suis inseruit particulam habitus Beati.

LXXXVII. Quatuor annorum puer filius equitis Michaelis Fenelot ad extremum morborum vi redactus, voto a matre emisso visitandi sepulcrum beati experrectus a lethargo, elata voce tertio dixit: *sanus sum*. Voto item visitandi sepulcrum liber evasit Ioannes Renau Xativensis a paroxysmo tam gravi, ut a medicis pro mortuo haberetur. Antonius de Montoia eques Carthaginensis moerore affectus ob mortem filii sui intra secundum nativitatis mensem beato promisit, ut si rursus nasceretur alius, Paschalis nomen ei imponeret. Alterum accepit puerum; at licet is terminum infra quem alii mortui fuerant, superaverit, attamen una dierum ex gravi symptomate correptus, pro mortuo habitus fuit. At mater plena fide ad ecclesiam fratrum cum filio accedens, ac eum super altare Beati deponens, lacrymis multis oravit Paschalem, ut eum sibi sanum reddere dignaretur. Exauditae fuerunt ejus preces, et illico puer convaluit. Admota ferrea catena beati cuidam mulieri energumenae Villae Regalis a magistro Guardiola presbytero eiusdem loci, daemon ab ipsa egredi recusavit; at pertracta ad Beati sacellum, exorcismis iterum renovatis, mulierem liberam daemon dimisit.

Infirmi liberantur Beati apparitionibus et invocationibus.

LXXXVIII. Anno MDCXLV. Michael Peligra de la Xana agricola videns milites quosdam cum suo hospite litigantes, pacis causa inter illos se interposuit; at tali pugione percussus fuit ad aurium unam, ut per alterum tempus pervasisset. Dum eius uxor summa cum fide exorabat Beatum pro sanitate viri sui, duo accesserunt chirurgi ipsius vulnera curaturi, quibus mox dixit laudatus Michael: *domini, ad me curandum nimis sero venistis: apparuit enim mihi b. Paschalis, meque sanavit.* Et dissolutis ligaminibus verum ipsi miraculum praedicarunt. Annorum quindecim Claudia Sorias puella, ex stupore quodam quod totum corporis latus infecerat, ac linguam retraxerat, a medicis derelicta, ex apparitione Beati splendorem et odorem emittentis, ac facem tenentis, perfecte convaluit, supra lectum se erexit, et vestes requisivit. Simili apparitione Ioannes Cinigeda frater discalceatus, et Sperantia Raphael tuti redditi fuerunt a Beato de valetudine citius recuperanda, quam statuto tempore obtinuerunt.

LXXXIX. Franciscus Fonte Valentinus vehementibus febribus aliisque infirmitatibus ferme exhaustus, nec cibum manibus suis capiebat, nec ingestum in stomaco continebat. Hinc extremis ecclesiae sacramentis munitus petiit sibi imponi beati vestem. Ea allata, et super eius lectum noctu relicta, qui antea dormire haud valuerat, a somno correptus, in visione sibi apparuerunt duo religiosi, quorum unus laicus lecto eius appropinquans dixit, ut bono esset animo, quia valiturus foret, dummodo se crucis signo muniret, proferens verba *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Hinc se signans, a morbo brachiorum extemplo convaluit et integram sanationem obtinuit. Manus beati

Digitized by

in somnis apparentis Catharinae Sperantiae Beniganensi contactu, malignus tumor, quo dire cruciabatur, evanuit, purulento humore inde effuso. Simili Beati manuum contactu quaedam mulier Valentina in somnis sanata fuit a subita sanguinis agitatione, quae mane cognoverat corpus ac vultum eius fuisse tumoribus obsitum, quorum unus sub brachio mali cydoniae magnitudinem praeseferebat. Vincentia Monleon morti proxima, voluit sibi adferri aquam ex puteo fratrum Villae Regalis, ut eam biberet devotionis gratia erga Beatum, a quo valetudinem petebat. At parentibus ne soffocaretur, repugnantibus, de nocte ei apparens Paschalis, phialam aquae porrexit eaque hausta illico sanavit. Ioannes de Mendoza et uxor eius Vincentia Borraz dignati etiam fuerunt visione Beati; quorum alter prece Beato indicta, a morbo lethali liber redditus fuit; et postrema ob contactum catenae Beati, quam Paschalis sub specie alterius religiosi ad eam detulit, eique admovit, libera evasit a tumore maligno ei enato sub brachio. Postremo, quod maximum est, Beatus dormienti filio Ioanni Gargia Carthaginensi, cui se commendaverat, a medicis derelicto, imperavit ut e lecto surgeret, quia iam sanus erat.

XC. Quae sequuntur Beati miracula excerpta fuere ex altero processu confecto ab anno MDCLXI. usque ad annum MDCLXX. Victorianus Escabez Villae Regalis cum ad locum pinis multis consitum venisset, atque in earum unam altam quadraginta pedes nuces plenas lecturus conscendisset, disrupto ramo, in terram prono capite corruit. Socius qui aderat, videns illum effluere per oculos, aures, et os sanguinem, in vitae discrimine positum iudicavit. At hora cum dimidio transacta, socius audit a Victoriano se esse a b. Paschale perfecte sanatum. Hinc domum ambo repetentes, vix Victorianus ab equo descendit, gravius quam antea se habere coepit, eoque in statu triduo permansit, desperantibus de eius salute medicis. Domestici ac infirmus auxilium Beati inclamabant. Inter familiae preces infirmus a somno correptus, dormivit usque mane, et experrectus, ab uxore vestes petivit ut se conferret ad Beati sepulcrum, acturus ei gratias pro reddita sibi salute. Catharina Altabella mulier quinquagenaria prole carens, ex voto facto Beato, ut si filium obtineret, suo nomine nuncuparet, inter menses decem filium obtinuit, et idem suum nomen imposuit. Anno MDCLXI. ex ioco pronus illabens in canalem molendini, versus rotam aquae decurrentis impetu volvebatur. Ad salvandum puerum accurrit mater et hi qui aderant accurrerunt; putabant tamen omnes se inventuros comminutum pueri corpusculum; attamen omnino illaesum repererunt, qui matri aliisque statim fassus est a mortis discrimine servatum fuisse a quodam religioso coenobii Villae Regalis sibi tunc apparenti.

XCI. Dionysius filius cuiusdam viri nobilis ex Ybiensi oppido, puer annorum sex ex delapsu, a genibus ad talos pedum paralyticus manserat, tibiis interim penitus arefactis, ut in illis partibus praeter pellem et ossa nihil essent; hinc solis utens manibus, miser huc illuc se raptabat. Humanis remediis frustra adhibitis, parentes initio Maii MDCLXIX. polliciti sunt b. Paschali, si convalesceret, habitum sui ordinis ipsi donaturum, ac novendium in sui honorem acturos. Die interim XVII. eiusdem mensis communione refecti in ecclesia oratorii s. Philippi eiusdem oppidi, Beati imaginem quam habebant, eidem filio ostendentes, dixerunt: *Dionysi, iste est s. Paschalis; ora eum, ut det tibi tibias.* Mox puer pedibus suis stetit, et ambulare incoepit; quae tamen toto triennio haud praestare valuerat. Equi calcibus et rotae carri obtritus filiolus triennis Iulii Capuz Valentini, ac pro mortuo habitus, audito a patre uno

pulsu ex imagine Beati, pro quo salutem petierat firma fide, illum sanum vidit, et puer rursus in platea, inspectante populo, ad lusum cum aliis pueris sese contulit. Quinque glandibus igneae balistae perculsus in pectore Ioannes Tremon presbyter Deniensis, licet ex equo corruisset, nihil tamen mali passus fuit, cum haberet in pectore insutam Beati imaginem. Voto visitandi sepulcrum Beati die III. Martii anno MDCLXV. edito a Leonardo Robira, et Mira Poades, libera evasit eius filia in latere sinistro paralytica, quae instar trunci in lecto iacebat, nihil proficientibus remediis humanis.

XCII. Iis aliisque quamplurimis anno MDCLXX. in Valentino processu feliciter collectis, a s. rituum congregatione sequens decretum latum fuit: *sanctissimus dominus noster Clemens papa x. ad preces p. fr. Christophori de Arta procuratoris specialis in causa canonizationis b. Paschalis Baylon benigne annuit atque mandavit, ut in secunda congregatione sacrorum rituum habenda coram sanctitate sua pro causa beatificationis et canonizationis omnino proponatur dubium super miraculis de his, quae supervenerunt post illius beatificationem.*

XCIII. Duobus post annis, procuratoris munus agente Hieronymo Taus, finale decretum pro canonizatione b. Paschalis peragenda vulgatum fuit ab eademet s. r. congregatione hisce verbis expressum: *constituto in congregatione sacrorum rituum de cultu b. Paschalis Baylon ordinis minorum regularis observantiae discalceatorum s. Francisci, auctoritate apostolica exhibito ex indulto fel rec. Pauli v., deque validitate processuum super iis quae post indultam beatificationem supervenerint rite confectorum, necnon de eiusdem Beati famae sanctitatis ac venerationis percrebescentia, tandem in congregatione habita coram ss. domino nostro Clemente x. discussis plerisque miraculis, quae Deus (qui facit mirabilia magna solus) intercessione servi sui dignatus est operari, quaedam ac sane celebriora, ad relationem eminentissimi d. cardinalis de Maximis ex unanimi consultorum sententia, et eminentissimorum dd. cardinalium sacris iisdem ritibus praepositorum suffragio, ubi omnibus probationis calculis absoluta, comprobata fuerunt. Primum nempe Francisci de Bargas, cui index sinistrae manus securis ictu sibi praecisus, ne vix cutis particulae cohaererent, statim consolidatis ossibus, et nervis, et cute omnino validus restitutus est. Et quartum Dominici Perez agricolae, qui ope Beati implorata ad primum ligonis ictum, ex aridiori eo prorsus infoecundo terrae situ, perennis ut nunquam vel excrescentis, vel deficientis aquae fontem exilire obtinuit, quo publica loci et armentorum calamitas fuit reparata. Quare peractis omnibus, quae novissima fel. record. Urbani VIII. decreta exigunt, sanctitas sua, accitis iterum consultoribus eorum unanimem sententiam, necnon cardinalium suffragia probavit, tuto posse quandocumque deveniri ad solemnem b. Pascalis canonizationem juxta ritum s. rom. ecclesiae, et sacrorum canonum dispositionem, eumque cum Deo regnantem in gloria sanctorum, eorumque catalogo adiungere universali cultu colendum.*

Romae die XXVII. Septembris MDCXXIII.

F. M. episcopus Portuensis card. Brancatius.

Bernardinus Casatius s. r. c. secret.

XCIV. Clemente X. ac Innocentio XI. eius successore vita functis, Leopoldi I. in romanorum imperatorem electi, Caroli II. Hispaniarum regis, archie-

Digitized by Google

piscoporum, episcoporum, ac optimatum totius illius regionis, necnon aliorum summorum virorum, et ministri generalis ordinis precibus, solemni ritu beatum Paschalem in sanctorum album referre dignatus est die XVI. Octobris Alexander VIII. pontifex maximus in sacra vaticana de Urbe basilica. Verum quia apostolicae litterae ob immaturam ipsius pontificis mortem scriptae non fuerant, Innocentius XII. eius successor primo sui regiminis anno eas confecit vulgavitque.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit, et convenit aequitati, ut ea quae romani pontificis provida deliberatione, ac venerabilium fratrum suorum s. r. e. cardinalium, necnon patriarcharum, archiepiscoporum, et episcoporum, tunc in romana curia commorantium unanimi consilio decreta, definita, et statuta fuerunt, licet ipsius superveniente obitu litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Alexander papa VII. praedecessor noster, pia secum meditatione considerans, quod unigenitus Dei Filius splendor gloriae, et figura substantiae Patris, qui pro lapsi medela hominis in utero Virginis caro factus, semetipsum exinanivit, obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ut genus humanum tam ineffabili excitatum exemplo per humilitatis semitas secum ad aeternae gloriae exaltaret consortium, haud raro infirma, ignobilia, et contemptibilia mundi eligit, ut fortia quaeque confundat, et non glorietur omnis caro in conspectu eius, ac propterea paupertatem divitiis, ignobilitatem nobilitati, et simplicis animi demissionem elationi cogitantium sublimia praeponens, sapientiam et gloriam huius saeculi, eiusque principum despicit, humili spiritu, et sincero cordis delectatus affectu. Inter alios autem ex huiusmodi conditione selectos, quibus ecclesiam suam, quam humilitate vult crescere, foecundavit, anteacto saeculo praestantissimum exaltatae humilitatis exemplar erexit in suo fideli servo Paschale Baylon laico, seu converso expresse professo ordinis minorum s. Francisci de observantia discalceatorum nuncupatorum, quem humilibus genere, et loco natum, custodiendisque ovibus addictum, sustulit de gregibus ovium, et de post foetantes accepit, implevitque spiritu sapientiae, et intellectus, ut quem suscitarat de terra inopem, collocaret in coelo cum principibus populi sui. Quibus de rebus certior factus idem Alexander praedecessor ex processibus diligenti inquisitione confectis, et sedula discussione examinatis, ex quibus de illius vitae sanctitate, et miraculis ad eius intercessionem patratis evidenter constare percepit, beatum virum sanctorum albo solemniter adscripsit, animo ex tunc revolvens huiusmodi vitae, miraculorum, et actorum summam catholicae ecclesiae notam facere, quod cum ipse, morte praeventus, non expleverit, nos qui divina disponente clementia in eius locum successimus, huiusmodi seriem ex memoratis processibus breviter desumptam, in hunc qui sequitur modum, ad perpetuam rei memoriam duximus enarrandam.

§. 2. Anno a partu Virginis MDXL. sacro recurrente festo pentecostes, natus est Dei servus in oppido Turris Formosae dioecesis Seguntinae in regno Aragoniae, ex catholicis, sed pauperibus parentibus, ablutusque fuit aqua baptismatis, et procedente tempore sacro chrismate.

§. 3. A teneris annis insigne futurae sanctitatis specimen dedit, dum adhuc puer quascumque mundi illecebras, et innoxos etiam eius aetatis, et conditionis ludos, et exercitationes aspernabatur. Abiens post vestigia gregum, quorum custodiae paterna illum inopia destinaverat, sedulo satagebat, ne illae alienis agris, vel pascuis damnum aliquod inferrent. Virtutum cultor eximius orationi, abstinentiae, pudicitiae, et silentio deditus, a iuramentis, mendaciis, detractionibus, ac vanis et otiosis verbis penitus abstinebat, ac socios ad odium peccati, Deique religionem, et amorem, ac in Deiparam pietatem qua verbo, qua exemplo suaviter excitabat, adeo ut omnes tam innocentiae, et singularium virtutum admirationes iam tum praeviderent, magnos huius servi Dei futuros in sanctitate progressus, quem in aetate puerili adeo innocentem vitam agere dignoscebant.

§. 4. Simplex, rectus, et timens Deum aetate simul et virtutibus crescebat Paschalis humilitate, charitate, modestia, morumque suavitate, sic eorum qui ipsum noverant, conciliabat affectus, ut sancta monita, et consilia libenter excipientes, et ipsum diligerent, ac in eiusdem conversatione magnopere delectarentur. Id quod praesertim accidit praediviti cuidam eius hero, qui prole carens, eumdem adoptare, et suorum bonorum haeredem designaverat instituere; sed gnarus Paschalis, quod quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei, accipientes spiritum adoptionis, in quo clamant Abba Pater, adoptivam heri filiationem, ac hereditatem despexit. sperans tum se beatius fore filium, et haeredem Dei, cohaeredemque Christi, cum paupertate, humilitate, suique corporis mortificatione Christo ipsi compateretur.

§. 5. Ardore itaque religiosi instituti, quod paupertate, et observantia praestaret, ab ineunte aetate succensus circa annum salutis MDLXIV. voti compos efficitur, ex pastore ovium in gregem Domini adscitus sub regula s. Francisci strictioris observantiae in provincia s. Ioannis Baptistae regni Valentiae, ubi summo fervore et gaudio, habitu minorum discalceatorum suscepto, riteque emissa regulari professione iis cumulatus virtutibus statim apparuit, et disciplina religionis instructus in illis ita profecit, ut tamquam lucerna ardens iis, qui in domo Dei, et religioso consortio vivebant, praefulgeret.

§. 6. Sancti institutoris sui exemplo pauper et humilis, volens excelsam fabricam virtutum construere, de fundamento prius cogitavit humilitatis, qua in abiectissimis conventus officiis sese libenter exercuit, et si quando ab illis propter vitae sanctitatem, vel aetatem iussu superiorum retrahebatur, supplices, humilesque preces non intermittebat, donec eorumdem exercitio simul cum aliis laicis et iuvenibus fratribus restitueretur. Sui contemptor eximius quidquam in propriam laudem neque audire voluit, neque retulit. In loquela, incessu, vultu, oculis, omnique actionum genere profundam ostendebat humilitatem, quin de seipso adeo demisse, et vilissime sentiebat, ut cum plaeclarae vir sanctitatis haberetur, ipse tamen nullis se praeditum meritis, magnum peccatorem reputaret, et affirmaret. Rogatus ut manus imponeret super aegros, pristinae se valetudini per eius merita restituendos fore sperantes, summa animi demissione se comiter excusabat, donec vel obedientiae praecepto compulsus, vel postulantium precibus motus, eos signo crucis aliquando obsignaret,

frequentius vero suaderet iisdem, ut sua se manu signarent, quo reddi corporis sanitatem, et robur in crucis virtute perciperent.

§. 7. Paupertatis non in saeculo solum, sed etiam in religione amantissimus, eiusdem s. institutoris imitator egregius, unica tantum induebatur tunica, eaque aspera, angusta, abiectissima, multisque frustis refecta, ratusque supervacaneum esse munditiem in cilicio quaerere, eadem foemoralia destructa prorsus et lacera, ac quibus poterat fragmentis resarcta, ad decem et octo annos pertulit.

§. 8. Nec carnis mortificationem in sola et extrinseca indumenti asperitate continuit, sed eamdem ne unquam noxie moliretur in spiritum, continua maceravit inedia, et perenni afflictatione subtegit. Parcissimo eius cibo frequens succedebat in pane et aqua ieiunium, et quotidiano eius victui necessaria rigide subtrahens, alendo servabat pauperi. Plerumque vino abstinens, nigriora et duriora panis fragmenta, ac deteriora, et ab aliis fratribus derelicta edulia, quando poterat, sibi deligebat. Nudam humum, aut rudes tabulas pellibus superimpositis aliquando stratus pro lecto habebat, frustumque ligneum, vel saxum pro pulvinari, ibique iacens, vel parieti innixus brevissimum carpebat somnum, reliqua nocte orationi data. Nudis incedebat pedibus, etiam longum, vel arduum iter agens. Duris flagellationibus, variis et asperrimis ciliciis, ferreaque catena, bis terque circumducta corpus dilanians, illud in adeo districtam servitutem redegit, ut in eo spiritus pacifice dominaretur, nihilque vel minimum tum in saeculo, tum in claustro usus fuerit peragere, vel dicere, quod ipsius castitatem unquam offenderet, vel adumbraret.

§. 9. Religiosis paupertatis et castitatis virtutibus indivisibilem earum comitem obedientiam adiunxit, quam ita exacte, ita studiose colendam suscepit, ut totus a superiorum nutibus pendens, ne quid minimum unquam petens, vel desiderans, omnia licet dura et ardua ab illis demandata, reverenti semper gaudio susceperit, et alacri promptitudine impleverit, praesertim vero religiosae obedientiae, cuius studio exardebat, simul ac catholicae fidei, cuius zelo flagrabat, insigne praebuit experimentum, cum a superioribus iussus longum et asperum iter per terras plerumque haeresis labe foedatas peragere, iussa capessere cunctatus non est, eaque hilaritate, qua iniunctum emensus est iter contumelias, probra, minas, et lapidationes ab haereticis catholicae religioni, praesertim regularium ordini apprime infensis, patienter et fortiter pertulit, illorumque impie de fide sentientium audaciam retundens, publice et palam catholicam doctrinam et fidem professus est, a quibus persecutionibus et angustiis licet Dei misericordia tandem evaserit, defuit tamen ei potius martyrium, quam ipse martyrio.

§. 10. Nullam pene die nocteque labi sinebat horam, qua non esset in preces effusus, seu mente elevatus in Deum. Quidquid temporis sibi ex obedientiae praescripto muneribus, proximorum saluti, brevisque somni tormento potius quam quieti supererat, totum id orationi et contemplationi ubique impendebat, et Dei praesentiam, in ipsis exterioribus actibus non oblitus, iugi cum attentione, et interna oratione venerabatur. Pervigil semper nocte intempesta, nocturnis horis aderat, et quamvis perpetuis laboribus, atque afflictationibus fatigatus, et pene fractus, nonnisi post auroram revertebatur in cellulam, toto eo tempore in choro vel ecclesia inter meditandi delicias traducto.

§. 11. Zelator animarum quas alloquebatur ad compunctionem, et expiationem peccatorum. Deique et virtutum amorem mira disponebat dulcedine,

doctrinam christianam docebat ignaros, religiosos ad perfectionem suavi excitabat eloquio, corda antiquis odiis ad vindictam accensa, et aliorum pietate, vel auctoritatae praestantium suasionibus inflexibilia, paucis verbis sedabat, et veniae intercessionem ad pacem, et meliorem frugem revocabat.

§. 12. Hinc altissimus qui sapientiam praebet diligentibus, se iusto huic, quem deducebat per vias rectas, absconditos sapientibus et prudentibus huius saeculi sapientiae et scientiae suae thesauros coelitus revelavit. Homo enim litterarum plane rudis, nulloque mortalium magistro eruditus, adeo excelso scientiae dono meruit illustrari, ut altissima catholicae fidei mysteria de trinitate, incarnatione, praedestinatione, gloria coelesti, ss. eucharistiae sacramento, et alia huiusmodi, necnon difficillimos sacrae scripturae sensus, etiam disputando, coelesti sublimitate tractaret, parique dilucidatione explicaret arduas quaestiones a doctissimis etiam theologis propositas, quos tamen non tenebat admiratio, quoquomodo litteras sciret cum non didicisset, quia in eo infusae divinitus scientiae donum ad evidentiam dignoscebant.

§. 13. Prophetico etiam spiritu afflatus nonnulla futura, et praesertim aegrotis integram valetudinem, sanis infirmitatem, sibique et aliis mortem praedixit.

§. 14. Traducto itaque et consummato sanctae vitae curriculo per arduas poenitentiae et aliarum virtutum semitas, quibus per Dei gratiam regno coelorum vim inferre, illudque violentus rapere studebat, post gloriosa mundi huius certamina sacramentis ecclesiae rite sancteque munitus, die xvii. Maii anni mdxcii. qua praedixerat hora, in conventu oppidi Villae Regalis Dertusan. dioeceseis in regno Valentiae beato fine quievit, quique ab infantia spiritu semper vixit, spiritu et ambulavit, ac desideria carnis non perfecit, eodem illapsi olim super apostolis Spiritus sancti recurrente die quo natus fuerat in terris, meruit aeternum triumphaturus renasci et in coelis.

§. 15. Statim ac beati viri obitum fama vulgavit, ad illius venerationem mira undique populorum multitudo confluxit, quae antiquam sanctitatis opinionem, eo vivente excitatam, etiam in eius cadavere confirmari mirata fuit, dum istud licet exanime, quo fervidus, quem in vita habuerat erga eucharistiae sacramentum demonstraretur affectus, visum est in illius elevatione oculos aperire, mox et in depositione occludere, quod pariter in elevatione et depositione calicis renovavit.

§. 16. Piae multitudinis obsequio, et devotae aegrotantium spei opus fuit triduana cadaveris expositione indulgeri; nec eam spem fefellit eventus, liquore quodam ex eius vultu et collo tunc temporis manante, quo aliqui perliniti integram sanitatem receperunt. Inter quos Catharina Simonis pluribus affecta tumoribus, iisque uno excepto perforatis, ac medicorum et chirurgi iudicio post biennalem curationem insanabilibus, huiusmodi delibuta liquore ab omni morbo et tumoribus, cicatrice dumtaxat remanente, illico convaluit; id quod omni vel cicatricis abolito vestigio obtigit etiam Ursulae Mascarellae, eodem liquore perunctis inveteratum foemorum ulceribus, quibus excruciata fuerat, post triennales medelas incassum semper adhibitas.

§. 17. Ex iis etiam, qui expositum cadaver deosculantes Servi Dei opem intima devotione imploraruut Baptista Cabillin, et Isabella Cano prorsus attracti; ille crure, et sic claudus, ut sine fulcimento non valeret incedere; ista brachio et manu per sesquiannum, ut eius sanationem chirurgi iam de-

Digitized by Google

sperassent, ad eorumdem membrorum pristinum robur et usum, ac si nunquam laesa fuissent, repente revocantur.

§. 18. Ioanna Dominica cum sexagesimum tertium aetatis suae annum ageret, ex alto delapsa, talem ossi sacri fracturam, et alterius ossis in foemore luxationem passa fuerat, ut genua flectere, et sine fulcimentis incedere prorsus nequiret; sed quinto aegritudinis suae anno adhuc insepulti Servi Dei manum ubertim fluentibus lacrymis osculata, illiusque intercessionem ex corde deprecata, cum se fulcimentis niteretur attollere, repente, vehementi dolore, os fractum consolidari, et luxatum sensit reponi, statimque expedite, et sine ullis fulcimentis ambulavit, et incolumis effecta est.

§. 19. Caecilia Sorli in altero corporis latere septemdecim mensibus fuerat ea correpta paralysi ut inibi nullus prorsus motus, vel sensus carnis a qua pungenti ferro tentata, nec sanguis exibat, remansisset, brachio et crure pendentibus, manu attracta, digitis immobiliter aduncis, carneque eiusdem lateris adeo consumpta, ut solam et siccam pellem ossibus superinductam haberet, meritis b. Paschalis in spem salutis erecta, ad eius sepulcrum curavit afferri, statimque ac singulis membris laesis applicabatur catena, qua Dei servus in vita praecingebatur, sensus, motus, robur, caro, incessus, et pristina salus redibant, donec Caecilia ingenti perfusa gaudio citato per ecclesiam gradu exiliens discurrit.

§. 20. Ob quoddam sanguinis profluvium, nec pupillae, nec ulla earum vestigia remanserant Michaeli Gabaldo, qui a sexto aetatis mense ad septimum annum vitam duxerat non coecitate solum, sed superveniente surditate deplorabilem; emisso per afflictam matrem voto sepulcrum b. Paschalis adeundi, eiusque ope ferventius invocata, e vestigio puer videns, et audiens ad illam festivus occurrit, perfectumque utriusque sensus usum iugiter exinde retinuit.

§. 21. Extrema unctione iam delibutus, et desperantibus salutem medicis agebat animam Petrus Gil, qui magnis febribus, vomitibus, aliisque accidentibus septem, vel octo mensium spatio fuerat afflictatus, gravissimum exhalans foetorem, corruptis prae morbi gravitate visceribus, vix moestissima uxor votum invisendi b. Paschalis sepulcrum, et parata funeri deferendi emiserat, cum vir nulla mora surrexit incolumis, et uxore comite votum emissum persolvit.

§. 22. Fama igitur sanctitatis b. Paschalis miraculis et gratiis ad eius invocationem et intercessionem obtentis, in dies percrebrescente, post varias probationes ordinaria auctoritate receptas, supervenit delegatio apostolica, cuius vigore, confectis quinque processibus, iisque primum a tribus causarum palatii apostolici auditoribus, qui accuratam et distinctam edidere relationem, et postmodum in congregatione tunc sacris ritibus praepositorum cardinalium bon. mem. Roberto tit. s. Mariae in Via, dum vivebat presbytero cardinale Bellarmino nuncupato referente, diligenter examinatis, et mature discussis, piae mem. Paulus papa v. etiam praedecessor noster humilibus supplicationibus universi ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia discalceatorum nuncupatorum, clar. mem. Philippi III. tunc in humanis agentis Hispaniarum regis catholici, bon. mem. Francisci cardinalis Lermae nuncupati, et totius regni Valentiae procerum inclinatus, de eorumdem sacris ritibus praepositorum cardinalium consilio, ut praefatus Dei servus in posterum Beatus nuncupari, atque de eo singulis annis die XVII. Maii qua obdormivit in Domino, a fratribus eiusdem ordinis in regno Valentiae commorantibus tamquam de confessore non

pontifice iuxta rubricas breviarii et missalis romani, officium recitari, et missa celebrari, necnon in ecclesia fratrum eiusdem ordinis oppidi Villae Regalis in eodem regno Valentiae existentis, ubi eius corpus requiescere asserebatur ab omnibus presbyteris tam saecularibus quam regularibus missa similiter celebrari libere et licite valeret, apostolica auctoritate per suas in forma brevis die xxix. Octobris anni mdcxviii. desuper expeditas litteras, concessit et indulsit, et huiusmodi indultum per similes in forma brevis litteras die x. Februarii anni mdcxx. ad omnes utriusque sexus religiosos dicti ordinis minorum regularis observantiae in regnis Castellae, et Aragoniae commorantes, pari auctoritate ampliavit, et extendit, atque ut in Villae Regalis, ubi eiusdem b. Paschalis corpus requiescere, et Turris Formosae, ubi idem Beatus natus, ac educatus asserebatur, oppidis praedictis, ab omnibus utriusque sexus regularibus, ac etiam presbyteris, et clericis saecularibus de eodem beato Paschali iuxta rubricas breviarii et missalis romani huiusmodi de communi confessoris non pontificis officium recitari, et missa celebrari respective valeret, eadem auctoritate concessit pariter et indulsit.

§. 23. Reassumpta postmodum in statu et terminis causa, in vim specialis commissionis manu rec. mem. Innocentii papae x. similiter praedecessoris nostri signatae, post novos processus interpolatis temporibus confectos; eadem congregatio sacris ritibus praepositorum s. r. e. cardinalium, ut de cultu b. Paschali auctoritate apostolica in vim praefati indulti eiusdem Pauli praedecessoris exhibito, et de validitate processuum huiusmodi super iis, quae post indultam beatificationem supervenerunt, rite confectorum, satis constitit; tandem in congregatione die xxvii. Septembris anni mdcl.xxiii. habita coram eiusdem memoriae Clemente papa x. etiam praedecessore nostro, discussis plerisque miraculis, quae Deus, qui facit mirabilia magna solus intercessione servi sui dignatus est operari, duo et sane celebriora ad relationem bon. mem. Camilli tit. s. Eusebii, dum vixit presbyter cardinalis de Maximis nuncupati, ex unanimi consultorum sententia, et praefatorum sacris iisdem ritibus praepositorum cardinalium suffragio, uti omnibus probationis calculis absoluta, comprobata fuerunt. Primum nempe Francisci de Bargas, cui index sinistrae manus securis ictu ita praecisus, ut vix cutis particulae cohaereret, statim consolidatis ossibus, nervis, et cute omnino validus restitutus est. Et quartum Dominici Perez agricolae, qui ope Beati implorata ad primum ligonis ictum ex aridiori terrae situ perennis et nunquam, vel excrescentis, vel deficientis aquae fontem exilire obtinuit, quo publica loci et armentorum calamitas fuit reparata. Quare peractis omnibus quae fel. rec. Urbani papae viii. similiter praedecessoris nostri decreta exigebant, idem Clemens praedecessor, accitis iterum consultoribus eorum unanimem sententiam et cardinalium praefatorum suffragia probavit, posse videlicet quandocumque tuto deveniri ad solemnem memorati b. Paschalis canonizationem, iuxta ritum s. r. e. et sacrorum canonum instituta; eumque definiri cum Deo regnantem in gloria sanctorum, et eorum catalogo adscriptum toti ecclesiae colendum proponi.

§. 24. Interim vero eodem Clemente, et similis recordationis Innocentio papa xi. etiam praedecessoribus nostris viam universae carnis ingressis, ultima manu huic canonizationis negotio nondum admota, cum aliae preces memorato Alexandro praedecessori a charissimis in Christo filiis nostris Leopoldo romanorum rege in imperatorem electo, et Carolo Hispaniarum rege catholico porrectae fuissent, et subinde ven. frater noster tunc suus Flavius episcopus

Portuensis s. r. e. cardinalis Chisius nuncupatus, vice ven. etiam fratris nostri tunc sui Alderani episcopi Ostiensis eiusdem s. r. e. cardinalis Cybo nuncupati praefatae congregationis praefecti, morbo tunc detenti, in consistorio ipsius Alexandri praedecessoris secreto summam processus, suamque et aliorum collegarum suorum dictae s. r. e. cardinalium sacris ritibus praepositorum sententiam exposuisset, caeterique in eodem consistorio praesentes cardinales, et unanimi suffragio adhaesissent; et postea in alio publico consistorio, quo praeter cardinales praefatos, etiam patriarchae, archiepiscopi et episcopi in urbe commorantes, ac dilecti filii romanae curiae praelati, ipsiusque Alexandri praedecessoris familiares convenerant, dilectus etiam filius Alexander Casalius nostrae tunc suae consistorialis aulae advocatus de vita, virtutibus, et miraculis dicti b. Paschalis dixisset, atque praefatorum romanorum regis in imperatorem electi, et Hispaniarum regis catholici, et universi ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nomine supplices preces pro eiusdem canonizatione detulisset, dictus Alexander praedecessor huiusmodi preces effuso cum exultantis animi sensu excepit, et attendens, quod ad ecclesiae catholicae gloriam etiam numerus et excellentia sanctorum, qui illam illustrarunt pertineat, gavisus summopere, fuit ab eximiis praedicti, et aliorum beatorum virtutibus, meritisque in eodem consistorio relatis praestantissimum sibi praeberi argumentum eiusdem ecclesiae gloriam amplificandi, firmam praesertim in spem adductus, fore ut fideles tunc eius supremae custodiae commissi ad tam praeclara sequenda vestigia vehementer excitarentur.

§. 25. Ut autem difficillimum opus rite conficere valeret, a memoratis fidelibus iuxta praescriptas iam a se salutares poenitentias, pia ferventique nuncupari vota impense in Domino flagitavit, ut supernorum luminum Pater caligantis humanitatis velo rescisso, divinum beneplacitum, sine praevia cuius intelligentia infirma fuisset quaelibet deliberatio, sibi ostenderet. Quin etiam ad omnes accuratissimi iudicis partes implendas, antequam super re tam magni momenti decerneret, advocavit in consilium praefatos ven. fratres nostros tunc suos dictae s. r. e. cardinales, necnon patriarchas, archiepiscopos, et episcopos tunc in Urbe commorantes, qui postmodum in consistorio semipublico ad hunc effectum indicto, praesentibus etiam nostris tunc suis, et sedis apostolicae notariis, et causarum palatii apostolici auditoribus ex eis, quae ab eo proposita, et ex processu relata fuerant, b. Paschalem canonizandum esse apertis suffragiis unanimiter censuerunt.

§. 26. Cum itaque nil aliud desideraretur eorum, quae ex ss. patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, praefatae s. r. e. antiqua consuetudine, ac decretorum eiusdem Urbani praedecessoris praescripto agenda et observanda erant, idem Alexander praedecessor adveniente praedestinata die XVI. Octobris anno praeterito MDCXC. pontificatus sui I. in sacrosancta b. Petri apostolorum principis basilica, quo solemni ritu cum venerabilibus fratribus nostris tunc suis eiusdem s. r. e. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis dictae romanae curiae praelatis, officialibus, et familiaribus suis, clero saeculari, et regulari, et maxima populi frequentia mane convenerat, iteratis primo, secundo, et tertio pro canonizationis decreto petitionibus per dilectum filium nostrum tunc suum Petrum s. Laurentii in Damaso cardinalem Otthobonum nuncupatum, nomine praefatorum Leopoldi romanorum regis in imperatorem electi, et Caroli Hispaniarum regis catholici, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, et post Spiritus sancti gratiam rite imploratam, ad

honorem ss. et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, bb. apostolorum Petri et Pauli, ac sua matura deliberatione praehabita, et divina ope saepius implorata, ac de praefatorum eiusdem s. r. e. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum tunc in Urbe existentium consilio, b. Paschalem Baylon, una cum bb. Laurentio Iustiniano, Ioanne a Capistrano, Ioanne de s. Facundo, et Ioanne de Deo, Sanctum esse decrevit, et definivit, ac ss. catalogo adscripsit, statuens ab ecclesia universali quolibet anno die XVII. Maii, qua obdormivit in Domino, memoriam ipsius inter sanctos confessores recoli debere, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

§. 27. Quibus peractis, Deum patrem aeternum, regemque gloriae Christum Dominum patris sempiternum filium, ac sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus et confessionibus veneratus, sacroque hymno *Te Deum* solemniter decantato, peculiari oratione, etiam per dicti b. Paschalis merita precatus fuit, atque missae ad altare b. Petri apostoli, cum eiusdem b. Paschalis commemoratione a ven. fratre nostro tunc suo Palutio episcopo Sabinen. eiusdem s. r. e. cardinale de Alteriis nuncupato, solemni ritu celebratae, interfuit, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem concessit. Visitantibus autem quotannis in praefato die festo eiusdem b. Paschalis sepulcrum, in quo eius corpus requieseit, septem annos, et totidem quadragenas de iniunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit in forma ecclesiae consueta.

§. 28. Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, statuto, concessione, relaxatione, aliisque praemissis, ex eo quod super illis ipsius Alexandri praedecessoris litterae, eius superveniente obitu, confectae non fuerant, valeat quomodolibet haesitari: volumus, et apostolica auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, statutum, concessio, relaxatio, aliaque praemissa a dicta die XVI. Octobris anni MDCXC. suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri praedecessoris litterae sub datum eiusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur. Quodque praesentes litterae ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, statutum, concessionem, relaxationem, aliaque praemissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

§. 29. Ceterum, quia difficile foret praesentes etc.

§. 30. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae 1691. idibus Iulii pontificatus nostri anno I.

✠ EGO INNOCENTIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

† Ego Alderanus episcopus Ostiensis cardinalis Cybo.
† Ego Flavius episcopus Portuen. cardinalis Chisius.
† Ego Iacobus episcopus Tusculanus cardinalis Franzonus.
† Ego Petrus episcopus Sabinen. cardinalis de Alteriis s. r. e. camerarius.
†
†
† Ego F. tit. s. Mariae in Via presb. card. Maidalchinus.

Digitized by Google

Anno Christi 1592.	Clementis VIII. anno 1.	Rodulphi II. anno 16.	Religionis Minorum anno 385.

† Ego Carolus tit. s. Laurentii in Lucina presb. card. Barberinus.
†
†
†
†
† Ego Nicolaus tit. s. Callisti presb. card. Acciaiolus.
† Ego Gaspar tit. s. Mariae Transtyberim presb. card. Carpineus.
† Ego Caesar tit. ss. Trinitatis in Monte Pincio presb. card. d' Estrées.
†
†
†
† Ego Franciscus tit. s. Matthaei in Merulana presb. card. Nerlius.
† Ego Hieronymus tit. s. Silvestri in Capite presb. card. Casanate.
† Ego Galeatius tit. ss. Quirici et Iulittae presb. card. Marescottus.
† Ego Fabritius tit. s. Chrysogoni presb. card. Spada.
† Ego P. Thomas Hovardus tit. s. M. super Minervam presb. c. de Norfolcia.
† Ego Io. Baptista tit. s. Caeciliae presb. card. Spinula.
†
† Ego Savus tit. s. Petri in Vincula presb. card. Millinus.
†
† Ego fr. Laurentius tit. XII. Apost. presb. card. de Lurea.
† Ego Iacobus tit. s. M. in Aracoeli presb. card. de Angelis.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Ioannes tit. s. Petri in Monteaureo presb. card. de Gaessen.
†
† Ego P. M. tit. s. Marcelli presb. card. Petruccius.
†
†
†
† Ego Ioseph Saens tit. s. Balbinae presb. card. de Aguirre.
† Ego Leander tit. ss. Nerei et Achillei presb. card. Colloredus maior poenitentiarius.
† Ego F. tit. ss. Ioannis et Pauli presb. card. Carafa.
† Ego Bandinus tit. s. Thomae in Parione presb. card. Panciaticus.
†
† Ego F. tit. s. Clementis presb. card. de Abdua.
† Ego Tussanus tit. s. Agnetis extra moenia presb. card. de Ianson de Fourbin.
† Ego Io. Baptista tit. s. Laurentii in Pane et Perna presb. c. Rubinus.
†

✝ Ego Io. Baptista tit. s. Bernardi presb. card. Costagutus.

✝

✝

✝

✝

✝

✝

✝

✝

✝ Ego Flavius ss. Cosmae et Damiani diaconus card. Astallius.

✝

✝

✝ Ego Petrus s. Laurentii in Damaso diaconus card. Ottobonus s. r. e. vice-cancellarius.

✝ Ego Carolus s. Mariae in Cosmedin diac. card. Bichius.

✝

✝ Ego Aloisius s. Mariae in Portica diac. card. Homodeus.

✝ Ego Ioan. Franciscus s. Adriani diac. card. Albanus.

✝ Ego Laurentius s. Mariae in Aquiro diac. card. de Alteriis.

✝ Ego Franciscus s. Angeli in Foro Piscium diac. card. Barberinus.

XCV. Sacrarum rerum scientia idem Sanctus divinitus eruditus, plura ad sui aliorumque fovendam pietatem scripsit. Praeter *spiritualia exercitia*, de quibus nos egimus, scripsit *tractatum de veneratione et dignitate ss. sacramenti eucharistiae, praecipua mysteria vitae Iesu Christi usque ad ascensionem in coelis, et acta potiora virginis Mariae, et transitum s. Annae ipsius genitricis.* Haec omnia exornantur sacrarum litterarum oraculis, sanctorum patrum sententiis, et piorum scriptorum testimoniis. De eo etiam habentur iuxta Ioannem a s. Antonio *kalendarium totius anni, vita Christi, poemata varia de ss. Trinitate, de Christi nativitate, de s. Stephano, ac de s. p. Francisco.*

Ann. min. ad an. 1591 num 26

XCVI. S. Paschalis gesta primus omnium adnotavit Ioannes Ximenez eius socius ac eiusdem instituti in LX. capita. Eam latine factam exhibent Bollandistae tom. IV. sub die XVII. Maii. Italice eam vulgaverat Venetiis anno MDCVIII. Baretius in IV. parte chronicorum s. Francisci. Item Antonius Panes vitam ipsius scripsit idiomate hispanico. Christophorus de Arta procurator canonizationis in curia romana edidit vitam et quae acta fuerunt pro eius beatificatione, ac sanctificatione, quam latinam fecit Cherubinus de Pieve di Sacco minister provinciae observantium s. Antonii Venetiarum anno MDCXCI. Acta eius etiam notarunt d. Vincentius Blasco in historia Aragoniae tom. II. lib. 3. cap. 10. et 11. Marianus ab Oscelar lib. V. chronicorum, Benedictus Mazzara in legendario franciscano, Philippus Ferrerius in catalogo generali ss. ad diem XVII. Maii, aliique permulti.

Wadding. de script. et Sbaralea tit. F.

XCVII. Occubuerunt et hoc anno viri docti. Die XVII. Februarii decessit Franciscus a Valloncapella Audomarensis ex familia minorum observantium, Namurcensis episcopus et suffraganeus archiepiscopi Cameracensis anno MDLXXX. delectus. Alexandro Farnesio duci Parmae, ac copiarum in Flandria praefecto gratissimus fuit. Anno mox transacto collatum ei fuit munus prioratus Vallis Scholarium. Interfuit anno MDLXXX. concilio Cameracensi. Eximia eloquentia donatus, *sacras conciones* posteris reliquit, quas scripserat et habuerat magno

Digitized by Google

omnium solatio. Edidit etiam *librum de stationibus urbis Romae*. Inter eosdem fratres in conventu Montispolitiani obiit Nicolaus Cortonensis theologus, et ecclesiasticus eximius, serenissimorum mag. ducum Hetruriae Francisci Medicaei, Ioannae Austriacae, et Blanchae piarum mulierum e confessionibus ac theologus acceptissimus, quem proinde rectorem posuerunt insignis hospitalis ss. Innocentium Florentiae. Extitit illius provinciae bis definitor. In conventu Aracoelitano de Urbe excessit e vita Carolus Beroardi a Castillione eorumdem Medicaeorum familiae consanguineus, prius canonicus regularis, ac inde minorita de observantia. Fuit minister provinciae Terrae Laboris, in qua eidem ordini nomen dederat. *Terrinca p.* 78. *Idem pag.* 78.

XCVIII. Desideratus est inter minores conventuales Lucius Anguisciola Placentinus, qui praeter caetera officia in ordine ab ipso obita, inquisitoris munus explevit, ac sacro Tridentino concilio interfuit. Tradunt eum scripsisse *opuscula multa, et quaestiones miscellaneas. Conformitates vero s. Francisci ad Christum fr. Bartholomaei Pisani minoritae a Hieremia Buchio Utinensi parum castigatas* typis Bononiae demandare curavit an. MDXC. Placentiae in ecclesia sui ordinis positum fuit hoc epithaphium: *fratri Lucio Anguisciolae Placentino theologo clarissimo, studiorum Mediolanen. Bononien. et Veneti praefectura saepius et praeclare functo, et in Bononiensi accademia naturalis divinaeque philosophiae professori eximio, qui vixit annos* LXXII. *Obiit Bononiae die* VII. *Octobris* MDLXXXXII. *Fr. Lelius de Medicis ex sorore nepos avunculo de se benemerito p. an. p.* MDCI. *die* III. *Augusti.* *Sbaralea tit. L.*

XCIX. Florebat hoc tempore eximio ingenio inter minores observantes Augustinus de Cupitis ex provincia Principatus in regno Neapolitano, divinis humanisque litteris mire excultus, qui edidit apud Iulium Cacchium Vicoaequensi hoc anno *le rime spirituali*. Scripsit etiam *poema in laudem s. Catharinae m.* Nuncupavit comiti de Olivares pro-regi Neapolis *poema* item italico versu sub titulo *poeta illuminatus* incipitque: *canto o cigni etc.* Bernardinus Dinius Uzzanensis provinciae Tusciae, in philosophia, theologia ac historia peritus scripsit subtiliter *commentarios in dialecticam, physicam, libros de anima, de angelis aliaque;* et italice *historiam principum ducumque familiae Cybo ad annum usque* MDXCII. Haec omnia mss. adhuc extant. Isidorus Venetus ea in civitate anno MDLXXXVIII. typis Ioannis de Gara vulgavit *lectiones Cornelii Mussi in psalmum de profundis*, additis argumentis. Hoc anno ibidem typographo Ioanne Baptista Ciotto edidit *conciones* XXVIII. *italicas et extraordinarias Francisci Panigarolae eiusdem instituti cum notis a se additis.* Bononiae praelo Ioannis Rubei item hoc anno publici iuris fecit *conciones tres Parisiis ab eodem Panigarola habitas cum notis.* Anonymus Hispanus provinciae Angelorum edidit Salamanticae apud Ioannem Fernandez vernacule *statuta peculiaria pro regimine laudatae provinciae.* Anno MDCXXVII. Hispali prodierunt *ordinationes pro regimine eiusdem provinciae.* *Wadd. et Sbaralea tit. A.* *Sbaralea tit. B.* *Idem tit. I.* *Idem tit. A.*

C. Ingenio, prosa, latino, vulgarique versu florebat etiam hoc tempore inter minores conventuales Caesar Lippus a Mordano, agri Imolensis oppido in provincia Bononiensi, qui *theoremata* CCL. *theologica, ac philosophica* Veronae die XXIV. Maii praesentis anni publice disputata, dum ibi regentis munus obibat, vulgavit ea in urbe per Sebastianum a Donatis. De eo non immerito Lazarus Cardona Siculus iuris utriusque doctor hoc instruxit epigramma. *Idem tit. C.*

Dum canis historias, vatumque poemata narras;
Facundus verbis numina cuncta moves.

Digitized by Google

Idem tit. I.

CI. Venetiis hoc anno vulgavit Iulius Genellus Montagnanensis provinciae Venetae opusculum, titulo *duodecim mirabiles gyros ad mentem Platonis, Aristotelis, et theologorum, totum cursum logicae, philosophiae, ac theologiae circumambientes cum tribus quaestionibus de obiecto, et subiecto ad Alexandrum cardinalem Perettum.*

CII. Instituuntur ex minoritis discalceatis episcopi. Ad ecclesiam Insulae s. Thomae in Africa, sive in regno Congi sub archiepiscopatu Ulyssiponen. electus est Franciscus a Villanova ex Pietatis provincia: *Apostolatus officium* XIII. calendas Martii. Ante ipsum diu haec sedes maximo rei christianae detrimento vacavit. Nam ad hanc regendam ecclesiam ex eodem instituto Antonius Gliova postremo destinatus, contradicente sibi in episcopali munere illius insulae praefecto, non multo post in Portugalliam remeare coactus est. Caeterum fere omnes franciscani eam ecclesiam administrarunt. Omnium primus praesedit, Ioanne III. Lusitaniae rege, Antonius a s. Dionysio, qui ut

De Gubernatis de missionibus antiquis pag. 641.

scribit p. Dominicus de Gubernatis *tam in insula praefata, tam in universo Congi regno praesidebat. Hic tum exemplaritate vitae purioris, tum efficacia praedicationis, atque indefessa pastoralis officii solicitudine, postquam populum fere sine numero Christo per salutare lavacrum regenerasset, antiquos gentis abusus atque superstitiones emendasset, post sanctissimos annis plurimis exantlatos labores, tandem plenus dierum et bonorum operum, ecclesia sua sancte composita, pie obdormivit in Domino, maximo cum totius populi moerore tumulatus.* Ad ecclesiam Stephanensem delectus est: *Apostolatus officium* XIII. calendas Iulii Nicolaus Necansius.

CIII. Scribit Franciscus Panigarola Astensis episcopus in epist. lib. 5. hoc anno data, Franciscum Rasinum Martinengo ab Osasio provinciae s. Thomae in Pedemontio sodalem suum, qui a consiliis sacrisque confessionibus Emmanuelis Sabaudiae ducis, eiusque in Belgium, Gallias, Hispanias, in Urbem nuncius, ac magnus eleemosynarius fuerat, ab eodem duce nominatum fuisse ad archiepiscopatum Taurinensem, ac res successu, inscia ratione, caruisse. Anno tamen MDC. Niciensem ecclesiam obtinuit. Franciscus a Tolosa generalis ordinis minister die V. Decembris instituit Franciscum de Arzubiaga, indulgente etiam Philippo II. Hispaniarum rege, commissarium generalem Indiarum in curia eiusdem regis commorantem.

Idem tom. 1. p. 290.

Ann. min. ad ann. 1587. n. 110.

CIV. Ex minorum conventualium instituto episcopalem dignitatem obtinuerunt Horatius Bellotus Venetus: *Apostolatus officium* VI. idus Aprilis pro ecclesia Nonen. Non ergo iuxta Hyacinthum Sbaralea anno MDLXXXVII. ad hanc ecclesiam fuit assumptus. Nicolaus Arresdoffius: *Apostolatus officium* V. calendas Decembris munus accepit regendae ecclesiae Acconen. sive Ptolemaidis. Eligit summus pontifex Augustinum cardinalem Cusanum protectorem min. conv. *Cum ordo* die V. Februarii.

CV. Hoc anno Benedictus Garrettus episcopus Chiensis anno MDLXXVII. ad hanc ecclesiam destinatus, unanimi omnium civium placito concessit patribus societatis Iesu ecclesiam a s. Antonio dictam, et peramplam aedem, quam unus tantum religiosus incolebat, in eadem civitate positam. At inde moto dissidio, parum adfuit, quin iesuitae pellerentur ab Insula. At agentibus apud pontificem episcopo, et optimatibus, Clemens pontifex dato diplomate die II. Aprilis an. MDXCVI. ratam habuit cessionem iam peractam. Ceterum *recentes*, ut habet cl. Sacchini, *evangelii copiae advenerunt, quas Benedictus Garret-*

Iuvencius hist. societ. Iesu part. 5. pag. 436.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1592.	anno 1.	anno 16.	anno 385.

tus ordinis franciscani, quem discalceatorum vulgo vocant, Insulae antistes excepit perhonorifice.

CVI. Cum autem Turcarum furore Bosnensis ecclesiae, finitimorum locorum, terrarum, et regionum catholica fides maculata esset, christifidelium mores depravati, et quamplures abusus penes eos inoleverint, ideo pontifex Francisco de Stephano minoritae de observantia episcopo Bosnen. hoc anno electo, quasdam attribuit facultates, ut ad sui puritatem fidem, moresque illarum gentium solicite restituere curaret.

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabili fratri Francisco episcopo Bosnen. salutem et apostolicam benedictionem.

Cupientes pro nostro pastorali officio et charitate tam personas tuae curae commissas, quam alias regionum, terrarum, et locorum tuae dioecesis Bosnen. finitimorum dominio Turcarum subiectorum proprio pastore carentes, et a recto catholicae religionis, et ecclesiasticae disciplinae tramite deviantes, ad gremium sanctae matris ecclesiae reducere et conservare posse, fraternitati tuae, de qua et his et aliis plurimum in Domino confidimus, ut quotiescumque a fidelibus et populis regionum, terrarum et locorum praedictorum requisitus fueris, ad illas et illa accedere, et tam clericos et presbyteros saeculares, et regulares quam plebes et populos, illorumque personas in eisdem regionibus, terris et locis commorantes, citra praeiudicium ordinarii loci visitare, et iuxta sacras et canonicas sanctiones corrigere et reformare, confirmationis sacramentum infantibus et aliis petentibus conferre, clericos quos ad id idoneos esse compereris ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, servata forma concilii Tridentini, promovere, et cum male promotis, ut in dictis ordinibus, ac etiam in altaris ministeriis ministrare valeant, ac super quacumque irregularitate, praeterquam ex homicidio voluntario et bigamia, ac simonia reali provenienti dispensare, necnon idoneos sacerdotes ad curae animarum administrationem in locis in quibus tibi opportunum esse videbitur deputare, ac eos qui in tertio vel quarto simplici, ac tertio et quarto mixto consanguinitatis, et seu affinitatis gradibus scienter vel ignoranter hactenus, sive de praeterito tantum contraxerunt, ab excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, necnon incestus reatu, et excessibus huiusmodi etiam in utroque foro, iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari absolvere, et cum eisdem, ut impedimentis graduum consanguinitatis et seu affinitatis huiusmodi non obstan. in matrimoniis huiusmodi remanere, vel ea de novo in facie ecclesiae contraere valeant, gratis dispensare personas quascumque a quibusvis criminibus, excessibus, et delictis quantumcumque gravibus et enormibus etiam sedi apostolicae reservatis ac in bulla Coenae Domini contentis, atque ecclesiasticis censuris propterea incursis, si id a te humiliter petierint, iniunctis salutaribus poenitentiis, atque aliis iniungendis, in foro conscientiae tantum absolvere. Postremo ut in domibus christianorum, et aliis honestis locis, quotiescumque fidelium devotio et necessitas id exposcere videbitur, et ecclesiarum commoditas facile haberi

Ex reg. secr. brev. in mense Maio pag. 117.

Digitized by Google

non potest, ut super altare portatili missam per te ipsum celebrare, et aliis idoneis et approbatis sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus tibi benevisis, ut super altare huiusmodi in domibus ac locis praedictis celebrare valeant, impartiri libere et licite possis et valeas plenam, amplam, liberam, et omnimodam facultatem concedimus et potestatem ad septennium dumtaxat duraturam. Mandantes universis personis provinciarum, et locorum praedictorum, ut tibi in visitatione, ac correctione, et reformatione huiusmodi iuxta praesentium litterarum continentiam et tenorem in omnibus et per omnia pareant, faveant et assistant. Contradictores etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xv. Maii pontificatus nostri anno i.

CVII. Hoc eodem anno Georgius Benigni minorita conventualis delegationis apostolicae auctoritate munitus mittitur a pontifice ad reformandas aliquot eiusdem ordinis provincias hoc dato diplomate.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto filio Georgio Benigni in sacra theologia magistro ordinis fratrum min. conv. professori salutem et apostolicam benedictionem.

Ex cod. regesto in mense Oct. p. 127.

Inter gravissimas curas, quae nobis assidue incumbunt de religiosorum statu reformando cogitantes, cum ad quaelibet loca longo praesertim terrarum spatio disiuncta ipsi accedere nequeamus, eorum virorum quorum fides, pietas, integritas, et catholicae religionis zelus comprobatur, ministerio utendum censuimus. Cum itaque non sine magno animi nostri dolore acceperimus, instigante humani generis adversario, et praecipue tentante, ut regularis et ecclesiasticae disciplinae norma et observantia inter religiosos ordinis minorum conventualium infrascriptorum regnorum, provinciarum, et locorum vel minatur, vel saltem frigescat, nos qui ex debito pastoralis officii christifidelium omnium sed praecipue religiosorum pia studia fovere, ac ad debitam vivendi normam reducere tenemur, praemissis incommodis, qua decet ratione occurrere cupientes, ac de tua probitate, integritate, fide, et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio, et ex certa scientia maturaque deliberatione nostris te in provinciis Austriae superiori et inferiori, ac Bohemiae, Poloniae, Prussiae, Lithuaniae, Hungariae, Coloniae, Argentinae regnis, provinciis, ditionibus et locis universi ordinis fratrum min. conv. s. Francisci, illiusque domorum, monasteriorum, conventuum, membrorum, et locorum, nostrum et apostolicae sedis visitatorem, reformatorem, et delegatum apostolica auctoritate tenore praesentium constituimus et deputamus, mandantes tibi ac plenam et liberam facultatem tribuentes, ut omnes et singulos huiusmodi domos, monasteria, conventus, et loca, eorumque guardianos, priores, ministros, et alios superiores ac reliquos fratres visitare, ac tam in capite, quam in membris corrigere et reformare, in eorum mores, vitam, et instituta diligenter inquirere, abusus quoscumque tollere et abrogare, depravatos mores reformare, regularem disciplinam, et regularum institutarum observantiam, ubi collapsa sit, restituere, quoscumque delinquentes et criminosos iuxta eadem regularia

Digitized by Google

instituta, et sacrorum canonum dispositionem debitis poenis coercere, provinciales, guardianos, priores, et alios officiales, si id ad rectum dicti ordinis in illis partibus gubernium expedire iudicaveris, de consilio tamen cardinalis protectoris deponere, ac alios probatae vitae et incorruptorum morum exemplares in eorum locum huiusmodi, seu illorum bonorum administrationem laicis adimere, et ad illam personas ex eodem ordine integras et fideles deputare, conventus et loca quarumcumque provinciarum destitutarum vicinioribus provinciis unire, et aggregare, novitiatus, ac etiam studia ad imbuendos religiosos sacrae facultatis in conventibus ad hoc magis aptis constituere, aliaque in praemissis, et circa te, quae ad morum reformationem, et regularis ecclesiasticaeque observantiae restitutionem necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna facere et exequi, inobedientesque et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia compellere et coercere libere et licite possis, valeas, et debeas, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, districtius inhibentes omnibus et singulis provincialibus, prioribus, guardianis, ministris, superioribus et fratribus dict. regnorum, provinciarum et locorum, ac aliis quos praemissa quomodolibet concernunt, seu concernere poterunt, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, conditionis existant, sub indignationis nostrae, ac excommunicationis latae sententiae poenis eo ipso incurrendis, ut tibi in praemissis omnibus et singulis pareant, faveant, et assistant, neque aliquo pacto te aut a te subdelegandos super eisdem praemissis impedire, molestare, perturbare quoquomodo audeant, seu praesumant, irritum nihilominus decernentes et inane, quidquid etc. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus, ac si ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus etc.

Datum Tusculi die v. *Octobris pontif. nostri anno* I.

Eum commendatum voluit pontifex: *Tametsi* die VIII. Octobris Rodulpho romanorum imperatori, Sigismundo Poloniae regi: *Mittimus*, Ferdinando archiduci Austriae: *Dilecto filio*, et Maximiliano item archiduci Austriae: *Dilecto filio*, litteris sub eadem die signatis.

CVIII. Manus item admovit hoc tempore idem pontifex ad restituendam pristinam disciplinae integritatem in sanctimonialium monasteriis regni Portugalliae et Algarbiorum, quae tamen ut firma semper consisterent, sequentia statuit, ac observanda mandavit.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad apostolicae servitutis onus divina disponente clementia vocati, ex iuncto munere compellimur, a dominico grege nostrae fidei credito, mentem atque oculos nunquam avertere, ut collapsos fidelium mores, veteri disciplina quamprimum restituta, et pravis consuetudinibus sublatis, ad pristinam integritatem quantum cum Domino possumus, revocemus. Considerantes igitur quantum ex monasteriis mulierum pie institutis et recte administratis feminei sexus devotio, et virorum pietas, ac divini cultus fervor augeatur in universis monasteriis

Ex cod. reposito in monast. Nov. p. 144.

Digitized by Google

monialium regni Portugalliae et Algarbiorum, eiusque provinciarum et dominii. quorum Iesus Christus Dominus noster sponsus est, praesentem reformationem edidimus, atque observandam constituimus, ut eaedem moniales in puritate et castitate superaedificantes, in eodem sponso Christo inhabitent, et ad regulam quam professae sunt, praescriptam, vitam et mores conforment. Cuius reformationis tenor talis est.

Caput I.

De numero puellarum in monasteriis recipiendarum.

In singulis monasteriis monialium eiusdem regni, illiusque provinciarum, ac dominii, is tantum numerus tum monialium, tum servientium, tum conversarum in posterum constituatur, atque conservetur, qui ex reditibus propriis monasteriorum, et ex consuetis certisque eleemosynis possit commode sustentari.

Caput II.

De puellarum voluntate ab ordinariis exploranda.

Novitiarum voluntas ab ordinariis in monasterii ecclesia extra clausuram exploretur, ut novitiae ipsae liberius propriam voluntatem declarare, suumque propositum tueri possint.

Caput III.

De electione novitiarum magistrae.

In singulis monasteriis quolibet biennio novitiarum magistra eligatur, nisi forte quaedam monasterii constitutiones id prohibeant, vel nisi eiusdem monasterii superiores alicui magistrae, quae munus suum diligenter et fructuose exercuerit, prorogationem ad aliud tempus ipsis benevisum constituendam duxerit, quae sola magistra curam novitiarum gerat, exclusis a quocumque istius muneris officio caeteris omnibus, vel iis etiam, quae ipsis aliquo propinquitatis vinculo sunt coniunctae, quod quo maiorem habeat facultatem, earumdem novitiarum intra monasterii clausuram separatus et distinctus locus, ubi id commode fieri poterit, constituatur.

Caput IV.

De vita communi.

Quia vero moniales quidquid habent et quidquid acquirunt, quomodocumque illud habeant et acquirant non sibi sed monasterio habent et acquirunt, ideo quaecumque ad victum et vestitum necessaria ex eleemosynis, quotidianoque opere aut haereditate, legatis, donationibus, caeterisque obventionibus et acquisitionibus collegerint, in commune conferant atque aequalitatem in victus ratione servent, abdicentque a se quarumcumque rerum fructus, et reditus ad singularum usum attributos vel reservatos, necnon quaecumque propria bona monasterio perpetuo cedant atque renuncient sub poena privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrenda, necnon sub aliis a sacris canonibus et regulis contra eas editis poenis, quas abdicationes, cessiones, et renunciationes abbatissae seu monasterii praefectae in monasteriorum beneficium, et utilitatem recipere et acceptare teneantur; ipsae vero abbatissae, seu monasterii praefectae, monialibus praedicta renunciationibus victum et vestitum decentem, et quidquid praeterea iuxta regulae institutum et paupertatis, quam professae sunt, statum, eisdem ad eorum commodam sustentationem necessarium fuerit, opportune sumministrare omnimodo debeant, ac teneantur.

Digitized by Google

Caput v.

De dormitorio.

Moniales et servientes, seu conversae singulae singulas cellas habeant, nec plures in eadem cella cohabitent, neque simul in eodem lecto, sed omnes in singulis suis, ac separatis cubilibus dormiant. Neque posthac in monialium vel servientium, seu conversarum numerum aliaqua asciscatur, cui non eodem tempore cella monasterii muro, vel coemento, vel asseribus, seu panno lineo, si dormitorium commune fuerit, distincta assignetur, nisi per dotalem eleemosynam parentes, seu affines ingressuram cellam propriis impensis extruxerint. Quod si monasterium ubi dormitorium commune non sit, dicta cella caruerit, vel si commune fuerit, ibi locus non supersit, in quo proprius lectus, vel cella panno lineo distincta constitui possit, nulla illuc tunc admittatur.

Caput vi.

De monialibus assectatricibus, quae associatrices nuncupant.

Singulis monasteriis quatuor moniales sociae vel assectatrices, vulgo associatrices ex superioribus deputentur, quae ad hoc habiles sint, quarum duae saltem confessarios, medicos, chirurgos, aliosve monasterii clausuram de ordinariorum vel superiorum licentia ingressuros semper comitentur; quo tempore caeterae moniales seorsum in aliquo monasterii loco se tantisper contineant, ut ab ingredientibus videri minime possint.

Caput vii.

De ianitricum, et sacristarum aetate.

Ianitrices et sacristae nonnisi eae moniales, quae ad minus quadragesimum annum expleverint, deputentur.

Caput viii.

Ne moniales litteras vel chirographa mittant, vel recipiant.

Nulla monialis litteras aut chirographa scribere aut recipere absque abbatissae vel monasterii praefectae licentia ullo modo possit sub poena carceris per mensem in propria cella, et ieiunii trium dierum in hebdomada, durante dicto mense servandi, ipso facto incurrenda.

Caput ix.

De causis ingressus episcoporum et aliorum in monasterium.

Ordinarii et monasteriorum atque ordinum superiores et ingressu in septa, seu interiora monasterii loca abstineant, nisi causa videndi clausuram, an tuta et conveniens sit, vel ad aliquod aedificium necessarium praeparandum, aut decernendum, vel ut habeatur capitulum visitationis ad morum correptionem inducendam, vel ut alicui scandalo imminenti occurratur; quibus casibus duos sacerdotes seniores secum adducant, quorum aspectus gravis et venerandus sit, et quorum vitae sanctimonia conspicua et exemplaris existat; neque eosdem sacerdotes monasteria nisi cum ipsorum ordinariorum et superiorum praesentia, ubi necessitas, ut praefertur, id postulaverit, perlustrari permittant.

Caput x.

De religiosis ne ad monasterium accedant.

Nullus religiosus cuiuscumque ordinis aut gradus existat ad monialium monasterium, vel prope accedat (superioribus, seu visitatoribus exceptis) nisi superiorum iussu pro celebrandis missis, aliisve divinis officiis, vel pro habenda verbi Dei concione; quibus casibus cum monialibus, vel alia mu-

liere, quae in ora clausuram degat, minime colloqui possit, alias in poena privationis vocis activae et passivae vel eo ipso incurrat.

Caput xi.

De confessariis.

Confessarii ordinarii sive extraordinarii, qui in locis pro audiendis sacris confessionibus deputati, solum manere debent, nonnisi de iis, quae ad confessionem sacramentalem, vel vitam spiritualem dirigendam pertinent, vel pro spirituali consolatione monialibus aliquo casu tribulatis afferenda, seu pro alia occasione simili cum monialibus sermonem vel colloquium miscere possint, alias facultate audiendi confessiones tam ipsarum, quam aliarum quarumcumque monialium sint ipso facto privati, nec in locis colloquiorum, seu parlatoriis, nisi cum ordinariorum, vel superiorum licentia cum monialibus colloquantur, neque ab eis munera vel eleemosynas recipiant, sicut decet, sub eadem poena privationis vocis activae et passivae ipso facto prorsus incurrenda.

Caput xii.

Ne confessarii pernoctent in aedibus monasteriorum.

Iidem confessarii in aedibus monialium, vel quae monasterii sunt contiguae non pernoctent, si modo in civitate vel oppido sit monasterium virorum, aut alius eiusdem ordinis et religionis locus, ubi confessarii versari possint; quod si necessitas id requirat, si nimirum aliqua monialis in articulo mortis constituta sit, in aedibus eidem monasterio vicinis, modo huiusmodi aedes aditum, rotam, vel cratem, aut etiam prospectum aliquem sub poena privationis vocis activae et passivae eo ipso incurrenda, in idem monasterium non habeant, possint cum uno socio religioso permanere (non tamen alium, neque etiam religiosum secum admittere valeant); quibus in aedibus prandere minime possint, nisi in diebus generalium confessionum, et tunc demum, si virorum eiusdem ordinis ac religionis monasteria longe distarent.

Caput xiii.

De medicis.

Medici, chirurghi, et phlebotomiam exercentes ab ordinariis, vel monasteriorum superioribus deputentur, qui sint aetatis provectae, et qui omnis turpitudinis suspicionem careant; nec medici extraordinarii alicuius monialis rogatu, nisi urgenti ex causa ab ordinario approbanda admittantur.

Caput xiv.

De invehentibus baiulis, seu onera ferentibus.

Invehentibus et baiulis, seu onera ferentibus, et qui intra septa cuiuscumque monasterii vinum, oleum, atque alimenta, vel quaecumque alia necessaria importaturi sunt, monasterium ingrediendi facultas nonnisi interdiu, et iis tantum, qui ordinario superiori et abbatissae noti sint, licentia in scriptis concedatur; quae licentia abbatissae vel monasterii praefectae, priusquam ad monasterii ingressum admittantur, praesentetur, debeantque ordinarii et monasteriorum superiores praedictorum onera ferentium nomina habere, quae nomina etiam per abbatissam vel monasterii praefectam conserventur.

Caput xv.

De licentia impetranda, ut quis cum monialibus colloqui possit.

Nemo quantumvis sanguinis coniunctus sive mas sit, sive femina cuiuscumque sit conditionis, laicus, aut clericus, vel sacris ordinibus initiatus saecularis aut religiosus (parentibus tamen et fratribus germanis exceptis) possit

Digitized by Google

cum monialibus, neque cum quavis alia, quae se intra monasterii septa incluserit, in dictis locis, quae parlatoria nuncupantur, colloqui sine licentia in scriptis obtinenda, quam ab ordinariis locorum, aut a superioribus regularibus monasterii impetrari, et in actis curiae episcopalis ad tollendas fraudes registrari debeant; nec ordinarii, seu monasterii superiores nisi ad tempus, et ut praefertur in scriptis, neque in diebus, quibus moniales sacram eucharistiam sumunt, neque in hebdomada sacra, neque in festivis solemnitatibus iuxta ecclesiae et monasterii constitutiones praedictam licentiam cuiquam concedant. Huiusmodi autem licentia antequam moniales ad dicta loca seu parlatoria accedant, abbatissae sive monasterii praefectae ostendatur, quae praecipiat, ut moniales ad hoc deputatae colloquiis cuiuscumque monialis intersint etiam quando cum parentibus colloquentur, nisi negotium de quo tractaturi sunt secretum exposceret, quo casu, sanguine coniunctis liceat alloqui, remotis arbitris, abbatissae tantum arbitrio. Quod si abbatissa sive monasterii praefecta, aliaeve deputatae personas aliquas absque ordinarii vel monasterii superioris licentia ad colloquendum cum monialibus admiserint, abbatissae seu praefectae tribus diebus continuis ieiunio et septem psalmos recitet, et alia poena arbitrio ordinarii vel superioris puniantur. Caeterae vero moniales poenam carceris in propria cella per mensem servandi luant, et singulis sextis feriis eiusdem mensis ieiunent, et septem psalmos recitent.

Caput xvi.

De loco allocutionum sive parlatorii.

In quolibet monasterio duo ad summum extra ecclesiam loca allocutionibus destinata, quae parlatoria nuncupantur, sint, quae fenestrinis careant, et clave interius claudantur; nec monialis ulla ad dicta loca accedat, nisi vocata, et habita licentia a monasterii praefecta, nec nisi praesentibus monialibus deputatis, quae colloquiis intersint, cum aliquo colloquantur, dictaque loca exterius careant omnino foribus, ita ut claudi nequaquam possint, nisi in vias eorum pateat aditus; eo enim casu ostium clave erit occludendum.

Caput xvii.

De locis allocutionum sive parlatoriis cuiusmodi esse debeant.

In dictis locis sive parlatoriis sint duae crates ferreae ita angustae, ut in illas manus unius inseri non possit, eaeque inter se tanto distent intervallo, quantum latitudo muri patietur. Interius vero, quae in parlatoria moniales commorantur, extendatur lamina ferrea perfracta, eiusque foramina latitudinem non excedant parvi calami rotunditatem, nec ullo tempore maiora fiant, atque ea in lamina (integris tamen remanentibus ferreis cratibus) parvula insit fenestra altitudinis, latitudinisque unius palmi. Haec clave claudatur apud abbatissam servanda, neque unquam aperiat, nisi quando ad colloquendum parentes admittuntur. In monasteriis autem in quibus hactenus laminarum usus non est inductus, sufficiat quod crates ferreae invicem distantes sint, dummodo in exteriori parte infixi sint clavi eminentes et acuti, quibus arceatur facies colloquentium, ne crati adhaereant.

Caput xviii.

Ne quis in ianuis monasteriorum sermonem conferat.

In ianuis clausurae monialis nulla etiam cum licentia, cum quoquam loqui possit, iis tamen exceptis, qui ob necessarios monasterii usus in illud ingrediendi licentiam habuerint.

Caput xix.

De parvulis fenestris pro confessionibus audiendis, et eucharistiae sacramento administrando.

Ad confessiones monialium audiendas, et eucharistiae sacramentum administrandum duae fenestrae parvulae in ecclesiae pariete fiant: ea tamen, quae sacramento poenitentiae destinata erit, non sola crate ferrea, sed immobili lamina septa sit, quae nunquam tolli aut aperiri possit, et minutim perforatur, ut per eam confessarius et poenitens monialis invicem se intueri minime queant; alia vero sacrae communioni destinata longitudinis unius palmi sit, latitudinis vero medietatis unius item palmi, quae binis foribus ferreis sit munita, quarum alterae interiores nimirum clave per abbatissam conservanda obserentur; alterae exteriores videlicet clave pariter per cappellanum retinenda claudantur; atque haec sacrae communioni destinata fenestra nunquam pateat, nisi pro communicandis monialibus, eisdemque confirmandis, et nisi pro habitu eisdem imponendo. vel pro aliqua moniali ad professionem recipienda.

Caput xx.

De loco ad benedictiones.

Ordinarii et superiores pro benedicendis monialibus, ubi benedici solent, septa monasterii ingredi nequeant, sed per crates monialibus intra septa permanentibus id exequantur; candelarum quoque, cinerum, palmarum benedictio in ecclesia pro eucharistiae sacramento ministrando extructa, ipsae candelae, et palmae monialibus distribuantur.

Caput xxi.

De vestibulo ante fores monasterii instruendo.

In exteriori porta cuiuscumque monasterii clausurae sit vestibulum seu domuncula, quae clavi obseretur, ubi reservata exteriori ianua, et interiori adhuc clausa, res quae in monasterium erunt importandae ab invehentibus nulla moniali ibi existenti reponantur, post quorum recessum, et clausa ianua exteriori, moniales res intra vestibulum requisitas inferant. quam tamen vires monialium in illis perferendis pondere non excedant, nec nisi prius clausa exteriori ianua, interiorem aperiant. ne ab invehentibus vel aliis videantur.

Caput xxii.

De rimis in monasterii parietibus existentibus obstruendis.

Si in monasteriis fenestrae aliquae. vel rimae, sive foramina sint, unde moniales extra monasterium aspectum habeant, vel ipsae exterius possint inspici, cito muro claudantur; fenestrae tamen aliquae ad lumen respiciendum reliquantur, dummodo per eas moniales nullo modo inspicere aut inspici possint.

Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus primatibus, archiepiscopis, episcopis dictorum regnorum et dominiorum in virtute sanctae obedientiae mandamus, quatenus in suis quisque civitatibus et dioecesibus praesentes nostras litteras publicari faciant, ac in monasteriis monialium sibi ordinario iure subiectis, et in his quidem quae ad romanam immediate spectant ecclesiam sedis apostolicae auctoritate; abbates vero generales, provinciales, et alii ordinum superiores tam exempti, quam non exempti in monasteriis huiusmodi sibi subiectis praesentem reformationem quamprimum fieri poterit, servari procurent; contradictores quoslibet et rebelles, et praemissis non parentes per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione postposita, et recursu posthabito

Digitized by Google

compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis. Et ut praemissa facilius observentur, dilecto filio nostro Alberto tituli s. Crucis in Hierusalem presbytero cardinali nostro et apostolicae sedis in dictis regno et dominiis de latere legato iniungimus et mandamus, ut dictae sedis apostolicae auctoritati omnia ab iis, ad quos spectat inviolabiliter observari, et executioni mandari faciat, omnesque magistratus temporales requirimus, et enixe in Domino hortamur, ut requisiti in praemissis omnibus eisdem primatibus, archiepiscopis, episcopis, et aliis monialium superioribus adsistant, suumque favorem et auxilium praestent. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xvi. Novembris pontificatus nostri anno i.

CIX. Gottefridus Iones Anglus franciscanus strictioris observantiae zelo fidei accensus, hoc tempore ex Urbe in Angliam se contulit, ut suorum consanguineorum, amicorum catholicorum, imo et haereticorum saluti prospiceret. Antequam discederet summum pontificem exoravit, ut pro demandato sibi negotio feliciter explendo, apostolicam benedictionem sibi impertiri dignaretur. Cui pontifex benedicens dixit: *vade, fili; credo te verum esse s. Francisci religiosum. Deum pro me et sancta matre ecclesia exora.* Reliqua de tanto viro suo loco erunt commemoranda. *Certamen seraphicum pag.* 13.

CX. Vincentius a Paulo maiorum suorum voluntate ab anno MDLXXXVIII. missus fuerat in coenobium Aquae Tarberllicae in Vasconia fratrum minorum conventualium, ut ab eisdem fratribus in doctrina et pietate imbueretur. Mira sui ingenii, et probitatis specimina edidit quatuor annorum spatio, quos inter diversatus fuit. At ad maiora pro Dei gloria suscipienda vocatus, coenobium hoc anno dimittens, totum ad animarum lucra se dedit. Lazaristarum, sive missionum congregationem instituit, sanctisque legibus communivit, longe deinde lateque propagatam. *In eius vita lib.* 1. *num.* 8.

CXI. Dimisso ss. Quirici et Iulittae titulo, Franciscus Maria ex marchionibus s. Mariae de Monte presbyter cardinalis de Monte nuncupatus, hoc anno titulum adeptus est s. Mariae de Aracoeli de Urbe. In mense Iulio Petrus de Espinac archiepiscopus Lugdunensis consecravit ecclesiam clarissarum Segusii, ac altaria ss. Rosarii nimirum, s. Annae, et s. Antonii. *Ciaconius tom.* 4. *col.* 194. *Ex Gallia christ. tom.* 3. *pag.* 513.

CXII. Alexander Farnesius Parmae et Placentiae dux, ac Belgii copiarum praeses Bruxellis Attrebates profectus, ingravescente morbo ob igneae balistae ictum in brachio infra cubitum quo fuerat sauciatus prope Caudebecum, hoc eodem anno in coenobio s. Vedasti occubuit, capucinorum habitu indutus. Parmam inde translatum, in capucinorum ecclesia eiusdem civitatis tumulatum fuit, hoc epithaphio lapidi insculpto: *Alexander Farnesius, Belgiis devictis, Francisque obsidione levatis, ut humili hoc loco eius cadaver reponeretur, mandavit* III. *nonas Decembris* MDXCII. *et ut secum Mariae Lusitaniae coniugis optimae ossa coniugerentur illius testamentum sequutus annuit.* *Spondanus ad an.* 1592. *n.* 7. *et seq.* *Bouvius ad hunc an. n.* 11. *et* 12.

CXIII. Aliqua praecipit et indulget summus pontifex. Decernit licere christifidelibus missas audire et sacramenta recipere in ecclesiis regularium: *Significatum fuit* die xii. Decembris; eximit ab administratione rerum temporalium monasterii sive seminarii puellarum orphanarum oppidi Vallisoleti Placentinae dioecesis fratres minores de observantia: *Exposuit* die xvi. Augusti; moderatur constitutiones Sixti v. circa illegitimos et criminosos quoad habitum religiosum suscipiendum in regnis Hispaniarum: *Altissimae paupertatis* die xxv. Aprilis; iubet ne fratres conventuales Savonen. sacra solemnia peragant, et

domum aedificent in oratorio s. Sixti: *Exponi nobis* die v. Martii; assignat annuam pensionem quibusdam episcopis in regionibus infidelium commorantibus: *In apostolicae sedis* die xxx. Aprilis; confirmat pium legatum in favorem monasterii s. Clarae oppidi de Figuero dos Vinhos Conimbricen. dioecesis: *Cum sicut* die xxvi. Octobris; tribuit fratribus conventualibus de Urbe facultatem acceptandi censum: *Cum sicut* die viii. Augusti; confirmat privilegia concessa eisdem fratribus pro conventu Patavino: *Usus* die iii. Novembris; concedit minoribus de observantia s. Mariae Angelorum Neapolis locationem cuiusdam feudi pro complenda fabrica conventus: *Expositum* die xviii. Decembris. Hoc nostro tempore fratribus vacuus est locus. Concedit Antonio episcopo Montisregalis facultatem transferendi moniales monasterii oppidi de Pagliola, et oppidi de Cellanova eiusdem dioecesis ad monasterium s. Clarae situm intra eamdem civitatem, quod ob mortem cardinalis Vincentii peractum non fuerat sub Gregorio xiii. *Dudum* die xii. Novembris.

CXIV. Indulget idem pontifex, ut Margarita a Lotharingia vidua ducis Ioiosae ingredi possit, et cum monialibus ter in anno cibum sumere in quolibet monasterio s. Clarae: *Piis votis* die xvi. Februarii; ut episcopus Gerundinen. partem eleemosynarum largiatur monasterio s. Clarae eiusdem civitatis, solitam impertiri aliis pauperibus loci: *Accepimus* die v. Martii; ut Margarita a Cruce abbatissae munere quoad vixerit, fungatur in monasterio s. Clarae discalceatarum oppidi Madrid, precibus Hernesti archiducis Austriae: *Cum charissima* die iii. Octobris; indulget translationem altaris privilegiati e sacello titulo corporis Christi in ecclesia s. Francisci Massae dioecesis Firmanae, ad altare maius: *Cum sicut* die x. Septembris; confirmat idem altare privilegiatum concessum ecclesiae s. Francisci de Merida Iucatan. a Gregorio xiii. *Ad ea* v. idus Martii.

CXV. Largitur indulgentiam plenariam confraternitati s. Mariae Lauretanae erectae in ecclesia s. Francisci discalceatorum Leodien. *Salvatoris* die xxviii. Februarii; confraternitati conceptionis b. M. v. erectae in eremo s. Poli extra moenia oppidi de Ledesma Salamantin. dioecesis: *Salvatoris* die xv. Aprilis; confraternitati griseorum erectae in ecclesia s. Francisci conventualium Avenionen. *Salvatoris* die xx. Aprilis; confraternitati verae crucis erectae in ecclesia s. Francisci observantium Hispalen. *Salvatoris* die x. Maii.

Acta ss. ad diem 9. Martii pag. 35.

CXVI. Expenso iterum per iudices ab apostolica sede delectos miraculoso incorrupti corporis s. Catharinae Bononiensis statu, quod impense veneratur in ecclesia corporis Christi eiusdem civitatis, sacra rituum congregatio, indulgente pontifice, die xiii. Augusti mandavit, ut sequens elogium de ea inseretur in martyrologio romano: *Bononiae b. Catharinae virginis ordinis s. Clarae, vitae sanctitate illustris, cuius corpus magno in honore colitur.*

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1593.	an. 1. et 2.	anno 17.	anno 386.

ARGUMENTUM.

Generalia habent comitia fratres minores capucini, conventuales, ac observantes. Discalceati fratres petunt Iaponum regiones, legatorum munere insigniti. Augentur fratrum ac sororum aedes. Virgines, pii viri, et Evangelista Marcellinus Pistoriensis decedunt. Viri etiam docti occumbunt, ac florent. Eliguntur episcopi. Corpus b. Baptistae ex ducibus Varani transfertur, ac eius praetermissa acta notantur. In ecclesia aracoelitana de Urbe persolvuntur Alexandri Farnesii Parmae ac Placentiae dynastae parentalia. Definitur praecedentia inter procuratores generales minorum conventualium, et observantium in cappella, ut aiunt, pontificia. Pontificis iussa ac indulta signantur.

IN generali comitio, quod fratres minores capucini in Urbe hoc anno indixerunt, praeside Iulio Antonio Sanctorio s. r. e. cardinali s. Severinae nuncupato, eiusdem instituti protectore: *Cum ordo* die VI. Maii, munus moderandi universum ordinem contulerunt Silvestro a Monteleone, Brutiorum urbe in Calabria ulteriori. Procuratoris generalis officium assequutus est Christophorus Assisias. *Dum haec comitia geruntur,* ita Boverius, *Clemens octavus pontifex maximus. . . . cum praesens ad capitulum accessisset, sermonem ad collectos et genuflexos patres habuit omni pietate refertum; in quo cum universos ad regiam humilitatis viam, et mutuam charitatem sectandam cohortatus esset, tum maxime superiores admonuit ne in subditorum criminibus plus aequo exardescerent, ex quo illi animum despondeant; quin potius cum eis mitius agant. Fore enim, aiebat, ut quos austeritas perdit, lenitas servet.* Patrum iussu missi fuerunt aliquot fratres tum in Britanniam minorem, tum in Tyrolensem regionem, ut satisfieret votis ducis Mercurii pro-regis Britanniae, ac Ferdinandi archiducis Tyrolensis. *Boverius tom. 2. pag. 502.*

II. Eadem in Urbe in coenobio ss. XII. apostolorum habuerunt et minores conventuales generale capitulum, e rostris edicens eloquentissimam *orationem de divinis prodigiis, magnitudinibus, ac perfectionibus* Caesar Lippus eorumdem sodalis, ubi ex summi pontificis mandato: *Cum propediem* die XX. Maii praesedit Augustinus cardinalis Cusanus ipsius ordinis patronus. Ante electionem quasdam querimonias prolatas fuisse a laudato cardinale coram electoribus, ex actis ipsius capituli novimus: *Quantum ad litteras et quantum ad bonas qualitates multorum patrum ipse non mediocrem accepit consolationem; sed circa mores religionis universaliter. . . . indigere hunc ordinem moderatione et reformatione, non severe iuxta initia religionis, sed iuxta privilegia, et constitutiones Alexandrinas, a quibus valde elongata est observantia etc.* Post haec die V. Iunii ad regendum ordinem assumptus fuit Philippus Gesualdi de Castrovillari dioecesis Cassanensis in provincia Calabriae, cuius *electio*, ut notatur in archivo procuratoris generalis ordinis, *potius a Deo, quam a fratribus fuit.* Hanc ratam habuit pontifex: *Cum tu* die IX. eisdem mensis, cui etiam contulit facultatem: *Ut inter* sub die XVIII. laudati mensis conferendi magisterii gradus duobus in qualibet provincia sui ordinis alumnis. Vitae integritate, ac eximia doctrina exornabatur, in cuius laudem *carmen sapphicum et phaleucium* composuit, et Ferrariae hoc anno edidit Petrus Antonius Rosinus eiusdem instituti. *Sbaralea tit. C.* *Idem tit. P.*

Digitized by Google

III. Eo ad ordinis praefecturam assumpto, normam sequutus Clementis VIII. qui aliqua statuerat in visitatione peracta in conventu ss. XII. apostolorum de Urbe pro totius ordinis reformatione, quaedam vulgavit ad id operis praeparatoria decreta, datis interim ad suos encyclicis litteris sub die XV. Augusti, et die VII. Septembris. In iis 1. statuitur, ut singuli coenobiorum praesides rei domesticae rationem reddere tenerentur; 2. ut sacerdotum scientia per examen probaretur; 3. ut ad repellendam fratrum otiositatem in singulis conventibus haberetur lector moralis sacrae theologiae; 4. ut infirmis necessaria subministrarentur; 5. ut moderarentur expensae pro visitatoribus in provincias mittendis; 6. ut quotidie oratio mentalis, culparum capitulum, et ut, vulgo dicitur, disciplina tribus per hebdomadam diebus haberetur; 7. ciborum insuper delectum; 8. hortorum privatorum culturam; 9. cellarum nimium ornatum; 10. et proprio lubitu pecuniarum usum interdicit.

Idem in suppl. ad script. lit. P.

Benoffi pag. 281.

IV. Ut autem haec felicius absolveret, commissariis visitatoribus usus, in provinciam s. Francisci misit magistrum Felicem a Montefalco, in provinciam Romanam mag. Ioannem Panem a Setia, in provinciam Sardiniae mag. Franciscum Sanna, et in provinciam Siciliae mag. Matthaeum a Terranova. Interim alia epistola iubet, ut in locis ultramontanis ad provincialatus munus nemo assumatur, nisi qui zelo, doctrina, bonisque moribus praeditus sit.

Ex archivo ss. XII. apost. de Urbe.

V. Iis aliisque ad totius ordinis decorem restituendum optime constitutis quaedam summus pontifex eidem concedit sui ordinis provincias perlustraturo hoc vulgato diplomate.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto filio Philippo Gesualdo ordinis fratrum minorum conventualium ministro generali salutem et apostolicam benedictionem.

Ex archivo Montis s. Petri Angelorum.

Cum nuper in visitatione domus ss. XII. apostolorum de Urbe fratrum tui ordinis minorum conventualium s. Francisci per nos novissime facta pro eiusdem domus illiusque fratrum reformatione multa ediderimus decreta in ipsa domo, donec alia totius ordinis reformationis ratio a nobis iniretur, observanda. Cumque tuo nomine nobis expositum fuerit, te pro tui ministerii munerisque debito totius visitationem suscepisse, velleque eiusdem tui officii ratione, singulas ipsius ordinis provincias, domos, conventus, et loca ubique gentium consistentia per teipsum, si commode poteris, sin minus per idoneos ipsius ordinis religiosos viros vitae ac morum probitate doctrinaque praestantes a te subdelegandos visitare, ac tam in capite, quam in membris iuxta tui ordinis regularia instituta reformare, in singulorum provincialium, guardianorum, superiorum, et religiosorum vitam, mores, ac instituta diligenter inquirere, eosque corrigere et reformare, delinquentes et discolos quoscumque secundum regulas et instituta ordinis huiusmodi punire et castigare, ecclesiasticam disciplinam et observantiam regularem, ubi eam excidisse compereris, modis congruis restituere, abusus quoscumque, et pravas consuetudines dictis regularibus ordinis tui institutis contrarios tollere, et abrogare; ac demum praedicta nostra decreta in insignioribus tui ordinis domibus et conventibus, necnon etiam, quantum fieri posse, et expedire iudicaveris, in aliis minus insignibus introducere, et, si opus sit, alia quoque statuta, decreta, et

Digitized by Google

ordinationes nostris praefatis, regularibusque praedicti ordinis institutis conformia; ac ulterius quae ad visitationem et reformationem huiusmodi dictorumque conventuum et domorum, personarumque in illis degentium prosperam directionem, ac rectum tam circa observantiam regularem et divinum cultum bonosque mores, quam etiam circa bonorum administrationem pertinent tui ratione officii facere, statuere et ordinare. Nos laudabile tuum huiusmodi propositum summopere commendantes, cupientesque decreta nostra supradicta in tui ordinis domibus et conventibus, ut praefertur, introduci et observari; simulque desiderantes, ut religiosi ordinis eiusdem b. Francisci eorum institutoris et magistri vestigia sectari, pristinumque regularis observantiae institutum observare, ac vitae innocentia, morum integritate, ac sanctitatis exemplo populo Dei praelucentes, sese consimiles arbori suae fructus optimos in ecclesia Dei proferre studeant, tua prudentia, pietate et religionis zelo plurimum in Domino freti tuam in praemissis auctoritatem imprimis auctoritate praesentium excitamus, teque in Domino monemus, ut decreta nostra huiusmodi in insignioribus tui ordinis domibus et conventibus omnino; in caeteris vero quantum fieri posse ac expedire iudicaveris, observanda introducere; caeteraque praemissa omnia et singula facere et adimplere omni cura et diligentia studeas, in quo singulare tuum propagandae et reformandae tuae religionis studium summopere commendemus. Ceterum ut praemissa liberius et facilius iuxta piam intentionem tuam, et desiderium nostrum adimplere valeas, mandamus in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis superioribus et religiosis eiusdem tui ordinis universis et singulis, ut tam praedicta nostra decreta, ubi per te introduci contigerit, quam alia per te, ut praefertur, facienda statuta et ordinationes humiliter suscipiant et reverenter observare procurent, tibique in visitatione, reformatione et aliis praemissis faveant, pareant, obediant, et assistant ut eo pacto se religionis seraphicae fructuosos palmites exhibeant, et nostram apostolicam benedictionem, et gratiam consequi mereantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die xxx. Octobris pontificatus nostri anno II.

M. Vestrius Barbianus.

VI. Generalem conventum hoc eodem anno a minoritis de observantia in s. Francisci Vallisoletani coenobio coactum, moderatus est auctoritate apostolica Camillus Caietanus patriarcha Alexandrinus apud regiam maiestatem catholicam nuncius: *Cum regularis* die xxvi. Martii. Eorumdem supremus administer salutatus fuit die v. Iunii Bonaventura Secusius a Calatahierone provinciae Siciliae custos, vir sui temporis mira eloquentia exornatus. Commissarii generalis munus accepit Matthaeus a Burgos minister provinciae immaculatae Conceptionis; definitores perpetui pro utraque familia rev. p. Franciscus a Tolosa generalis praeteritus, et rever. p. Thomas a Massa iam commissarius ultramontanae familiae; ordinis procurator generalis p. Ioseph a Leontino provinciae Siciliae minister; commissarius generalis in curia romana p. Christophorus a Tolosa minister provinciae Carthaginensis. Defuncto Hieronymo de Villacarillo commissario generali Peruviano, eo in munere successerunt Petrus de Molina, ac inde Antonius Ortiz, confirmati die xvii. Augusti a generali ministro nuper electo.

Chronol. seraph. tom. 1. pag. 361.

Torrubia p. 212.

Digitized by Google

VII. In definitores generales ultramontanae familiae delecti sunt p. Ioannes Franciscus Macolinus provinciae Bononiensis custos, p. Franciscus Cochius minister provinciae Florentiae, p. Leonardus a Leonico provinciae s. Antonii custos, p. Bernardinus Scotinus provinciae Marchiae custos, p. Franciscus a Mirabello minister provinciae s. Angeli, et p. Simon de Rubino provinciae Dalmatiae minister. In definitores vero cismontanae familiae electi sunt p. Petrus Miliens minister provinciae Flandriae, p. Petrus Pondruellus custos provinciae s. Bonaventurae, p. Martinus de Aduna provinciae Cantabriae minister, p. Ioannes Ramirez custos provinciae Granatensis, p. Oliverius Leondrata minister provinciae Britanniae, et p. Ferdinandus a Campo provinciae s. Iacobi minister. Pater Marcus Antonius a Nixia officium accepit ministri provinciae Candiae, cuius erat custos. Guardianus Hierosolymitanus, et commissarius apostolicus totius Terrae Sanctae p. Felix a Fratta provinciae s. Francisci, guardianus s. Clarae Neapolis p. Bonaventura a Montebarochio provinciae Marchiae; guardianus s. Mariae Magdalenae item Neapolis p. Bernardinus Vincentius, olim Candiae minister; guardianus s. Mariae Aegyptiacae eiusdem civitatis Petrus a Pisauro, et p. Clemens a Montebarochio guardianus Constantinopolitanus.

VIII. Missis suffragiis, quae de more iubentur, quamplura edita fuerunt a patribus decreta. Verum quia mandatum fuit, ut ea ab anno MDLIII. usque ad praesens comitium brevi sermone notarentur, ideo anno inequenti quo typis commissa fuerunt, vulgabimus. Unum tantum hic proferimus, nimirum in eo fuisse tum generalium, tum particularium studiorum, lectorumque album institutum, de quibus in ordinis chronologia. Defunctorum interim numerus fratrum, qui ab anno MDLXXXVIII. septem millia tercenta quinquaginta fuere enumerantur.

IX. Franciscalium gloria plurimum aucta est hoc tempore eorumdem missione in remotissimam Iaponum regionem. Posita est Iaponia in Asia in extremitate orientis, complecturque plures insulas, à CXXVI. ad CXLVIII. ab oriente longitudinis, a XXIX. ad CLVII. latitudinis gradus, iuxta recentiores, porrectas, modicis tamen inter se euripis discretas. Tres autem sunt magnitudine praecipuae, Niphon nimirum tribus et quinquaginta regnis constans, licet non admodum extensis, quorum omnium Meaci urbs caput est. Ab huius insulae vocabulo apud nos Iaponiae nomen increbuit. Eius longitudo ad millia passuum septingenta; latitudo vero, licet varia tradatur, ad centum circiter et octoginta extenditur. Alia Ximus nuncupatur, novem regnis distincta, cuius longitudo centum quinquaginta, latitudo septuaginta millia passuum fere putatur. Postrema Xicocus quatuor regna complectitur, dimidio ferme Ximo minor. Novae Hispaniae in oriente obversa est CL. leucarum intervallo; a septentrione Scythas, vel Tartaros, ab occidente Sinas aspicit; a meridie vasto mari interfuso plures habet terras. Disputant eruditi, qui eo primum se contulerit. Scribit Antonius Galvanus, alii Galitanus in libro de inventoribus Novi Orbis, Lusitanos quosdam ann. MDXLII. cum Sinas peterent, pertinaci vento illuc abreptos fuisse; alii tamen ad alios id decus transferunt.

X. Porro huius regionis tellus cum ex parte frigida sit, non est adeo ferax; salubris tamen temperies experitur; interim aquae optimae alicubi inveniuntur ad curandos morbos aptae. Editi peruptique passim, duo tamen praecipua nobilitate spectantur montes, quorum alter Iessen assidue flammas evomit, in magna veneratione habitus, ubi conspiciuntur MMM. Bonziorum aedi-

Digitized by Google

culae; alter leucarum aliquot ascensu attollitur. E terrae sinu varia tum argenti, tum auri effodiunt incolae metalla. Ingenio acuti generatim sunt omnes, dociles facilesque: litteras plerique norunt, et addiscendi cupidissimi sunt. Laudis ac gloriae mirum in modum appetunt, et in dignitate retinenda veteribus romanis prope sunt pares; armorum gloria, virtute bellica, originisque antiquitate cunctis se praestare nationibus arbitrantur; laboris postremo et vitae incommodis patientissimi se praebent. Vitia vero prope ex aequo cum eorum bonis virtutibusque contendunt. Deorum superstitionibus, sectarumque varietatibus ferme innumeris liberum cuique est adhaerere. Principaliores tamen sectae duae sunt, illorum qui Deum esse tenent: at nullum ei cultum exterius exhibent, et *Sinto* vocantur; et aliorum *Budsdo* qui duorum geniorum, quorum unus *Amida*, et alter *Iemmu* existentiam admittunt. Academias variis in locis, copiosis reditibus instructas habent pro edocendis retinendisque sectarum suarum doctrinis ac disciplinis. Cunctis eorumdem superstitionibus supremus velut antistes praeest, electus vel nobilitatis vel pecuniae ope, qui pro numine colitur et adoratur. Ipsius muneris est sacra omnia moderari, nascentesque Bonziorum, hoc est religiosorum sectas comprobare, Tundosve qui velut episcopi sunt, creare, aut creatos a regulis confirmari.

XI. Eo ab anno MDXLIX. omnium primus s. Franciscus a Xaverio, vir ingentibus laboribus, in doctrina et sanctitate eximius, ac inde alii ex societate Iesu sodales sese adduxerant, ut in illas efferatas gentes evangelii lumen diffunderent; qui quidem XXXVIII. annorum curriculo assiduis curis ac vigiliis bis centena infidelium millia sacro baptismatis lavacro tinxerunt. Rei christianae incremento favit etiam Taycozama, antea Faxiba, mox Toquexirus, ac inde Quinoxita appellatus, vilibus parentibus Oari in regno ortus, cuius *erat*, ita Ludovicus Frois iesuita, *secare ligna, humerisque ea in forum deferre, venumque exponere, ut haberet panem quotidianum*. Is calliditate armorumque dexteritate anno MDLXXXII. Iaponiorum imperium invadens, statim praecipua imperii sua officia christianis commisit, ac de eorum fide velut solicitus, patribus societatis Iesu amplissimum privilegium, eam ubique, nemine obsistente, per sui ditionem evulgandi concessit. Hoc fuit primum eius quinquennium serendo regni coelestis evangelio percommodum.

Sacchini tom. 2. pag. 150.

Acta ss. ad diem 3. Februarii num. 15. pag. 725.

XII. At Iacuinus Taycozamae medicus ac familiaris, vir vaferrimus et perversus, sectae Bonziorum omnium flagitiosissimae adscriptus, ei suasit, christianam religionem sibi videri tranquillitati imperii Iaponici nimis noxiam, quia sacra evertit Camorum et Focotorum, quos deos sit omnis antiquitas venerata. Quibus aliisque ab ipso Iacuino congestis, subito furore percitus imperator, anno MDLXXXVII. publico decreto mandavit, ut Iaponia intra XX. dies omnes de societate Iesu exularent, Firandum portum peterent, et navem quae mox appulerat, nacti, in Indiam commigrarent. Verum cum haec non tam cito esset profectura, precibus provincialis eiusdem societatis annuit Taycozama, ut per trimestre in Iaponia manerent, iubens interim, ut singuli Firandum se conferrent. Plures ex illis eo convenere; alii vero, ut christifidelibus essent praesto, parati pro Christo mortem subire, occulte mauserunt. Licet in occulto agerent, attamen ab Octobri mense anni MDLXXXIX. ad Octobrem anni insequentis viginti millia quingenti septuaginta Christo nomina ex illis dederunt. Annis MDXCI. et MDXCII. supra XII. millia sacris aquis lustrati fuere infideles.

Ibid. n. 66. p. 751.

XIII. Cum autem Iaponum reges qui sexaginta et amplius erant, armorum vi in sui ditionem Taycozama subiugasset, Sinensium imperium sibi et

Martinez lib. 3. pag. 4. et seq.

Digitized by Google

submittere meditabatur. Pro-regis etiam Insularum Philippinarum obsequium affectabat. Quare ut belli occasionem quaereret, Faranda domesticum suum velut oratorem binis litteris instructum Maniliam amandavit, ut ab eo tamquam supremo Iaponiae domino fidelitatis promissa exigeret. Legatio haec inopinata et nova visa fuit Gometio Perez Das Marinas illarum insularum gubernatori, qui verens tanti principis potestatem, summa humanitate oratorem excepit. At de veritate huius legationis apud Manilienses dubitatum fuit; siquidem Faranda, Faxeguava alii, vir erat plebeius, regiaeque maiestatis honore destitutus. Ut manifesta haec forent, cum litterarum fasciculis datis die xxix. Iunii anno mdxcii. Maniliae praeses eo velut sui oratorem misit Ioannem Cobos ex ordine fratrum praedicatorum imperatoris animum exploraturum. Is rediens nullis imperatoris litteris instructus, altera ad eumdem initiata fuit legatio a Maniliae gubernatore. Quae ut innotuit alteri Faranda, Kiemon cognomine, qui Maniliam e Iaponia ut orator advenerat, supplici littera quam damus, apud pro-regem egit, ut id munus franciscanis fratribus eidem imperatori per ea quae ab eo audiverat summo in pretio habitis, committeretur.

Faranda Kiemon embaxador de las islas, y reynos de Japon.

Digo que en los dichos reynos hay muchos christianos, que han comenzado à recibir esta ley; y por falta de ministros, y sacerdotes, que la ensenen. no se ha dilatado: Y yo sé de mi rey. y senor Cabucondono Taycozama, que tendrà por bien, y gustarà mubo, quelleve algunos padres de esta tierra, con tal, que sean de la orden de san Francisco; porque serà para èl cosa muz nueva, y como maravillosa, ver hombras de tan aspera vida, y lo recibirà por merced; y tambien por el menosprecio de las cosas del mundo, seran en Iapon muy bien recibidos. A. V. S. suplico de orden, como vayan conmigo elgunos de estos padres descalzos, que en nombre de mi Rey, me obligo à que seran bien recibidos, y tratados, y que no se les harà molestia alguna: y que si de su ida no se signiere este efecto, concluida la embaxada, me obligo tambien a bolverselos à V. S. a esta ciudad, como me los diere.

Faranda Kiemon insularum et regnorum Iaponiae orator.

Multos esse in Iaponiae regnis significo, qui legis christianae professioni initia dederunt; attamen ministrorum et sacerdotum eam docentium defectu diffusa non fuit; et ego scio pergratum fore regi et domino meo Cabucondono Taycozama, si qui fratres istorum locorum in Iaponiam se conferant, dummodo sint ex ordine s. Francisci, quia erit ipsi novum et mirabile homines tantae vitae asperitate praeditos videre, eosque rex pro favore, et Iapones propter eorumdem mundanarum rerum contemptum benevole excipient. Iubeat igitur, rogo, dominatio vestra, ut aliquot discalceati fratres mecum in Iaponiam veniant, et regis mei nomine eos comiter recipiendos, nullaque eos molestia afficiendos fore polliceor. Si autem negotium hoc votis meis haud responderit, expleta legatione, eos incolumes ad dominationem vestram reddituros promitto.

Acta ss. ibidem n. 67. pag. 752.

XIV. In utraque hac legatione instruenda Maniliae praesidem patrocinatum fuisse adornatae calumniae contra iesuitas immerito tradunt Bollandus et Henschenius. Item Iaponiae oratores dolo ac fraude cuncta fuisse molitos hisce verbis scribunt: *occasio provenit ab Faranda Kiemone et Faxeguava hominibus Iaponiis, callidis veteratoribus, qui ultro Taycozamae*

Digitized by Google

spem fecerant fore, ut levi negotio Luzoniam, aut subiiceret sibi, aut certe faceret vectigalem, cumque et Hispanum earum insularum praetorem, mandatis ac responsis ultro citroque perferendis, ac fallaciter interpretandis, circumvenerunt, capite luituri supplicium, si tyranno vel leviter fraus innotuisset. Sincerus hispanus ac generosior, quam necesse esset, aut rei christianae in Iaponia utile. Non erant Faranda et Faxeguava idonei ad tantam rem legati, ut eludi dissimulatione aliqua facile posset. Indubium tamen est, sub eodem tempore coactum fuisse a pro-rege Maniliae senatum, ut quid de hoc negotio agendum foret, solicita expenderetur. Prioribus litteris, quibus ab anno MDXC. a quampluribus christifidelibus Iaponiae postulabantur franciscani Maniliae degentes adductis, perspectaque Faranda legatione imperatoris Taycozamae nomine, omnium ferme voto statutum fuit, eosdem fratres, ut oratoris munus apud ipsum explerent, amandari in Iaponiam. *Ann. min. ad an. 1590 n. 75 et seq.*

XV. Unice refragabantur e societate Iesu sodales, constitutione Gregorii XIII. pontificis suffulti, vi cuius putabant, eis dumtaxat veniam a pontifice factam fuisse eo adeundi, praedicandique evangelium. Verum habito Maniliae inter optimates, clerumque regularem ac saecularem consilio, lectisque litteris Sixti V. pontificis: *Dum ad uberes* die XV. Novembris anni MDLXXXVI. datis franciscanis fratribus eundi, Christique fidem in cunctas Indiarum regiones disseminandi, communis tulit opinio delectam legationem Gregorii XIII. pontificis voluntati minime adversari. Verba Sixti V. pontificis damus. *Ut minister provinciae s. Gregorii Insularum Philippinarum tam in ipsis insulis philippinis, quam in aliis quibusvis terris et locis Indiarum praedictarum ac regnorum de la China nuncupatorum, et in quibus conversio gentilium ad fidem catholicam commode curari et tractari poterit, novas domus et conventus pro fratribus dicti ordinis recipiendis, ad Dei laudem et gloriam, nostra aut romani pontificis, vel ordinarii locorum, aut cuiusvis alterius licentia minime requisita, fundare et instituere, eosque ad habitandum recipere, et fratres in illis introducere libere et licite valeant, facultatem, auctoritatem et tenore similibus impertimur.* *Ibidem in regesto ad an. 1586. n. 16.*

XVI. Hisce compositis, pleno omnium ore solemnis legationis munus collatum fuit insigni verbi Dei concionatori, sanctimonia vitae eximio Petro Baptistae e vico s. Stephani dioecesis Abulensis in Hispania, nobilibus parentibus genito. Monitus de sui delectu a Maniliae gubernatore vir sanctus, duplici adverso humilitatis et charitatis, sensu agitari coepit; humilitatis ob amplissimum munus ei tributum; charitatis ut regionis illius christifidelibus, ac gentilibus Dei eloquio sacramentorumque pabulo opitularetur. Ut igitur huius virtutis impulsui obsequeretur, oratoris officium pro Christo funeturum accepit, fiducialibus litteris a pro-rege munitus.

Gomez Perez Das Marinas, cavallero de el avito de Santiago, governador, y capitan general etc.	*Gomez Perez Das Marinas eques s. Iacobi, gubernator, praefectus generalis etc. Insularum Philippinarum.*
Al muy alto, y poderoso senor Cabucondono Taycozama emperador.	*Altissimo et potentissimo domino Cabucondono Taycozama imperatori.*
El ano passado escrivi a vuestra	*Anno elapso epistolam ad celsi-* *Martinez loc. p. 10*

Digitized by Google

grandeza con el padre fr. Iuan Cobos, en respuesta de una que aqui me dieron en vuestro real nombre, aunque yo dude, y con razon, assi de la embaxada, como del sentido de las palabras; y aguardando casi un ano la declaracion, y respuesta, no la veo, sino una carta muy breve del dicho padre, que dice, que partio de allà muy favorecido, y bien despachado de vuestras reales manus, las quales beso per ello.

Y aunque han llegado aqui dos navios de Iapon, y con el uno de ellos Faranda, que dice ser vuestro embaxador: ni trae chapa, ni carta vuestra en respuesta de la mia, ni declaracion de la duda que tenia: yassi estoy mas confuso, y con mas deseo de saber de vuestra real intencion, y voluntad, porque aunque Faranda no trae papel que le acredite, no puedo creer, que un vassallo vuestro, y tan honrado como parece, se atreviesse a usar de vuestro real nombre, sin orden para ello; y en essa duda, no puedo dexar de oirle, y despacharle bien, y responder al memorial, que me diò. Aora, para salir de teda confusion, y duda, embio al padre fr. Pedro Bautista, muy grave, de mucha sustancia, y calidad, y con quien me aconseio en las cosas mas importantes a mi Rei, y es el consuelo de toda esta republica. Lleva las cartas passadas y traslado del memorial de Faranda, y mi respuesta, para que tratado allà todo con vuestra real persona trayga el assiento, y resolucion, que de vuestro real pecho se espera. Y va con facultad de mi parte, para aceptar, y assentar la paz, y amistad, que en vuestro real nombre me ofrece, y pide Faranda, con toda seguridad, en el entretanto que el Rei mi senor es avisado de esto, y me ordena lo que se ha de hacer; y espero, que todo sucederá muy a vuestro gustoy procurarè yo darosle, en quanto fuere de

tudinem tuam per patrem Ioannem Cobos dedi, illae regio tuo nomine mihi redditae respondens, licet ex illius verbis de legationis veritate dubitarem. Nullum uno ab hinc anno, quod optabam, accepi responsum, nisi scriptum laudati patris, paucis verbis expressum, nimirum quod ille a te abierit favoribus cumulatus beneque habitus a tuis regalibus manibus, quibus osculum dono.

Et licet Faranda qui in altero ex duobus navigiis Maniliam advenit, tui esse oratorem mihi significaverit, attamen cum nec singraphum, nec meae litterae ad te missae rescriptum deferat, nec animi mei dubitationem solvat, hinc plus aequo sum cupidus consilium mentemque tuam habere perspectam. Interim cum idem Faranda fiduciariis litteris suis munus sibi commissum careat, nec suadere possim, familiarem tuum, honore, ut videtur, dignum, abusum fuisse hac in re maiestatis tuae nomine, ideo haerens animo illum consultum habere volui, ac de concreditis mihi ab eo litteris tuis, tibi respondere. Ad haec aperienda, nunc mitto ad te patrem fr. Petrum Baptistam, virum maguae probitatis, eximiae famae, totiusque reipublicae nostrae solamen, ac in difficilioribus negotiis universitatis mei consiliarium. Acceptas hucusque litteras, exemplar item epistolae legationis Faranda, responsumque meum secum fert, ut singulis cum tua maiestate collatis, optatum tui capiat consilium ac propositum. Is dum ad te meo nomine pro ineundo inter nos foedere venit, quod regia tua voluntate mihi exhibuit fidentiaque petiit Faranda, ego dominum meum regem de cunctis certiorem reddam, ut quid agendum sit, mihi aperiat; spero tamen cuncta fore secunda iuxta tui

Digitized by

mi parte; y particularmente me inclinè a embiar con este despacho persona, que ademas de su mucha estimacion, fuesse de la sagrada religion del glorioso padre s. Francisco, per haver-melo pedido en un memorial Faranda, diciendo: que seria particular gusto, y contento vuestro, ver allà padres de esta benedita orden: y de ellos estè os uno de los de mas estrecha, y santa vida, que le hace por si muy venerable. Dios guarde vuestra real persona con mucha prosperidad.

De Manila a veinte de Mayo del ano del nacimiento de nuestro Senor Iesu Christo de mil quinciantos y noventa y tres.

et mei placitum. Me commonuit insuper Faranda, ut eirum ad te mandarem, qui praeter sui nominis famam, esset ex sacro s. Francisci instituto, dicens, pergratum tibi esse in ditione tua fratres illius ordinis benedicti videre. Hic tum asperitate, tum vitae sanctitate venerabilior est caeteris. Deus servet regalem maiestatem tuam in multa felicitate.

Manilae XV. *Maii anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi* MDXCIII.

XVII. Litteris ac quibusdam pro imperatore donariis acceptis, die XXVI. Maii Manilia discesserunt, Petro Gonzalez Carvaial Lusitano classis praefecto, Petrus Baptista legatus ac commissarius, Bartholomaeus Ruiz, Franciscus a s. Michaele, sive de Parilia, et frater Gonzalvus Garcia laicus, laponico idiomate eruditus. Tradunt Petrum Baptistam cruris signo furentem maris procellam placasse. Trigesimo post die Firandum urbem frequentissimam ad maris litus positam appulerunt, ubi statim adfuerunt aliquot iesuitae missi a patre Petro Gomio in Iaponia praeposito, qui eos salutarent, edulliisque recrearent, omnique charitatis signo afficerent; caeteris autem iussit, si ad eos forte ipsi divertissent, omni humanitate religiosa coli. Illic ad mensem permanserunt, hospitati in domo cuiusdam iaponensis. Neminem tamen invisere, cum ex Iaponiorum more, oratoribus id non liceat, nisi expleta legatione. Hinc cum Taycozama, Nancoyae ad tres leucas a Firando considens, de eorum adventu monitus, binos proceres eo alligavit, significans domini sui voluntatem esse, ut ad eum venirent, de legationis negotio acturi. Haec ex relatione data hoc anno Aloisio Maldonato ministro provinciae s. Gregorii philippinarum insularum, a Petro Baptista novimus. *Acta ss. ibid. n. 71. pag. 732.* *Martinez ib. p. 11.*

XVIII. Proceribus, qui magnifico apparatu advenerant, valedictis, nudipes iidem franciscani iter terrestre confecerunt Nancoyam usque, aulamque ingressi, illos singulari humanitate excepit Taycozama. Idipsum et confirmat Ludovicus Frois in horum martyrum historia inquiens: *quatuor patres e s. Francisci familia, vocati nudipes, tamquam legati a Philippinarum gubernatore ad regem Iaponiae missi appulerunt. Fuere patres illi a rege quemadmodum legatis conveniebat, recepti perhumaniter.* Donis imperatori oblatis, tunc Gonzalvus Garcia socius et Petri Baptistae interpres, manus suae legationis eidem exposuit; at tanta spiritus libertate, ut aulicorum turba ad novitatem agendi obstupesceret. Inde quae hucusque evenerant instaurans dixit, epistolam ab eo missam ad pro-regem Manilae non obedientiam sed mutuam amicitiam postulasse. Quae ut indubia haberet, in testem advocavit Faranda oratorem suum, qui in suae legationis decursu hoc ipsum suo domino saepe confirmaverat. Ad quae Taycozama: *non inficiamur*, inquit, *sed vere-* *Acta ss. ibid. n. 5. pag. 745.* *Ioannes a s. Maria in relat. eorund. mss. Martinez ibid. pag. 12.*

Digitized by Google

mur, ne fidem nobis servent, quibus maiestatis nostrae voluntatem innuimus; proinde iusta moti suspicione bellum inferimus Coreae regno, et ab insularum philippinarum incolis securi atque indemnes esse volentes, bellum minati sumus, nisi colla iugo nostro subdidissent. Cui Gonzalvus: *at nos christiani sumus, quos minime decet ulli morem gerere, praeterquam Deo et legitimo regi, qui cum eius sit potentiae, ut nulli hactenus terrae regi subiectus fuerit, ab eo amicitiam, non obedientiam esse expectandam.* Imperatori id arrisit, et amicitiam cum Hispaniarum rege inire decrevit. Haec ut innotuerunt, laetitia maxima perfusi sunt omnium ordinum Maniliae cives, qui illius regis tyrannidem metuebant.

XIX. Verum cum iidem fratres ipsum imperatorem sibi veniam dari Meacum se transferendi urgerent, eorumdem votis benevole satisfecit, et quae ad eam profectionem necessaria erant, suppeditavit. Hinc Nancoya a Meaco ad centum leucas distans, regio navigio impositi, itineri laeti se commiserunt. *Acta ss. ibidem.* Scribit laudatus Frois petisse fratres ab imperatore *copiam sibi fieri a sua excellentia velut extraneis omnibus, spectandi magnifica et splendida urbis Meacensis opera, ut ad suos reversi ea predicari possint.* De hac re fides sit penes auctorem; siquidem hi sancti viri explendae propriae curiositatis gratia certe in Iaponiam non advenerunt.

XX. Meacum totius imperii metropolim, incolisque ferme innumeris refertam, acciti, eorumdem adventum cuncti christifideles plauserunt. Sex fere menses diversati sunt in aedibus cuiusdam equitis Iaponiae infidelis, *Cabaco* nomine iuxta Ioannem a s. Maria. Saepe ibidem salutabantur a patribus societatis Iesu, a quibus petiere libros, quorum adiumento incolarum idioma, quod solus Gonzalvus Garcia callebat, addiscerent. Hinc cum una simul cum illis vicaria charitate viverent, sanctaeque conversationis cunctis exempla praeberent, factum est, ut fides ac pietas in christianorum corda ubertim augeretur in dies. Caetera suo loco.

XXI. Hoc eodem tempore insudabant fratres de observantia in conversione infidelium tum Insulae Margaritae, a margaritarum copia ita dictae, et tum Insulae Trinitatis quae minores antillae vocantur, ad americam australem spectantes. *Conventus Insulae Margaritae.* In quarum altera extruxerunt coenobium s. Francisci titulo, cui regio rescripto donatae fuerunt sacrae vestes ad res divinas peragendas, et campana. *Conv. insulae Trinitatis. Torrubia lib. 1 p. 71. et seq.* In postrema insula etiam conventus pro eis extitit sub invocatione s. Antonii Patavini. Bina haec coenobia subsunt regimini administri provinciae s. Crucis Hispaniolae, sive insulae s. Dominici. Haec ex Torrubia discimus.

XXII. In custodia s. Antonii Brasiliae per id etiam temporis augebatur *Monum. provinc.* infidelium conversio, vigiliis ac laboribus patris Antonii de Campomaiore, eo missi a Leonardo a Iesu custode, licet senis septuaginta annorum. Apud Portum Lapidum, x. leucarum spatio ab Iguna domum doctrinalem posuit, ut neophiti facilius in christiana fide imbuerentur.

XXIII. Erectum fuit hoc anno in civitate Arnicae in regno Cypri in custodia Terrae Sanctae coenobium, unum milliare a mare disiunctum in parte meridionali eiusdem insulae, Venetorum navitarum eo confluentium eleemosynis. Callixtus Martello commissarius eiusdem regionis decem cellulas solicite ibidem instruxit pro peregrinis Hierosolymorum loca petentibus. Anno MDXCVI. ecclesiam, quae nunc parochialis est, etiam aedificavit. Eiusdem Callixti cura positum fuit alterum coenobium in ipsa principe eiusdem insulae civitate Nicosiae prope ecclesiam s. Crucis, quam obtinuerat a quodam pio viro illius

Conv. Arnicae. Colorna hist. chron. prov. Syriae ac Terrae Sanctae p. 522.

Conv. Nicosiae. Idem ibid. p. 524.

Digitized by Google

loci. Ibidem munia parochialia similiter fratres gerunt. In mss. de franciscalium missionibus modernis lib. 3. §. 5. n. 2. et 3. concinnato a p. Antonio Melissano de Macro, quem penes me habeo in folio haec lego: *sub quadam fenestra ad latus occidentale eiusdem ecclesiae iacet quidam religiosus* (franciscanus), *qui diris exquisitisque cruciatibus martyrio coronatus est in expugnatione civitatis facta a Turcis. cum insulam Cypri a Venetis eriperetur, natione Lusitanus; estque in magna veneratione apud christianos et mussulmanos, qui illum invocantes plura consequuntur beneficia; ad cuius sepulcrum mulieres deferunt pueros infirmos, qui eius meritis et intercessione sanantur, quamvis ob religiosorum incuriam nullum extat monumentum gratiarum, quas ad illum confugientibus largitur Deus.* Incognitus martyr.

XXIV. Quidam vir catholicae religionis hostis, inter Georgianos dominus multa egit hoc anno apud imperatorem Constantinopolitanum Amurathem III. favore patriarchae graeci schismatici, ut sui iuris faceret coenobium Hierosolymitanum ss. Salvatoris titulo. At frustra; nam licet inter vitae pericula Constantinopolim adveniens Ioannes Franciscus a Salandra provinciae Basilicatae filius, et illius coenobii guardianus, imperatoris placitum, oratorum catholicorum regum ope, consequutus est, ne fratres ab eo amoverentur. *Idem ibid. p.* 550.

XXV. Rediit ad fratres minores item de observantia coenobium s. Radegundis reginae et viduae, positum in vico Kazelstorffensis, quem alluit amnis Leitha, olim dioecesis Iaurinensis, nunc Salisburgensis in provincia Austriae. Anno MCDLXII. illud suis impensis extruxerat Ioannes Sigismundus a Weispruch Annae reginae Hungariae supremus aulae praefectus. Turcae Austriam invadentes anno MDXXXII. illud flammis tradiderunt die XXIV. Septembris. Violentam mortem eo in excidio incurrit Germanus Kreitenach sacerdos, senex eximiae perfectionis, unica per diem semper refectione contentus, capite truncato; item alius sacerdos Wolfangus de Steinkirchen, fervidus Dei praeco, qui zelo martyrii flagrans, fugam, etsi potuisset, arripere noluit; ac postremo Urbanus Navimburgensis pariter sacerdos, ambo vulneribus graviter sauciati, capiteque plexi. Haec Waddingo ignota fuerunt. Biennio nondum elapso fratres redierunt, et diruta pene omnia instaurarunt. Anno MDLX. lutheranorum haeresi grassante, locum vacuum dimiserunt fratres, quem inde iidem lutherani occupantes, posuerunt gymnasium pro juvenibus instituendis in novis eorum dogmatibus contra fidem romano-catholicam. Conv. Kazelstorffensis. *Gratianus* tom. 1. *lib.* 3. num 114. *pag.* 328. Germanus Kreitenach. *Idem ibid.* n. 297. *pag.* 445. Wolfangus de Steinkirchen, et Urbanus Navimburgensis mm. *Ann. min. ad an.* 1518 n. 38.

XXVI. Post tot rerum discrimina, tandem studio Valentini Friccii commissarii generalis Germaniae, die XII. Maii ibidem fratres denuo introducti fuere. Primus aedis guardianus delectus fuit Ioannes Baptista Tauffer, Maximiliani archiducis Austriae et Poloniae electi regis concionator aulicus, qui ecclesiam una cum coenobio ex piorum, praecipue vero eiusdem archiducis beneficentia reparavit. Melchior Kleselius episcopus, administrator Neostadiensis templum et fratrum domicilium consuetis ritibus consecravit. Rodulphus II. vulgato decreto mandavit, ut coenobium fratribus restitueretur.

RODULPHUS II.

Dei gratia romanorum imperator electus etc.

Condicimus honorando et erudito nobis dilecto et fideli n. consuli, iudici, et senatui civitatis nostrae Neostadiensis gratiam et omne bonum.

Digitized by Google

Gratianus Ibid. pag. 339.

Notum facimus vobis, qualiter olim Ioannes de Ueispriach desertum quodpiam nudipedum claustriolum in Kazelstorff prope vos extra muros civitatis Neostadii deficientibus religiosis habitatoribus sibi appropriaverit, in eoque praedicantem cum re scholari collocaverit, per quod non tantum plurimi de iuventute, sed et multi concives vestri in puncto religionis seducuntur; quae appropriatio minime sibi, aut haeredibus suis, obnitente semper cessione semel facta, competit; cum claustriolum hoc non induerit naturam alicuius parochiae, quae diversis conferri solet, sed monasterii ordinis mendicantium, quod ordini perpetuo appropriatum esse decernitur, a quo sine gravi excommunicationis censura alienari non potest; quin imo cum etiam imperator Maximilianus dilectissimus noster dominus et genitor fel. record. sicut et nos, et nostri praedilecti fratres ipsis haeredibus Weispriacensibus, uti et succeditrici Susannae Teifflin, et eiusdem filiis saepius talem eorumdam iniustam usurpationem per litteras intelligendam dederimus, serio imponentes, ut ipsis religiosis praefatum claustriolum restituant. et ius quod in illud habere praetendunt, prout se offerebant, probarent; illi tamen dictam unam post alteram postulantes, eorum nihil usque in praesens executioni mandarint, cupientes solum agitare litem iudicialem cum praefatis religiosis, qui tamen virtute regulae suae in iudicio stare nequeunt, quin potius quivis terrae princeps ex se et officio suo obligatione stringatur, monasteria, quae semel Deo, et illorum ordini dicata sunt, protegere et vindicare. Quare cum praefato ordini hac in re manifesta inferatur iniuria, innegabileque, et multis viris magno senio praeditis conscium sit, illos religiosos hoc monasteriolum possedisse, neque ullam potestatem. sive ecclesiasticam sive secularem illud posse a sua fundatione avellere, secularizare, aut alienare: imo si et id contigisset, nullatenus tamen sine praevia dispensatione papali aliquo gauderet vigore. Interea autem innumerabilia catholici ritus obsequia divina, et precum frequentia negliguntur; devota fundatoris institutio suo debito privatur usu, ac insuper tot fidelium animae praeter iam perversas. adhuc plures ultro in perditionem abirent, quod nostri praedilecti avi et proavi archiduces Austriae minime unquam admittere visi sunt. Vos igitur post tam longanimem patientiam, singulariter Mathiae archiducis Austriae nostri amicissimi dilecti fratris et principis: ac eiusdem de XII. elapsi mensis Martii emanatas resolutiones contra perpetuas haeredum Teifflinorum dilationes ultimo tandem pro consignando dicto claustriolo cum appertinentiis suis, nobilem. dilectum, fidelem Christophorum de Buechheim lib. bar. de Raabs, et Krumbach camerarium nostrum, dapiferumque haereditarium Austriae, sicut et Georgium Bernardum Urschenböck, nostrum pariter regiminis nostrarum inferioris Austriae provinciarum consiliarium ex officio pro commissariis deputavimus, ipsisque gratiosissime iniunximus, ut saepe fatum nudipedum claustriolum et ecclesiam in Kazelstorff, eo modo quo prioribus vigebat temporibus, ipsi ordini eiusque religiosis cum pleno effectu consignent, atque illos, qui pro nunc intus reperiuntur, penitus amandent. Quapropter absolute volumus, et gratiose mandamus vobis in casu, si illegitimi possessores obedire detrectarent, seque opponerent, quod tamen non expectamus, ut vos deputatis his commissariis ad actua-

Digitized by Google

lem extraditionem omni auxilio assistatis. In hoc nostram exequemini voluntatem et beneplacitum.

Datum Viennae v. *Aprilis anno* MDXCIII. *nostrorum regnorum, romani* XVIII. *Hungari* XXI. *et Bohemici* XVIII.

R. F. Lib. Bar. a Stoxingen
locum tenens
C. Pirkheimer cancellarius

Commissio d. electi imperatoris
in consilio
A. L. F. a Sprinzenstein
C. de Pinter

XXVII. Die IX. Iulii iacta sunt fundamenta coenobii in oppido Lucaviae, olim dioecesis Aquileiensis, nunc vero Goritiensis in provincia Tyrolensi pro iisdem fratribus. Patet id ex inscriptione incisa in nummo argenteo posito in fabricae fundamento: *Ioannes comes in Ortenburg liber baro in Treyenstein et Carlspae, dominus Ercuriae et Lillae, archiducatus Carinthiae summus praefectus, et monasterium hoc divi Francisci ordinis etc. voto deiparae virginis Mariae extruxit anno* MDXCIII. Novum praesidem accepit Ioannem Muskai ex provincia Argentinensi. Ex fundatoris precibus ad hanc ecclesiam anno MDXCIV. translata fuit animarum cura ex ecclesia parochiali s. Danielis, annuente patriarcha Aquileiensi Francisco Barbaro, quae extabat quinque milliaria germanica a coenobio fratrum Lucaviae. Ita coenobium legatis cumulaverat fundator, ut Oeniponti coacto provinciali comitio die VI. Novembris MDCXXVII. ex paupertatis amore pro derelicto habitum fuerit a patribus. Anno MDCXXVIII. ad eam incolendum vocati fuerunt fratres ordinis servorum beatae Mariae virginis.

Conv. Lucaviae. *Greiderer tom. 2. n. 221. p. 142.*

XXVIII. Conventus s. Bernardini, sive conceptionis Olomucensis, Olmutz, quem vacuum fratribus ab anno MDLXX. Guilielmus episcopus concesserat alumnis societatis Iesu, hoc tempore restitutus fuit fratribus de observantia a Stanislao episcopo eius successore, ministro provinciae Maximiliano Noleti. Provinciae Sardiniae accessit hoc anno conventus s. Mariae de Pietate intra moenia civitatis Algariae, christifidelium impensis instructus.

Conv. Olomucensis. *Idem tom. 1. n. 95. pag. 617.*

Conv. Algariae. *Monum. prov.*

XXIX. Sunt litterae quas praeterimus, Camilli Caietani patriarchae Alexandrini in Hispaniarum regno nuntii apostolici, quibus indulgetur ministro observantium provinciae Angelorum transferendi fratres e conventu Dominae nostrae de Experançia extra oppidum de Fonte Obeiuna dioecesis Cordubensis, ad alterum intra moenia eiusdem oppidi, antea aedificatum pro sororibus conceptionistis. Anno insequenti eo se contulerunt.

Convent. de Fonte Obeiuna. *De Guadalupe pag. 21. et 182.*

XXX. Obvenerunt fratribus minoribus reformatis in provincia Romana conventus s. Mariae Secundae Morlupi, et s. Pauli Podii Donadei. Corrigenda sunt a nobis quae scripsimus in albo eiusdem provinciae ad annum MDLXXXVII. num. XXXVII. §. 35; nam conventus s. Mariae Gratiarum Scandriliae, et num. XXXVIII. §. 6. Ponticellorum iidem sunt. In provincia s. Nicolai eis etiam accessit conventus s. Mariae Casalis Cupertini, et s. Mariae de Casali Brundusii; in provincia s. Angeli conventus s. Mariae de Valleaspera ad Tessem, et s. Onuphrii Histonii; in provincia s. Bernardini conventus s. Angeli Ocrae, et s. Mariae Vallisviridis Coelani; in provincia Mediolanensi conventus Viridiani Mediolani.

Ex monumentis provinciarum.

XXXI. Excitato Hispali s. Didaci conventu, postularunt decuriones ac episcopi totius ditionis Hispalensis a Clemente VIII. pontifice, ut ex discalceatorum coenobiis eo existentibus, una provincia s. Didaci titulo erigeretur. Annuit eorumdem votis pontifex: *Salvatoris nostri* die XXVIII. Septembris.

Digitized by Google

ANNO CHRISTI 1593. CLEMENTIS VIII. AN. 1. ET 2. RODULPHI II. ANNO 17. RELIGIONIS MINORUM ANNO 386.

At cum hoc eodem anno rationabili de causa, ministro generali annuente, peracta fuisset quaedam coenobiorum permutatio inter s. Gabrielis, ac s. Iosephi provincias, ideo pontificis litterae suo caruerant effectu. Quare conventus Veladae, Serralvi, Cymbae Abulensis, s. Eulaliae, et Fonsalitae, qui spectabant ad s. Gabrielis provinciam, attributi fuere provinciae s. Iosephi; et conventus Hispalensis, Antiquae Augustae Emeritae, Villaenovae de Serena, Petrosi, Silvae Lorianae, Villaevitiosae, et Arroyo del Puerco e provincia s. Iosephi transierunt ad alteram s. Gabrielis. Harum provinciarum coenobia consulto exhibemus.

PROVINCIAE S. GABRIELIS CONVENTUS.

Ann. min ad an. 1587. n. 97. p. 120.

XXXII. 1. S. Mariae de Angelis
2. B. Mariae de Luce Montecoeli
3. B. Mariae de Luce Moncarii
4. S. Francisci Belvisii
5. B. Mariae Alburquerquii
6. B. Mariae de Iesu Salvaeterrae
7. S. Onuphrii de Lappa
8. S. Francisci de Maniaretibus
9. S. Marci Evang. de Altamura
10. S. Margaritae Xeresii
11. Dominae nostrae Rupis Amatoris
12. S. Gabrielis Badeiocii
13. S. Michaelis Placentinae
14. S. Gabrielis Alconcelli
15. Dominae nostrae de Spe Villaenovae de Fraxino
16. S. Crucis Tabladillae
17. Matris Dei Vallisviridis
18. Dominae nostrae de Luce Brossarum
19. S. Francisci Coriae
20. S. Spiritus Vallis Arragi
21. Dominae nostrae de Monte
22. Sac. Stigm. s. Francisci Burgiliorum
23. B. Mariae de Aquis sanctis Xeresii
24. S. Didaci Hispalensis
25. Dominae nostrae Antiquae Augustae Emeritae
26. S. Bartholomaei Villaenovae de Serena
27. Immaculatae Conceptionis Petrosi
28. S. Isidori Sylvae Lorianae
29. S. Ioan. Baptistae Vitiosae
30. S. . . . Arroyo del Puerco

PROVINCIAE S. IOSEPHI CONVENTUS

Ibid. n. 112. pag. 136.

XXXIII. 1. Dominae nostrae de Rosario Orapesanae
2. S. M. Magdalenae prope pagum Ligni
3. S. Andreae de Monte Arenis
4. Dominae nostrae de Angelis Cadafalsi
5. Dominae nostrae de Cardno Hontiveros
6. S. Bernardini Matriti
7. S. Ludovici Paracuellos
8. B. Mariae Bonillae
9. Dominae nostrae de Gratia Penarandae
10. S. Francisci Alaeios
11. S. Ioseph Metymnae de Campo
12. S. Pauli Cocae
13. Corporis Christi Martinmuanae
14. Nominis Iesu Cebreros
15. Angeli Custodis Compluti
16. S. Michaelis de Victoria Plici
17. S. Antonii Abulae
18. S. Petri Consuegrae
19. S. Iosephi Toleti
20. S. Sebastiani Annonii
21. S. Ioan. Baptistae Zamorae
22. S. Annae Talabricae
23. S. Ioannis Evang. Turris Stephani
24. S. Francisci Iepes
25. S. Gabrielis Segobiae
26. S. Laurentii Conchae
27. Conceptionis Baragiae
28. S. Annae de Valenas
29. S. Bernardini Valentiae

Digitized by Google

Anno Christi 1593.	Clementis VIII. an. 1. et 2.	Rodulphi II. anno 17.	Religionis Minorum anno 386.

30. S. Iosephi Salamanticae
31. Assumptionis de Yllescas
32. S. Lazari de Arevalo
33. Incarnationis de Malacon
34. S. Francisci Villae Cassin, sive de Valtenas
35. S. Antonii Veladensis
36. S. Mariae de Angelis Serralvi
37. S. Francisci Cymbae Abulensis
38. S. Ioan. Baptistae apud s. Elaliam
39. S. Mariae de Misericordia Fonsalitae.

XXXIV. Ex his patet s. Gabrielis provinciam auctam fuisse duobus coenobiis; s. Iosephi vero unico tantum. Hoc anno iussit pontifex: *Ad ea* die xv. Februarii archiepiscopo Hispalensi, ut immitteret fratres discalceatos in conventum oppidi de Bornos dioecesis Hispalensis, iam initiatum ex bonis relictis a Ferdinando Henriquez de Ribera, marchione Tariffae; verum eo intrarunt anno mdxcvii. Provinciae s. Gabrielis accessit hoc eodem tempore conventus positus in oppido de Arcos Hispalensis dioecesis, cuius erectionem pontifex approbavit: *Cum sicut* die xv. Decembris. Conv. de Bornos. Conv. de Arcos.

XXXV. Minores conventuales recipiunt in provincia Umbriae pro eorum incolatu monasterium s. Clarae Castriveteris dioecesis Spoletanae, iam monialibus vacuum, relicto quod incolebant, coenobio s. Bonaventurae, potestate eis facta a pontifice: *Exponi nobis* die xx. Martii; recipiunt etiam in provincia Calabriae Citerioris conventum in civitate Geruntina. Sodales de tertio ordine inhabitarunt hoc eodem anno coenobium s. Mariae Gratiarum Ascali in provincia Marchiae, receptum per Antonium Montani a Montegranario provincialem, et Bartholomaeum Gambara Brixiensem, addita conditione, ut solverent quolibet anno scutum unum aureum de camera hospitali s. Spiritus in Saxia de Urbe. Conv. Castrinoteris. Conv. Geruntiae. *Monum. prov.* Conv. Ascali. *Bordoni incbronic. pag.* 373.

XXXVI. Capucini novas aedes pluribus in locis recipiunt; ac primo quidem conventum in oppido Montis Albani Tricaricensis dioecesis provinciae Lucaniae, sive Basilicatae; conventum in pago Coelici provinciae Cosentiae; conventum in civitate Minervini provinciae Barensis; conventum in oppido Montis Cavensi Materanensis dioecesis in provincia Hydruntina; conventum in pago Clarimontis dioecesis et provinciae Syracusanae: conventum in oppido Occierii dioecesis Algarensis provinciae Turritanae; conventum in oppido Vitellianae Cremonensis dioecesis provinciae Lombardiae; conventum in pago Araiani dioecesis Vicentinae provinciae Venetae; conventum Mediolani titulo immaculatae Conceptionis, et in civitate Vigueriae Dertonensis provinciae Mediolanensis; conventum in oppido Alexii dioecesis Albinganensis, et Genuae sub invocatione Conceptionis immaculatae in provincia Genuensi; conventum Oeniponti Brixinonensis dioecesis titulo s. Francisci provinciae Tyrolensis; conventum Blesae Turonensis provinciae; ac postremo conventum Nancei Tullensis dioecesis in provincia Lotharingiae. *Ex Michaele a Tugio.*

XXXVII. Extitit et hoc anno pro monialibus clarissis immaculatae Conceptionis titulo monasterium prope moenia oppidi de Cuellar, erectum expensis equitis Melchioris de Roxas, et Constantiae Bezerrae coniugum. Ambo dormitionis requiem acceperunt in ara maiori ecclesiae eiusdem monasterii. Quatuor moniales monasterii conceptionis de Berlanga huc accesserunt, ut neophitas virgines in religiosa conversatione erudirent. Incolitur a xxx. sororibus, quae moderantur a ministro provinciae immaculatae conceptionis. In provincia Angelorum excitatum pariter fuit collegium virginum clarissarum sub invocatione s. Ioseph in oppido de Guadalcanal, opibus Hieronymi Gonzalez de Alanis loci incolae. Fundatrices fuerunt Isabella a Spiritu Sancto abbatissa, Ioanna Monast. de Cuellar. *Monum. prov.* Monast. de Guadalcanal. *De Guadalupe pag.* 612.

Digitized by Google

de la Cena vicaria, Maria de Columna, Maria de Transfiguratione, Dionysia de Incarnatione, et Maria de Praesepio, quae maiorum iussu eo venerunt ex monasterio s. Ioannis de poenitentia de Belvis. Pientissimus fundator erexit in eadem ecclesia quotidianam perpetuamque cappellaniam satisfaciendam a sacerdote religioso coenobii eiusdem oppidi. Quamplures sacrae virgines in hoc monasterio pretiosa morte occubuere. Anno MDCXIV. Constantia a s. Hieronymo, Ioanna a s. Clara, et Maria de Cruce; anno MDCXX. Maria a s. Didaco; anno MDCXXI. Antonia de Trinitate; anno MDCXXVII. Isabella a s. Bonaventura; anno MDCXXVIII. Leonara a s. Bernardo; anno MDCXXXI. Maria de Corpore Christi; et anno MDCXXXII. Maria de s. Idelphonso, de quibus suo loco.

Monast. de Altamura.

XXXVIII. In provincia s. Nicolai positum etiam fuit pro monialibus clarissis monasterium in oppido de Altamura dioecesis Barensis: *Debitum pastoralis* IV. idus Octobris. Bellorum vi eiectis sororibus Coletanis anno MDLXXXIX.

Monast. Aquiani. *Fodere p.* 90.

e monasterio Aquiani provinciae s. Bonaventurae, inter vitae pericula, summamque egestatem hac illac errantibus, eo tum e Burgundia, tum e Flandria iterum adduxit pater Fodereus Gallus.

Monast. prov.

Monasterium s. Clarae Reatis, quod moderabatur ab observantibus, transiit ad regimen reformatorum. Monasterium clarissarum ss. Trinitatis titulo Redintuini, vulgo Teinita dioecesis Pragensis in provincia Bohemiae hoc tempore adhuc administrabatur a minoritis conventualibus.

Sbaralea in suppl. ad ann. min. ad an. 1410 n. 26.

Monast. Cingoli.

XXXIX. Sunt litterae summi pontificis: *Ex iniuncto* XIII. calendas Decembris apud Petrum de Alva pro sororibus de tertio ordine civitatis Cingulanae in Piceno, quae ab ann. MCDLXIX. monasterium Spiritus Sancti titulo incolebant, quaeque in instituendis puellis sedulam navabant operam. Ante id temporis quidam religiosi viri ibidem, ut infirmis opitularentur, diversabantur eodem ferme modo, quo in aede Sancti Spiritus in Saxia de Urbe degunt canonici regulares. De hoc monasterio opusculum scripsit ediditque anno MDCCXLIV. cl. Philippus de marchionibus Raffaeli illius civitatis incola.

Antonia a Trinitate. *Agiologium Lusitan. ad diem* 10. *Iulii.*

XL. Aliquot ex sororibus clarissis pie hoc anno decesserunt. In monasterio Iesu de Satuval in provincia Ulyssiponensi die X. Iulii rapta est Antonia a Trinitate, filia d. Santii de Noronha comitis de Odemira, quae spreto nobili coniugio sibi a parentibus oblato, coelesti sponso unita est in eodem monasterio. Summa humilitate praedita, viliora monasterii munia semper obibat, delectabaturque infirmarum sororum cura. Lacrymarum dono enituit in recolenda Christi Domini passione. Afflictabatur interim cilicio, flagellis ac ieiuniis. Eucharistico pane refecta, non multo post spiritum Deo placidissime reddidit.

Leonora Manrique. *De Torres p.* 493.

Die II. Aprilis coelestia petivit in monasterio s. Elisabeth Granatae Leonora ex comitibus Manrique. Nudatis genibus diu in oratione versabatur, et gravi morbo afflicta, mire effulsit in patientia. Post sui mortem, aperto tumulo, eius corpus odorem suavissimum spiravit. In monasterio s. Clarae Baozae eiusdem

Antonia Santillana. *Idem p.* 753.

provinciae Granatensis obiit Antonia da Santillana, quae dum orationi vel vocali vel mentali vacabat, lacrymarum dono exornabatur. Mortis suae tempore, spectantibus sororibus, miro splendore circumfusa apparuit.

Leonora a s. Petro. *De Guadalupe pag.* 570.

XLI. Die X. Decembris decessit in monasterio s. Clarae de Cazalla in provincia Angelorum Leonora a s. Petro, eximiis virtutibus cumulata; ut carnis petulantiam frenaret, membra ieiuniis, asperitatibus, ac ciliciis castigabat. In monasterio s. Clarae de Alapis eiusdem provinciae obiit in osculo Domini sui

Isabella a Cruce. *Idem pag.* 573.

Isabella a Cruce. Tanto poenalitatis spiritu carnem suam edomabat, ut praeter crebras flagellationes ad sanguinis usque effusionem, nunquam calceamentis usa

Digitized by Google

fuerit. Puritatis amore capta ita oculos suos continuit, ut quadraginta annorum spatio, licet munus abbatissae obiret, nunquam eos in secularium intenderit faciem. Monasterii negotia cum syndico apostolico. non verbis, sed litteris explebat.

XLII. In sacro capucinorum instituto e vita migravit in conventu s. Bonaventurae de Urbe Bernardinus Aragonensis sacerdos, inter eos initiatus in provincia Romana. In Hispaniam missus, cum sanctitate vitae prae omnibus floreret, primum guardianus conventus s. Eulaliae Barcinonensis, ac subinde magister novitiorum renunciatus in utroque munere tum humanitate, tum mansuetudine, quam animi prudentia inculpate se gessit. Summa vigilantia ac virtutum exemplo Catalauniam provinciam nuper erectam, vicarii provincialis officium tenens, administravit. Charitate Dei et proximi vulneratus, ardenti pro Christo patiendi zelo tantopere flagrabat, ut sanguinem pro ipso fundere maxime peroptaret. Cum Romam hoc anno ad generale ordinis comitium accessisset, ibidem cum sanctitatis opinione decessit. In provincia Panormitana obitus sui hora praesignata migravit ad Dominum Benedictus Salvensis sacerdos, pietate eximia erga Deum ac Deiparam praeditus; Cornelius a Salve item sacerdos clarus regulari perfectione et abstinentiae virtute decessit in provincia Hydruntina; item obiit Chrysostomus Albidonensis sacerdos, a daemone totius ferme suae vitae cursu exagitatus. Dum coelestibus meditationibus in cellula vacabat, non semel a suis auditi fuerunt angelorum concentus.

Bernardinus Aragonensis. *Ilc Arembcrg t. 2. pag.* 135.

Benedictus Salvensis. *Id. ib. p.* 460.

Cornelius a Salve. *Idem ibidem.*

Chrysostomus Albidonensis. *Idem ibidem.*

XLIII. Anno aetatis suae centesimo placide ad Deum abiit in provincia Calabriae Ioannes a Seminaria laicus, florenti in aetate inter observantes cooptatos. Multarum in eo virtutum specimen elucebat; eas tamen ferventi oratione, et rerum divinarum contemplatione impense alebat, in quibus haud raro mentis excessus patiebatur. Prophetiae ac miraculorum dono a Deo cumulatus, et futura praedixit, et quamplures aegrotos signo crucis sanavit. Tertio post sui obitus die suavis odor e corpore erupit. Melphicti in provincia Barensi occubuit Franciscus Monopolitanus laicus, qui cum eremiticam vitam per aliquot annos in quodam monte urbi Monopolitanae coniuncto duxisset, inde inter capucinos adscriptus asperitates auxit ac poenalitates. Nunquam carnem nec pisces comedit; solis herbis et leguminibus pane aliquando adhibito vescebatur. Cilicio interim, vigiliis, ac perpetuis ferme ieiuniis carnem edomabat. In Aquitania provincia superna petivit Hieronymus Picenus sacerdos, qui abstinentia ac orationis exemplo florens, provinciam illam summa prudentia administravit, vicarii officium gerens.

Ioannes a Seminaria. *Id. ibid. p.* 680.

Franciscus Monopolitanus. *Id. ib. p.* 677

Hieronymus Picenus. *Id. ib. p.* 174.

XLIV. Genuae cum Romam se conferret, pie obiit Seraphinus a Neapoli ex provincia Cosentiae, a suis antea missus in Barcinonensem civitatem, ubi sanctitatis fama penes omnes inclaruit. Tanto mentis affectu sacra mysteria peragebat, ut non semel puerum Iesum sub eucharisticis speciebus humana forma praeditum conspexerit. Munia exercuit provinciae definitoris, magistri novitiorum, ac guardiani. Ibidem vitam cum morte commutavit eius socius Romam dum peteret, Andreas Taurinensis, eximius in educatione novitiorum, ac in egenos commiseratione, quibus quo poterat, providebat, subtractis sibi necessariis vitae cibariis. Pistorii quievit Ambrosius Senensis, e nobili Cianorum urbis Senensis prosapia ortus. Adhuc adolescens, abstinentia, ac flagellis corpus castigabat. Doctoris laurea in utroque iure consequutus in academia Senensi, cathedram subinde conscendit. Emisso voto in capucinorum instituto se Deo perpetuo famulaturum, ad religionis gremium advolavit. Tanta vitae poe-

Seraphinus a Neapoli. *Id. ib p.* 177.

Andreas Taurinensis. *Id. ibid. p.* 242.

Ambrosius Senensis. *Id. ib p.* 415.

Digitized by Google

nalitate enituit, ut anteactae puriores vitae austeritates longe superaret. Eximia animi dilectione ferebatur erga b. Virginem; cum de ea sermonem haberet, immobilis permanens, extra sensus rapiebatur. In conventu Montis Calvarii Barcinone meliorem vitam sortitus est Ioannes Navarreus laicus, antea inter minores observantes cooptatus, exclusus severa lege abstinentiae, qui ad coercendum gulae vitium, non alio obsonio, quam pane calida madido aqua nutriebatur. Factus hinc capucinus, super nudas tabulas aliquando dormiebat; saepius tamen genibus flexis sopori se dabat brevissimo. Claruit coelesti, licet litteris ignarus, sapientia, miraculorum gloria, ac prophetia.

Ioannes Navarreus. *Id. ib. p.* 678.

XLV. Promeritam sibi in coelis coronam accepit in conventu Dominae nostrae Manilae provinciae Insularum Philippinarum fratrum discalceatorum Franciscus Ramos, antea inter observantes sacerdos, qui postquam divini verbi praedicatione totam ferme Hispaniam lustrasset cum maximo animarum lucro, ad eas insulas se conferens, idem munus prosequutus est toto vitae suae tempore. Eximia humanitate praeditus, tum christifidelium, tum gentilium corda sibi mire devincebat. Apostolorum more, omni ope destitutus, ac nemini notus, per impervia incedebat, unice pallium quo operiebatur, et sacrorum bibliorum codicem deferebat. Ante eius mortem totus in divinas laudes effusus, decessit in senectute bona absoluto hymno *Te Deum laudamus*. In coenobio s. Aegidii Matriti dies complevit suos Hieronymus de Burgos, de quo nos plura diximus, eximius in disseminanda fide tum in insulis philippinis, tum in Concincinae, Siami, et Sinensium regionibus, in quibus multa patienter sustinuit. Magni habitus semper fuit a Philippo II. Hispaniarum rege, ac a praesidibus Manilensibus. Emicuit virtutibus humilitatis, divinarum rerum contemplationis, ac paupertatis. Illum Deus coelestibus illustrationibus ditavit, ac non semel esurientem extemplo enutrivit.

Franciscus Ramos. *Martines lib. 1. pag.* 50.

Hieronymus de Burgos. *Idem ib. pag.* 51. *Ann. min. ad an.* 1580. *n.* 3. 1582. *num.* 6.

XLVI. Antonius Irles sacerdos eiusdem ordinis occubuit in coenobio Rosarii Villae Regalis in provincia s. Ioannis Baptistae, vir summae perfectionis; qui etsi eam sero aggressus fuisset, ita tamen velociter per illam cucurrit, ut plurimos eximia virtute exultos antecelleret. Orationi tam vocali, tum mentali incumbens, in ea a media nocte usque mane in choro perseverabat. In coenobio Gouresii provinciae Arrabidorum die XXII. Martii iustorum mortem obtinuit Michael Falconius, natus in oppido Biscita dioecesis Dertosanae in provincia Catalauniae. Ea in provincia inter observantes adscriptus fuit, ac sacerdotali dignitate inauguratus. Maioris perfectionis desiderio excitatus, in fratrum discalceatorum Arrabidorum provinciam advenit, ubi spiritus sui relaxato fervore, anachoriticam vitam transegit in aspero quodam antro, palmorum quatuor extenso, porta interim destituta. Pro strato arborum ramis, et pro pulvinari aspero lapide utebatur. Pane et aqua dumtaxat reficiebatur; praecinctus erat asperrimo cilicio, et ter in die in se acutis flagellis saeviebat. Coenobium fratrum unice petebat, ut et diurnis ac nocturnis praesto esset cum caeteris divinis psalmodiis ac meditationibus. Eiusdem asperrimae vitae genus octo annorum spatio prosequutus est tanta cum sanctitatis opinione, ut eo defuncto, incisa fuerint lapidi illius cryptae haec verba.

Antonius Irles. *Pamo lib. 1. c. 57. pag.* 211.

Michael Falconius. *Agiologium Lusit. ad diem* 22. *Martii, et monum. prov.*

Falconius iste octanis de saxo pervolat aetera.

XLVII. Eamdem vitae rationem temuit aliis etiam in coenobiis, in quae obedientiae merito se conferebat. Paupertatis altissimae studiosissimus, cum coenobiis praesideret, nunquam passus est oblatas, praeter necessitatem, a piis christifidelibus stipes admittere. Aliquando tamen evenit, ut fratribus inopia

laborantibus, servi sui precibus Deus annonam multiplicaverit. Nam ut caetera praetereamus, cum quadam die coenaculi curator aliquot panes dumtaxat haberet ad mensam fratrum apponendos, iussit vir sanctus, ut integrum aegroto reservaret, reliquos vero per singulos fratres in frusta distribueret. Quo facto ita panis excrevit, ut iis saturandis plene sufficeret, quin imo superflueret.

XLVIII. Minister suae provinciae renuntiatus, anno MDLXXI. Romam ad capitulum generale pro deligendo novo ordinis moderatore petivit, arduum iter nudatis pedibus conficiens, ac ostiatim mendicans. Vulgata per urbem suae eximiae sanctitatis fama, a summo pontifice Pio V. accersitus, benevole illum excepit, ac favoribus et gratiis cumulavit. In Portugalliam regressus, munus ministri provincialis sine mora renuncians, orationi ac coelestibus meditationibus totus incubuit, in quibus saepe elevabatur sensibus plene destitutus. Tandem sui exitus hora pronunciata, centesimo aetatis suae anno sancte decessit. Eo vix defuncto, habitu in frustulas diviso, ceu praetiosae reliquiae ab omnibus venerabantur, quarum contactu multa mirabilia evenisse tradunt scriptores.

XLIX. In coenobio s. Francisci Mexici in provincia minorum observantium s. Evangelii coelestia petivit Franciscus Sanchez laicus, qui humilitate, patientia, obedientia, et vitae austeritate floruit; praestans tamen fuit charitate et comitate in parando totius vitae suae tempore pro fratribus alimento. Interim oratione, ac rerum divinarum contemplatione delectabatur. Franciscus Sanchez. *Torquemada t. 3. pag. 586.*

L. Mortalitatis exuvias deposuit et hoc anno insignis verbi Dei praeco Evangelista Gerbi ex minoritis de observantia, labente Octobri anno MDXXX. in oppido s. Marcelli dioecesis Pistoriensis, ex quo et Marcellinus dictus, nobilibus piisque. Adamo et Agatha. parentibus natus, in baptismate Laurentius vocatus. Adhuc puer cum in dies ederet eximiae sanctitatis specimina, ac studiis sedulo incumberet, maiorum suorum consilio sub disciplina pii sacerdotis Ansani Pistorium missus fuit, ut tum in timore Domini, tum in humanioribus litteris illum erudiret. Brevi post tempore tantum in iis praestans evasit Laurentius, ut eius moderator, qui summo in pretio eum habebat, et ingenii sui docilitatem virtutisque ornamentum publice commendabat, de eo diceret, non viribus naturae, sed singulari divinae gratiae auxilio id fuisse tam cito assequutum. Verum a saeculi laqueis dissolvi, et vitam ducere cum Christo absconditam cupiens, anno aetatis suae XIII. Pistoriensi civitate relicta, domum s. Francisci minorum de observantia ad secundum lapidem ab ipsa civitate positam festinanter petivit, ubi ad pedes coenobii praesidis procidens, lacrymis ac suspiriis illum exoravit, ut inter suos cooptari dignaretur. At ob tenellam sui aetatem repulsam passus, tandem post triduum iuvenis voto benevole satisfecit guardianus. Evangelista Gerbi. *Iacobus Peri in eius vita.*

LI. Solemni emissa professione, orationis studium auxit, praecipuarum virtutum exemplar se praebuit, ac corporis poenalitates multiplicavit, quibus sedulum tum sacrarum litterarum, tum bonarum artium ardorem adiiciens, penes omnes sanctitate vitae, et eximia doctrina florebat. Hinc factum est, ut generalis ordinis administer, Pistoriensium civium precibus, qui Marcellinum inter optimates suos iam conscripserant, ad excolenda studia in frequentissimam Parisiensem accademiam amandaverit, calenta adhuc aetate sua. Studiorum curriculo feliciter emenso, primum doctoris laurea insignitus, ac inde ad moderandam ibidem cathedram delectus, per aliquot annos omnium plausu divina eloquia explanavit.

Digitized by Google

LII. Doctrina ac sanctitate cumulatus in patriam rediit, ac obedientiae merito concionatoris munus adeptus, totam ferme Italiam lustravit, Paduam nimirum, Mediolanum, Bononiam, Cortonam, Pistorium, Florentiam, Venetias, Aquilam, ac Urbem postremo, ubi saepius coram Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. ac Clemente VIII. summis pontificibus e rostro dixit. Triginta octo annorum curriculo nunquam intermisso id munus prosequutus est; at tanto cum animarum foenore, ut vix enarrari possit. Romae multorum hebraeorum perfidiam devicit, et ecclesiae adunavit non solum verbo, sed ieiuniis et flagellis singulis sextis feriis et sabbatis, quibus Deum exorabat, ut incredulitatis velamen ab eorum cordibus auferre dignaretur. Ubique vero innumerabiles abusus sustulit, corruptelas et vanitates ablegavit, ecclesiarum nitorem amplificavit, sacramentorum frequentiam induxit, et ingentem pene deviorum multitudinem ad cor reduxit, et ad poenitentiam excitavit. Tradunt eo concionante in urbe Florentiae tot tantasque mulieres a turpi quaestu avocasse, ut munificentia Cosimi I. magni Hetruriae ducis, paratum iam pro eisdem continendis ea in civitate domicilium, aedificiis fuerit auctum, reditibusque locupletatum. In dicendo suavis, peccatorum corda licet duriora emolliebat, et ad sectandam pietatem alliciebat.

LIII. Hinc merito sequens de Evangelista Marcellino illustre testimonium reddidit Federicus cardinalis Gonzaga in opere de sacris oratoribus sui temporis. *Concionabatur*, inquit, *adhuc Romae Marcellinus, nunquam intermisso per multos annos cursu. Rara in eo concionatore laus fuit, quod in ipso exactae aetatis termino praeclare dicebat, ut semper antea; nec imminuerat eloquentiam senectus; eratque praecipua felicitas in eius oratione, quod summa familiaritate utebatur ita, ut nihil amitteret ex decoro - Haec tanta Marcellini familiaritas in dicendo, qua ille prudenter utebatur, popularem, atque simplicissimam, et ideo gratissimam omnibus efficiebat orationem; ac fortasse demissa nimium videretur, et quotidiana, nisi veneranda senectus eam et viri fama sublevaret. Poterat ille sine ulla reprehensione ac vitio in posterum diem auditores invitare, eosque sic alloqui: crastino die concio nobis erit huius argumenti, vel illius: cavete, ne tanti sit ulla res, quae vos abducat. Ea denuntiatio, et ille mos invitandi nequaquam fuerit in aliis magnopere laudandus - Nihil tumidum aut elatum, nihil afferunt ambitiosum et inane; fuitque tanta semper huic genti familiaritas in dicendo, ut princeps inter eos eloquentiae eloquentis nomen recusaret; et saepe polliceretur auditoribus, locuturum esse necessaria tantum, et quam simplicissime, sine arte prorsus ulla. Haec adeo sincera et simplex oratio Marcellini faciebat, ut enarrationes illius existerent perelegantes et amoenae. Non utebatur in ipsa narratione figuris illustribus, quas concionatorum vulgus adhibere consuevit, sed maxime naturali et nuda perspicuitate, quae tamen contineret eximiam artem, et interiora praecepta narrandi. Summum huius oratorii muneris magistrum arbitror Homerum fuisse, quem ad plurima sequi ducem poterunt oratores christiani, omittendo tamen ea, quae fert consuetudo carminis, et nota illa poetarum licentia. Placidum hoc dicendi genus prosequebatur idem actione moderata, nec ardenter, et concitate quidquam, sed omnia leniter, et mansuete pronuntiabat, veluti si pater filium erudiret - Non igitur deerat ars Marcellino, qua laudabiliter et scite finem imponeret orationi, planeque diceres artis eius esse principem,*

Federicus Gonzaga pag. 109. et seq.

Idem p. 115.

Idem pag. 115.

Idem p. 118.

Digitized by Google

et magistrum. Ab eo quamvis omnis fucus et phalerae inanes abessent, non aberat purissimi sermonis elegantia, suavitasque pronunciandi. Quae duae partes etiam si quid ab ipso mediocriter diceretur, illustrabant. Adiuverat sane hominem elegantia patrii soli, cum natus esset in Hetruria, sed ad illud natalis terrae munus ipsius quoque accessisse studium et diligentiam animadvertebant eius linguae periti.

LIV. Humanitate eximia erga Christi pauperes exornatus, non semel pallium quo amictus erat, eisdem largiebatur hyeme licet rigente. Interim pontificis summi venia, stipem a piis christifidelibus emendicabat, ut eisdem pauperibus, maxime vero periclitantibus virginibus opem afferret. Eo auctore, Romae primum ac inde ubique locorum ad campanae pulsum sub noctis hora inducta fuit pro solatio animarum in purgatorio degentium, psalmi *De profundis* recitatio; quam precationem verbo et precum suarum exemplo in corda fidelium instillaverat.

LV. Hinc magni semper habitus fuit Evangelista a ss. Carolo Borromaeo cardinale, Philippo Nerio, ac a Felice de Cantalicio capucino quorum familiaris erat, a s. r. e. cardinalibus, et praelatis, quin imo et a summis pontificibus ob praeclaram pietatis et sanctitatis suae vulgatam opinionem. Ipse vero tanta humilitate praeditus erat, ut demisse de se intimius sentiret. Quare prae sui humilitate nunquam adduci potuit ad munia sui ordinis suscipienda. Cortonensem anno MDLXVI. et Volaterranum anno MDLXX. episcopatum a laudato Cosimo I. magno Hetruriae duce, et cardinalitium galerum a Gregorio XIII. oblatum constantissime detrectavit.

LVI. Prophetiae spiritu fuisse ditatum novimus. Sancto enim Carolo cardinali Borromaeo mortem antequam anno MDLXXXIV. ab Urbe discederet, praenunciavit; quod et evenit. Sui obitus diem et ipsi innotuit. Explanaturus namque die XXVI. Decembris anno MDXCII. in ecclesia aracoelitana de Urbe sacra Dei eloquia, socio suo iussit, ut suggestum nigro colore tegeret. Eo conscenso, illa Iobi verba cap. XXX. v. 20. et 21. edicens: *clamo ad te, et non exaudis me: sto et non respicis me; mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuae adversaris mihi.* consertum populum exoravit, ut omnipotenti Deo animam suam precibus commendaret, quia a gravi infirmitate mox erat correpturus. Et ad benignissimam Dei genitricem conversus, dixit ei: *hora mortis meae in matra te esse matrem.* Populo inde valedicto, vix cellam repetiit, a lethifero morbo tentari coepit. Ipsum aegrotantem visitarunt Urbis principes, senatores, praelati, ac summi pontificis nomine s. r. e. amplissimi cardinales, quos inter Augustinus Cusanus eius familiaris, cui dum suae infirmitatis dolorem verbis levabat, respondit illis Davidis verbis: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Sacramentis ecclesiae summo pietatis fervore refectus, sanctam Deo efflavit animam, vix illis ad b. Virginem expletis vocibus: *monstra te esse matrem*, die III. Ianuarii, eo tempore quo fratres in matutinis precibus hymnum *Te Deum laudamus*, concinebant.

LVII. Vulgato per Urbem eius obitu, gravi moestitia romana gens affecta fuit, et praecipue summus pontifex Clemens VIII. qui eiusdem iacturam deplorans, in haec verba prorupit: *heri praeco magnus ecclesiae romanae conticuit, tubaque resonans obmutuit.* Ad eius funus accurrerunt omnium ordinum cives vel eius exuviam osculaturi, vel habitus sui particulas ad explendam devotionem suscepturi. Quamplures infirmos servi Dei intercessione

sanitatem obtinuisse tradunt. Defuncti corpus excepit eadem ecclesia aracoelitana de Urbe apud sacellum ss. crucifixi cum sequenti epithaphio

D. O. M.
F. EVANGELISTAE . MARCELLINO
EX . ORDINE . MINORVM . DE . OBSERVANTIA
CASTRO . S. MARCELLI . DIOECESEOS . PISTORIENSIS
VIR . CHRISTIANA . ELOQVENTIA
DOCTRINA . ET . VITAE . SANCTITATE
CELEBRI
QVI . OBIIT . IV. NON. IAN. A. D. MDXCIII.
VIXIT . ANNOS . LXXIII. MENSES . DUOS
RELIGIONI . L. CONCIONIBVS . IIXII.
E . QVEIS . ROMAE . AVDITVS
ASSIDVE . XXV. STVDIIS . INGENTIBVS
ANIMORVM . ET . BONO
ZENO . DE . ZENONIBVS
OPT. AVVNCVLO . MOERENS.

LVIII. Plura ingenii sui monumenta posteris reliquit, quorum specimen exhibet p. Franciscus Frediani in opere mihi misso *Cronica di Firenze di fr. Giuliano Ughi* pag. 11. Ac I. quidem *della conversione del peccatore a Dio libri due*, Firenze 1578. - II. *le cinque meditationi sopra i cinque giorni della creatione del mondo*, Camerino 1579. - III. *breve esposizione del Salmo* LXVII Exurgat Deus *con la traslatione letterale in versi*, Camerino 1579. - IV. *della vanità del mondo dialoghi dodici con un dialogo della povertà*, Camerino 1580. - V. *Lettioni sopra Giona profeta fatte in Roma nella chiesa di s. Lorenzo in Damaso*, Camerino 1581. - VI. *delle virtù dialoghi* XII, Firenze 1581. - VII. *della metamorfosi, ossia trasformazione del virtuoso libri* IV, Orvieto 1582; pluries opus lucem aspexit diversis in locis. - VIII. *sermoni quindici sopra il Salmo* CIX *fatti agli Ebrei di Roma*, Firenze 1583. - IX. *lettioni dodici sopra Abacuc profeta*, Firenze 1584. - X. *predica del venerabile Sacramento fatta nel duomo di Firenze nel* 1585, Firenze 1585. XI. *lettioni diecianove sopra Ruth*, Firenze 1587. - XII. *lettioni sopra Daniele profeta fatte in Roma in Aracoeli l'anno* 1586. - XIII. *annotationi sopra il libro de' Giudici cavate dalle lettioni da lui lette in Roma in Aracoeli l'anno* 1587. - XIV. *corona di dodici stelle per la b. Vergine*, Venetia 1589. - XV. *prediche varie*, Venetia 1596. - XVI. *lettioni sopra la Cantica fatte da lui in Roma l'anno* 1579, Firenze 1590. - XVII. *lettioni sopra il Benedictus*, Firenze 1599. - XVIII. *dieci lettioni sopra la Magnificat* ibidem - XIX. *annotazioni sopra la storia di Giuditta*, Firenze 1622. - XX. *lezioni sopra Tobia*, Roma 1587. - XXI. *ragionamento fra l'uomo e l'angelo suo custode dialoghi tre*, Pistoia . . . - XXII. *lezioni sopra il libro dei Rè*. - XXIII. *lezioni sopra Malachia*. - XXIV. *lezioni sopra l'epistola agli Ebrei* - XXV. *lezioni sopra l' Apocalisse*. - XXVI. *methodum conciones formandi*.

LIX. De eo agunt, praeter Iacobum Peri, Pulinari *in chronica mss.*, Terrinca *in theatro minoritico*, Dondori *della pietà di Pistoia*, Zaccaria

Digitized by Google

bibliotheca Pistoriensis, Panieri *cataloghi de' santi e beati Pistoiesi*, et Possevinus *in apparatu sacro* tom. 1. pag. 29. et pag. 145, qui scribit *ipsum audivisse pene moribundum eructantem ad graves morbi dolores ferendos divina Iobi verba*. Coronidis loco sit quae de eo habet chronicon Florentinum publici iuris factum a Morbio Mediolani anno 1838. cuius titulus *Storia de' Municipi Italiani*, *Municipio di Firenze* pag. 42. » Nel 1581., » *inquit*, predicò in Domo il p. Marcellino di s. Francesco, che fu veramente » predicatore di Gesù Cristo, perchè diceva senza maschera, e minacciava il » principe e la Città; ma però non fu mai udito da G. D. Francesco; anzi » furono attaccati certi cartelli alla porta del Domo in suo vitupero. Ma una » mattina, acceso da ardente zelo, disse in pergamo: Firenze, io sento che » tu mi vuoi ammazzare; la rimetto in te; degli altri predicatori hai ammaz- » zato; sappi Firenze, che questa sarà la mia corona: volesse Dio che fossi » al primo della quaresima: apri pure gli occhi a tuoi peccati, Firenze; tu » sei fatta una publica meretrice, ma guai a te, guai a te! »

LX. Hoc eodem anno Aegidius Borman eiusdem instituti laicus annorum XXII. dum coenobium Luxemburgense provinciae Flandriae petebat, in sylva de Praire a sicariis haereticis aggressus, toto corpore virgis primum caesus fuit, mox fractis cruribus praecordiisque avulsis, ac ad ramum arboris suspensus, animam Deo inter divinas laudes placidissime reddidit. Corpus recenti sanguine adhuc perfusum quinquagesimo post die inventum, delatum fuit in ecclesiam laudati coenobii, ibique tumulatum. Aegidius Borman m. Monum. prov.

LXI. Inter eosdem fratres quamplurimi summa doctrina instructi obierunt. In primis Valentinus Friccius, egregius verbi Dei praeco, provinciae Austriae administer, commissariusque Germaniae, qui typis mandaverat *catalogum novorum martyrum* ordinis minorum in Anglia, Belgio, aliisque in regionibus occisorum, per Thomam Bourchier, et Florentinum Leidanum ex germanico latine redditum, anno MDLXXXIV. Ingolstadii vulgatum. De eo nihil habet Waddingus et Sbaralea. Obiit etiam hoc tempore Dominicus, non vero Ioannes Dominicus, ut scribit Sbaralea. Hessius, poeta eximius, orator et concionator fervidus, et Austriae provinciae administer. Multa erudite et eleganter scripsit. Vulgavit unum ex tredecim libris de fructu virtutum et spiritu veritatis tractantibus hoc titulo: *demonstratio veriae ecclesiae ex ss. patribus per continuam seriem episcoporum*, Graecii an. MDXCII. Unam columnam latine, alteram teutonice scripsit, subiectis annotationibus, cum successione omnium episcoporum Seccoviensium in Styria. Alia opera metrice scripsit, nimirum synodum oecumenicam protestantium in sessiones octo divisam, anno MDXCIV. Graecii item editam; catalogum episcoporum Salisburgensium, Ingolstadii anno MDCLXXXVI. impressum; historiam de vita et moribus Urbani Trennbachii episcopi Passavien. item Ingolstadii an. MDCLXXXIX. Varias postremo elegias eadem in civitate typis commissas an. MDCLXXIII. et an. MDXCII. scripsit, epicedia, et hexametra gratulatoria ad laureas doctoratus, ad nuptias, ad dignitates, ad primas missas, ad natalitios dies, ad electionem archiepiscoporum Salisburgensium, ad pallii receptionem etc. et similia vulgata etiam Viennae et Norimbergae. Elegans etiam et longum composuit carmen hexametrum in librum Balthasaris Polizmanni praepositi Claustinaburgensis, cui est titulus: *compendium vitae, miraculorum, et canonizationis s. Leopoldi marchionis Austriae cognomento pii*, anno MDXCI. vulgatum. E teutonico idiomate latine fecit *opuscula omnia Ioannis Nasi minoritae de observantia episcopi n. suffraganei Brixinen:* Gredlerer tom. 1. n. 443. pag. 514. Sbaralea lit. I.

Digitized by Google

LXII. Porro hi duo viri cum redirent a comitio generali Vallisoleti hoc anno coacto, dominica prima adventus Ticini vitam cum morte commutarunt, de quibus hoc prostrat monumentum in coenobio fratrum minorum de observantia ad s. Radegundam Kazelstorffense in provincia Austriae. *Anno salutis* MDXCIII. *die* XII. *Maii sub pontificatu Clementis* VIII. *et imperante Rodulpho* II. *Caesare, hoc s. Radegundis monasterium a D. G. Sigismundo de Veispriach pro fratribus s. Francisci de observantia quondam extructum, posteaque haereticorum violentia ad* XXX. *annos possessum atque foedatum, ex imperiali mandato fratribus denuo restitutum, ac lustrali aqua reconciliatum est. Eodem anno dominica* I. *adventus obiit a. r. p. fr. Valentinus Friccius praefati ordinis per Germaniam, Hungariam, Poloniam, et Bohemiam commissarius, et serenissimi Mathiae archiducis Austriae confessarius, pater pietate, zelo, ac doctrina, et de ecclesia Dei et ordine nostro optime meritus. Quem eodem tempore statim subsecutus est r. p. Ioannes Dominicus Hess huius provinciae minister, pater itidem pietate et doctrina, uti et concionator ac poeta percelebris. Obierunt autem Papiae in Italia, ex capitulo generali in Hispania celebrato revertentes, ibidemque sepulti sunt. In quorum memoriam p. fr. Ioannes Baptista post restitutum monasterium primus eiusdem guardianus, ac serenissimo Maximiliano electo Poloniae regi, et archiduci Austriae etc. huius loci quasi alteri fundatori, atque tutori a sacris concionibus, non sine iustis lacrymis hoc opus erigendum curavit anno* MDXCV. *Animae defunctorum requiescant in pace.*

Gasparini in chron. proc. pag. 172.

LXIII. Inter eos etiam hoc anno e vita migravit Thomas, in oppido Massae dioecesis firmanae in Piceno honestis parentibus natus. Summo pollens ingenio, eximius evasit philosophus ac theologus ita, ut in privatis aeque ac publicis disputationibus praesertim Neapoli suae doctrinae semina, plenius effuderit. Clarus quoque verbi Dei praeco extitit, eumque concionantem habuere praecipuae Italiae urbes. Anno MDLXXVIII. suae provinciae definitor delectus, Parisios anno insequenti ad generale capitulum ministri provinciae nomine advenit, ubi prae suae doctrinae praestantia, morumque gravitate definitoris generalis munus accepit. Sexennio expleto, provinciam picenam administravit ad annum usque MDLXXXVII. Romamque inde accitus, commissarii generalis cismontanae familiae instituitur, comitio eadem in Urbe coacto. Idem munus gessit per triennium; eum tamen in eodem officio ad aliud triennium confirmare voluit an. MDXC. Sixtus V. summus pontifex cui charus erat, lata constitutione: *Cum sicut* die XII. Iunii. Vallisoletum anno currenti ad comitium ordinis generale se contulit; at cum in Italiam remearet, gravi morbo tentatus, Pisis dormitionis requiem accepit. Eum luxerunt sui sodales, ac ipse magnus Hetruriae dux, quem in deliciis habuerat, eidemque theologi nomine inservierat. De eo extant in coenobio s. Francisci Massae duo effigies in tela depictae, quarum una in bibliotheca, altera in sacrario asservatur, in qua haec olim scripta leguntur.

Insignis forma, doctrina insignior unus,
At superat summi cultus utrumque Dei:
Ad cuius interitum sacra Minerva gemit.

Sbaralea tit. C.

LXIV. Cornelius Martini minorita conventualis item decessit Florentiae die XVIII. Novembris; ea in universitate fuerat primum metaphysices, ac inde sacrae theologiae professor. Plura scripsit ac edidit. Florentiae anno MDC. et

Digitized by Google

Ferrariae anno MDXCIII. impressus fuit eius *tractatus de statu minorum conventualium*. *Opus de vera felicitate* probatum fuit anno MDLXXXII. die II. Augusti a Veneto inquisitore, et Ferrariae mss. servatur. Praefixa est operi *epistola ad Alphonsum II. Ferrariae ducem*. *Commentarium in prologum Scoti super sententias* complevit calendis Septembris an. MDXCIII. et mss. in laudata extat civitate. Elucubravit etiam *commentarium in metaphysicam Aristotelis*; item *etymologiam super dicta sacro tempore ordinata iuxta catholicorum patrum eruditionem* ad Alphonsum ducem missam ac probatam. In capite I. *de ieiunio* agitur. Est mss. sicut et mss. est *commentarium in libros Perihermeniarum*. Decessit etiam Theophilus Burgundus Rhodiginus provinciae Venetae, eiusdem instituti, Tarvisii ac Rhodigii generalis inquisitor. Eum auctorem fuisse *commentariorum in septem visiones Apocalypsim* scimus. *Idem ib. T.*

LXV. Petrus Trigosus ortus in Aragoniae municipio, *Calataiud* nuncupato, ex iesuita capucinus factus, vir pietate et doctrina eximius, Neapoli hoc tempore et decessit. In pretio habetur eius *summa*, quae hoc anno prodiit typis vaticanis; nam praeter difficiles theologiae quaestiones ab ipso enucleatas, quaedam impervia ss. litterarum oracula, ss. patrum interpretationibus adductis, expenduntur. Multa etiam *philosophica et theologica* scripsit. Edidit *commentarium in primum librum sententiarum iuxta mentem s. Bonaventurae*; alios tres in secundam, tertiam, et quartam partem sententiarum se vidisse testatur Ioannes a s. Antonio tom I. pag. 475. *Wadding. et Sbaralea lit. P.*

LXVI. E vivis pariter ereptus est Artaldus de Alagon Caesaraugustanus, comes de Sostago, electus et nominatus pro-rex Aragoniae, qui tertii ordinis saecularis s. Francisci cinericio rudi habitu indutus funeque praecinctus a XXIV. aetatis anno ad obitum usque, excepto tempore quo pro-regis munus obibat, publice incessit. Hispano idiomate docte ac devote scripsit *catechismum* una cum *expositione totius doctrinae christianae*, Caesaraugustae anno MDLXXXIV. typis Laurentii de Robles impressum; *concordiam utriusque legis divinae et humanae* cum tractatu adversus eos, qui *sese vindicare volunt*, Matriti edidit anno MDXCIII. Interim scripsit tractatum *super praecepta decalogi*, *super psalmum*: *Domine exaudi orationem meam*; *paradisum animae*, *et practicam virtutum*, *quorum nonnulli editi dicuntur*. *Sbaralea lit. A.*

LXVII. Ex minoritis conventualibus eodem tempore etiam inclarebant viri docti. Eleutherius Albergonus Mediolanensis edidit Patavii an. MDXCIII. per Paulum Maiettam *resolutiones doctrinae Scoticae*, cardinali Sarnano eiusdem instituti nuncupatas, et *concionem de modo laudandi et exaltandi Deum in cathedra*, italice Venetiis eodem anno habitam, et Romae an. MDCVI. vulgatam. Alter Hippolytus Maffaeus Rhodiginus hetrusco idiomate edidit *effigiem hominis in umbra mortis*, Tarvisii an. MDXCIII. typis Aurelii Reghettini. Agit in opere de meditationibus huius vitae ac mortis. De eo ita cecinit Bartholomaeus Burchelatus Tarvisinus *Idem lit. E.*

Cum superes alios hoc libro arte atque lepore
Hippolyte; et tempore sic superabis edax.
Nam vitae casus referens, mortisque triumphum
Mortuus et vives nomine, mente etc.

LXVIII. Inclaruere etiam inter observantes viri docti. Andreas a Soto hispanus, natus in oppido s. Facundi in Castella Veteri provinciae Conceptionis. Vallisoleti apud haeredes Bernardini a s. Dominico publici iuris fecit *vitam* *Wadd. et Sbaralea lit. A.*

Digitized by Google

et virtutes beatissimi Iosephi sponsi beatae virginis matris Mariae. Baptista Fernandez item hispanus ex provincia Burgensi, Iuliobrigae apud Mathiam Mares vulgavit hispanice *demonstrationes catholicas, et fundamenta, quibus nititur veritas nostrae christianae religionis.* Franciscus Sanzoles, quem Waddingus distinguit immerito ab Idelphonso Sanzoles, edidit non anno MDXCIII. sed an. MDLXXXV. Salamanticae typis Ioannis Fernandez *funerale in exequiis defunctorum, considerationes ad morum compositionem super epistolas et evangelia officii defunctorum.* Anno MDLXXXIV. ibidem vulgavit *elenchum operum Ludovici Granatensis*, et *tabulam*, sive *indicem librorum omnium Didaci Stellae.* Methynae Campi anno MDXCII. edidit *compendium commentariorum in evangelia, quae in missali romano continentur*; et anno MDXCIII. ibidem praelo commisit *discursus*, sive *commentaria in symbolum apostolorum.* Putamus cum Hyacintho Sbaralea ipsum in saeculo vocatum fuisse Idelphonsum, in instituto vero Franciscum, ac ideo utrumque nomen gessisse. Didacus de Gaudix provinciae Granatensis edidit hoc anno Neapoli *explanationem linguae arabicae.* Tunc temporis apud coenobium s. Petri in Monteaureo de Urbe versabatur, vocatus a Hieronymo cardinale Matthaeio, ut missionariis franciscanis praesto esset in illius idiomatis institutione. Cornelius Castelluccius Urbinas capucinus italice vulgavit hoc anno Venetiis *iacula divini amoris.*

Wadd. in. B.

Sbaralea in F.

De Torres in prov. Granatensi p. 315.

Wadd. et Sbaralea in. C.

LXIX. Episcopale munus ex minoritis de observantia assequutus est hoc anno die XXIX. Ianuarii pro ecclesia Conseranen. sub archiepiscopatu Auxitano Hieronymus de Lingua; pro archiepiscopatu ecclesiae Naxiae delectus est Dionysius N. ex Sbaralea in catalogo episc. ordinis. Ab ecclesia Cephaledien. ad ecclesiam Papiensem translatus est Franciscus Gonzaga die XXIX. Ianuarii, ac eodem hoc anno ab ipsa ad Mantuanam ecclesiam: *Cum nos* die VIII. Martii. Eidem indulsit pontifex, ut Ferdinando Gonzagae eiusdem suae familiae infanti Mantuano habitum magnae crucis, et commendam prioratus Baruti conferret: *Cum nuper* die XXIV. Septembris: pro Asculana ecclesia in Apulia episcopale munus obtinuit die XXXI. Maii Franciscus Bonligli minister generalis ordinis minorum conventualium.

LXX. Hoc anno corpus b. Baptistae Varani clarissae, antea sub terra conditum in choro monasterii s. Mariae Novae Camerini, eruta fuit, locatumque intra novam aream in eiusdem monasterii choro. Beatae gesta p. Lucas Waddingus descripsit; at cum indubiis monumentis careret, ac eo latente ex *obscuro turbatique ordinis opusculo* eiusdem acta edidisset, ideo praetermissa tum ex monumentis pro eius canonizatione confectis, tum ex mss. vitae ipsius quem penes me habeo, cl. viri Antonii Mariae Marini de Recineto inter minoritas de observantia lectoris iubilati notamus.

Ann. min. ad an. 1509. n. 26. et seq.

LXXI. Die IX. Aprilis anno MCDLVIII. Camerini orta est Baptista, Camilla in baptismate vocata, primogenita Iulii Caesaris Varani Camertum principis, ac coniugis suae Ioannae Malatestae Arimini dominae filia. Adhuc infans, eluxit in ea optima christianae pietatis indoles iunctaque morum suavitati maturitas. Vix octennis, vel decennis, ut ipsamet fatetur in eius ab ipsa scripta capite I. vita, cum ad quadragesimales conciones una cum matre in principe templo advenisset, audito die parasceves de Christi passione iguito b. Marci a Monte Gallo, anno MDCCCXXXIX. a Gregorio XVI. summo pontifice beatis adscripti, sermone, tam erga patientem Dominum affecta fuit, ut inde voto se obstrinxerit qualibet sexta feria eamdem pie recolere cum unius saltem lacrymae effo-

Cimarelli in chron. min. part. IV. pag. 741. et seq. Marini vita mss. cap. I.

Digitized by Google

sione. Licet haec in primordiis magno cum labore assequeretur, constanter tamen, ut auditis anno MCDLXVII. vel an. MCDLXVIII. suasionibus eiusdem b. Marci quem *praedicatorem apostolicum et intimum patrem suum* vocat, obsecundaret, servavit, fovens insuper hanc suam pietatem rigido in pane et aqua ieiunio diraque corporis flagellatione, necnon dolorum Iesu Christi meditatione quem intense singulo quoque die ingeminabat.

LXXII. Omnium primus igitur b. Marcus a Monte Gallo conversionis semina iniecit in animam adolescentulae b. Baptistae, dum in urbe Camerinensi anno MCDLXVII. vel an. MCDLXVIII. verbum Dei disseminabat; non vero b. Petrus a Moleano, qui anno MCDXL. natus, Perusiae aetatis suae anno XXV. habitum franciscalium sumpsit, hortatu p. Dominici a s. Severino, sive a Leonissa, insignis verbi Dei praeconis; nec alius frater Petrus a Moleano a priori diversus, quem somniavit Hyacinthus Sbaralea in supplemento ad scriptores ordinis; siquidem ille erat ab oppido Montis Ulmi, qui eidem Petro Moleanensi anno MCDXC. successit in regimine provinciae Marchiae minoritarum de observantia.

Ex processu pro eius beatif. in summ. n. 6. pag. 47.

Sbaralea lib. P. Fr. Gratia in sermone chron. prod num. 6.

LXXIII. Pacificum Urbinatensem item Franciscanum conscientiae suae moderatorem habuit in puellaribus annis; quo duce ita in meditandis Christi Domini cruciatibus tam intense versabatur, ut saepe non in die veneris dumtaxat, sed et per dies singulos in lacrymas copiose effueret. Nec minori affectu ab hac aetate exarsit erga Deiparam virginem, in cuius obsequium qualibet nocte e lectulo surgens, eius precatoriam coronam devote recitabat. Quod si aliquando ad surgendum se minus paratam sentiret, tunc ne corporis torpori indulgeret, non unam, sed duas tunc persolvebat. In eius omnibus, sicut et in illis Domini festis solo pane et aqua vivebat, licet inter hebdomadam duos vel tres dies pari ieiunio insumeret. Sic itaque assiduo tum orationis ac mortificationis studio addicta, tum subinde duabus concionibus fr. Francisci Urbinatensis Camerini anno MCDLXXVII. habitis excitata, factum est, ut ad claustralem vitam se a Deo vocari cognoverit. Ex tunc coelestibus oblectata deliciis, et Christi sponsi sui colloquiis ac visionibus recreata, haec verba persaepe eructabat: *anima mea liquefacta est, ut dilectus meus loquutus est mihi. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* Arrhas postremo a Deo accepit, remissionem peccatorum, et tres virtutes, quas tria lilia in corde suo dicebat potenti manu illius plantata, qui est *flos campi*, et *lilium* vocatur *convallium*; asperum scilicet odium mundi, humillimam suam despicientiam, ingensque desiderium pro Christo mala pati. Ut hoc tertium vehementer concupivit, statim gravi molestoque morbo languere coepit; quod tamen per annos tresdecim heroica patientia tulit. Ea in tribulatione consolatorem habuit quemdam Gregorium, alii Georgium minoritam, qui modum illi explanavit precatoriam ordinis coronam ad honorem virginis Mariae institutam recitandi, per quae mysteria discurrens, nimium in propriis poenis solatium experiebatur. Quare haec vel similia crebro repetebat: *quoniam ab ipso potentia, et patientia mea; post te in odorem curremus unguentorum tuorum; meliora sunt ubera tua vino, et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata; utinam osculetur me osculo oris sui; ostende temetipsum; nam praeter te nihil sufficit mihi.*

LXXIV. Coelestem sponsum ad claustra iam antea invitantem alacriter sequi decrevit, praesertim concionibus ac suasionibus b. Petri a Moleano, qui post annum MDLXXVII. Camerini verbum Dei annuntiabat, vicarii provinciae interim munus gerens. Hoc animi sui propositum parenti suo renunciavit; at ille qui

Digitized by Google

eam gratiae et naturae dotibus cumulatam praecipuo dilectionis affectu prosequebatur, eidem assentiri per binos annos non fuit passus; attamen diuturno hoc certamine fortiter superato, tandem eiusdem parentis venia, conceptum propositum explevit. Cum autem monasterium s. Clarae Urbini ab Elisabetha vidua Petri Gentilis Camertum ducis erectum, in quo plurimae sacrae virgines sanctitatis fama floruere, a regulari disciplina maxime commendaretur, eo Camilla profecta est, ut seraphico habitu ibidem donaretur, accedente etiam parentis sui voluntate. Die igitur xiv. Novembris anno MCDLXXXI. aetatis suae XXIII. inter clarissas sorores admissa fuit una simul cum Gerinda, et Ginevra vidua Mutii Colonna, ambae germanae Rodulphi Varani huius nominis IV. Singulas ibidem induxit b. Marcus a Monte Gallo, potestate ei facta a fratre Raphaele Urbinatensi vicario provinciali minoritatum de observantia. Illico ingenti gaudio perfusa, laudes Domino decantavit, verbis usurpans Mariae prophetissae: *cantemus Domino gloriose* (sic) *quia honorificatus est*; *equum et ascensorem proiecit in mare.* Verbis interim latine ab ea scriptis significavit, quale a Domino beneficium acceperat in hac a saeculi transmigratione; *sicut enim*, inquit, *in materiali deserto invenitur cantus avium, florum pulchritudo, animalium secreta cubicula; sic in sacro monasterio de Urbino inveni cantus suavissimos orationum devotarum, pulchritudinem bonorum exemplorum, secreta cubilia divinarum gratiarum.*

LXXV. Sui tyrocinii tempore, anno nimirum MCDLXXXIII. ex eodem monasterio epistolam mense Martio scripsit italice *ricordi di Gesù Cristo*; erat enim politioribus litteris tam latinis quam italicis mire instructa ab ipsa adolescentia. Eo in opere quaelibet anima et ad Dei amorem, et ad Iesu Christi recolendam passionem mire elevatur. Multis eodem tempore coelestibus donis, suavissimisque colloquiis a Christo dignata fuit. Brevi tamen post tempore durum certamen per biennium sustinuit: pater enim eius iussit, ut non in Urbinatensi sed in monasterio Cameriaensi s. Constantiae reditibus locupletato professionem emitteret. Refragabatur virgo altissimae paupertatis amantissima, cuius votis tandem aliquando pater annuens, summa animi sui laetitia religiosa vota mense Augusto Deo, vicario provinciae laudato b. Marco, nuncupavit. Itaque sub eius aliorumque sodalium disciplina sic ad sublimiora charismata se promovit, ut nihil aliud concupiscens, quam Christo sponso configurari, supernis quibus affluebat deliciis, heroice renunciaverit, atque eius tantum dolorum fieri participem impetraverit, ut vere cum sponsa dicere posset: *fasciculus myrrhae dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.*

Monum. prov. LXXVI. Biennio iam elapso ex quo in Urbinate monasterio morabatur, cum genitor tantam filiam a se disiunctam tolerare nequiret, coenobium anno MCCCLXXXV. pro monachis Olivetanis, expensis Ioannis Varani Camertium ducis prope moenia eiusdem civitatis instructum, in meliorem formam adduxit, ut ibidem Baptistam velut fundatricem primitivae regulae s. Clarae traduceret. Hinc ab eo datis ad Sixtum IV. pontificem supplicibus litteris, obtinuit, ut frater Marcus a Monte Gallo e monasterio Urbinatensi ad Camerinense sub invocatione s. Mariae Novae transferret velut abbatissam Pacificam a Camerino, filiam Baptistam, ac inde caeteras octo sorores sibi propinquas, quarum sunt nomina, videlicet Elisabeth Malatesta Pisaurensis, olim uxor Petri Gentilis Varani, Constantia et Francisca eius filiae, Euphrasia Chiavelli Fabrianensis, Emerentiana Colonna Romana, Clara Cappelli Veneta, Bernardina Buglioni Perusina, ac Gerinda Rodulphi IV. Varani et Camillae Exten-

Ex proces. p. 18. num. 16.

sis Ferrariensis filia. Singulae Camerinum adductae, solemni pompa die IV. Ianuarii anno MCDLXXXIV. in novo monasterio occlusae fuere a b. Marco, quibus omnibus praesedit Andreas Orsellinus vicarius generalis Federici episcopi eiusdem civitatis. *Turchi Camerinum sacrum nota 1. p. 297.*

LXXVII. In hoc asceterio caeteris sororibus virtutum exemplar effecta, mox coepit tantis divinae gratiae muneribus cumulari, ut semper intenta esset Iesu Christi cruciatibus meditandis. Ad hanc rem confirmandam ea retulisse sufficiant, quae ipsamet fatetur capite IV. in vita ab eamet scripta, quam latinam fecit Conradus Ianningus. *Secunda ab ingressu nostro in hoc monasterium veneris die* (scilicet die XVI. Martii) *soror Constantia, tibi* (idest b. Marco) *probe nota, ad focum, ningebat forte, ibidem suasit mecum illa canere hymnum, cuius hoc exordium* (quod non pauci tenent ab ea fuisse compositum): Anima benedetta dall'alto creatore ec. *et ego respondere canenti, atque alterius inter nos prosequi, donec ad illa perventum est verba:* riguarda quelle mani, riguarda quelli piedi, riguarda quel costato; *tum vero non potui amplius, prae cordis angustia me remissi in sinum sororis latus meum claudentis opinantisque non esse aliud. quam solitum, alias saepius accidere mihi malum corporale, cum vere tunc esset spirituale; anima quippe mea in illud mysterium afflictae matris, mortuumque Filium suum materno amplexu stringentis, rapta fui. Percipiebam praesens sonoras, raucas, flebilesque ipsius sanctissimae matris voces; audiebam amantissimam, moestissimamque discipulam Magdalenam clara voce exclamantem: Magister mi! Verberabat aures meas dilecti discipuli Ioannis amarus planctus, stridulo submissoque sono dicentis: Pater mi, frater, et magister mi; ac pari modo reliquae dilectae Mariae lamentabantur. Tenuit status ille meus ad horam usque primam noctis et amplius, incoeptus paullo ante complectorium, et tenuisset tota nocte, nisi ipsa mihi vim intulissem, qui animam revocarem, ac sororibus lecamen doloris sensuum. Nam quamdiu ita affecta fui, aliquando audiebam sorores clarissime, aliquando minus clare; cum vero intendebantur voces gloriosae virginis Mariae, nihil prorsus percipiebam mundi huius, quasi exulante a corpore anima mea; et subinde lacrymae prorumpebant ex oculis, quando sentiebam, quae circa me fiebant dicebanturque. Revera in memetipsa tam fatigatam afflictamque, quae compari tam facie mutatum transfiguratumque, ut quindecim diebus subsequutis e sepulcro prodiisse videretur.* *Acta ss. ad diem 31. Maii*

LXXVIII. In comitio habito in coenobio s. Francisci Forani anno MCDLXXXIV. b. Petrus a Moleano iterum electus fuit vicarius provinciae Marchiae, loco b. Marci a Monte Gallo, qui unius anni spatio illam administraverat. Vix ille munus sibi commissum accepit, ad perlustrandum Camerinense monasterium ubi Beata degebat, accessit, eaque accita: *para te filia*, dixit, *ad confessionem, quia excipere eam prius volo, quam viae me discessurus committam*; at cum nihil illa opus habuisse ei respondisset, abiit ab ea Beatus, desiderio suo frustratus. Rediit dolens die postera in eius cor Beata, et scripta humillima littera eum exoravit, ut cito adveniret peccatorum suorum confessionem editura. Ut illam emisit, *solatio perfusa*, ut illa scribit, *tranquillo deinceps animo semper fui.* *Marini vita mss. cap. 8.*

LXXIX. Paucis post diebus dignata fuit tum in oratione, tum extra eam visione s. Clarae virginis sub specie pulcherrimae monialis, quae quindecim dierum intervallo perduravit; tum etiam per binos menses ss. angelorum prae-

Digitized by Google

sentia, ex quibus visionibus tam in Dei amorem exarsit, ut super se assidue elevaretur, ac diceret: *cupio dissolvi et esse cum Christo.* Usurpabat etiam illud Davidis testimonium: *educ de carne* (sic) *animam meam ad confitendum nomini tuo; me expectant iusti, donec retribuas mihi.* Post haec tantus Beatae inolevit appetitus et famis erga ss. eucharistiae sacramentum, ab ea vocatum angelorum panis, ut explere illa nullo modo valeret, licet ad illud devotissime accederet quolibet dominico die, cum illud singulo die frequentare haud posset moderatorum suorum imperio.

LXXX. Tot tantisque deliciis cum affluueret, mandatum a Deo in mense Augusto an. MCDLXXXVII. accepit, opus quod Urbini incoeperat, de mentalibus Christi doloribus scribendi. Idipsum et eidem suadebat Pacifica a Camerino, prima illius monasterii abbatissa, cuius vicaria erat. Licet ipsa aliquando ex humilitate reluctaverit, manus tandem eidem operi admovit, et ad finem adduxit die XII. Septembris anno MCDLXXXVIII. Eo absoluto cum nimia animi tranquillitate potiretur, permisit Deus, ut ad maiorem sui perfectionem variis modis a daemone afflictaretur. Rem ipsam verbis suis narramus latine redditis a Ianningo. *Ad octavam,* inquit, *s. Francisci perventum erat* (idest ad diem XI. Octobris) *cum tam crudeliter ab ipsis inimicis excepta percussaque fui, ut persuadere mihi non potuerim amplius, aut ipsos amicos, aut ipsorum machinationes bonas esse; imo cognovi manifeste, et reipsa experta sum esse inimicos capitales animae meae. Tunc Deus aperuit mihi ad modicum oculos, vidique me in medio campo, ubi huius vitae mortalis pugnae pugnantur, circumdatam a potentibus inimicis, e quorum manibus eripere me sola poterat divina, quaesituram frustra alias evadendi vias. Tunc irremediabili dolore obruta sum, et quid aliud consilii caperem ignorans, octavam s. Francisci solo pane et aqua vescendo transegi, Dei dictique s. Patris opera constanter implorans. Tunc noctu in somnis repraesentatus mihi fuit labor omnis et afflictio, quae me manebant.* Hic suspendimus organa nostra, *hic finis bonorum, hic principium malorum fuit. Tunc puteus abyssi diabolicae pravitatis, qui annos decem (idest ab an. MCDLXVII. ad an. usque MCDLXXVII.) occlusus fuerat, patefactus est; prodiitque draco ille venenatus, faucibus apertis rugiens adversum me cum tanto impetu ac furore, ut me vivam, vivam, inquam, deglutire velle videretur; adeoque quantum ad eius malignam voluntatem attinet, deglutivit ac devoravit. Verum potens Dei manus, quae nunquam dereliquit sperantem in se, extraxit me integram, illaesamque e rugientibus illius faucibus, ut notum tibi, idque sua solius bonitate, neutiquam vero mea virtute aut prudentia. Tunc exuta expoliataque fui omni dicite ac pretiosa veste; tunc eruti mihi oculi, tunc tonsi capilli spiritualis meae fortitudinis:* insuper percusserunt, vulneraverunt, et semiviva relicta abierunt.

LXXXI. Binos traduxit annos in hac spiritus afflictatione Beata, in quibus nullum alium habuit consolatorem praeter b. Petrum Moleanensem, qui eidem auxilio fuit tum libro ad eam misso de tentationis remedio, tum litteris, ut opusculum iam ab eo incoeptum de mentalibus Christi doloribus perficeret, tum suis colloquiis, ut adversa quaeque patienter sustinenda concitaret. Verum cum anno MCDXC. Urbini ob indictum generale capitulum ab ea discedere coactus fuisset Beatus, consolatore suo destituta remansit. Camerinum inde adveniens, morbo correptus die XIV. Iulii sancte in Domino occubuit, ingenti

Digitized by Google

b. Baptistae moerore. Mox enim illa exclamavit: *o Pater mi sancte, venisti quidem in has partes; sed dilecta filia tua non potuit alloqui te, ne paucis quidem, utpote prius morte ereptum. Haec mors me nimium afflixit, ac me ipsa quasi destituit. et quodammodo desperatam coegit firmiter decernere, in nullo deinceps homine, quoad hanc necessitatem meam fiduciam ponere, nisi Deus illam mihi per gratiam suam commonstraret.* Tunc divino prorsus accidit consilio, ut Camerinum loco b. Petri mox defuncti adveniens b. Marcus a Monte Gallo ad prosequendam coenobii fratrum ac sororum visitationem, venerabilem senem ac patrem suum Beata alloquuta est, ex quo nimium animi sui levamen spiritusque tranquillitatem accepit.

LXXXII. Defuncta post annum MCDXCII. Pacifica a Camerino illius monasterii prima abbatissa, loco eius annos nata XXXV. idem munus, omnium votis, consequuta est Baptista, provinciae vicario Petro de Monte Ulmi. Idipsum novimus ex relationibus ab ea datis anno MCDIC. discipulo suo innominato, in quibus profitetur se in eo *subditam* ac *praesidem* fuisse. Familiam sibi commissam ad mortem usque verbo fovit, cunctisque praesertim altissima paupertate, virtutum exemplo praeivit. Anno MCDXCVI. nuncium habuit mortis sibi coniunctissimi b. Marci a Monte Gallo, defuncti Vicentiae die XIX. Martii cum ingenti sanctitatis fama, miraculorumque gloria: eius tamen iacturam aequo animo tulit, nullumque querimoniae verbum edit. divinae voluntati intime se conformans. *Ibid. lib. 2. c. 1.*

LXXXIII. Heroicam patientiam suam et in adversis mire praebuit, ob ea quae praecipue evenerunt familiae suae ex parte Valentini ducis Caesaris Borgia, qui anno MDII. Camerinum copiis suis invadens, primo parentem suum Iulium Caesarem dominio expoliavit, inde una cum filiis Venantio, Annibale, ac Pirro iniqua proditione carceribus inclusis; illum in arce Pergulae ad radices appennini montis, Venantium ac Annibalem in oppido Catholicae dioecesis Ariminensis, ac Pirrum in Pisaurensi civitate crudelissime necavit ita, ut vix unus Ioannes Maria omnium Varanorum ducum minimus Venetiis absens, de sua familia supereset. Quae dum summa animi sui constantia ferebat, Deo ferventes preces pro illo nefario persecutore, ac pro incolumitate germani sui fundebat, quarum ope anno insequenti idem germanus ad moderandum Camerinensem populum solemni pompa restitutus fuit; at Baptista eius reditum summa animi modestia tulit. Fratris sui munificentia ampliatum fuit sacrarum virginum monasterium ita, ut XLVII. continere posset moniales. *Ibidem cap. 2.*

LXXXIV. Instructo hoc tempore in civitate Firmana monasterio sub invocatione s. Mariae Gratiarum a Iacobo Leonardi eiusdem urbis incola, ipsa Baptista ab episcopo, senatu, ac a quibusdam sacris virginibus suis affinibus, apud pontificem expetita fuit, ut ad illud io bonis moribus instruendum accederet una simul cum altera Camerinensis monasterii sorore Angela de Octonibus nobilis Matelicensis. Petitis annuens pontifex, voluit, ut ibidem uno vel altero anno permanerent, ac inde Camerinum remearent, hoc vulgato quod apud Waddingum desideratur, diplomate. *Catalani de episc. Firmanis p. 268.*

Digitized by Google

IULIUS II.

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis filiis nostrae civitatis Firmi salutem et apostolicam benedictionem.

Paeucci lib. 2. cap. 19. num. 138.

Exponi nobis fecistis, quomodo in civitate nostra Firmana nuper amplum et honestum monasterium monialium congregationis s. Clarae ordinis s. Francisci in divini cultus augmentum de sedis apostolicae et superiorum licentia et assensu seu alias legitime et iuxta iuris ordinem servatis servandis noviter constructum et aedificatum extitit, et vos moniales dicti ordinis et congregationis in eodem monasterio congregari desideratis, sitque necessarium et opportunum ad instruendum monasterium ipsum, ac novitias moniales ad illud confluendum ex alio aliquo monasterio eiusdem ordinis aliquas moniales sanctae vitae, probitatis, et morum et regulae, ac institutionum, ex ordinatione ordinis praedicti instructas advocare pro parte vestra, et nobis fuit humiliter supplicatum, ut desuper opportune providere dignaremur. Nos huiusmodi supplicationibus inclinati, dilectis in Christo filiabus Baptistae de Varanis et Angelae de Octonibus monialibus monasterii Camerinensis eiusdem ordinis et congregationis cum una, duabus, vel pluribus monialibus eiusdem monasterii, sicut eis videbitur, de consensu tamen superiorum pro uno vel duobus annis, prout eisdem superioribus videbitur, ut ad dictum monasterium civitatis Firmi se transferant, et illud cum monialibus ad illud confluentibus ordinent et instituant iuxta constitutiones ordinis praedictarum et superiorum eorundem, super quo earum conscientiam oneramus, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, auctoritate apostolica tenore praesentium mandamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XXVIII. *Ianuarii anno* MDV. *pontificatus nostri an.* II.

LXXXV. In Firmano monasterio uno anno permansit, ubi cum cuncta ad illius regimen rite disposuisset, ac pro instituendis novitiis carmen italicum ab eamet compositum reliquisset, Camerinum anno MDVI. repetiit, et Fabritium fratrem Petri Gentilis de Varanis consanguineum suum illius urbis episcopum gravi morbo correptum invisens, eidem christianae pietatis officia exhibuit.

LXXXVI. Ex Iulii II. pontificis auctoritate, siccis oculis adstitit solemnibus parentalibus una cum sororibus Ioannae ex ducibus Malatesta matris suae, die III. Novembris an. MDXII. cum fama sanctitatis defunctae, annos numerans LXXVI. iam tertio franciscalium ordini adscripta. Dormitionis suae requiem accepit in cathedrali templo. In ecclesia minorum de observantia eiusdem civitatis inspicitur in tabula lignea antiqua eius imago una cum puero Iesu et b. virgine Deipara in Aegyptum fugiente, seraphico tertii ordinis habitu induta, ex cuius ore prodeunt haec verba aureis litteris scripta: *ut te et filium servasti; ita et me et filium servare dignata es.* Sub eius pedibus haec et prostrant: *Ioanna Malatesta Varana uxor pia Camerini principis.*

In vita eius mss. cap. 4.

LXXXVII. Ab anno MDXVI. summam inierat Beata spiritualis vitae communicationem cum fratre Ioanne a Fano, qui maximo animarum lucro verbum Dei Camerinensi in urbe annuntiaverat, quemque ipsa crebro consulebat pro

Digitized by Google

bono sui regimine monasterii. Hic ille fuit, qui tertio electus provinciae Marchiae minister, anno MDXXI. malevolorum machinationibus ab officio destitutus, eius loco suffectus fuit Benedictus a s. Ginesio, qui sui innocentiam vindicavit. Est epistola ad eum missa, latineque scripta a Beata, cuius vexatio suique innocentia universim aperitur. Nos eam damus.

Reverendo in Christo Iesu patri colendissimo
fratri Ioanni Phanensi ordinis minorum de observantia
divini verbi praeconi dignissimo.

IESUS

Super flumina babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui sion. Verba sunt ista cantoris Spiritus sancti ad consolationem afflictorum prolata, domine reverende atque amantissime, pater optime, et statui tribulationis et persecutionis reverentiae tuae conveniunt (ex) *vili iudicio meo. Nam electi sedent et quiescunt super flumina babylonis; impii vero, reprobi et peccatores submerguntur in fluminibus babylonis. Tu vero, anima nobilis et inclyta, quae es ex consortio et numero electorum, sedisti et quievisti super flumina babylonis, idest super aquas tribulationis in spe resurrectionis tuae innocentiae et virtutis: sedisti et quievisti in Deo salutari tuo, qui est defensor et custos innocentiae electorum suorum. Infamatores et detractores reverentiae tuae submersi sunt in barathro confusionis et loquacitatis eorum. Semper, pater amabilis, ante auroram et solem tenebrae antecedunt. Sic etiam post montes, pulcras, amoenas, floridasque planicies invenire solemus. Physicus ille coelestis qui pro humani generis salute in cruce pependit, electis suis per flumina persecutionis et angustiae iucunditatem dispensat et laetitias, atque post lacrymas risum angelicum addiscunt electi in schola crucifixae humanitatis Christi; et quamvis medicinam materialem rugosa fronte bibat aegrotus, non modicum post gaudet recuperata corporis salute. Permittit multoties amator ipse piissimus, ut omnia nobis amarescant, ut solus ipse dulcis, amabilis apparent. O dulcissime Iesu! o amor ineffabilis! Quam dulcia et delectabilia sunt opera tua animae quaerenti te, animae diligenti te sine fraude et simulatione; animae quae ex toto affectu efficienter requieseunt in pectore tuae crucifixae humanitatis, ubi plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat.*

Gaude et laetare filia sion, o anima diligens Deum, et a Deo dilecta nimis, quia lapidatores et percussores ignorantes posuerunt in capite tuo coronam de lapide pretioso; et credentes reverentiam paternitatis tuae honore spoliare, dignitate et gloria, texerunt tibi tunicam immortalem in hac vita honoris et gloriosae famae. Nam aurum in igne probatum et examinatum clarius suum valorem et pretium demonstrat. Tu, pater reverende, eras pretiosum lilium clausum; modo expandisti folia tuae potentiae et virtutis, et dedisti odorem suavissimum toti religioni; et provinciae Marchiae quam per tres annos pudicissime atque virtuosissime rexisti, et angelico tuo prudentissimo regimine fratres et sorores gubernasti in sanctimonia et pace. Flevimus nos omnes filiae tuae, dum tu pater cordialis sedebas super flumina babylonis, dum recordabamur

benignitatis et dulcedinis tuae, o sion, o anima divina charitate plena. Nunc autem exultamus ac iubilamus, et gratias immortales agimus omnipotenti Deo, qui dedit imperium suum puero suo B. (Benedicto), *et salvum fecit filium ancillae suae Io.* (Ioannem). *Fecit mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt te et confundantur, quoniam tu, Domine, adiuvisti eum, et consolatus es me.*

Haec supra notata inepta verba stylo femineo currenti calamo exaravi, ut habeat reverenda paternitas tua in suis sacris orationibus memoriam mei, cui humiliter et devote me commendo, et benedictionem tuam cordialiter peto. Vale in eo qui est omnium in se sperantium vera et consumata salus, quem pro filia et famula tua exorare memento. In monasterio s. Mariae Novae Camerini die XXIII. *Aprilis* MDXXI.

Filia tua indigna soror Baptista de Varano abbatissa in monasterio Christi Iesu ancilla inutilis.

Ibidem cap. 5. LXXXVIII. Pestifera lues quae ab an. MDXXVI. ad an. MDXXVII. Picenam regionem depopulaverat, Camerinensem urbem etiam pervadens, die XXVIII. Iunii eodem morbo correpta fuit Beata, aetatis suae anno LXIX. inchoato. Dum animam agebat, sequentia protulisse tradit Matthaeus Pascucci: *gratias tibi ago, Domine Deus meus omnipotens, qui dignatus es custodire preces et orationes huius animae benedictae. Tuam exoro maiestatem, ut impleas desiderium suum in bonum et secundum multitudinem charitatis tuae perfice animam suam, clementissime Pater, in verbis ancillae tuae, et hanc oviculam reporta in brachiis charitatis tuae ad ovile misericordiarum tuarum.* Vulgato per urbem Beatae obitu, omnium illico in animos invaluit dolor, praesertim germani sui Ioannis Mariae ducis, qui religiosa simul et parentalia solemnia una cum aulicis suis, ac Camerinensi populo habere voluit eidem sorori suae cum ingenti sanctitatis fama defunctae, non in ecclesia monasterii, sed ob pestis metum in aula sua. Funebrem orationem ibidem habuit frater Corintus, vel ut alii dicunt, Corimbus franciscanus de observantia, quam cuncti qui de Beata scripserunt, desiderarunt; at frustra.

Castellinus de loco sepulturae serv. Dei c. 9. punct. 32. LXXXIX. Funereis ritibus absolutis, cum vetusta ecclesiae disciplina ferret, ut illorum memoria qui sanctitate eximii decedebant, publicae venerationis argumentis colerentur, ac eorumdem corpora separato in loco reconderentur subtus terram, ideo mox actum fuit de honorifica b. Baptistae tumulatione. Rem totam ita complexus est Matthaeus Pascucci historicus Camerinensis *vita della b. Battista*, quam typis mandavit anno MDCLXXX. Venetiis, latine redditam a Bollandinianis ad diem XXXI. Maii. » Corpus *(inquit) b. Baptistae* a sanctimonialibus conditum loco decenti fuit in choro earum, ut praesentiorem semper haberent suae fundatricis memoriam, et perfectionis a coelo sperandae vicinorum arrham. »

Pascucci lib. 3. cap. 15. pag. 178

XC. » Post annos autem triginta *(idest non an. MDLIV., sed an. MDLVII.; siquidem Beata non an. MDXXIV. ut ipse scribit, sed an. MDXXVII. sancte occubuit)* quibus illud sic sepultum iacuerat, non ferentes religiosae diutius eam sub terra conditum, cum reverentia illud de tumulo suo extraxerunt. » Nec dici potest quale gaudium earum pectora inundavit, quantamque lacrymarum copiam ab oculis expresserit tenerrimae sensus devotionis, quando viderunt illud adhuc undequaque illaesum incontaminatumque, facies magis laeta quam pallida, quasi omnes salutaret, et oculi plane vividi. Hinc illud decentius quam antea collocarunt, maiori in veneratione habendum. Sed

Digitized by Google

» earum voluntati opposuit se illius temporis confessarius *(cuius nomen ignoratur)*, et nescio quo zelo motus, voluit ipsum denuo sub terra recondi; » nec sine aliqua, ut videtur, indiscretione fecit sacrum istud pignus intra » duas tabulas compingi, et multam insuper humum ingeri, quin etiam aquam » copiosam effundi mandavit, itaque commadefactam terram a socio suo pre- » mi atque calcari. »

XCI. Si eiusmodi facti ratio expendatur, dici potest confessarium non ob sui indiscretum zelum, sed una vel altera ratione ad id efficiendum adductum fuisse. Ac primo quidem, vel quia moniales proprio marte et ordinario loci inconsulto Beatae corpus humo effoderint, vel quia cum pestilentiae morbo ipsa Beata decessisset, verebatur confessarius, ne corpus illud supra terram elatum denuo pestem induceret; iussit igitur, ut illud corpus denuo sub humo occluderetur. *Ex respons. ad promot. fidei p.* 12. 13.

XCII. « Obedientia (*sequitur idem Pascucci*) quam in loco illo exactis- » simam profitentur moniales, effecit, ne qua earum verbum opponeret zelo » illius religiosi viri. Itaque sepulto denuo, corpus secundum Dei benepla- » citum mansit ibi occultum ad ann. MDXCIII. quando oportuit nova conden- » dis mortuarum corporibus sepultura fieri; tum vero seniores virgines ex » quarum memoria nunquam excesserat locus, in quo iacebat condita mater » sua, commendaverunt operariis, ut quam maxima cautela uterentur in mo- » lienda humo. Hoc vero agentibus, ex improviso apparuit tabula; qua su- » blata, cum suavissimus odor exinde funderetur, agnitum fuisse ipsam esse, » quam corpori Beatae imposita fuerat. Ergo ad rei nuntium accurrerunt » omnes, manantibus prae gaudio lacrymis, perfusi, et exultaverunt videntes » post annos tam multos non absistere tantae suavitatis fragrantiam ab eo » corpore, ut dubitari nequiret, quia anima pridem esset in thalamum coe- » lestis sponsi recepta, postquam vivens adeo strenue cucurrerat in odorem » unguentorum eius. »

XCIII. « Admirationem auxit, quod sola lingua etiam tam humida et san- » guineo colore rubens prorsus permanserat omnis corruptionis expers. Ade- » rant retectioni sacrorum ossium (*nam caro reliqua in cineres resoluta* » *abierat*) aderant, inquam, sacrorum ossium retectioni non solum omnes » sanctimoniales loci, sed etiam earum confessarius fr. Evangelista Fabria- » nensis, vulgo nuncupatus Farao, qui attentius considerans linguam recen- » tem, mollem, ac rubicundam, inter pias lacrymas admirabundus prorupit » in haec verba s. Bonaventurae, s. Antonii Patavini linguam similiter in- » tegram aspicientis: *o lingua benedicta, quae semper Deum benedixisti,* » *et alios benedicere docuisti: nunc manifeste apparet, tua quanta fue-* » *rint erga Deum obsequia.* »

XCIV. « Inventum, ut dixi, sacrum Beatae matris corpus, cum quanta li- » cuit solemnitate depositum fuit intra novam marmoream arcam in choro » ipsius monasterii, ea qua hodie spectatur forma, *accedente tamen consensu* » *ordinarii Hieronymi de Bobus Camertium episcopi, vel eius vicarii* » *generalis.* Lingua seorsim reservata atque intra reliquiarum thecas clausa » est; quam thecam, uti etiam arcam ipsam pretiosius exornandam anno MDCXXVI. » curavit egregia pietas d. Scipionis Savini archidiaconi Camerinensis . . . et » tunc appositis chrystallis fecit, ut tam arca, quam reliquiarium praedictum » oculis intuentium perspicua essent, currentibus ad ea intuenda omnis con- » ditionis hominibus et personis etiam primariis et eminentissimis. »

XCV. Hinc mirandum ab eo tempore ad praesens usque. linguam Beatae quae alioquin in cadaveribus quam citissime diffluere solet, consumptis carnibus, integram, succulentam, rubicundam, et prorsus vividam intueri. Idem prodigium vetustiores ac recentes scriptores testati sunt; novissime vero quatuor Camertium doctores physici, Dei nomine invocato, incorruptionem hanc prodigio supernaturali anno MDCCCVI. adscripsere. Plura interim narrantur beneficia, quae vel ad eius tumulum, vel ad sui nominis invocationem, vel ad reliquiarum suarum contactum in dies evenerunt, Deo sanctitatem dilectae suae glorificante. Luculentiora sunt, quae profert ex tabulario monasterii Carolus Gasparini ex minoritis de observantia in chronicis provinciae Marchiae, quarum specimen exhibuit ab anno MDXCIV. ad annum usque MDCXXXVIII. a quo accepit cl. Papebrochius.

Ex processu pag. 64. num. 72.

Acta ss. ad diem 31. Maii.

XCVI. In primis observandum, quod quoties aliqua eiusdem monasterii monialis commune humanitatis debitum solutura est, diebus aliquot eius mortem antecedentibus audiatur intra eius sepulcrum motus ac strepitus quidam, ut eo signo admoneantur singulae ad extremum exitum infirmam properare: unde si quam tunc contingit gravius infirmari, solent moniales curiosius arcam sanctam observare, num forte ex eo morbo obitura iudicetur.

1. Anno MDXCIV. soror Columba Piselli eiusdem monasterii monialis in uno genuum apostema patiebatur, tantosque dolores, licet a medicis curaretur, sustinebat, ut diebus ac noctibus quiescere haud posset: hinc humanis remediis valedictis, divinum implorans auxilium, ad sepulcrum deferri se fecit, ibique continuo sanata fuit.

2. Item soror Benedicta Bonapasta anno MDCIX. comitiali morbo agitata, quovis die saepius ad terram allidebatur. Ad Beatae sepulcrum accessit, ubi recurrente morbo, collapsa ac semimortua, Baptistam vidit habitu clarissarum indutam coram se adstantem, ac inde paullo post in pedes erecta tale malum nunquam sustinuit. Ob sanitatem assequutam anathema argenteum eidem Beatae obtulit.

3. Saepe capitis oculorumque infirmitatibus lectulo pluribus mensibus decumbebat soror Paula Muzzatelli sic, ut anno MDCX. nullam membrorum suorum partem posset per se movere. Iis doloribus praegravata cum votum Beatae edidisset, non solum melius se habere sensit, sed etiam eidem in suavem soporem lapsae Beata adparuit, tactuque eius ita sanata fuit, ac si nihil incommodi unquam passa fuisset.

4. Eodem anno d. Franciscus Candella pene ad amentiam morborum vi redactus erat; at a sanctimonialibus Beatae commendatus, in se rediit et incolumis evasit.

5. Venantia Rossetti soror anno MDCXI. catarrho super oculos defluente pene visum amiserat; sed facto de offerendis duobus oculis argenteis voto, suos sibi sanos obtinuit. Similiter oculis infirma erat sorer Michaela Moggio, qui ei instar duarum massarum carnearum intumescerant; sed detumuerunt post votum Beatae nuncupatum.

6. Per id temporis Magdalena Ugolini Camerinensis matrona enormi cephalalgia ita cruciabatur, ut a medicis pro derelicta haberetur. Ad monasterium delata, a germana sua ibidem degente excitata ad imploraudum Beatae auxilium, simulque votivam tabellam in eius honore appendendam; ut idipsum praestitit, illico sanam se reddidit. Anno MDCXII. intestinali morbo, frustra adhibitis remediis, dire torquebatur Hyacintha Camera illius monasterii mancti-

Digitized by

monialis; at Beatae opem invocans, valetudinem obtinuit extemplo. Picenti cuidam in aures admotus floccus bombacius ex arca Beatae, auditum deperditum mox recuperavit. Filius quidam Venantii Savini lac sugere non poterat; illatus autem ad monasterium per Beatae invocationem, reliquiarumque contactum sugendi nactus est facultatem.

7. Anno MDCXV. Gentilina Ugolini pluries a valido capitis dolore afflicta, incolumis evasit, ut votum implevit a se emissum appendendi cum argenteo capite imaginem Beatae. Ex eadem causa nullam quietis horam nocte dieque capiebat soror Maria Olympia Aquini; deficientibus humanis remediis, votivam tabellam, si sanaretur, sepulcro Beatae appendendam promisit, et sana fuit. Ioannis Bona filius iam triennis nec vocem formare, neque pedibus consistere poterat; at eidem Beatae reliquia admota, crura eius illico soluta fuere, et loqui et incedere coepit. Manus sororis Raphaelae Moggia tam valido morbo affecta erat, ut de medicorum iudicio putaretur ea nunquam usura. At Beatam rogans, ut pro se intercederet, brevi tempore, quam petierat, sanitatem consequuta est. Vocem perdiderat soror Caecilia Ugolini propter vehementem stomachi passionem, sed Beatam invocans, eamdem obtinuit.

8. D. Francisci Piselli filia anno MDCXXX. valde debilis cruribus, ut erigere sese in pedes nequiret, aut quopiam progredi. Pro ea pater suus tibiam argenteam Beatae vovit, et puellam expedite ambulantem laetus cito vidit.

9. In anno MDCXXXV. haec evenere mirabilia. D. Sulpicia Nari romana in sui obsequium cosmetam habebat, morbo incurabili in una coxarum laborantem. Cum nihil proficerent medicorum artes, et morbus carcinomati proximus invocans aegra Beatam, promisit ad eius sepulcrum appensuram imaginem argenteam, si curari per ipsam meruisset; evidenti miraculo sanitatem adepta, votum implevit. Christina Monalda sic impeditum pedem ex malo retinuit, ut paralytica per tres menses lecto decubuerit magno sui cruciatu. Cum humana nihil prodessent remedia, recursum ad Beatam habuit; innixa baculo ad sepulcrum adveniens, eum ibidem deposuit, tota iam valida, et in gratitudinis suae monumentum etiam crus argenteum appendit. Bartholomaeus Nerucci cum usu mentis ferme excidisset absque spe remedii, Beatam invocavit, spondens si sanaretur, visitare sepulcrum eius in gratiarum actione. Mox exauditus, ad sanam mentem ex integro rediit, et valens etiam corpore, votum explevit. Confessarius eiusdem monasterii Antonius Massucci Recinetensis nullam medelam inveniens gravibus quibus in toto corpore dilaniabatur, doloribus, nec requiem eidem indulgebant vel modicam, post alia frustra tentata, vovit anathema affigendum sacrae Beatae tumbae, et incolumis sine mora fuit. Toto item corpore cruciabatur Thomas a Matilica eiusdem ordinis sacerdos, cum recordatus invocandae b. Baptistae, subito sanum se vidit, et a cruciatibus liberum.

10. Sorori Mariae Angelicae Cucchiaroni sic laxati erant dentes, ut ad quemcumque levissimum contactum excidere viderentur. Ea in afflictione vovit dentium argenteorum seriem Beatae sepulcro affigendam, et mox eos consolidari sensit, neque distulit obligationi contractae. Simili modo consolatam se sensit soror Flavia Voglia idem incommodum anno MDCXXXVI. patiens.

11. D. Anna Cucchiaroni, ac duae eius filiae accedentes ad monasterium die s. Iacobi apostoli, obscurato de repente coelo, tam furiosa ruit grando, permixta tonitruis, fulminibusque quorum alter haud procul, ubi aderant, decidit, ut attonitae tam illae, quam religiosae, velut mortuae in terram cor-

ruerint; at in colloquii locum allatae reliquiae Beatae, redierunt ad sensus suos quae fuerant exterritae; praedicta domina in grati animi signum reliquit elemosynam pro erigenda Beatae imagine, quae hodiedum servatur intra aedem monasterii. Eadem Anna intensos colicae doloris passa, morti proxima iudicabatur; sed praeservata fuit coelesti praesidio per Beatae intercessionem implorato, cui subinde anathema argenteum obtulit in memoria evasi periculi.

12. In monasterii utilitatem occupabatur soror Laura Rossetti, quando fortuito desuper ebullitum mustum cadens, non solum sibi pedem adussit, sed genua etiam sic tumefacta habuit, ut clausis suo maximo cruciatu oculis, iam nihil quam informes decem massae carnis exulceratae cernerentur, non sine periculo caecitatis perpetuae. At delata ad Beatae sepulcrum, et ab ea fusa humili prece, brevi tempore integram sanitatem recuperavit. Filiolo cuiusdam Catharinae graviter vulnerato, ad tutandam saltem vitam a peritis consuta fuerant intestina; sed bombacium ex Beatae arca sumptum admotumque vulneri eius, subito melius se habere coepit.

13. Anno MDCXXXVII. die XIII. Aprilis d. Venantia Voglia familiae Piselli nupta, longo tempore partus dolores sustinuerat, a quibus post partum nihil relevata, iamiam expiratura credebatur. Voto tamen Beatae nuncupato, spem vitae recepit, ac brevi etiam sanitatem. Soror Maria Battibocca anno MDCXXXVIII. manum sibi fortuito transfixerat acu tam infeliciter, ut multo manante sanguine spasimum pateretur, nec intenso exinde dolori inveniret medelam; donec invocata Beata, dolores depulit, ipsamque sanam fecit. Sub eodem tempore d. Franciscus Battibocca graviter in capite percussus ita laesus evaderat, ut necesse fuerit plura ossium fragmenta ex illo extrahere. Mox insanus redditus, nec legere, nec scribere valebat. Ab illius monasterii monialibus factis pro eo ad Beatam precibus, integre convaluit, et in tantae gratiae memoriam caput argenteum eidem Beatae obtulit. Plurimi etiam a validis febribus afflicti, implorata Beatae ope sanitatem extemplo obtinuerunt.

XCVII. Cum autem tot haec beneficia, exuviarum suarum humatio ac translatio, caeteraque monumenta ipsius b. Baptistae cultum a christifidelibus a sui obitu ad praesens usque ei exhibitum evidenter ostendant, ideo b. m. Gregorius papa XVI. die VII. Aprilis ann. MDCCCXLIII. ratum habuit s. r. e. decretum, quo Beatorum honores ei largiebatur.

XCVIII. Vulgato diplomate, inter se composita Beatae ossa, sericis vestibus griseis induta, lilio ad manum, et in caput ex argento corona, occlusa in arca pulchre elaborata sub ara maiori ecclesiae monasterii, ut omnibus eo affluentibus paterent, collocata fuere. Eius vero lingua adhuc integra ac rubens ampla argentea lipsanotheca, expensis Caietani Balufli archiepiscopi Camerinen. nunc s. r. e. cardinalis episcopi Imolensis quem bonoris ac necessitudinis gratia nomino, instructa, seposita, maximo in honore penes omnes habetur. In eodem monasterio impense colitur sculpta imago pulcherrima pueri Iesu, quam dicunt veneratam a Beata; item et crux lignea, quae ab eamet Beata, ut fama est, ab Urbinatensi ad Camertum monasterium super humeros detulit.

XCIX. B. Baptistam summa eloquentia praeditam, sacrorum bibliorum scientia exornatam, imo et italica poesi excultam novimus ex iis, quae scripsit; singula expendimus. Omnium primum opus scripsit an. MCDLXXXIII. in monasterio Urbini, antequam solemnia vota emitteret: *ricordi di Gesù Cristo.* Aliqua etiam *de Christi mentalibus doloribus* scripsit in eodem monaste-

Digitized by Google

rio, quinque mensibus antequam Camerinum se conferret. Ibidem etiam an. MCDLXXXIV. *hymnum de Christi plagis* composuit, quem decantans soror Constantia Varani die XVI. Ianuarii, beata Baptista ecstasim passa fuit. Librum *de mentalibus Christi doloribus* an. MCDLXXXVII. inchoatum, anno insequenti die XII. Septembris absolvit, et dicavit sorori Pacificae abbatissae monasterii Camerinensis. *Soliloquium* in quo Deo gratias agit pro beneficiis acceptis, positum ab ea fuit post octavum mentalem Christi dolorem. Nuncupavit ducissae Urbini an. MDXC. a se scriptam relationem *del santo e glorioso transito del b. Pietro da Mogliano*. Eodem anno ad eamdem ducissam alteram *epistolam* misit, qua dicitur laudatam relationem expensam fuisse a Francisco de Monteprandono e nepte Iacobi Piceni, eique amandatam per Marcum a Monte Gallo familiarem suum spiritualem. Anno MCDXCI. praemisit operi *ricordi dati dal Signore* epistolam laudato Marco sub die III. Ianuarii directam. Cuncta haec nos vulgavimus Recineti anno MDCCCLVII. notis illustrata. Plures alias epistolas dedit eidem fratri Marco, ut Camerinum se conferret ad eam solandam; verum excepta una eodem anno die XXVIII. Februarii data, caeterae perierunt. Vitam suam scripsit, incoepitque die IV. Septembris an. MCDXC. ac absolvit die III. Martii an. MCDXCI. Eodem anno die XXIII. Martii a se concinnatum *testamentum* misit ad eumdem fratrem Marcum. Eius etiam sunt *duae epistolae*, quarum altera praefixam operi de doloribus Christi mentalibus misit ad fr. Marcum; postrema data fuit die XX. Martii an. MCDXCII. In fine operis adest oratio, quae incipit: *o dolcissimo e benignissimo Dio etc.* Anno MCDIC. scripsit *istruzione al discepolo*, qui erat pater Antonius hispanus monachus eximiae vitae, eiusque familiaris, cupidus assequendi religiosae perfectionis semitam. Epistolam latinam gratulatoriam signatam sub die XX. vel XXIII. Aprilis an. MDXXI. ad patrem Ioannem Fanensem item animae suae cultorem scripsit. Forte ante hunc annum, nempe an. MDVI. canticum composuit in monasterio Firmano pro novitiis illius monasterii cui praeerat. Postremum locum tenent *considerazione della passione di Gesù Cristo*, *novena alla beata vergine Maria nostra signora*, *il soliloquio alla Vergine*.

C. Plura alia scripsisse quae tamen nostro tempore desiderantur, inconfesso est apud omnes. Putat tamen cl. Hieronymus Tiraboschi *della letteratura italiana* tom. VI part. 6 singula poemata tum italica tum latina eidem attributa eius non esse, sed Baptistae Feltriae Varani consanguineae suae feminae clarissimae. De hac re consulendus est Ioannes Maurus Crescimbeni *commentari intorno alla storia della volgare poesia* vol. II part. 2 lib. 6. Multi autem Baptistae sanctitatem, miracula, ac scripta commendavere; prae caeteris vero Bernardinus Lilii, s. Philippus Nerius, Petrus Coronas, Bartholomaeus Cimarelli, Angelus Benigni, Antonius Glielmo, Ludovicus Iacobilli. Camillus et Ludovicus Lilii, Philippus Bandini, Cletus Calcagni, Philippus Camerini, Benedictus XIV. et s. Alphonsus de Ligorio.

CI. E vivis ereptus hoc anno Scipio Gonzaga Mantuanus s. r. e. cardinalis, Caroli Gazoli, s. Martini ab Aggere et aliorum castrorum marchionis filius, tumulum nactus est in nobili sacello s. Crucis ecclesiae minorum de observantia s. Martini eiusdem oppidi, a maioribus instructo. In eo haec legitur inscriptio

Ciaconius tom. 4. colum. 177.

D. O. M.

SCIPIONI . GONZAGAE . S. R. E. PRESB. CARD. PATRIARCHAE . HIEROSOLYMITANO IMPERII . PRINCIPI . VITAE . INTEGRITATE . LITTERARVM . SCIENTIA . REBVS VSV . LIBERALITATE . OFFICIO . ATQVE . ELEGANTIA . SINGVLARI . MORTALITATEM OMNIVM . LAVDE . CONCLVSIT . SVI . APVD . OMNES . ORDINES . INCREDIBILI DESIDERIO . RELICTO . VIXIT . ANNOS . L. MENSEM . I. DIES . XXI. OBIIT XI. IANVARII . MDXCII.

FRANCISCVS . EPISCOPVS . MANTVANVS . ORD . MIN . DE . OBSERVANTIA FERDINANDVS . ET . IVLIVS . CAESAR . HAEREDES . FRATRI . AMANTISSIMO POSVERE.

CII. In cathedrali ecclesia Sulmone extat etiam memoria Francisci Garusii Bisaciensis ordinis minorum conventualium illius urbis episcopi: *fr. Francisco Garusio Bisacien. ordinis minorum convent. s. F. magistro episcopo Sulmonensi post annos septem sui episcopatus apud ecclesiam Sulmonensem quam peculiari benevolentia prosequebatur vita functo mense septembris* MDLXXXXIII. *Canonici Sulmonens. pastori optimo P. P.*

Ughel tom. 1. colum. 1585.

CIII. Senatus populusque romanus die III. Aprilis Alexandro Farnesio civi optimo, Parmae et Placentiae duci, ac Belgii copiarum praefecto anno elapso defuncto, solemniter iusta persolvit, composito in medio ecclesiae aracoelitanae de Urbe nobili coenotaphio instar ornatissimi templi. In eo duplex obviabat inscriptio, quarum altera haec erat

Caesar Magalotti in diario suo.

S. P. Q. R.

ALEXANDRO FARNESIO ROMANO

PARMAE ET PLACENTIAE DVCI III.

S. R. E. CONFALONERIO

ET

CATHOLICAE FIDEI ACERRIMO PROPVGNATORI.

CIV. Postrema vero

ALEXANDRO FARNESIO

CIVI OPTIMO

GRATA PATRIA

SVPREMVM PIETATIS MVNVS.

CV. Funebrem orationem latinam, adstantibus ferme omnibus s. r. e. cardinalibus, ingentique omnium ordinum coetu habuit Gabriel Cesarini Romanus. Eminenti in loco super ostium sacrarii eiusdem ecclesiae capitolinae posita de eo fuit et haec inscriptio

S. P. Q. R.

ALEXANDRO FARNESIO PARMAE ET PLACENTIAE DVCI III. CIVI OPTIMO OB RES PRO REPVBLICA CHRISTIANA BENE GESTAS ROMANIQVE NOMINIS GLORIAM APVD EXTERAS ETIAM GENTES PROPAGATAM IVSTIS FVNERIBVS IV. NONAS APRIL. MDXCIII. NOVO EXEMPLO MAXIMAQVE POMPA PERSOLVTIS EIVS REI PATRIAEQVE IN EVM VOLVNTATIS MONVMENTVM POSVIT.

Digitized by Google

CVI. Haec et alia plura de Farnesio monumenta publici iuris fecit Romae hoc anno apud Guilielmum Facciotum Vincentius Siculus ex minoritis de observantia hoc titulo: *senatus populique romani epithaphia in sereniss. ducem Alexandrum Farnesium principem amplissimum.* *Sbaralea tit. V.*

CVII. Hoc tempore inter procuratores generales minorum conventualium et observantium denuo recruduit controversia circa eorumdem praecedentiam in summi pontificis, ut aiunt, cappella, in qua vi bullae *Unionis* Leonis x. pontificis post generalem procuratorem ordinis praedicatorum primum locum obtinet procurator generalis minorum de observantia. Cum enim unum ex procuratoribus ultramontanis ad illam non accessisset integro triennio, ideo occasio data est a procuratore conventualium de loco digniori disceptandi. At delata re ad s. r. congregationem, quievit controversia hoc edito decreto. *Die xxvi. Novembris mdxciii. habita fuit congregatio sacrorum rituum, in qua proposita causa praecedentiae inter rr. pp. procuratores generales fratrum minorum de observantia, et fratrum minorum conventualium ordinis s. Francisci, auditis partibus, visisque et examinatis iuribus per utrasque exhibitis, congregatio censuit, fratres minores observantes suum procuratorem generalem legitime hactenus habuisse, habereque potuisse. et ex fidibus, quas ipsi exhibuerunt, constare, dictum eorum procuratorem generalem in cappella pontificia ante procuratorem generalem minorum conventualium sedisse; quamobrem etiam censuit, dictum procuratorem generalem minorum observantium in hac quasi possessione sedendi manuteneri, si ita ss. domino placuerit. Sanctitas sua dictum decretum approbavit. et ab iis ad quos spectat, observari mandavit.* *De Gubernatis t. 1. pag. 402.*

I. P Mucantius secret. congreg.

CVIII. Idem summus pontifex praescribit hoc anno specimen casuum reservatorum ab omnibus regularibus cuiusque ordinis observandum, quod damus.

CLEMENS PAPA VIII.

Sanctissimus dominus noster, qui iam pridem accurate perpendit, et re ipsa comperit, quod reservatio facultatis absolvendi religiosos poenitentes a peccatis quibusdam gravioribus, nisi superiores admodum prudenter ac moderate illa utantur, nonnullos inferiores qui interdum superiori suo conscientiae maculas detegere formidant, adducere posset in aeternae damnationis periculum, et spiritualis remedii desperationem. Ideo, ut huic malo sanctitas sua opportune prospiceret, decrevit, ut nemo ex regularium superioribus, peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis quae sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquo, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino iudicaverit. *Ex bullario Franciscl Matritensis t. 1. pag. 359.*

1. *Veneficia, incantationes, sortilegia.*
2. *Apostasia a religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerint, ut extra septa monasterii, seu conventus fiat egressio.*
3. *Nocturna ac furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animi apostatandi facta.*
4. *Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale.*
5. *Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.*

Digitized by Google

6. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto.*

7. *Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterii, aut conventus.*

8. *Furtum de rebus monasterii seu conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.*

9. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.*

10. *Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personae.*

11. *Malitiosum impedimentum, aut aperitio litterarum a superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad superiores.*

12. *Si quid aliud praeterea peccatum grave pro religionis conservatione, aut pro conscientiae puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis capituli in toto ordine, aut provincialis in provincia, matura discussione et consensu.*

13. *Non liceat superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint. aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab iis petierint.*

14. *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori, iique sint docti, prudentes, ac charitate praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis confessarius iudicaverit.*

15. *Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui ad superioritatis gradum fuerint promoti. caveant diligentissime. ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*

16. *Licebit tamen superioribus determinare poenitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis a confessariis imponendas. quae subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.*

Atque itaque per quoscumque regularium superiores, quicumque illi sint, observari mandavit. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XXVI. *Maii* MDXCIII. *pontificatus nostri anno* II.

Andreas Sorbolungus secret. visitationis.

Chronologus ordinis tom. 1. pag. 412.

CIX. Hisce a pontifice statutis, hoc eodem anno ordinis patres in Vallisoletano comitio aliquot casus ministris generalibus, ac provincialibus reservarunt, licet, ipsis fatentibus, *in nostra religione hoc ipso nihil antiquius fuisset; quandoquidem ab ineunte ordine ipso, casuum reservatio ex auctoritate Regulae ipsius expressa probatur; nam propterea cavetur expresse:* si qui fratrum instigante inimico mortaliter peccaverit, pro illius peccatis de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos ministros etc. *Ut opportunius animarum saluti consultum sit, provinciales ministri in sua quaque provincia unum saltem vel alterum probatum confessarium deputent, cui a praedictis casibus in foro conscientiae absolvendi facultatem concedant, dummodo occulti sint. Si vero notoria fuerint, rei criminum ad ipsos provinciales ministros, aut eorum commissarios recurrere teneantur, quamcitius poterunt sine mora. Et ut nullius ignorantiae locus sit, aut esse possit, provinciales ministri in sua quaque provincia casuum huiusmodi tabellam, primo quoque tempore conficiendam diligenter curent. Quod ut facilius ab eis praestari possit, quos vel*

antiquis et probatis ordinis constitutionibus reservatos novimus, vel iis ipsis reservari opportunum censuimus et volumus hic infra ordine descriptos, ponendos esse, operae pretium duximus et decrevimus.

I. *Nomen Dei, ac Domini nostri Iesu Christi, Deiparaeque virginis Mariae blasphemantes.*
II. *Rebus sacris abutentes.*
III. *Quicquam in religionis detrimentum extra religionem patefacientes.*
IV. *Discordias patrum, vel depositiones praelatorum manifestantes.*
V. *Calumniam in iudicio cuiquam imponentes, vel ad id faciendum inducentes.*
VI. *Falso ac scienter quempiam accusantes, accusantemve revelantes.*
VII. *Falsum testimonium deponentes, vel deponendum procurantes, aut quempiam quomodolibet infamantes.*
VIII. *Iurati veritatem negantes, falsumve affirmantes.*
IX. *Ter debite moniti, obedire remuentes.*
X. *Consummatum carnis peccatum quodcumque admittentes.*
XI. *Denarios contra praescriptum accipientes, tenentes, asservantesve.*
XII. *Rei sacrae, vel notabilis furtum perpetrantes.*
XIII. *Religionis bona extra religionem dono dantes.*
XIV. *Fratribus saecularibusve vendentes, aut quovis modo alienantes.*
XV. *Generalis vel provincialis aut eorum secretarii litteras tum missas, tum accipiendas impedientes, frangentes, falsificantes, vel quomodolibet intercipientes.*
XVI. *Sigillum ordinis, vel cuiusvis alterius praelati, aut personae notabilis falsificantes.*
XVII. *Libellum famosum facientes, fieri procurantes, inducentes, consulentes, proiicientes, publicantesve.*
XVIII. *Graviter quempiam percutientes, aut contra praelatos machinantes.*
XIX. *Carnes cum vel ecclesiae praecepto, vel regula vetitum fuerit comedentes, nisi scripta superioris facultate propter necessitatem antea impetrata.*

CX. Observandum hic est in huiusmodi casuum reservatorum tabella desiderari vigesimum, qui de apostasia ab instituto loquitur; at sciendum illum semper habitum fuisse apud nostrates inter reservatos. Postremis tamen temporibus eidem tabellae consulto appositus fuit. Eruditissimum in eis commentarium scripsit p. Ludovicus a Pelago Hetruscus inter minoritas de observantia lector iubilatus, Lucae anno MDCCLXXIII. editum.

CXI. Aliqua iubet, et indulget pontifex. Iubet ut bis in anno, scilicet die XX. Maii, et XXVII. Augusti arcam corporis s. Bernardini Senensis dumtaxat aperiatur: *Supplicationibus* die XXVII. Maii; ut restituantur conventui s. Francisci Balneoregien. conventualium quaedam bona, vel malitiose occultata, vel indebite detenta, eidem coenobio relicta a fratre Nardi eiusdem instituti: *Significarunt* idibus Octobris; iubet ne commodentur, vel extrahantur e monasterio s. Clarae Neapoli vasa argentea, et sacrae suppellectiles: *Decet* die XX. Iulii; applicat quaedam bona relicta a Ioanne Maria Parasasso monasterio s. Luciae clarissarum terrae Leonissae dioecesis Spoletanae: *Exponi nobis* die XXVI. Octobris; ratam habet, licet nullam, electionem Iacobi Gandini in ministrum provincialem Mediolanensis provinciae minorum de observantia: *Cum sicut* die XX. Martii; indulget ut fratres observantes conventus Salis-

burgensis sacramento, etiam extremae unctionis, infirmis conferant: *Cum sicut* die xxviii. Martii; ut Catharina de Mendoza fundatrix coenobii s. Angeli Custodis discalceatorum fratrum in oppido de Alcalà de Henares Toletanae dioecesis partem aquae fontis eiusdem coenobii recipiat: *His quae* iii. nonas Iulii; ut Hieronymus de Andrada et Antonius Granados minoritae observantes permaneant apud episcopum de Honduras eiusdem ordinis, donec vixerint: *Cum sicut* die xxviii. Martii; ut Matthaeus Fernandez laudati ordinis solvendi voti causa emissi a nepte sua gravi infirmitate liberata, peregrinationem Hierosolymitanam suscipiat: *Cum sicuti* die xx. Iulii; ut Maria a Costa monialis professa in monasterio Conceptionis oppidi Vallisoleti Palentin. dioecesis se transferat ad monasterium Iesu Mariae eiusdem oppidi, et ibidem abbatissae munus gerat: *Nuper* die iv. Augusti; ut ob sui infirmitatem ad observantes denuo redeat Honoratus Tolosanus inter capucinos mox cooptatus; *Expositum* die iv. Ianuarii; ut Didacus de Andian professus inter observantes, ad fratres eremitanos transeat: *Exponi nobis* die xxx. Iulii; ut ob animi sui quietem Angelus a Noto capucinus se transferat ad fratres reformatos: *Tuo nomine* die xxi. Decembris; ut Leo Rossi laicus conventualis provinciae Mediolanensis ad ordines clericales promoveatur: *Expositum nobis* die xx. Maii.

CXII. Concedit altare privilegiatum nominis Iesu in ecclesia assumptionis b. M. v. observantium provinciae de Iucatan: *Omnium saluti* die xx. Martii; transfert altare privilegiatum s. Mathiae ad altare s. Mariae ad Nives in ecclesia s. Francisci conventualium terrae Alviti Soran. dioecesis: *Cum sicut* die xxviii. Aprilis; largitur indulgentiam plenariam Margaritae de Corte Real, et Christophoro de Moura coniugibus in die s. Antonii Patavini, sacramentis poenitentiae et eucharistiae perceptis: *Expositum nobis* die xxvii. Martii; item hoc anno, non vero an. mdxcv. ut habent Bollandistae, largitur indulgentiam in festo b. Gandulphi: *Ad augendam* die xix. Iunii; indulgentiam in die s. Iosephi sponsi b. M. v. in ecclesia monialium s. Clarae Mexici: *Ad augendam* die xxx. Augusti; eadem die indulgentiam in festo s. Bernardini Senensis in ecclesia monialium conceptionistarum eiusdem civitatis: *Ad augendam*; item sub eadem die indulgentiam in festo s. Ioannis Baptistae in ecclesia observantium s. Francisci Entecamalstalco dioecesis de Tlaxcalla: *Ad augendam*; postremo privilegia largitur hospitali s. Spiritus Massiliae, cui praesunt capucini: *Romanus Pontifex* die xviii. Iunii.

CXIII. Accedunt alia diplomata ex indiculo bullarii Petri de Alva. Beneficium conceptionis in altare ecclesiae Pisanae: *Dignum* idibus Septembris; pro monasterio clarissarum s. Angeli de la Ginestra Aretin. *Ex iniuncto* iii. nonas Iulii; pro monasterio clarissarum corporis Christi Neapolitan. *Ex iniuncto* xiii. calendas Septembris; pro monasterio clarissarum s. Bernardini loci Capitis Burgi Calvarii: *Ex iniuncto* idibus Maii; pro monasterio monialium clarissarum s. Ursulae Florentinae: *His quae* iii. nonas Iunii; pro monasterio clarissarum, et confraternitate s. Micheletti Lucan. *His quae* xiv. calendas Decembris; pro monialibus s. Bernardini Mediolanensis circa quamdam portionem terrae: *Romanus Pontifex* pridie calendas Februarii; pro monialibus clarisis s. Mariae de Angelis Alexandrin. *Ex iniuncto* iii. nonas Octobris; pro monasterio clarissarum Dominae Reginae Neapolitan. *His quae* iii. nonas Maii; pro conventu fratrum tertii ordinis Antuerpiae: *His quae* v. calendas Septembris.

Digitized by

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1594.	an. 2. et 3.	anno 18.	anno 387.

ARGUMENTUM.

Partitur provincia minorum observantium Genuae, et s. Pauli discalceatorum provincia erigitur. Coenobia fratrum et sororum collegia aedificantur. Decedunt virgines, pii viri, ac docti. Narrantur acta antistitum Christophori a Capitefontium, et Francisci Panigarola. Viri doctrina praestantes inclarent. Instituuntur episcopi, ac provinciarum visitatores. Duo elevantur beatorum fratrum corpora. Quaedam vetat, largiturque summus pontifex.

CUm ob sui latitudinem Genuensis minorum observantium provincia aucta hoc tempore LXI. fratrum coenobiis, et XXII. monialium domiciliis, singulo anno perlustrari haud posset ab illius provinciae administris, ideo in eorumdem comitio hoc anno habito in conventu s. Crucis Papiae XV. calandas Iunii, cui praesidebat Bonaventura a Calatahierone supremus ordinis rector, nova ex illa, auspice et patrono s. Didaco Complutensi, provincia surrexit. Haec instructa fuit coenobiis existentibus in regionibus Pedemontii, Montisferrati, et Insubriae; illa vero retinuit quae in partibus Liguriae ultra Padum et Tanarum extabant. Divisione peracta, huius provinciae minister salutatus fuit pater Franciscus a Strambino; alterius vero s. Didaci pater Franciscus a Belgioioso. Hinc summus pontifex datis litteris ad laudatum generalem administrum: *Exponi nobis* die XVII. Iunii iussit, ut haec provinciae partitio in suo robore permaneret. Utriusque coenobiorum album ponimus. *Monum. prov.* *Bullar. t. 1. p. 21.*

PROVINCIAE GENUAE CONVENTUS

II. 1. Annunt. b. M. v. } Genuae
2. S. Mariae Pacis } Genuae
3. S. Mariae Montis } Genuae
4. S. Francisci Sarzanae
5. S. Francisci Spediae
6. Annunt. b. M. v. Levanti
7. S. Francisci Moniliae
8. S. Francisci Clavari
9. S. Francisci Rapalli
10. S. Mariae de Angelis Rechi
11. S. Antonii Abbatis Pellii
12. S. Mariae Angelorum Vulturis
13. S. Iacobi Apostoli Savonae
14. S. Georgii Cherii
15. S. Bernardini Albinganae
16. S. Mariae de Angelis Alassii
17. Annunt. b. M. v. Portus Mauritii
18. S. Mariae de Consolatione s. Romuli
19. Annuntiationis b. M. v. Vintimilii
20. De observantia Sospitelli
21. S. Francisci Novarum
22. Annunt. b. M. v. Vezzani
23. S. Francisci Ripae
24. S. Mariae de Angelis Calstigii
25. S. Mariae de Gratiis Vigueriae
26. S. Mariae de Pace Castrinovi
27. S. Bernardini Salarum

PROVINCIAE S. DIDACI CONVENTUS

III. 1. S. Thomae Taurini
2. S. Mariae Gratiarum Montisregalis
3. S. Mariae de Angelis Cunei
4. S. Mariae de Angelis Buscae
5. Annunt. b. M. v. Fossani
6. S. Francisci Bennarum
7. S. Francisci Saviliani
8. S. Mariae de Angelis Pinarolii
9. Annunt. b. M. v. Vigonii
10. S. Mariae de Angelis Villaenovae
11. S. Bernardini Clavasii
12. S. Mariae Gratiarum Crescentini
13. S. Bernardini Astae

Digitized by Google

Anno Christi 1594.	Clementis VIII. an. 2. et 3.	Rodulphi II. anno 18.	Religionis Minorum anno 387.
14. S. Bernardini Salutiarum		24. S. Francisci Aquis	
15. Annunt. b. M. v. Carmaniolae		25. S. Francisci Charii	
16. S. Mariae de Angelis Casalis		26. S. Iacobi	Papiae
17. S. Bernardini Tridini		27. S. Crucis	Papiae
18. S. Mauritii Conzani		28. S. Mariae de Campo Binaschi	
19. S. Bernardini prope Montemcalvum		29. S. Mariae de Angelis Durni	
		30. S. Mariae de Angelis Belgioiosi	
20. S. Bernardini Albae Pompeiae		31. S. Pauli Basilianae	
21. S. Mariae de Gratiis Nicaeae		32. S. Bernardini	Alexandriae
22. S. Mariae de Iesu Montisbarutii		33. Annuntiat. b. M. v.	Alexandriae
23. S. Mariae Septebrii		34. S. Mariae de Fonte Feliciani	

IV. Ex laudato s. Crucis Papiae coenobio idem minister generalis datis litteris sub die XXIV. Maii ad Alexandrum Centurionum archiepiscopum Genuensem reformatorum vivendi morem eidem commendat, eorumdemque amplificationem sese desiderare ostendit; quod revera temporis decursu eius favore evenisse aperte novimus.

De Gubernatis t. 3. p. 333. n. 143.

V. Cum ex summi pontificis voluntate: *Cum sicut* die X. Martii erigi deberet s. Pauli apostoli discalceatorum provincia in Castella Veteri, eique addici sexdecim coenobia provinciae s. Iosephi, ideo hoc eodem anno die XX. Augusti apud conventum s. Iosephi de Medina del Campo convocato comitio a Ioseplio a s. Maria provinciae administro, pontificis voluntati satisfactum fuit, delecto interim ipsius novae provinciae praeside patre Claudio de los Martyres. Coenobiorum album exhibemus ex patre Didaco a Fonsalita illius provinciae chronologo.

Marcus Complutensis in chron. prov. part. 2. l. 3. p. 203.

PROVINCIAE S. PAULI APOSTOLI DISCALCEATORUM CONVENTUS

VI. 1. S. Iosephi Salamanticae
2. S. Gabrielis Segobiae
3. S. Antonii Abulae
4. S. Ioan. Baptistae Zamorae
5. S. Iosephi Methimnae Campi
6. S. Pauli Cocensis
7. S. Lazari de Arevalo
8. Dominae nostrae de Gratia, sive Conceptionis de Penaranda
9. S. Isidori Pagi Ligni
10. S. Francisci Alaeios
11. Dominae nostrae Cordueli
12. S. Annae Vallis Fanais
13. Corporis Christi Martini Munocis
14. B. Mariae Bonillae
15. S. Mariae Angelorum Serralvi
16. S. Francisci Cymbae Abulensis

Valetudinarium titulo s. Didaci in urbe Vallisoleti.

PROVINCIAE S. IOSEPHI CONVENTUS

VII. 1. Dominae nostrae Rosarii
2. S. Andreae Arenarum
3. Dominae nost. ab Angelis Cadafalsi
4. S. Bernardini Matritensis
5. S. Ludovici de Paracuellos
6. S. Michaelis Plicensis
7. Nominis Iesu de Cebreros
8. S. Angeli Custodis Compluti
9. S. Petri apostoli Consaburensis
10. S. Annae Talabricae
11. S. Sebastiani Aunionis
12. S. Ioannis evangelistae Turris
13. S. Francisci Yepensis
14. S. Laurentii Conchensis
15. S. Iosephi Toleti
16. Assumptionis de Yllescas
17. Incarnationis Malaconensis
18. Conceptionis Baraxensis
19. S. Antonii Caracensis
20. S. Ioan. Baptistae s. Eulaliae
21. Dominae nostrae Fonsalitae
22. S. Antonii Veladensis

Digitized by

Anno Christi 1594.	Clementis VIII. an. 2. et 3.	Rodulphi II. anno 18.	Religionis Minorum anno 387.

VIII. Diximus Petrum Baptistam sociosque suos Meacum advenientes, diversatos fuisse in aedibus cuiusdam equitis gentilis qui eis impense favebat. Sex ferme menses ibidem permanserunt; at cum multa paterentur incommoda, locum quantum satis esset ad domicilium pro eis instruendum a Taycozama expostulatum obtinuerunt. Ita Frois. Inde zelo permoti miseras laponiorum animas iuvandi, prope eumdem locum christianorum ope ecclesiam titulo s. Mariae de Portiuncula posuèrunt, in qua brevi post tempore ad culmen adducta, verbum Dei publice praedicabant, sacramenta ministrabant, sacrumque quod die IV. Octobris omnium primum fuit, Deo obtulerunt, ingenti christifidelium solatio. Prope idem sacellum pro erudiendis in fide christiana tyronibus aedem aptarunt, et duo pro infirmis valetudinaria, ut et corporibus solicitam medelam afferrent. *Ann. min. ad an. 1593. n. 20.*

IX. Aliquot in eodem oratorio evenisse prodigia narrat Dominicus Martinez. Die II. Augusti in festo s. Mariae Angelorum de Portiuncula se vidisse in eadem ecclesia quatuor lampades quas nemo posuerat, collucentes, iuramento confessus est Cosmas Yoya christianus iaponus. In supplicatione ss. eucharistiae sacramenti die IV. Octobris in laudata ecclesia peracta, idem affirmavit se inspexisse sacram hostiam sanguine undequaque conspersam. Alter item iaponensis nomine Franciscus dixit se vidisse in eadem hostia Christum Iesum sub specie speciosissimi infantis. Traditur etiam in nocte nativitatis Domini, dum sacrum de more peragebat Petrus Baptista, angelicos concentus auditos fuisse. *Id. ibid. pag. 19.*

X. Manilia iter fecere hoc anno Meacum alii ex discalceatis fratribus evangelici cultores, nimirum Augustinus Rodriquez, Marcellus Ribandeneira, Hieronymus a Iesu, et Andreas a s. Antonio, quorum postremus vitam feliciter commutavit cum morte, sepulcrum in mare nactus. Eo in itinere tres Iapones navitas fide christiana instructos, sacramento baptismatis tinxerunt. Paullo post accesserunt etiam Franciscus Blancus, et Martinus ab Ascensione, alias de Agurre. Idem Petrus Baptista alterum coenobiolum Ozacae, VIII. leucis a Meaco quod Bethlehem appellavit, aedificavit partim impensis missis a pro-rege Maniliae, partim vero ex illis collatis a laudato Cosma Yoya. Post solis occasum illius diei, quo in ecclesia celebratum fuit primum sacrum, tantus in coenobio et ecclesia nitor per horam visus fuit, ut totum aedificium comburi crederetur. Altera die auditus fuit de nocte angelicus concentus a quodam iapono nondum ad Christi fidem converso; qui tamen paullo post baptisma recepit. *Id. ibid. pag. 18. et seq.* *Conv. Meaci.* *Martinez l. 3. p. 21.* *Conv. Ozacae.* *Id. ibid. p. 23.* *Id. ibid. pag. 24. num. 76. et 77.*

XI. Nangasachum idem Petrus Baptista mox adveniens, manus item admovit ad excitandum pro suis ibidem domum extra civitatis moenia prope aediculam s. Lazari sub invocatione s. Francisci, Lusitanorum et Hispanorum qui plurimi extabant, mercatorum impensis. Dum parabatur domus, iidem fratres perhumaniter excepti a patribus societatis Iesu, inter eos permanserunt viginti dierum spatio. P. Petrus Gomius iesuita eis ex Ozacae domo misit grammaticam ac dictionarium, quosdam dialogos, modum confitendi, et alios quosdam libros tum iaponico tum lusitano idiomate. *Conv. Nangasachi.* *Id. ibid. pag. 21.* *Acta ss. ibid. n 72. pag. 732.*

XII. Singulis coenobiis quosdam evangelicos operarios idem commissarius destinavit. In Meacensi aede Franciscum Blancum, Augustinum Rodriquez, et Gonzalvum Garcias posuit, quorum ipse praeses erat. In Ozacae conventu moderatorem delegit Martinum ab Ascensione, sociumque eius Franciscum a Parilia. Nangasachano in coenobio rectorem constituit Hieronymum a Iesu, adiunctis sibi sociis Bartholomaeo Ruiz, et Marcello Ribandeneira. Ubique omnes

Digitized by Google

charitate Dei ob proximi ad prodigium vulnerati, palam sacra faciebant ac concionabantur maximo fidei pietatisque incremento.

Ann. min. ad an. 1580. n. 15.

XIII. Post annos quinque iterum in Hispaniam rediit Alphonsus a s. Bonaventura apostolus apud regiones de Tucuman, de Buenos Ayres, et Rio della Plata sive Fluminis Argenti, ut delectum fratrum haberet pro illis vineis excolendis, paucis operariis evangelicis instructis. In Paraguaia cum eorumdem franciscalium opera ab anno MDXXXVII. ad praesens usque positae fuerint aliquot eorum aedes, ideo meruit Custodiae titulo decorari. Dilatandae fidei percupidi ultro se eidem Alphonso addiderunt XX. fratres, quos inter Martinus Ignatius de Loyola hispanus, s. Ignatii Loyolensis consanguineus, anno MDCI. electus episcopus ecclesiae Fluminis Argenti, vir laboribus, vigiliis, ac itineribus nemini secundus, qui primum in Insulas Philippinas, in Sinensium imperium, Macaum, Malaccam pro fidei lumine disseminando, inde Romam, ac in Hispaniam tertio pro gravissimis fidei negotiis explendis se contulerat. Iidem fratres in Ceylami insula in quam omnium primi in eius aquilonari plaga a multis annis adiverant, teste etiam Withman, sacrum Christi baptisma administrarunt hoc anno regi eiusdem insulae cum principe maiori natu ac regina matre.

Cordoba in chron. prov. Peruvianae lib. 1. cap. 25.

Ann. min. ad an. 1537. num. 2.

Withman tom. 2. pag. 59.

Marcantius in XII. fundamentis p. 116.

Martinez lib. 1. pag. 48.

XIV. Maniliam hoc item anno accesserunt ex Hispaniarum provinciis, duce patre Petro Ortiz, XLVI. fratres franciscani, quorum sex laici, caeteri sacerdotes, litteris ac virtute praestantes. Eos per s. Gregorii Insularum Philippinarum coenobia partivit Paulus a Iesu illius provinciae administer non sine magno fidei incremento infideliumque conversione, de quibus suo loco agemus.

XV. Posita fuerunt hoc anno pro fratribus minoritis de observantia aliquot coenobia diversis in locis. Intra moenia oppidi de Olivenca dioecesis Elvensis in provincia Portugalliae incoepit esse ab anno MDLXXXVIII. pro eis novum coenobium s. Francisci titulo, expensis Ferdinandi Roderici qui vi mandati Philippi II. vulgati die XXIX. Octobris eiusdem anni fundum pro eo excitando coemerat. Incolitur a XVII. fratribus, qui hoc anno intrarunt. Circa annum MD. sub eadem invocatione fuerat alterum constructum prope eumdem pagum, ex bonis relictis a nobili vidua Philippa quondam viri principis Alvari, filii ducis Bragantiae; sed ob aeris inclementiam e loco fratres abierunt. Haec ignota fuerunt Waddingo, scribens: *periisse locum hunc existimem, dum nullam eius mentionem comperio inter coenobia Lusitanica.* In eadem provincia indulget pontifex: *Quaecumque* die XXV. Septembris, ut Maria de Lambuca matrona Ulyssipon. aedificare possit pro eisdem fratribus coenobium in loco de Verderena eiusdem dioecesis. Aucta fuit provincia Baetica eorumdem fratrum coenobio s. Francisci in villa Martin dioecesis Hispalensis, ipsius universitatis impensis instructo.

Conv. de Olivenca.

Ann. min. ad an. 1588. n. 28.

Ibidem ad an. 1504. n. 49.

Conv. de Verderena.

Conv. in villa Martin. Monum. prov.

XVI. Sunt litterae Camilli Caietani patriarchae alexandrini in Hispaniarum regnis apostolici nuntii pro construendo valetudinario penes moenia urbis Hispalensis, ut deserviret fratribus infirmis conventus s. Francisci del Monte.

Camillus Caietanus Dei et apostolicae sedis gratia patriarcha alexandrinus ss. d. n. Clementis divina providentia papae VIII. et eiusdem sedis in Hispaniarum regnis cum potestate legati de latere nuntius.

Ad perpetuam rei memoriam.

De Guadalupe in chron. prov. Angel. in reposto p. 26.

Ex incumbenti nobis ab apostolica sede legationis officio, hisque pro monasteriorum quorumlibet et personarum in eis sub suavi iugo virtutum Domino famulantium, et divinis laudibus insistentium commoditatibus et utilitate

Digitized by

inter ipsorum monasteriorum superiores, et alios christifideles pie tractata fuisse dicuntur, apostolicae firmitatis robur adiicimus, aliasque desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum nobis in Christo provincialis provinciae *de los Angeles* ordinis fratrum minorum s. Francisci, necnon Lucae Velorado tamquam curatoris minorum nepotum, Iurati de Soria, necnon confratrum confraternitatis *de la limpia Concepcion* nuncupaterum civitatis Hispalensis, petitionis series continebat, quod cum domus et monasteria s. Francisci del Monte, quod in quodam loco deserto seu eremo situm est, et s. Francisci *de los Angeles*, in quo nulla adest infirmaria, tam extrema rerum omnium inopia et penuria laborent, ut religiosi qui pro tempore adversa valetudine aut infirmitate gravantur, in dictis monasteriis in suis infirmitatibus huiusmodi propter medicamentorum ac medicorum defectum curari nequeant, et propterea religiosi pro tempore infirmi existentes ad hospitalia publica civitatis Hispalensis transmittantur, in magnum ordinis praedicti et clericalis militiae dedecus, necnon vitae, et salutis religiosorum, et fratrum dicti ordinis dispendium, et prope et extra muros civitatis Hispalensis adsit quoddam hospitale, praedictumque Iuratum de Soria aut testamentarios eius ad effectum, ut confratres confraternitatis *de la limpia Concepcion* nuncupati, suas congregationes, et capitula habeant, et celebrent, fundatum et institutum, cum hoc tamen, quod dicti fratres nonnullas memorias pias, aut celebrationes missarum, seu anniversaria per dictum testatorem celebrari mandata, celebrent; quod quidem hospitale dicti confratres, et Lucas Velorado curator, nomine dictorum minorum ipsis fratribus et religiosis dictorum monasteriorum, seu ipsae provinciae cum onere celebrandi, et exonerandi dictas memorias pias, missarum celebrationes seu anniversaria conseserunt, ipseque provincialis nomine dictorum monasteriorum, seu provinciae *de los Angeles* huiusmodi ad effectum in dictum hospitale aliquos fratres dicti ordinis professores, qui infirmarii in dicto hospitale sint, et curam fratrum, domuum, seu monasteriorum, aut eorum provinciae huiusmodi, qui pro tempore infirmitate laborabunt, curam gerant, et dictas memorias pias, seu anniversaria celebrent, introducendi acceptavit; et cum firmiora sint, quibus sedis apostolicae accedit auctoritas ideo pro parte dictorum exponentium nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus transactioni, et conventioni inter ipsos hinc inde initae, ac concessioni huiusmodi robur apostolicae confirmationis adiicere dignaremur. Nos igitur quorumlibet, praesertim religiosorum infirmitatibus pie in Domino compatientes, ipsosque exponentes, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac concessionis et transactionis huiusmodi tenoris praesentibus pro expressis habendis, concessionem, transactionem, et conventionem inter ipsos exponentes initam, ut praedicitur, et inde sequuta quaecumque, licita tamen et honesta apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, eique perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, decernentes fratres et conventus dictorum monasteriorum, nec adeo ipsam provinciam occasione praemissorum contra dictae transactionis formam et tenorem per quoscumque molestari, aut impediri posse, nec debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus etc.

Datis Matriti Toletanae dioecesis anno Domini MDXCIV. XII. calendas Iunii pontificatus praedicti ss. domini nostri anno III.

C. patriarcha alexandrinus nuntius apostolicus.

XVII. Hoc anno ab austriacis militibus recuperatum fuit fortalitium Sissacense, positum in parte orientali Croatiae, a Turcis anno elapso expugnatum. Quare rediit et ad fratres observantes coenobium eo in loco erectum vel anno MDVI. vel anu. MDXIV. Huius non meminit Gonzaga in suo opere edito anno MDLXXXVII. quia ante id temporis inter dirutos computabatur. Duce Mauritio Nassovio provinciam Germaniae Inferioris vastante, Gentii Groningae urbem et observantium coenobium in ea positum occuparunt; in fratrum aedibus constituerunt eorumdem gymnasium, et ecclesiam commutarunt in aulam ludi palmarii. Summi pontificis iussu: *Tuae fraternitatis* die XVI. Augusti patres societatis Iesu obtinuerunt conventum s. Francisci observantium Uratislaviensem.

Conv. Sissocensis. *Gretderer tom. 1. pag. 143. n. 169.*

Conv. Groningensis diruius. *Ann. min. ad ann. 1502. n. 38.*

XVIII. Expensis universitatis oppidorum Calassii, Arcis Calassii, et Castriveteris dioecesis Aquilanae in provincia s. Bernardini initiatum fuit circa haec tempora coenobium sub invocatione s. Mariae Gratiarum in laudato oppido Calassii. Ecclesia cuius altare maius miro artificio instructum est, decem sacellis decoratur. Natalem hoc in loco habuerunt quidam frater Ioannes, *venerabilis* a Francisco Gonzaga appellatus, in conventu Propezzani defunctus; frater Angelus Romae die XXIX. Octobris MDCXVI. tumulatus, et frater Marius Lucae Waddingo coevus, prae suae doctrinae praestantia summe commendatus. In provincia Principatus obvenit etiam eis conventus s. Leonardi extra pagum Castri Oleastri dioecesis Caputaquensis.

Conv. Calasii. *Mon. prov.*

Gonzaga in prov. s. Bernardini conv. 24. Artur. ad diem 29. Octobris. Wadd de scr. lit. M.

Conv. Oleastri. *Monum. prov.*

XIX. In provincia Terrae Laboris exordium sumpsit pro eisdem fratribus coenobium ss. annuntiationis Deiparae in oppido Abellarum dioecesis Nolanae, tum incolarum, tum d. Caroli Spinelli Seminariensium ducis sumptibus aedificatum. Eisdem etiam ante hoc tempus oblatum fuit coenobium Palmuli sub invocatione sanctae Mariae Lauretanae in provincia s. Ferdinandi.

Conv. Abellarum. *Monum. prov.*

Conv. Palmuli. *Monum. prov.*

XX. Universitati oppidi Petrituli dioecesis Firmanae in provincia Marchiae indulget pontifex: *Exponi nobis* die XXVII. Iulii erectionem domus pro observantibus prope eorumdem oppidum in ecclesia s. Mariae Martyrum, ex bonis relictis a quondam loci incola Dominico Catello, et ex aliis legatis a Censorio Martiali canonico cathedralis ecclesiae Firmanae. Similia in eadem provincia indulget pontifex: *Exponi nobis* die IV. Maii universitati Montis s. Pauli dioecesis Aprutinen. pro aedificando coenobio eorumdem fratrum ss. Crucifixi titulo. Quae in huiusmodi fundatione peracta fuerunt, novimus ex monumento inciso lapidi quod vulgamus.

Conv. Petrituli.

Convent. Montis s. Pauli.

D. O. M.

MDXCIV. DIE IV. MAII F. VINCENTIVS DE MONTE SANCTO IN PICENO ORDINIS PRAEDICATORVM EPISCOPVS APRVTINVS PRINCEPS THERAMI COMESQVE BIS CONSENSV PRAESTITIT QVOD ERIGERENTVR AEDES FRATRVM MINORVM OBSERVANTIVM IN MONTE S. PAVLI EARVMDEMQVE MDCI. DIE XIV. IANVARII MAXIMO CLERICORVM ADHIBITO COETV FVNDAMENTORVM LAPIDEM IN SVMMO CHORO IECIT QVEM MOX IACTVM INGENS ACCLAMATIO ET APPLAVSVS CONSEQVVTVS EST NOCTESQVE ET DIEI ILLIVS PER FACES TORMENTORVMQVE TINNITVS PIA CONCELEBRATIO POST VERO SOLEMNEM CELEBRAVIT MISSAM CHRISMA ORDINATIONEM AC MIRAM FECIT PROCESSIONEM AD POPVLVM ETIAM SERMONEM EFFVSIS LACRIMIS EXIMIA CVM DEVOTIONE HABVIT MVLTISQVE INIBI SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO REFECTIS XL. DIES DE VERA INDVLGENTIA CVILIBET AEDEM VISITANTI CONCESSIT QVAM IPSAM SANCTO FRANCISCO NVNCVPARI IVSSIT.

Ad sanctum Franciscum dent alii aerias arces miracula rerum
Templaque nos humiles munera parva damus.

Digitized by Google

XXI. Cum anno MDLXIV. e coenobio oppidi s. Genesii dioecesis Camerinensis, *l' Abbazia* nuncupato, eiusdem provinciae Marchiae fratres de observantia auctoritate apostolica abiissent, ut incolarum voto satisfacerent, alteram domum hoc anno occuparunt sub invocatione s. Mariae de Gratia intra moenia positam, quae pro hospitio erat fratribus eiusdem ordinis, contermini coenobii s. Liberati. Porro cum haec domus admodum humilis esset, Sebastianus Migliucci loci incola testamento legavit quaedam bona confratribus ss. Sacramenti ea lege, ut coenobium et ecclesiam ampliarent. Pia testatoris voluntas suo tamen caruit effectu. Verum operi manus admoverunt cives, ministro provinciae Valentino Pacifico ab Aesio, et temporis decursu compleverunt. Sancte ibidem obiere Ioannes Baptista eo loci natus, et Petrus a Massa sacerdotes, quos siti in via laborantes, Deus aquam in vinum convertens, refecit, frustra petitum antea pro eleemosyna a quodam caupone Tolentinate. Transactis quibusdam annis, eorum corpora integra ac mollia inventa fuere.

Conv. s. Genesii. *Ann. min ad an.* 1564. num. 45.

Gasparini in chron. prov. marchiae t. 1. *pag.* 151.

XXII. Ortum habuit in eodem oppido Antonius Benedictus Farabrichius in saeculo nomine Richardus, litteris et medicae artis peritus. Semel et iterum picenam provinciam administravit, et anno MDXXXIII. vicarii generalis ordinis loco Pauli Pisotti supremi moderatoris, podagrae morbo affecti, ex Clementis VII. pontificis voluntate: *Nuper cupientes* die II. Augusti munus obtinuit. Ante id tempus mandatum ab eodem pontifice acceperat calamum acuere contra divortium Henrici VIII. Angliae regis cum Catharina Aragonensi. Eius est opus sic inscriptum *consequenze di Farabriche* impressum cum altero cuius est titulus: *dubia Pauli Pergulensis etc. per Bonetum Locatellum, sumptibus nobilis viri d. Octaviani Scoti civis Modoetiensis Venetiis MCDXCIII.* De eo sequens prostat monumentum in laudato coenobio

Biblioteca Picena lettera F.

D. O. M.
ANTONIO . BENEDICTO . FARABRICHIO . GENESINO
ORDINIS . MINORVM . DE . OBSERVANTIA
SECVNDA . VICE . PROVINCIALI . DEFINITORI . ET
VICARIO . GENERALI
ACCADEMIAE . PARISIENSIS . THEOLOGO . ET . REGIO
CONCIONATORI
PRINCIPIBVS . VIRIS . APPRIME . CHARO . EDITIS
OPERIBVS . CELEBERRIMO
QVI
DVM . À . CLEMENTE . VII. INTER . PRINCIPES . ECCLESIAE
PATRES . DESIGNATVS . FVERAT
OBIIT . MEDIOLANI . ANNO . MDXXXIII
LAVINIVS . MARIETTVS . AMANDVLENSIS
GENESINI . COENOBII . PRAESES
BENEM . P.
A . REP. SAL. CIↃIↃCCLXXXI
RECVRRENTIBVS . ORDINIS . SVI . PARTICVLARIBVS . COMITIIS

XXIII. In eadem provincia incoepit esse et pro eis coenobium s. Crucis prope oppidum montis Cassiani dioecesis Laureti, amoeno in colle positum, in quod intrarunt, licet fabrica nondum completa anno MDCVI. Die XXVII. . . . . eiusdem anni Rutilius Benzoni episcopus Lauretanus ecclesiam sacris ritibus consecravit. Coenobii aedificium ad perfectionis apicem adductum fuit anno MDCXXII.

Conv. Montiscassiani. *Gasparini ib. p.* 184

Digitized by Google

partim pientissimae familiae Buratti et Antolini, partimque incolarum eleemosynis. Cum coenobium instrueretur, iidem fratres sacra faciebant in ecclesia b. Mariae virginis vulgo *del Calcinaro*, eis concessam a confratribus ss. Trinitatis. In nova ecclesia impense colitur ss. Crucifixi imago, miraculorum gloria celebris. Diu hic floruit Paulus a Recineto sacerdos intemeratae vitae, mihi coniunctissimus, anno MDCCCXLII. die II. Iunii cum sanctitatis opinione ibidem defunctus.

XXIV. Tumulum ibidem etiam nactus est Ioannes Antonius Bacchettoni episcopus Recineten. et Lauret. qui in eodem conventu vitam cum morte die XXX. Augusti an. MDCCLXVII. commutavit. De eo hoc prostat monumentum

IOHANNI . ANTONIO . BACCHETTONI
NOBILI . INTERAMNENSI . ET . SPOLETANO
QVI . CVM . PER . ANNOS . XII. ANAGNINAM
PER . XVIII.
LAVRETANAM . ET . RECINETENSEM
PASTORALI . ZELO . GRAVITATE . ET . DOCTRINA
TVM . EFFVSA . IN . PAVPERES . LARGITATE
REXISSET . ECCLESIAS
VALETVDINIS . GRATIA
HVC . LOCI . SECEDENS
DIE XXX. AVGVSTI . AN. MDCCLXVII.
AETATIS . SVAE . LXXVII.
PIISSIME . EXCESSIT
IOHANNES . ANTONIVS . BACCHETTONI
PATRVO . AMANTISSIMO
M. P.

XXV. Eadem ecclesia praecordia excepit eminentissimi viri cardinalis Antonii Pallotta, cuius haec extat memoria

ANTONIO . PALLOTTA . PRESB. CARDINALI
QVI . DOMO . MESSANA . POSTEA . IN . PICENVM . TRADVCTA
NOBILI . GENERE . FERRARIAE . NATVS
DVM . PARENS . COM . IO . MARIVS
ILLIVS . ARCIS . PRAESIDIS . VICE . FVNGERATVR
TRIVM . PVRPVRATORVM . SVAE . GENTIS . VESTIGIA . PREMENS
VIM . NACTVS . MENTIS . ACERRIMAE
IN . ROMANA . CVRIA . MVLTIPLICI . HONESTATVS . MVNERE
A . S. P. PIO . VII. CARD. OB . MERITA . NVNCVPATVS
PIETATIS . CVLTOR . SACRI . PRINCIPATVS . COLVMEN
VIR . CONSTANS . INTEGRITATIS . ADSERTOR . APVD . OMNES . AVDIENS
IN . SVA . VILLA . CASSIANODVNI . AESTIVO . TEMPORE . MORATVRVS
LETHALI . MORBO . CORREPTVS
INVICTO . ANIMO . EXITV . QVE . VITAE . CONSENTANEO . DECESSIT
XIV. KAL . AVG. MDCCCXXXIV. H. A. LXIV. M. IV. D. XXVI.
SVIS . PRAECORDIIS . HEIC . SITIS
PARIS . PALLOTTA . GERMANVS . FRATER . HAERES . AB . INTESTATO
PACEM . COELESTEM . APPRECATVS
INFERIAS . CVM . LACRIMIS . PERSOLVIT

Digitized by Google

Anno Christi 1594.	Clementis VIII. an. 2. et 3.	Rodulphi II. anno 18.	Religionis Minorum anno 387.

XXVI. In provincia Principatus incoluerunt minoritae observantes coenobium immaculatae Conceptionis Campaniae, eis aedificatum reditibus relictis a Ioanne Paulo Strioni accola illius civitatis. Huic constructioni praesidebat ex voluntate eius fundatoris Hieronymus a Campania uterinus suus, eiusdem instituti sodalis. Cum sanctitatis opinione ibidem decessit Ioannes a Buccino sacerdos, mortificationis et paupertatis prope singularis. In eadem provincia obtinuerunt reformati ab observantibus conventum ss. Trinitatis Sanctiseverini; in provincia s. Angeli conventum s. Ioannis, sive Esemi Gulionisii, et conventum s. Onuphrii de Casacallena; in provincia Siciliae conventum s. Mariae Iesu extra Bisbonam doecesis Agrigentinae; in provincia Mediolanensi conventum s. Crucis Comi; in provincia s. Antonii Venetiarum conventum s. Francisci in Deserto, ob aeris molestiam ab observantibus derelictum. Hi etiam reformati ob aeris gravedinem tempore praesertim aestivo, anno MDCII. sibi acquisiverant alium locum prope ecclesiam s. Nicolai; deinde eo nimis angusto, alium in civitate Venetiarum prope s. Ludovicum an. MDCXX. titulo s. Bonaventurae tenuerunt. Locus, tamen antiquus in Deserto non prorsus fuit derelictus.

Conv. Campaniae. *Monum. prov.*

Sbaralea in suppl. ad cron. ord. ad an. 1220. n. 4.

XXVII. In monumento mss. provinciae Bohemiae minorum conventualium haec lego: *hoc anno die VIII. Decembris facta est restitutio conventus s. Michaelis archangeli Cadanensis in provincia Bohemiae conventualium per deputatos commissarios ad tollenda omnia iurgia quae versabantur ratione reddituum et dominii pertinentium ad hunc conventum inter patrem Hieronymum Iacobili provincialem Bohemiae et consulem et senatum civitatis, iubente imperatore Rodulpho. Primus guardianus restitutus fuit Ioannes Iobatius. Conventus remanserat vacuus sub tyrannide Ioannis Tiffka.* In custodia Principatus obvenit eis conventus s. Francisci Airolae.

Conv. Cadanensis.

Conv. Airolae. *Monum. prov.*

XXVIII. Fratres minores capucini recipiunt hoc anno coenobium in civitate Audomarensi provinciae Insuensis, Cabelli in provincia s. Ludovici, Lovanii dioecesis Mechlinensis in provincia Flandro-Belgica, Hydruntii in provincia Hydruntina, in oppido Fali et Corabi provinciae Barensis, in oppido Criptaurae dioecesis Hieracensis, et in oppido Claravallis dioecesis Squillacensis in provincia Calabriae, et Segniae in provincia Romana.

Ex catalogo Michaelis a Tugio.

XXIX. Intrarunt hoc anno in monasterium s. Crucis oppidi de Martos moniales clarissae, a Ferdinando de Ortega Valleio cathedralis ecclesiae Giennensis praebendato in propriis suis aedibus fundatum. Ad eum moderandum missae fuerunt ab Antonio Cortazar provinciae Granatensis ministro aliquot sacrae virgines tum e monasterio s. Antonii Baetiae, nimirum Francisca de Itaro, ut abbatissa, et sociae eius Maria de Quesada, et Mentia a s. Martino; tum etiam Sancia de Leguzzamon e monasterio s. Clarae Montiliae. Incolitur a XXVII. monialibus. Anno MDCLVI. cum sanctitatis opinione ibidem decessit Marianna de Ortega. In provincia s. Michaelis obvenit eisdem monialibus monasterium titulo de Experanza in oppido de Xerez dioecesis Pacensis in Extremadura. Haec duo monasteria subsunt provinciae administris. In provincia Calabriae extitit etiam pro eis alterum Conceptionis titulo, erectum in oppido Montismelonis dioecesis Melitensis, cuius fundationem ratam habuit hoc anno summus pontifex: *Monasteriorum* die XXVII. Octobris. Paret ordinario loci.

Monast. de Martos. *De Torres p. 473.*

Monast. de Xeres. *Monum. prov.*

Monast. Montismelonis.

XXX. Immissae fuerunt hoc tempore moniales clarissae in monasterium s. Mariae de Angelis apud Netinos dioecesis Syracusanae, fundatum eo fine ut

Monast. Netini. *Pirrus t. 1. in not. eccl. syracus p. 166.*

virgines pauperes in eo exciperentur. Positum etiam fuit hoc eodem anno in civitatis Valletta dioecesis Melitensis, ope Verdalae cardinalis, magni magistri, atque antistitis Gargalli eiusque loci ordinarii, monasterium ordinis s. Clarae pro mulieribus poenitentibus sub invocatione s. Mariae Magdalenae. Ad eas regendas, mandante pontifice die xxv. Martii missae fuerunt aliquot sorores clarissae e monasterio Syracusano.

Monast. Vallettae.

Idem tom. 2. de eccles. Meliten. not. 7. pag. 927.

XXXI. In suburbio Brunensi in Moravia provinciae Bohemiae, auctis reditibus, ampliarunt monasterium titulo s. Ioseph quaedam virgines tertiariae quae ab anno MCDLXXXII. in privatis aedibus Domino in spiritu humilitatis deserviebant. Omnium prima fuit Margarita Goltschmidin vidua quae a Paulo de Moravia provinciae minorum observantium vicario tertio ordini adscripta, suavi virtutum suarum odore plures virgines ad huiusmodi vitae genus prosequendum attraxit. Ad hoc in regulari observanta instituendum accessit hoc anno ex Suevia pientissima soror Catharina Senanin. Curam earumdem gerunt iidem minoritae de observantia. Anno MDCXIX. praeter clausuram nonnullas constitutiones ratas habuit Paulus v. pro bono monasterii regimine: *In supremae militantis* die. . . .

Monast. Brunense. *Gruiderer tom. 1. n. 169. pag. 678.*

XXXII. Sigismundus Poloniae rex huius nominis III. hoc anno iure haereditario vocatus ad capessendum Svetiae regnum ob mortem Ioannis parentis sui, conatus est ibidem religionem catholicam restituere, ab avo suo Gustavo eliminatam; at frustra, haereticis contradicentibus. Sunt tamen eius litterae, quibus confirmantur privilegia quaedam a suis maioribus concessa monialibus tertiariis Posnaniensibus provinciae Poloniae.

Spondanus ad ann. 1594. n. 28.

SIGISMUNDUS III.

Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lthuaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Masoviae dominus et haeres, necnon Svetorum, Gothorum, Vandalorumque haereditarius rex.

Significamus praesentibus litteris nostris, quorum interest universis et singulis, exhibitas nobis esse nomine Deo dicatarum virginum tertii ordinis s. Francisci in suburbio Posnaniensi, litteras olim serenissimi Sigismundi Augusti, avunculi nostri desideratissimi pergamenas, titulo et sigillo eiusdem insignitas, ac manu olim reverendissimi in Christo patris domini Petri Myszkowiski episcopi Cracoviensis, pro tunc vero maioris secretarii subscriptas, sanas, salvas, integras, nullique suspicioni obnoxias, supplicatumque est nobis, ut easdem auctoritate nostra regia approbare et confirmare dignaremur. Quarum quidem litterarum tenor sequitur.

Monum: prov. Poloniae p. 31.

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae etc. dominus et haeres.

Significamus praesentibus litteris nostris quorum interest, universis et singulis, praesentibus et futuris harum notitiam habituris, relatum nobis esse, nomine virginum vestalium tertii ordinis s. Francisci in suburbio Posnaniensi, Piaski vulgariter nuncupato, apud templum fratrum minorum de observantia degentium Deoque famulantium, ante aliquot annos privilegium et libertatem earum, quam super coenobium seu domum ipsarum ab antecessoribus nostris habuerunt, esse absumptum, itaque a praefectis quibusdam vexari, et ad exactiones a quibus iam olim fuerant liberae, semper cogi et adigi, supplicatumque est itaque nobis diligenter, ut illis de novo privilegio atque dignitate ecclesiastica, benignitate nostra prospicere dignaremur. Quia vero nihil est regia benignitate

Digitized by Google

dignius, quam Deo famulantes personas quovis beneficio promovere, domum et hortum dictarum virginum quam hactenus possident et inhabitant, de certa voluntate nostra ac libertate, ab omnibus et singulis exactionibus nostris regiis et civilibus Posnaniensibus institutis et instituendis, tum ab omni iurisdictione civili absolvendas et liberandas, ac emittendas esse duximus, prout absolvimus, liberamus, et emittimus, earumque domum et hortum illarum, quemadmodum et omnes virgines praefatas immunitati, libertatique et immunitioni ecclesiasticae, more aliarum personarum spiritualium et domorum, ac possessionum quae sunt ex gratia regum, eiusmodi praerogativa et libertate donata, perpetuis temporibus adscribimus. Quocirca vobis magnifico et famatis Ianusio Koscielecki, Palatino Siradiensi, capitaneo nostro maioris Poloniae generali, pro-consulique, et consulibus civitatis nostrae Posnaniensis, tum et aliis quarumcumque exactionum regni nostri praefectis ac eorum vices gerentibus modernis et pro tempore existentibus innotescimus id praesentibus litteris mandantes serio et severe, qualenus Deo dicatas virgines et earum possessiones omnes praefatas, uti praemissum est, in ipsa libertate, nostra praerogativa absolutoria, quam ipsis et domui hortoque ipsarum benigniter ac irrevocabiliter concessimus, conservetis, et tueamini, conservarique et tueri omnino ab aliis faciatis, temporibus perpetuis et in aevum, pro gratia nostra et severa animadversione regia facere aliter non ausuri, harum testimonio litterarum quibus sigillum nostrum est appensum.

Datum Vilnae die XX. *mensis Octobris anno Domini* MDLXII. *regni vero nostri* XXXIII.

Petrus Myszkowski praepositus, et maior secretarius script.

Relatio v. patris Myszkowski, Gnesnensis, Plocensis, Posnaniensis, Lodviciensis, praepositi, decani Cracoviensis et maioris regni secretarii.

Nos itaque Sigismundus rex praenominatus supplicationi praefatae Deo dicatarum virginum benigne annuentes, litteras praeinsertas in omnibus earum punctis, articulis, clausulis, et conditionibus approbamus, confirmamus, et ratificamus, quantum de iure est, praesentibus litteris nostris, easque vim et robur perpetuae firmitatis obtinere debere volumus. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscripsimus sigilloque nostri regni consignari mandavimus.

Datum Posnaniae die XXVIII. *mensis Septembris anno Domini* MDXCIV. *regnorum nostrorum Polonici* VII. *Svetici an.* I.

L. ✠ *S.* *Sigismundus rex.*

XXXIII. Inter sorores clarissas hoc anno decessit in monasterio Ulmeti in provincia Conceptionis Catharina de Ergote, paupertate, humilitate, orationis studio, mira in aegrotas charitate, et erga s. Annam b. Virginis matrem singulari devotione commendabilis. In monasterio s. Crucis tertii ordinis de poenitentia eiusdem civitatis rapta est die XIII. Augusti item Catharina de Quadia, summis vitae austeritatibus dedita; varias namque cruciandi corporis rationes adinvenit, ut carnis petulantiam cohiberet. Catharina de Ergote. *Ann. min. ad an.* 1516. *n.* 58. Catharina de Quadia. *Monum. prov.*

XXXIV. In coenobio s. Mariae de Gratia Villae de Silos eiusdem provinciae Conceptionis mortalem sarcinam deposuit Clara item tertiaria, an. MDXIX. parentibus Ioanne et Maria Martinez, in oppido Astidulii Palentinae dioecesis Clara Martinez. *Deca part.* 4 *chron. lib.* 4. *cap.* 22. *et seq.*

Digitized by Google

nata. Ab infantia ad pietatem prona, pauperibus opitulandis sedulam operam impendebat, delectabaturque studio eximiarum virtutum. Mortuis anno aetatis suae XVI. parentibus, cuidam aviae suae asperrimae indolis concredita, multa virili prorsus animo tulit. Aliquando enim rigente hyeme in montana eius iussu ad ligna caedenda se conferebat, iisque proprio capiti impositis, domum onusta revertebatur. Interim saepe verbis contumeliosis, dirisque fustibus afflictabatur, et aliquando ei per dies denegato victu, e domo pulsa, ancillam suam satiabat Deus pane extemplo sibi candido parato, quem inveniebat inter herbarum acervum prope moenia patriae suae. Id vitae genus tulit heroica patientia usque dum sanguineorum suorum placito, nuptias inivit cum honesto viro. Qui quidem cum paullo post e vita migrasset, iterum eorumdem consilio, licet invita, ad secundas nuptias transivit. In duplici hoc coniugio eumdem vivendi morem quem ab infantia arripuerat, inviolate retinuit, quinimo et auxit. Domesticis enim rebus expeditis, rerum divinarum contemplationi iugiter vacabat in quodam domus suae solitario loco, ubi crebris flagellis corpus tundebat, praesertim in recolenda Iesu Christi passione.

XXXV. Cum autem in eius corde velut innata increvisset in egenos commiseratio, hinc altero viro mox orbata, tota ad eorumdem inopiam levandam eximia charitate se dedit. Ut caetera eius misericordiae opera praetereamus, cum quadam die obvium habuisset extra ecclesiam Astidulii pauperem elephantiasi morbo affectum, animam fere agentem, in aedem suam adduxit, proprio lectulo imposuit, osculavit et abstersit saniem ex vulneribus manantem, victumque suis manibus ministravit.

XXXVI. At quae mundo sunt fastidiosa, inito consilio cum altera germana sua item orbata marito, in eremum quem de Turre appellant, se occultavit, locus ad unum milliare a coenobio s. Mariae de Gratia Villae de Silos, a minoritis de observantia inhabitatus. Cum ibidem eremitarum more inter austeritates vitam duceret eximiisque virtutibus floreret, a coenobii praeside Ludovico ab Osorio habitum tertii ordinis s. Francisci impetravit, ac professionem anno MDLXVIII. aetatis suae XLIX. emisit. Vulgata per contermina loca suae sanctitatis fama, aliquot ad eam accesserunt virgines Christo sponso inter asperitates famulaturae, quibus ipsa exemplo magis quam verbo praesidebat.

XXXVII. In primis in ea refulsit summae vitae asperitas. Semel enim in die pane et aqua reficiebatur exceptis diebus solemnioribus, in quibus herbis silvestribus coctis, sale immixto, utebatur. Quatuor vero postremis diebus hebdomadae sanctae nullum cibum capiebat. Hinc ad tantam ciborum continentiam devenit, ut nihil aliud per diem, nisi quae ad sustinendas corporis vires satis essent, unice sumeret. Nihilominus per horam acutis flagellis ad sanguinis usque effusionem se percutiebat, revincta interim vestis instar asperrimo cilicio. Somno arcae innixa vel unius horae, vel mediae, vel quadrantis unius spatio indulgebat, ut divinarum rerum contemplationi praesto esset, in quibus effusa in lacrymis, mire elevabatur, elatisque illis vocibus *sursum corda*, *sursum corda*, sorores ad amandum Deum invitabat.

XXXVIII. Amore item ardentissimo aestuabat erga ss. eucharistiae sacramentum, ante cuius aram ferventer diuque orabat; coelesti vero illo pane his in mense, moderatoris sui placito, reficiebatur, multis praemissis sincerae suae pietatis actibus. Biennio ante sui obitum cum ad ecclesiam fratrum ob sui infirmitatem in die Coenae Domini non potuisset se conferre sacrum Christi corpus sumptura, meruit tamen angelorum ministerio Christi corpore partici-

Digitized by G

pem fieri. Quare Christus, ut erga dilectam suam benevolum se ostenderet, coelestibus visionibus, colloquiis, et illustrationibus non semel eam recreavit; saepe etiam ss. Clarae, Martini, Francisci, ac Antonii Patavini praesentia dignata fuit. Ipsa tamen ea erat humilitate, ut cunctis se velut peripsema deprecicans, sorores hortaretur, ut eam fune collo alligarent, calcibus peterent, pedibusque orem suum calcarent.

XXXIX. Cum autem morborum vi duobus ab hinc annis dire cruciata, ad extremum devenisset, sacramentis ecclesiae muniri summis precibus postulavit. Quibus eximio pietatis affectu susceptis, inter dilecti sui crucifixi amplexus et oscula sanctam efflavit animam dominica Palmarum die III. Aprilis. Eius corpus ingenti populo, fratribus lauduti coenobii et alterius s. Mariae de Consolatione Calagurris comitantibus delatum, positum fuit in ara maiori ecclesiae s. Mariae de Gratia lapidea in arca occlusum. Ad eius tumulum aliquot prodigia evenisse tradunt.

XL. In monasterio s. Clarae Palmae in provincia Angelorum dies suos complevit XII. Augusti Maria Magdalena ex illustri prosapia de Portucarrero, quae spretis amplissimae familiae suae opibus, in sacrum virginum collegium cooptata, ita humilitati studuit, ut viliora monasterii munia totius vitae suae tempore libenter obierit. Saeviebat in se asperis flagellationibus, ut exinde sanguis ex membris discurreret. Semel tamen qualibet die veneris columnae alligata et in scapulis denudata, diris eius nutu per horae quadrantem flagellis caedebatur a Maria de s. Clara eiusdem loci moniali, sibi in corporis asperitatibus coniunctissima. Eodem loco et anno ibidem pie quievit Francisca Manriquez, eo ingressa tertio suae aetatis anno. Cum autem vitae exemplo prudentiaque summa prae caeteris floreret, vigintiseptem annis abbatissae munus inculpate gessit. In monasterio s. Clarae Alcaudetae in provincia Granatensi obiit Catharina a Toro, oratione, vigiliis, sensuum mortificatione commendabilis; hoc eodem anno in monasterio s. Mariae Veleymaluga eiusdem provinciae coelestia petivit Agnes de Tapia, virginali pudicitia ac angelicis moribus exornata.

M. Magdalena de Portocarrero. *De Guadalupe pag.* 556.

Francisca Manriquez. *Idem. pag.* 557.

Catharina a Toro. *De Torres p.* 654.

Agnes de Tapia. *Idem pag.* 592.

XLI. Ad astra migrarunt uno eodemque anno in collegio sacrarum virginum Dominae nostrae de los Llanos de Almagro provinciae Castellae Maria Anna a s. Isidoro, Agnes a s. Andrea, Maria a s. Idelphonso, et Aloisia Manuel, quae de nocte surgentes et ad monasterii hortos pergentes, primum se dabant rerum divinarum contemplationi, indeque ad arboris ramos corpore suspensae, una alteram, pacto inter eas inito, flagellis caedebat ad sanguinis usque effusionem, ut in suis membris aliqua ratione experirent, quas Christus Iesus ab impiis tulerat percussiones columnae alligatus. In monasterio s. Clarae Ulyssipone nonagenaria decessit Maria a Transfiguratione, ea quam praedixerat, die, multis virtutibus exornata. Hoc eodem anno ibidem sancte etiam occubuit Anna de Fuentes, quae ob praeclaras animi sui dotes, coelestibus a Deo charismatibus cumulata fuit. Die XIII. Decembris vitam commutavit cum morte in monasterio s. Clarae de Amarante Philippa a Conceptione, corporis afflictatione et sui ipsius abnegatione eximia. In monasterio s. Crucis Maliani in Sabinis pie occubuit Domitilla Spalvieri ibidem nata, quae licet a valido morbo totius vitae cursu afflictaretur, illud tamen patientia summa usque ad sui obitum sustinuit.

Maria Anna a s. Isidoro et socius eius. *Monum. prov.*

Maria a Transfiguratione. *De Esperanza tom.* 2. *pag.* 186.

Anna de Fuentes. *Idem ibidem.*

Philippa a Conceptione. *Idem ibid. p.* 332.

Domitilla Spalvieri. *Casimirus a Roma in ap. chron. prov. Romanae p.* 5.

XLII. Plures inter fratres capucinos beato fine occubuere. In coenobio Porciuncolae prope Aquispartam obiit Bernardinus a Colle Petracio Tudertinae dioecesis, sacerdos et Umbriae provinciae vicarius. Post emissa inter observantes

Bernardinus a Colle Petracio. *De Aremberg t.* 2. *pag.* 138.

Digitized by Google

vota, ad eos convolavit, ubi tanta maceratione corpus afflixit, ut licet per annos triginta concionatoris munus assidue expleverit, solo tamen pane et aqua utebatur, nudis interim pedibus incedens, asperrimoque cilicio indutus. Orationi vacans, ad quintam usque vel sextam horam in ea immobilis prorsus perseverabat, in qua non semel recreatus fuit coelestibus visionibus. Ea prae aliis celebratur, quod post familiare colloquium cum b. Virgine, coronam floribus contextam in sanctimoniae signum ab ea suo capiti impositam acceperit. Quaedam etiam prodigia vel crucis signo, vel precibus, vel manuum impositione perpetrasse fama est. Expletis illis Davidicis verbis: *quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos despexit oculus meus:* sancte ad Dominum abiit die III. Octobris, aetatis anno LXXXI. Prae sanctitatis opinione Federicus Caesius Aquispartae dux eum sepeliri iussit in privato sar-

Sbaralea tit. B.

cophago ecclesiae Montis Scopii. Scripsit *gesta Matthaei Basci usque ad Bernardinum Astensem*, *et Chronicon capucinorum*, quod mss. citatur a pluribus auctoribus. In conventu Ameliae eiusdem provinciae obiit Iustinus a Nursia sacerdos, animi ingenuitate morumque elegantia, etiam cum saeculo degeret, commendatus. Quo factum est, ut ad novitiorum educationem vocatus, perfectos quosque cultores suo instituto pepererit.

Iustinus a Nursia. *De Arembergo ibid. pag.* 245.

Ioan. Franciscus a Bononia. *Idem ib. p.* 319.

XLIII. Mirandulae in provincia Bononiae migravit e vita Ioannes Franciscus Bononiensis, in saeculo ad vitia ita pronus, ut multo se temporis decursu vitiorum maculis inquinaverit. At cum semel quemdam ordinis praedicatorum concionantem audivisset, a divina gratia in melius mutatus, habitum capucinorum postulavit et obtinuit. In instituto tot poenitentiae lacrymis, tam mira cordis humilitate, tantoque sui despectu novum religiosae vitae statum auspicatus est, ut ad sacros ordines promoveri reluctans, humiliorem inter perpetuos clericos vitam duxerit, factus exemplar austeritatis, obedientiae, flagrantissimae orationis, altissimaeque contemplationis. Dum preces fundebat, aut in choro psallebat, saepe mentis excessus patiebatur. In laudato conventu accidit, ut dum in choro canonicas horas cum suis persolvebat, palmis ad sidera tensis, solisque pedum pollicibus innixus, in ecstasim raptus fuerit. Cremonae spiri-

Andreas a Cremona. *Idem pag.* 248.

tum Deo reddidit Andreas Cremonensis sacerdos, ex illustri prosapia Mussorum. Cum saeculo in virili aetate valedixisset, austeritatis vitae genus exersus, abstinentiae et paupertatis eximius cultor evasit. Meruit in morte frui b. Virginis ac s. p. Francisci visione.

Felix Pongadiensis. *Idem pag.* 460.

XLIV. Neapoli in coenobio Immaculatae Conceptionis, annis et austeritatibus cumulatus obiit Felix Pongadiensis sacerdos, vir multae orationis ac simplicitatis. Needum probationis anno expleto decessit in provincia Cosentiae

Vincentius a Noromano. *Idem. pag* 27.

Vincentius a Noromano laicus novitius, morum gravitate, et plurimis sanctimoniae meritis senex. In provincia Lucaniae obiit Augustinus a Siciniano

Augustinus a Siciniano. *Idem pag.* 460.

sacerdos, qui cum nobilis cuiusdam mulieris tibiam gravi dolore oppressam signo crucis tetigisset, illico ab ea morbum simul cum dolore effugavit; item

Damascenus a Rivello. *Idem pag.* 522.

in eadem provincia e vita migravit Damascenus a Rivello clericus, miro splendore virtutum exornatus. Neapoli dum divini verbi praedicationi operam dabat,

Iacobus Superatensis. *Idem pag.* 53.

praemium vitae accepit Iacobus Superatensis ex Rhegii provincia, iam sui ordinis definitor generalis, prudentia, doctrina, ac miraculis illustris. Tanta in praedicando coelestis illius verbis vis indita erat, ut hominum animis quodammodo imperaret, durioresque ad poenitentiam deflecteret. In Panormitana pro-

Angelicus a Castroveterano. *Idem pag.* 522.

vincia pie decessit Angelicus a Castroveterano novitius clericus, vitae innocentia ac morum excellentia clarus. Eius anima micanti luce, recta coelum

Digitized by Google

conscendere visa fuit. Dum integris viribus divinas laudes decantabat in dies. Sebastiani m. in Domino obdormivit in hospitio Claramontano, oppido agri Syracusani, Stephanus laicus ibidem natus, qui membra cilicio iugiter premebat, dura cubatione, vigiliis et abstinentia extenuabat. Vivus ac mortuus miraculis inclaruit. Stephanus Claramontanus. *Id. pag. 665.*

XLV. Discalceatorum familiam plerique felici morte illustrarunt. Die vi. Augusti decessit in conventu Manilae Petrus de Experanza sacerdos hispanus, in Insulas Philippinas profectus, ut infideles illuc degentes Christo lucrifaceret. Licet ob imperitiam idiomatis interprete usus, collationibus tamen cum infidelibus habitis, ingentem eorumdem numerum catholicae ecclesiae peperit. Ipso auctore parata fuit ibidem pro mulieribus domus, si per annum arctius Deo adhaerere vellent, quibus ipse exhortationibus ac consiliis praesidens, pietatem in eas excitabat ingenuosque mores instillabat. Angeli sui custodis praesentia recreatus, et ab eo mortis suae hora praemonitus, sanctam Deo efflavit animam. Ibidem praenuntiato suae mortis tempore decessit Ioannes Laurentius laicus, aetatis suae anno xx. inter eos cooptatus. Oratione ac rerum divinarum meditatione delectabatur; at extra se factus, non semel, spectante populo, elevabatur. Maiorum suorum iussu austeritates vitae quibus nimis indulgebat, lenivit. Franciscus a Trinitate sacerdos raptus est hoc anno in coenobio de Camarines; aemulator eximius s. Petri de Alcantara parentis sui. Unico siquidem obsoleto habitu amictus, ac cilicio vel ferreo, vel funiculis contexto revinctus erat; discalceatis pedibus, nudoque capite rigente hyeme, urentibusque solaribus radiis incedebat. Supra nudam humum interim cubabat, diris flagellis quotidie ter se caedebat, et carnium usu perpetuo caruit. Petrus de Experanza. *Martinez lib. 1. p. 52.* Ioannes Laurentius. *Id. pag. 34.* Franciscus a Trinitate. *Id. pag. 55.*

XLVI. Mortale corpus deposuit die iii. Novembris in conventu Alconchelli provinciae s. Gabrielis Didacus Millanus sacerdos, natus in oppido Villaenovae de Scaphafratta in confinibus Castellae et Lithuaniae. Anno mdlxvi. seraphico habitu indutus, illico perfectionis iter arripuit, ac brevi post tempore caeteros consodales etiam aetate grandaevos, sanctitatis exemplo superavit. Ac primo abstinentia. Praeter tempus quadragesimae, adventus aliorumque dierum per anni decursum, in quibus solo pane ac modico vino ad meridiem dumtaxat reficiebatur, in aliis etiam septem seraphici Patris quadragesimis ieiunabat, frustulum tantum panis semel in die in iusculo carnis madidum edens. Didacus Millanus. *Daza part. 4. Chr. lib. 4. cap. 25.*

XLVII. Tunicae insutum cilicium ex pilis bovum a collo ad genua, alterum aliquando ex carduis ferreis contextum, diebus solemnioribus ac totius quadragesimae tempore gestabat. Et quamvis ab iis undique plagis afficeretur, longiora tamen itinera arripiebat, et pro sublevanda fratrum inopia libenter stipem emendicabat. Asperis interim se cruciabat flagellis ter per diem, aliorum etiam ope non semel usus, praecipue dum magistri novitiorum officium explebat; tyronibus enim obedientiae merito mandabat, ut eum dire caederent; quo ab ipsis peracto, flexis genibus eorumdem pedes osculabatur gratiasque eisdem reddebat. Lecto nunquam nec stragulo, hyeme licet algente, usus est. Tanto autem animi ardore coelestia meditabatur, ut in sublime saepe elevaretur tum in ecclesia, tum in agris, multis conspicientibus. Morti praescius, sacrum Christi corpus, quod summis precibus sibi dari postulaverat, viribus plene integris, summo devotionis affectu suscepit, ac inde, ut praedixerat, apoplexiae morbo correptus, Deo suo animam reddidit. Biennio post aperto tumulo, corpus viventi simile repertum mirus odor efflabat. Anno mdcx. e loco ubi iacuerat, translatum fuit ad aram maiorem ecclesiae. Aliqua ad eius sepulcrum evenisse miracula notatur in monumentis eiusdem provinciae.

Digitized by Google

XLVIII. Die IV. Octobris obiit in conventu s. Antonii Patavini Aiorae in provincia s. Ioannis Baptistae, Ioseph a Cardanete sacerdos, humilitate eximia excultus tum erga maiores, tum inferiores. Summa etiam patientia floruit in laboribus et in adversa valetudine, qua ferme afflictabatur. Mulierem a daemone vexatam liberam reddidit suae virtutis imperio. Decessit expletis illis verbis: *laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* In conventu s. Angeli Compluti in provincia s. Iosephi, saeculo fine quievit Gaspar a Monuerate clericus, angelicis moribus praeditus, qui cum de sanguinis concitatione eucharistiae sacramento refici non posset, eum tamen postquam devotissime adoravit, animam Deo reddidit. Hoc eodem anno in coenobio Dominae nostrae de angelis Cadafalsi eiusdem provinciae occubuit Ioannes Pacificus de Corral laicus, humilitate, mansuetudine, et puritate vitae commendatus. Graecii in conventu s. Francisci provinciae Romanae die VII. Februarii raptus est Paulus Siculus item laicus. Prae suae sanctitatis opinione tanta penes omnes devotione florebat, ut beatus ille crederetur, qui tritam lacernam eius exosculari valeret. Post mortem e suo corpore suavis odor spiravit. Die X. Decembris suos dies complevit Ulysipone Valentinus a Rosario, nobilibus parentibus ibidem natus, qui e domo aufugiens, vitam duxit inter discalceatos fratres in summa austeritate ac omnium virtutum exemplo decem et octo annorum spatio, quibus inter eos vixit; prae corporis macerationе eadem mortis effigies in eo videbatur.

Ioseph a Cardanete. *Panes part. 1. lib. 1. cap. 64 p. 234.*

Gaspar a Monuerate. *Monum. prov.*

Ioan. Pacificus de Corral. *Monum. prov.*

Paulus Siculus. *Marianus lib. 5. pag. 662.*

Valentinus a Rosario. *Monum. prov.*

XLIX. Pretiosa morte occubit in conventu Assumptionis Meridae in provincia s. Iosephi de Iucatan Ioannes Velasquez sacerdos, inter cives primus qui in ea provincia minorum de observantia habitum suscepit. Is auctor fuit, ut pro qualibet domo doctrinali, sive paraecia, aliqui instituerentur pii viri, qui ob ministrorum inopiam infirmorum curam gererent, eorumdem aedes lustrarent ac sacerdotibus referrent, si eis opus esset ecclesiae sacramentis participes fieri. Ob suae opinionis sanctitatem conditum fuit in ara maiori eiusdem ecclesiae. In coenobio s. Ioannis Regum Toleti in provincia Castellae decessit Alphonsus de la Cueba laicus eiusdem instituti, qui prae omnia sui charitate et humilitate infirmis fratribus opitulabatur flexis genibus.

Ioannes Velasquez. *Lopez pag. 425.*

Alphonsus de la Cueba. *Monum. prov.*

L. Fortunatus Hueber ex sua triplici Chronaca haec scribit in suo Menologio ad diem XXX. Martii: *Confluentiae Mosellae ad Rhenum anno* MDXCII. *Lambertus de Aquisgrano, accensis lampadibus digne honoratur, qui in vita sua plurima accendit sanctimoniae ac virtutum lumina, praesertim dum infirma aetate et viribus graviter afflictis, pastoralem suam curam signis ac portentis effecit gloriosam atque exemplarem. Securus ac indeficiens guardianus, cui in urgente aliquando necessitate angelus Domini pro reficiendo suo conventu tot recentes ac sapidos coelitus attulit panes, quot pro reficiendis fratribus numerari exigebantur.*

Lambertus de Aquisgrano. *Hueber ad diem 30. Martii.*

LI. Occubuit hoc eodem anno in coenobio minorum observantium s. Petri in Monteaureo de Urbe Christophorus a Capitefontium, iam minister generalis ordinis, cuius eximii viri acta notamus. Is natione Gallus et ex nobili, gallice Cheffontaine, latino Capitefontium genere anno MDXXXI. ortus, a prima aetate inter observantes provinciae Britanniae adscriptus fuit. Vix emissa professione, Parisios studiorum causa missus, pietate, humanioribus litteris, philosophia ac theologia summopere floruit. Perfecte etiam didicit idioma hebraicum, graecum, latinum, italum, ac hispanum. Iis cumulatus dotibus, maiorum suorum nullo concionatoris munus suscipiens, in florentissimis gallicis ditionibus, eo quo praeditus erat divino eloquio haud parvum deviorum numerum ad rectam virtutis

Fleury hist. eccl. lib. 175. num. 59.

Digitized by Google

semitam adduxit. Prae sui in rebus gerendis dexteritate ac prudentia, plurium coenobiorum, ac semel provinciae Britanniae praefecturam egit. Licet autem tot tantisque curis distentus, undecim tamen quotidie horarum spatio ferme studio indulgebat; quo factum est, ut variis ab eo vulgatis libris, suae doctrinae fama ubique celebraretur.

LII. Cum autem Romae in aracoelitano coenobio anno MDLXXI. convocatum fuisset generale ordinis comitium, Christophorus suae provinciae Britanniae iam custos in Urbem ad ferendum in eo suffragium advenit. Hinc non in ea sumus opinione, ut cum Luca Waddingo dicamus, eum hoc tempore munus egisse ministri laudatae provinciae Britannicae; nec cum Petro Marchant putamus ipsum extitisse primum illius provinciae praesidem; alias eius aetas longissime producenda foret, cum ea anno MDXVII. fuerit erecta. In hoc igitur patrum comitio, votis licet hispanicis supra Gallica longe excedentibus, idem Christophorus supremam ordinis praefecturam suscepit. *Religionem*, inquit de eo Dominicus de Gubernatis, *summa vigilantia, et exemplaritate visitavit, atque reformare studuit: in Hispaniam, quod praesens adesse non posset, commissarios nationales destinando, subortas ibidem aliquorum factione discordias componere curavit. Ut religionis quietem firmiori stabilitate promoveret, breve apostolicum a Gregorio* XIII. *impetravit, in quo recensitis per extensum Gregorii* XI. *Sixti* IV. *et Iulii* II. *similibus litteris cardinalium protectorum auctoritas iuxta casus in regula expressos, amplissime declaratur. Generalatum ipse, sicut et successor eius ad octennium protraxit ex constitutione b. Pii* V. *iam supra relata. Ad sanctiorem regulae observantiam puncta quaedam super ipsam adnotavit, quae ad singulos provinciales transmissa, quater in anno in singulis conventibus legi praecepit.*

Chronol. Seraph. tom. 1. pag. 328.

Wadd. de Script. lit. C.

Marchant in fund. XII. Apost. p. 252.

De Gubernatis tom. 1. pag. 253

LIII. Totius ordinis praefectura expleta, Gregorius XIII. anno MDLXXIX. eum archiepiscopum Caesariensem nominavit, ac suffraganeum esse voluit Nicolai de Pelve cardinalis et archiepiscopi Senonensis; quod munus summa prudentia ac vigilantia complevit Christophorus ad annum usque MDLXXXVI. Post id temporis in Flandriam se conferens, sedula divini verbi praedicatione, praesertim Antuerpiae non paucos fidei hostes ad ecclesiae gremium adduxit, caeterosque christifideles in eiusdem fidei confessione confirmavit.

Ann. min. ad. an. 1579. n. 146.

LIV. At apud legatum apostolicum de quibusdam ab eo velut contra fidem prolatis et editis denunciatus, Romam anno MDLXXXVII. ad Sixtum pontificem ab obiectis se purgaturus accessit. Ignoratur quid ea in re actum fuerit. Indubium tamen est Sixto V. Urbano VII. Gregorio XIV. Innocentio XI. et Clementi VIII. summis pontificibus charum acceptumque fuisse toto septennio, quo in Urbe diversatus fuerat. Laboribus postremo et aetate gravatus decessit inter suos in coenobio s. Petri in Ianiculo die XXVI. Maii, aetatis anno LXIII. Ad eius tumulum geminum positum fuit epithaphium, iniuria tamen temporum erasum, quorum alterum sequens est

D. O. M.

FRATRIS CHRISTOPHORI A CAPITEFONTIVM ORDINIS FRATRVM MINORVM DE OBSERVANTIA NOBILI GENERE IN BRITONIBVS ORTI POSTEA PROVINCIAE BRITANNIAE MINISTRI ROMAE PIO V. PONTIFICE MAXIMO IN CATHEDRA B. PETRI SEDENTE ORDINIS SVI GENERALIS MINISTRI ELECTI DEINDE AD ARCHIEPISCOPATVM CAESARIENSEM ASSVMPTI OSSA HIC IACENT. OBIIT ROMAE ANNO MDXCIV. DIE XXVI. MAII IN CONVENTV FRATRVM MINORVM S. PETRI IN MONTE AVREO.

Digitized by Google

LV. Postremum ibidem posuit Franciscus Gonzaga eiusdem instituti, in generalatu successor ac episcopus Mantuanus.

SISTE GRADVM VIATOR ET SI VRGAT TE SITIS HIC NAMQVE IACET AQVARVM CAPVT. HVIC ERGO PVLVERI NE INSVLTAS NEC IN ARENTI HOC CINERE FONTEM ASPERNARIS. FONS ENIM ISTE EST CHRISTOPHORVS DE CAPITEFONTIVM QVEM AMAVERVNT SACRAE HVSAE QVEM VIRI PROMI SVSPEXERVNT AC SVSCEPERVNT QVEM DENIQVE NOVATORES TIMVERVNT. ARMORICVM NATVRA FECIT EVM VIRTVS MINORITICI ORDINIS GENERALEM MINISTRVM DOCTRINA ARCHIEPISCOPVM CAESARIENSEM ET MORS NEMINI PARCENS HVIVSCE MONVMENTI HOSPITEM. VALE VIATOR ET SI FONTE DESICCATO NON SATIARIS VADE AD LIBRORVM RIVOS IN QVIBVS AETERNVM VIVET.

LVI. Plura scripsit; at multa passus est ob peregrinas quasdam exuberantis sui ingenii opiniones, quas vel typis vulgavit, vel ex suggesto edixit. Nos operum catalogum exhibemus ex Hyacintho Sbaraea. Anno MDLXXXVI. Parisiis *vulgavit librum de necessaria correctione theologiae scholasticae, de missae Christi ordine ac ritu, et novarum illustrationum christianae fidei adversus impios libertinos, atheos, epicureos, et omnis generis infideles epitome.* Haec omnino prohibentur ex decreto sacrae Congregationis Indicis verbo c. Caetera quae subnectimus ab ipso scripta, prohibentur, donec expurgentur. Ac primo quidem *liber defensionis fidei maiorum nostrorum, quae haereticorum saeculi nostri stratagemata detegunter*, Antverpiae an. MDLXXV. typis Plantinianis, cuius liber secundus dicitur cusus Romae an. MDLXXVI. apud Antonium Blandium. Eum e latino in belgicum idioma transtulit Martinus Myricanus Belga eiusdem instituti, Lovanii publicatum. Prodiit gallice disputatio defensionis fidei; in latina vero Romae anno MDLXXVI. habetur brevis *tractatus de virtute verborum, quibus fit consecratio ss. sacramenti altaris.* Anno MDLXXV. praelo Arnoldi Sittart vulgata fuit *actio prima in Sacramentarios*, et Antuerpiae anno MDLXXV. ac Romae MDLXXVI. typis Plantin. cusa est *assertio catholica de libero arbitrio ad Gregorium XIII.* Apud Maternum Cholinum anno MDLXXXVII. praelo datus est *liber defensionis fidei maiorum, quam de vera et reali corporis Christi in eucharistiae sacramento habuere praesentia, in actiones VIII. divisus.* Lugduni MDLXXVIII. typis Ioannis Pillehotte lucem aspexit *catholica defensio de perpetua virginitate b. Mariae, et sponsi eius Ioseph.* Scripsit et *Hierarpistem ad dialogi formam conscriptum*, in quo cur in exponendis aliquibus ss. ll. locis a communi in suo de b. Mariae et Ioseph virginitate opinione recesserit, et nonnullis modis loquendi sit usus, quos aliqui Erasmianos falso putant, rationem reddit. Lugduni anno MDLXXVIII. vulgavit *dissertationem de prophetia Jacob: non auferetur etc.* Prodiit Coloniae anno MDLXXXV., et gallice Parisiis an. MDLXXXVI. per Arnaldum Sittart *confutatio puncti, quod vocant honoris, super quo contentionum, monomachiarum, sive duellorum suorum fundamenta christiana hodie nobilitas iacit; in quo de vero falsoque disputatur honore.* Prodierunt Parisiis anno MDLXXXVI. *sermones de beata Virgine.* Habentur post *opusculum novarum illustrationum*, de quo supra, *conciones duae b. Virgine.* Gallice edidit anno MDLXXXVI. Parisiis *disputationem de eo, quod est utile et necessarium.* Item auctor fuit *expositionis regulae seraphicae*, et recudi fecit eadem in civitate an. MDLXXVIII. prae-

Sbaralea in suppl. ad Script. tit. C.

Digitized by Google

Anno Christi 1594.	Clementis VIII. an. 2. et 3.	Rodulphi II. anno 18.	Religionis Minorum anno 387.

missa epistola sua, *compendium privilegiorum ordinis minorum Alphonsi de Casarubios*. Eius *vita* gallico idiomate scripta fuit a quodam sui instituti Anonymo Gallo, quae Matriti mss. extabat in archivo generali cismontanae familiae. *Idem in addenda et corrigenda t. C.*

LVII. Raptus est hoc eodem anno Franciscus Panigarola, Mediolani die VI. Ianuarii MDXLVII. natus, coniugibus Gabriele Panigarola, et Leonora Casati, cui Hieronymi nomen in baptismate imposuerunt. Gabriel pater eius fuit I. C. et ex IX. Decurionibus urbis Mediolanensis, reditum ordinariorum magistratus Quaestor, et ducissae Christinae viduae Francisci II. Mediolanensis ducis in comitatu Dertonae Locumtenens. Gloriae lucrique strenuus apretor, senatoriam cathedram dignitatemque praesidis amplissimi coetus sibi a Carolo V. imperatore ultro oblatam refugit. In tanti viri elogium haec in libro de urbe Mediolani sic cecinit Marcus Litta *Argelatus in bibl. Mediol. lit. F.*

Gloria Romanae magna est Hortensius Urbi
Cui linguae est partus munere summus honos,
Addidit orandi verum quia legibus artem,
Panigarola, ideo maior habendus eo est.

LVIII. Ingenium perspicuum sortitus, ac ad quaevis celeriter assequenda adhuc puer expeditus Hieronymus, litterarum curriculum in nobilioribus Italiae academiis aggressus est, in quibus adeo brevi cumulatissimos fructus retulit, ut coetaneos suos longe antecelleret. Patavii rethoricam sub Natale de Comitibus, et logicam sub Bernardino Tomitano didicit. In gymnasio Ticinensi magistrum habuit in utroque iure Gasparum Vicecomitem, postea Mediolanensem archiepiscopum. Iurisprudentiae incubuit omnium plausu in Bononiensi academia. Divino postea spiritu illustratus, alicui monastico instituto nomen dare constituit; nulli tamen, ob parentum metum, suum consilium aperuit. Bononiae certior factus de parentis sui infirmitate, Mediolanum properavit; at cum per viam didicisset, illum die XIII. Decembris anno MDLXVI. occubuisse, Bononiam reversus, vitam claustralem profiteri deliberavit in ordine fratrum minorum de observantia. Ut autem in antecessum operi se parem redderet, poenitentiae ac eucharistiae sacramenta devote frequentabat, humi nocte cubabat, aspero cilicio corpus constringebat, et simulans aliquando profanorum librorum se lectioni vacare, sacram scripturam evolvebat ac meditabatur.

LIX. Post haec Florentiam, ubi adhuc tyro mathematicis disciplinis, praeceptore usus Iosepho Orsolino, operam dederat, se conferens, eorumdem habitum impetravit a generali ordinis administro Aloisio a Puteo, quo indutus fuit die XV. Martii anno MDLXVII. in coenobio eiusdem civitatis omnium Sanctorum titulo, Francisci nomen adeptus. In eius tyrocinio magistrum habuit pientissimum ducis Hetruriae confessarium, vel Bernardum Dragoncinum, vel Massaeum de Bardis; scribit enim Antonius Terrinca utrumque tunc temporis id munus obiisse ea in aula ducali. Moleste id tulit eius germanus Alexander Panigarola, qui illico Florentiam advolavit, ut illum ab incoepto retraheret, domumque reduceret; at irrito prorsus conatu, cum in suo proposito firmus consisteret. Instante suae professionis tempore, ministri generalis venia Regium Lepidi petivit, ut patriomonialia bona abdicaret. Supremis tabulis obsignatis, haeredem instituit Alexandrum, dotem auxit sororibus germanis, pia legata, et ex iis unum pro quodam sacello in ecclesia sui ordinis s. Angeli Mediolani ordinavit; praeterea erga omnes quorum familiaritate et opera usus fuerat, se ostendit liberalem. Curis igitur temporalibus plenissime exutus, anno MDLXVIII. *Bonomilla pag. 135.*

Digitized by Google

solemnia vota in laudato Florentino coenobio Deo suo nuncupavit. Ad studia logicae ac matheseos primum Patavium, deinde Pisas ad philosophiae studia profectus est.

Idem pag. 134. LX. Cum Pisis philosophiae vacaret, aetatis suae XXIV. Romam anno MDLXXI. comitiorum generalium tempore accersitus, pluries, licet adolescens, e rostris dixit populo romano. Omnium tamen plausu excepta fuit eius oratio inauguralis pro eisdem comitiis in aracoelitano templo coram pontifice Pio V. prolata; nam pontifex ipsum ad osculum pedum provolutum mire commendavit, ac ad ss. ll. studia incendit. Quae ut facilius assequeretur, eum hortatus est ut Parisios se conferret, et cardinali Alexandrino nepti suo, qui in Gallias legatus proficiscebatur, illum dedit in comitatu.

Ann. min. ad an. 1576. n. 45. LXI. In illa frequentissima academia tam enituit studio linguarum praesertim hebraicae et graecae, in assequendis ss. ll. germanis sensibus, in evolvendis conciliorum generalium, ac ss. ecclesiae pp. doctrinis, in seligendis christianae eloquentiae puris ornamentis, ut penitus theologus, excultus philosophus, dissertusque concionator opinione celerius evaserit, dignusque propterea habitus, doctoris laurea donari. Reginae Catharinae Medici, episcopis, optimatibus omnibus summe charus fuit. Tanto rationum pondere calvinistarum errores insectatus est, ut plures doctrina summoque genere praestantes ad catholicae ecclesiae sinum perduxerit. In Antuerpiensi primum, deinde in Lugdunensi civitate italis diverso quadragesimali tempore italico idiomate concionatus est. Expletis ibidem non duobus, ut opinatur cl. Tiraboschi, sed quinque annis, maiorum suorum iussu ad italas regiones remeavit.

Tiraboschi storia della letterat. italiana tom. 7. pag. 426.

LXII. Cum autem per obvias in quibus versabantur itali mercatores, aliasque per Italiae civitates ferventissimas conciones haberet, factum est, ut apud omnes illius in dicendo celebritatis exordia personarent. Nam *congesserat*, ita scribit Federicus cardinalis Borromaeus teste de visu et auditu, *congesserat in eum tantum e suis muneribus natura, favore largo et prolixo, ut minime dubitari possit, quin ea primas tenuerit in hoc oratore, longeque supergressa industriam et artem, quasi petere sibi dominatum videretur. Nam quidquid gratiae, quidquid venustatis fuerat aliis elargita, id omne in hoc Panigarola coniunctum cernebatur. Frons, oculi, vultus, dignitas oris, actio, nativa verborum copia quae non posset exhauriri, suavitas in pronunciando plena leporum omnium, cunctis erant admirationi; ideo fama eum est secuta portentosae memoriae, quae tamen contigerat naturae sorte, non sicut plerique arbitrabantur, artis instrumento.*

Federicus Borromaeus de sacris nostr. temp. oratoribus lib. 2. p. 69. et seq.

Idem ibid. pag. 78. Et infra. *De hoc oratore possumus affirmare, neminem fuisse per eos annos maiori fama, neque id ob concionum tantummodo gloriam, sed propter liberalem in communi consuetudine modum agendi, quo multorum privatim animos alliciebat. In id habuit ille tantum artis, totque laqueos et uncos et retes ad capiendas hominum voluntates habebat, ut cupidissime assectarentur eum nobiles, obscuri, docti pariter et indocti, neque solum ubi moraretur uspiam, sed etiam ex itinere divertentem aliquo ac transeuntem forte per urbes.*

LXIII. Romam tandem anno MDLXXVI. repetens, ut communi voto satisfaceret, primum totius quadragesimali tempore in ecclesia apud s. Laurentium in Damaso, ac inde anno insequenti Gregorii XIII. iussu apud s. Petrum, ipso pontifice praesente, verbum Dei omnium plausu annuntiavit. Eum haec praestitisse novimus ex eius epistola data Bononiae die XV. Ianuarii an-

Digitized by Google

Anno Christi 1594.	Clementis VIII. an. 2. et 3.	Rodulphi II. anno 18.	Religionis Minorum anno 387.

MDLXXVII. Hinc crescente in dies eximii viri fama tum pro sui dicendi venustate, tum pro verborum suorum efficacia qua plurimi peccatores ad iustitiam convertebantur, merito nuncupari coepit *Demosthenes christianus, italus Chrysostomus, Leo vulgaris, concionatorum norma, coetus catholici delitiae, ac lyra inyyesti.* Concionatorum itaque magistrum habitum ac normam omnes imitari cupiebant; atque ille quidem praedicatorum se dici putabat, qui Panigarolae censeri posset discipulus. *Sed tantum*, ita eodem loco laudatus Federicus Borromaeus, *erat in eo venustatis et gratiae, ut qui studuere ipsum imitari, ne mediocrem quidem in eo conatu assequi laudem potuerint.*

LXIV. Cum in Urbe etiam eximii viri, Franciscus nimirum Toletus iesuita doctissime, Alphonsus Lupus Hispanus minorita vehementissime, et ipse Panigarola facundissime e rostris dicerent, illud merito apud omnes vulgatum fuit: *Toletus docet, Lupus movet, Panigarola delectat.* At monitus Panigarola, Toletum doctrina, Lupum motionis spiritu sibi praeferri, exoratusque, ut oratoriam dimissam faceret venustatem, integro quadragesimali curriculo ea dixit doctrina spirituque compunctionis, ut utrique palmam praeripuisse sit iudicatum. Hinc quidam in romana curia praelatus qui verba vitae ipsum eruditum saepe audierat, ita cecinit.

Roma quid exquiris? qui delectare solebat,
Panigarola docet, Panigarola movet.

LXV. Adeo per haec sui nominis fama exercvit, ut populo romano, purpuratorum patrum senatui, ac ipsi pontifici Gregorio XIII. summe charus acceptusque foret. Si qui vero Italiae principes eum sibi ad praedicandum mitti ab eodem pontifice cupide expostularent, eis ita respondere solebat: *non debere se, ut aliis urbibus placeret, Romae displicere, et Urbem hanc omnium potissimam tanto spoliare ornamento, ut alias illustraret.* Nihilominus nulla ferme fuit Italiae civitas, quae eius concionibus fructus non perceperit cumulatissimos. Quot enim ubique devios in vitiis senescentes ad poenitentiam, quot pellices ad continentiam, quot foeneratores ad restitutionem, quot fluctuantes ad religionis portum feliciter attraxerit, quot haereticos eosque magnates in Gallia ac Sabaudia ad fidem perduxit? Interim cum eius dicendi vis audientium animos quocumque vellet, mire flecteret, Neapoli unica concione aureorum duorum millia pro xenodochio incurabilium congessit, ac sodalitatem immaculatae conceptionis b. M. v. ab ipso erectam, annuo reditu quatuor aureorum millia locupletavit.

LXVI. Custos suae Mediolanensis provinciae renunciatus, Parisios anno MDLXXIX. ad comitium generale pro novo deligendo supremo ordinis praefecto se contulit. Diu in eo certatum fuit pro illa dignitate inter ipsum et Franciscum Gonzaga Mantuanum provinciae s. Antonii Venetiarum ministrum; verum Panigarola ita apud electores egit, ut tantum munus lubentissime et humiliter eidem Francisco cesserit. Definitoris tamen generalis officium ipsi a patribus demandatum suscepit. Ibidem ad publicam disputationem proposuit *theses generalis ex universa ss. Patrum theologia desumptas.* In hoc comitio mandatum accepit a nupero ordinis generali ministro aliquot Italiae provincias perlustrandi, in quibus multa ad ordinis decorem promovendum, ad fovendam pietatem, ac ad tuendam consodalium disciplinam constituit. Romanam et ipsam provinciam visitavit, vulgatis editisque quibusdam legibus pro bono illius regimine.

Argelatus ibidem.

Ann. min. ad an. 1579. n. 18.

LXVII. Iis vix expletis, iterum maximo christifidelium affluxu ac virtutum incremento ad verbum Dei disseminandum in Urbe manus admovit; nam ibidem homilias habuit a dominica post pentecosten usque ad adventum, ac in principalioribus illius temporis solemnitatibus. Cum autem prae suae virtutis ac ingenii praestantia Carolo Borromaeo antea ordinis patrono, cardinali et archiepiscopo Mediolanensi summo esset in pretio, eum delegit ad porrigendum gregi suo e suggestu maioris templi coelestis suae doctrinae pabulum. Biennium ibidem impendit explanandis post meridiem Ieremiae prophetae libris, ut ipsemet s. Carolus in homilia habita die IX. Iunii anno MDLXXXIII. post completorium fatetur. Singulis vero sextis feriis de passione Iesu Christi ad populum coram sancto antistite edixit, concionibus numero centum, ab ebmet Panigarola anno MDLXXXV. praelo vulgatis.

Possevinus in vita s. Caroli cap. 9.

LXVIII. Idem s. Carolus conceptum iam cum Gregorio XIII. pontifice consilium expurgandi Rhaeticas Valles quae in Italiam vertunt, explere aggreditur, tum ut miserae genti opem afferret, tum ut lutheranorum luem eas terras invadentem, longius a suo grege repelleret. Ex Moloscia equidem Valle oratores ad eum tunc accesserant, prope esse annuntiantes, ut nisi solicite subveniretur, christiani nominis memoria apud contribules suos penitus interiret. His malis animo velut percussus s. Carolus, eo festinanter advolavit, assumptis sibi doctissimis viris Francisco Panigarola, et Achille Gagliardo iesuita; hic quidem explicandis verae fidei mysteriis; ille vero confutandis erroribus; at eloquentiae vi usus, quotidie primo mane concionibus suis haereseos labem, et invalescentem magicae artis superstitionem abstersit et abolevit, eo tam eventu felici, ut recedente in mense Novembri an. MDLXXXIII. ab ea regione s. Carolo, petierunt incolae, ne ab ipsis Panigarola moveretur, qui eos tanto charitatis spiritu ad sectandam pietatem inflammaverat.

Giussanus in vita s. Caroli l. 7. c. 4.

Possevinus ibidem cap. 24.

LXIX. Exoriente tamen Ianuario anni MDLXXXIV. relicta Mesaucorum Valle, Mediolanum rediit Panigarola, ubi congregationi vicariorum suae dioecesis a s. Carolo coactae, adstitit et ipse. Cum autem audivisset Sanctus Rhaeticae coniurationis impetum in Mesaucos erupisse, ac nonnullos ex Curiensium decreto in vincula fuisse coniectos, ipsum Panigarolam statim Romam legavit, qui Pontifici exponeret regionis illius statum atque paternum imploraret auxilium. Eadem occasione Romae quarto conciones suas habuit toto quadragesimali tempore in s. Petri basilica. Quibus tamen expletis, denuo Mediolanum petiit, ut concionatoris munus ibidem expleret, s. Carolo tum temporis agente in aula Augustae Taurinorum. Ex hac civitate ad Mediolani gubernatorem scripserat, *probari sibi admodum eiusdem vota obsecrantis, ut patrem fratrem Franciscum Panigarolam Novariensis ecclesiae sacris perficiendum curaret: cordi sibi esse tam pia postulata, praesertim cum ad illius sedis et Mediolanensis provinciae utilitatem conspirarent . . . Se orare enixe Deum, et adscivisse in subsidium aliorum etiam preces pro Cesalpinorum negotio perficiendo, atque idcirco se brevi velle Varallum deflectere, quo efficacius eamdem causam Deo commendatam faciat.*

Ottroccus in notis vitae s. Caroli pag. 458. num. 1.

Idem ibid. p. 482. num. 2.

LXX. Ad coenobium fratrum de observantia Varalli Montis perlustraturus Iesu Christi passionis mysteria mire ibidem insculpta revera deflexit s. Carolus, sed a morbo tentatus, e loco die XXVIII. Octobris recessit, ut ad sedem suam Mediolanensem moriturus, sicut spoponderat, reverteretur. Aegrotanti ac sancte morienti sedulo adstitit Panigarola, cuius incturam aegro animo nimioque sui cordis dolore tulit. Duplicem post sacrorum solemnia pro eo in principe templo

Argelatus ibidem.

Digitized by Google

habuit funebrem laudationem, luculentissimas sane, et quae eruditorum iudicio nunquam legentis desiderium explent.

LXXI. Anno MDLXXXVI. die v. Iulii episcopus Chrysopolitanus in partibus infidelium a Sixto v. pontifice creatus ac coadiutor datus Ioanni Fontana archiepiscopo Ferrariensi, episcopalia munia illuc obivit usque ad annum insequentem; nam die XX. Septembris, curante Carolo Emmanuele Allobrogum duce, Astensem ecclesiam obtinuit. Utroque hoc anno divina eloquia in quadragesima habuit, primum in ecclesia aracoelitana, deinde in basilica s. Petri, episcopali dignitate iam insignitus. Ad suam Astensem ecclesiam se conferens, inter omnium ordinum gaudia exceptus fuit, et gregem sibi creditum qua vitae suae exemplo, qua verbo, qua pastoralibus litteris, qua synodis tum an. MDLXXXVII. tum an. MDLXXXVIII. celebratis, ad pietatem sectandam incendebat.

Ann. min. ad an. 1586. n. 70.

Ibid. ad an. 1587. num. 211.

LXXII. Cum optimi pastoris officium in sua ecclesia expleret ab Henrico cardinale Caietano s. r. e. camerario ad Urbem anno MDLXXXIX. vocatus, eidem cardinali Galliarum legato a Sixto v. designato socius datus fuit, ut eius consilio et eloquii sui praestantia catholicorum patrocinium susciperet, haereticorum qui per universum illud regnum dominari cupiebant, audaciam frangeret pacemque inter dissidentes componeret. Hinc Lutetiam Parisiorum vix accitus, vulgato iubilaeo indictisque a laudato cardinale publicis precationibus, primam ferventissimam concionem ad populum aliasque quamplurimas unius anni spatio contra haereticos habuit Panigarola, quarum fama et ipse Henricus IV. Navarreus commotus, et insuper copiarum Belgarum Parmensis ducis pressus, civitatis Parisiensis obsidionem amovit, et ad abiurandos calvinistarum quibus infectus erat, errores, sese deliberavit ex animo. Vulgatum proinde erat hoc tempore, magis praestanti eloquio Panigarolae, quam inimicorum suorum copiis ipsum Henricum timuisse. Licet autem tot tantisque curis distentus scripsit italice *grammaticam italico-gallicam*, *vitam s. Petri per modum aurae catenae contextam*, *epistolam insignem pastoralem ad suos dioecesanos ex Gallia scriptam an. MDXC. die IV. Septembris*, *quo Parisiensis obsidio soluta fuit*, *et librum de Parisiensi obsidione.*

Spondanus ad an. 1589. n. 25.

Crescimbeni chron. nobilitatis Italiae part. 2. lib. 1. pag. 266. Romae 1710.

LXXIII. Iis igitur anno MDXC. labente feliciter absolutis, ad suam ecclesiam Astensem regressus, gregem sibi commissum verbo simul et virtutibus enutrivit ad annum usque MDXCIV. in quo omnium moerore sanctam Deo efflavit animam pridie calendas Iunias, anno aetatis suae XLVII. nondum expleto. Sublimiores procul dubio honores consequuturum fuisse, nemo unus negabit, nisi morte immatura terris raptus ad eos percipiendos aditum sibi praeclusisset, aeternis potitus, ut pie credi potest, bonis. Sepulcrum nactus est in ecclesia cathedrali, a se in ultimis tabulis praescripto adiectoque hoc humili epithaphio

HIC IACET
FRANCISCVS PANIGAROLA
EPISCOPVS ASTENSIS
EIVS ANIMA SIT
IN BENEDICTIONE.

LXXIV. In eius funere e rostris dixere Ioannes ab Armis Bononiensis eius discipulus et sodalis, et Georgius Mangamus, quorum orationes vulgatae fuerunt hoc anno, nimirum altera Taurini, postrema Astae. Alia perelegans,

Digitized by Google

inquit Argelati, oratio anonymi in eius funere latino sermone conscripta extat in bibliotheca monachorum Cisterciensium Mediolani mss. in folio n. 60.

LXXV. Magni ingenii sui argumenta posteris reliquit; maiora tamen, si amplius vitam traduxisset, vulgaturus. *Fuerat enim*, inquit laudatus Federicus cardinalis Borromaeus, *magna facilitas eius in scribendo, ac, si ei contigisset ut diutius viveret, minime dubito, quin longe plura fuisset relicturus. Vividum et acre demonstrant hominis ingenium; ordet in disputando, lenis in mitiganda scholarum asperitate; tractat plane ac dilucide si quid inde suscepit explicandum.* Nos eorumdem operum catalogum exhibemus.

Borromaeus ibid. pag. 86.

Wadding. Sbaralea et Argelatus in biblioth. Mediol.

LXXVI. Sunt eius latinae *homiliae a dominica post pentecosten usque ad adventum, et in principalioribus illius temporis solemnitatibus Romae anno* MDLXXX. *habitae*, Venetiis vulgatae anno MDCIV.; item *s. Petri vita per modum aureae catenae contexta*, excusa Astae MDXCI.; eius *oratio habita die cinerum de sacrarum stationum veteri instituto a Sixto V. revocato*, Romae anno MDLXXXVII. edita. Ingolstadii anno MDLXXXIV. praelo commissae fuerunt *theses generales singulari methodo ex universa theologia desumptae*, disputatae Parisiis anno MDLXXIX. in eiusdem ordinis generali comitio. Astae anno MDXCI. typis commissa fuit *oratio de Maria virgine matre*, et anno MDC. Coloniae vulgatae fuerunt *conciones latinae* quotquot extabant omnes. Papiae anno MDXCIV. editae fuerunt eius *tabulae* XXIV. *ex variis conciliis, et apostolicis visitationibus desumptae.* Lucem Venetiis aspexerunt duo eius *homiliae* tum *in assumptione*, tum *in nativitate b. Mariae virginis.*

Sbaralea ib. P.

LXXVII. Italice prodierunt Venetiis anno MDCXVII. *conciones quadragesimales Romae anno* MDLXXVII. *apud s. Petrum habitae*, et anno MDXCVI. Romae *cum concionibus sex pro Sabbatis, et tribus pro diebus tribus paschatis resurrectionis*; hoc eodem anno item Venetiis editae fuerunt *conciones quadragesimales Romae habitae anno* MDLXXVIII. *apud s. Petrum.* Novum volumen concionum quadragesimalium Romae habitarum, primo editum fuit Mediolani anno MDCVIII. *Conciones* vero *in evangelia quadragesimalia bipartitae*. Romae prodierunt anno MDXCVI. Eodem idiomate scripsit *brevem paraphrasim in psalmos poenitentiales, et declarationem psalmorum David* ad Sabaudiae ducissam, pluries editam. *Paraphrasim* item *et adnotationes in lamentationem Ieremiae*, quae dixit Romae in basilica s. Laurentii in Damaso, editae fuerunt Veronae anno MDLXXXIII. *Conciones* 100. *super Christi passionem* coram s. Carolo Borromaeo Mediolani recitatae, Venetiis an. MDLXXXV. prodierunt. Sermonem XXV. gallice transtulit typisque commisit anno MDC. Gabriel Chapuys. *Lectiones* XX. *contra Ioannem Calvinum* editae fuerunt Venetiis anno MDLXXXIII. Hae translatae fuerunt in gallicum, anglicum, et teutonicum idioma, et ex Pontificis iussu quasdam additiones fecit Mediolani an. MDLXXXII. Praelo commissae fuerunt *lectiones* XXII. *supra catechismum ad parochos Florentiae habitae*; eas quoque vertit in gallicum sermonem Gabriel Chapuys anno insequenti. *Conciones* XXVIII. *extraordinariae* variisque in locis recitatae notisque illustratae fratris Isidori Rotae eiusdem instituti prodierunt Venetiis anno MDXCII.

LXXVIII. Caetera italica haec sunt. *Orazione in morte di s. Carlo Borromeo*, Milano MDLXXXIV. Altra *orazione nei funerali* del medesimo Santo, Milano MDCV. *Modo di comporre una predica*, Milano MDLXXXV. *Id scripsit*, inquit cardinalis Federicus Borromaeus, *ut arbitror, fatigatus effagi-*

Borromaeus ibid. pag. 86.

Digitized by Google

tatione discipulorum, adhibuitque prudenter excusationem, nequaquam id fuisse sibi consilii tantum, ut munus aggrederetur, sed coactum esse studiis et desiderio nonnullorum, ut quae sua concionandi ratio fuisset, ad eam diem explicaret. – Il predicatore, ossia parafrasi o commento intorno al libro dell' eloquenza di Demetrio Falereo, Venezia MDCIX. *Esposizione letterale e mistica della cantica di Salomone, e memoriale di meditazione spirituale, e un trattato memoriale della vita di Cristo*, Milano MDCXXI. *Dell' assedio di Parigi*, Romae sine anno et absque typographi nomine. *Specchio di guerra*, Bergamo MDXCVI. *Compendio del primo tomo degli annali del Baronio*, Roma MDXC. Extat eiusdem Baronii epistola ipsi gratias agentis in fronte primi tomi suorum annalium. *Tre prediche fatte a Parigi illustrate da frate Isidoro Rota Veneziano del medesimo istituto*, stampate in Asti. *Cinque libri delle sue lettere in un volume*, pubblicate nel MDCXXIX. in Milano dal suo nipote Alessandro Panigarola. *Compendio del Manuale del p. Navarra*, Milano MDCXXIX. *Sacri concetti sopra vari tetti di sacra Scrittura*, Milano MDCXXV. *Sermoni al clero di Asti*, Venezia MDXCVII. *Due sinodi da lui tenuti in Asti colle lettere pastorali*, Asti MDLXXXIX.

LXXIX. Quae sequuntur opera, ipsemet adnotat Panigarola in epistola sua data die v. Februarii an. MDXCII. patri Aloisio Panigarola. I. *Selva di tutti i libri sapienziali ridotti in vari corpi per doverne formare un etica, una publica ed una economia cristiana.* II. *Le frasi raccolte dal Petrarca.* III. *Dichiarazione letterale di Giobbe.* IV. *La teologia davidica.* V. *Parafrasi nei libri della fisica di Aristotile.* VI. *Cronologia biblica.* VII. *Apparato alle conclusioni di Parigi.* VIII. *La censura nelle costituzioni Parisiensi del Molineo.* IX. *De sensibus Scripturarum.* X. *Libro primo in forma di predica; ma con quattro parti sopra la vittoria navale che si ebbe a Lepanto.* XI. *Trattato contro l'ateismo.* XII. *L' Apologia di Genova.* XIII. *Sermoni sopra tutte le parole dette da nostro Signore in croce.* Opus hoc typis mandatum fuit Mediolani anno MDCI. XIV. *Trattato della memoria locale.* XV. *La pubblicazione della traslazione del corpo di s. Gregorio Nazianzeno.* XVI. *La malattia di Carlo Emmanuele duca di Savoia avvenuta a Vercelli.* XVII. *Il compendio di tutte le opere spirituali del p. Granata.* XVIII. *Grammatica Italo-Francese.* XIX. *Trattato dei titoli dei cardinali.* XX. *Trattato della peste.* Hi duo tractatus typis prodierunt. XXI. *Compendio del primo e secondo tomo degli annali ecclesiastici, e metà del terzo del cardinale Baronio.* Pars aliqua huius operis vulgata fuit Venetiis anno MDXCV.

LXXX. Poesi latina et italica inclaruit; unde carmina plura et varia scripsit, quorum nonnulla habentur inter delicias poetarum italicorum aliorumque illustrium scriptorum. Quare merito de Panigarola quidem canit hoc distichon

Si loqueris de suggesta, mihi Tullius ipse es:
At si blanda moves plectra, Tibullus eris.

LXXXI. Sequentia manuscripta reperiisse in bibliotheca conventus s. Angeli Mediolani tradit Argelatus, quae nos ex integro exscripsimus. Praeter innumeras alias conciones ab eo notatas quas omittimus, habentur omnia ferme commentaria in Ioannis Duns Scoti distinctiones; 2. expositio officii ss. Trinitatis; 3. varia opuscula philosophica et alia curiosa; 4. ars brevis speculativa; 5. miscellaneum diversarum rerum; 6. tractatus de rebus gallicis; 7. acta

Digitized by Google

in legatione gallica; 8. censurae in bibliotheca ss. patrum collectae a Margarino de la Bigne; 9. annotazioni copiose o dichiarazioni sopra diversi luoghi del concilio di Trento; 10. cento undici luoghi della scrittura spiegati in volgare; 11. prolegomeni a discorsi ecclesiastici; 12. discorsi ecclesiastici parte seconda; 13. molti trattati a diversi propositi; 14. miscellaneo di diverse cose volume italiano e latino; 15. selva di diverse cose e diverse materie; 16. vita di Francesco Panigarola da lui medesimo composta e scritta di suo proprio pugno. In bibliotheca ambrosiana Mediolani lit. s. num. 94. in folio mss. legitur epistola satis acris in Panigarolam ob concionem ab eo habitam contra Genuensium mores; in altero vero codice sub eadem littera num. 79. habetur opusculum inscriptum *apologia del p. Panigarola scritta in sua difesa l'anno* MDLXXIV. Eamdem apologiam memorat Montefalcon tom. 1. pag. 525. in sua biblioth. ambrosiana.

LXXXII. Penes sui temporis scriptores doctrina, gratia floruit ac necessitudine, Panigarolae Astae episcopo epistolam dedit Nantii die XXI. Iulii anno MDXCIII. Mutius Manfredi; duas item italice, primam Bononiae die XIII. Decembris anno MDLXXXVI., alteram Pisis die I. Iulii anno MDLXXXVII. Aldus Manutius; quinque epistolas italicas, Mediolani an. MDCI. impressas. Legitur altera ad Panigarolam epistola inter editas ab equite Baptista Guerini anno MDLXXXVIII.; tres Stephani Guazzi quae habentur inter eius editas Venetiis an. MDXCII. epistolas. Plures etiam ipsi Panigarolae Mutinae datae die XVI. Iunii an. MDLXXXI., aliae tres extant in bibliotheca ambrosiana cod. a. num. 51. eiusdem auctoris anno MDLXXXIV. signatae.

LXXXIII. Aeneum numisma magni ponderis conflatum fuit in eius laudem cum imagine laudati Francisci asservatum in museo domestico cl. Saxii, huc apposito distichon

Hic pius orator tusco sermone disertus
Nectar et ambrosiam Panigarola dabat.

In effigie quam posuit de Panigarola Petrus Rodulphus Tossinianensis minorita conventualis in suo opere *historiarum seraphicae religionis* pag. 517. alterum distichon legitur

Eloquio docto facundoque allicis ore,
Et Christo multos Panigarola trahis.

LXXXIV. Ceterum mire cum laude loquuntur de Francisco Panigarola Ughel tom. IV. Britius in chron. prov. Subalpinae lib. 3. pag. 268. Franciscus Augustinus ab Ecclesia in chronologia praesulum Pedemontii, Crescimbeni in commentariis ad historiam italicae poesis vol. III. lib. 3. pag. 125. Cinellus, marchio Maffeius in libro *de' traduttori italiani*, Maraccius in *bibliotheca mariana*, Fontaninus in libro *della volgare poesia*, Picinellus in Atheneo pag. 218., aliique innumeri.

Sbaralea tit. C. LXXXV. Mortalitatis exuvias et hoc anno deposuit Clemens Bontadosius a Montefalco Umbriae provinciae, ium sui instituti minorem conventualium sacrae theologiae magister, et ordinis generalis administer, electus Bononiae anno MDLXXXIV. Biennio vix expleto, ad regendam ecclesiam Neocastrensem a Sixto V. pontifice destinatus, hoc anno vivere desiit, ac in sua cathedrali templo tumulo mandatus. Hetrusco sermone scripserat *de sacerdotali septenario*, et alia *opuscula*.

Idem tit. P. LXXXVI. Typis Iunctarum Venetiis edi curavit Petrus Rodulphus Tossignanensis conventualis et episcopus Senogalliensis *sermones s. Petri Chry-*

Digitized by Google

sologi, quos in multis emendavit. Hos dicavit senatui Imolensi, epistola Senogalliae data pridie idus Martii. Hoc tempore Romae apud Erasmum Viottum lucem aspexit eloquens opusculum Zachariae Ulyssiponensis provinciae Bononiensis capucinus, titulo *catholica consolatio ad cives Parmenses et Placentinos pro obitu serenis. Alexandri Farnesii eorum ducis et principis.* Edidit etiam Venetiis dicavitque Ranutio Farnesio Parmae et Placentiae duci opuscula p. Hectoris Pinti ordinis Hieronymiani, quae e lusitano in latinum idioma transtulerat, in meliorem formam reduxerat postillisque exornaverat, nimirum *de vera amicitia, de iustitia, de vita solitaria, de discreta ignorantia, de causis, de tranquillitate vitae, de vera philosophia, de veris et falsis bonis, de religione, de memoria mortis, de tribulatione vitae.* Gregorius Neapolitanus eiusdem instituti edi curavit hoc anno Neapoli italico idiomate *epitomen privilegiorum rr. pp. in favorem religiosorum mendicantium usque ad Clementem VIII. ad formam concilii Tridentini.* Ob hanc rem in se attraxit calamum p. Gregorii Lombardelli ordinis praedicatorum pro stigmatibus s. Catharinae Senensis. Huiusmodi epitomen est pars tertia enchiridii sui; nam prima pars enchiridii ecclesiastici prodiit an. MDLXXXVIII. Neapoli; secunda vero anno MDLXXXIX. Venetiis.

Idem lit. Z.

Idem lit. G.

LXXXVII. Angelus del Pas Perpinianensis Catalauniae provinciae filius, et regularis observantiae restituendae cupidissimus, facultatem accepit a pontifice: *Cum sicut* die XXIV. Septembris edendi lucubrationes super symbolum apostolorum, commentaria in evangelia s. Matthaei, s. Marci, s. Lucae, s. Ioannis, ac opus de scholastica theologia. Summi pontificis breve praefixum est tomo primo suorum commentariorum super evangelia, quae tamen omnia decursu temporis edita fuerunt. Diu Romae in coenobio ad s. Petrum in Montearco diversatus, benevolentiam Sixti V. frequenter expertus fuit. *Cum ei,* inquit Iustinus Miechoviensis dominicanus in litaniis lauretanis, *Sixtus V. iussisset, ut scriberet commentarium in quatuor evangelistas, apparuit ei b. virgo Maria cohortans eum, ut ei commentationi initium daret.* Quod et praestitit facili vena inculpataque doctrina. Petrus Robertus de Andagio, oppido X. milliaria ab urbe Leodiensi, Belga, Augustae Trevirorum apud Henricum Bock vulgavit hoc anno *disputationem de statu religioso ac de iis qui sese religionis ordinibus manciparunt.*

Wadd. de script. lit. A.

Iustinus Miechoviensis diar. 392. pag. 336.

Wadd. et Sbarales lit. P.

LXXXVIII. Episcopalem dignitatem consequuti sunt inter minores de observantia Ferdinandus de Troio, electus episcopus de Tucuman, datis ad ipsum litteris: *Apostolatus officium* V. calend Aprilis. ex Petri de Alva regesto. Ad ecclesiam Rhetimnensem die IX. Maii destinatus est Sebastianus N. eiusdem ordinis, uti constat ex actibus consistorialibus pag. 78. Georgius Benignus Dolioni minorita conventualis obtinuit episcopalem ecclesiam Bellinensem die VI. Iunii; interim datus fuit in suffraganeum episcopo Brixinensi. Inquisitor Genuam designatus fuit p. Zacharias Arcivoli ex civitate Ravennatensi.

Ann. min. ad an. 1589. n. 14.

LXXXIX. Clementis VIII. mandato Philippus Gesualdi generalis minister minorum conventualium destinavit die XI. Novembris commissarium generalem visitatorem provinciarum Austriae, Bohemiae, Poloniae, Argentinae, Stiriae, et Carinthiae magistrum Iosephum de Melphio; in provincias s. Ludovici, Burgundiae, Leodii, Coloniae, Saxoniae, Aquitaniae, Angliae, Hiberniae mag. Matthaeum de Martino de Silla.

Ex arch. ss XII. apost. de Urbe.

XC. Corpus b. viri Petri Compatris defuncti in coenobio s. Francisci Oveti in provincia s. Iacobi, a parte interiori ecclesiae in qua iacuerat, die XXVII. Maii

Ann. min. ad an. 1214. num. 9.

Digitized by Google

anno MCDLXXXVII. ad eminentiorem locum supra praecipuam eiusdem ecclesiae portam, sumptibus nobilis viri Alphonsi de Baldercabano Asturum gubernatoris primo translatum, hoc anno die XV. Iunii item novam subiit loci mutationem. Cum enim paries in quo antea conditus fuerat, minaretur ruina, illum e loco Ludovicus de Quiros illius conventus guardianus amovit, ac altero in loco decentiori reposuit. In eius sepulcro invenit tres arculas plumbeas, per quas divisa erant ipsius Beati ossa, dura et integra. In priori scripta erat prima translationis memoria in charta pergamena sic expressa: *reliquiae cuiusdam sanctissimi viri socii patris nostri Francisci, qui nuncupabatur fr. Petrus Compater, cuius translatio facta fuit XXVI. Maii* MCDLXXXVII. In altera haec signata erant: *reliquiae quae continentur in his tribus thecis sunt fr. Petri Compatris sanctissimi viri, quondam socii signiferi patris nostri Francisci, quae translatae fuerunt XXVI. Maii anno Domini* MCDLXXXVII. *Frater Thomas.* Idem reperiebatur in postrema. Huic translationi adstiterunt pii aliquot nobiles viri, quibus aliquae Beati ossium partes et byssini veli quibus involvebantur reliquiae, distributae; ob earum contactum non pauca miracula evenerunt.

XCI. Decesserat vir sanctus non anno MCCXVI., ut scribit Waddingus, sed anno MCCLXVIII. iuxta ab eo relatum epithaphium, eo in sepulcro sic incisum

Frater Petrus ego, cognomine Compater ante
Carnis hic ossa tego, me Salvatore vocante,
Annis millenis, centum bis, decem sex, octo plenis
Sanctus obiit Frater de genere minorum
Compater, imo Pater appellatus miserorum.
Filius ac Dei, voce favente Dei.

Arturus ad diem 15. Iunii. Nam sic recte observat Arturus: *annis millenis centum bis, decem sex, octo plenis nihil aliud indicat, quam ille defunctum esse an.* MCCLXVIII. *die ultima Decembris; etenim si sumas* MCC. *adiungasque decem sex, idest sexaginta cum octo plenis, scilicet expletis, profecto numerum efficient* MCCLXVIII. *et mense Decembri expleto, eiusdem anni* MCCLXVIII *mortuum esse fatendum erit.*

XCII. Hoc eodem anno novum accepit mausoleum in ecclesia Utinensi provinciae s. Antonii Venetiarum corpus b. Odorici a Portu Naonis, qui mortalitatis sarcinam ibi deposuit anno MCCCXXXI. eiusque immemorabilis cultus adprobatus fuit a Benedicto XIV. die II. Iulii anno MDCCLXXV. Facti memoria hoc monumento confirmatur: *Beato Odorico a Portu Naonis ord. min. conv.* (lege minorum dumtaxat) *qui omnibus ferme infidelium regionibus peragratis maximas Indiae provincias ad fidem convertit vivensque mortuum ex tumulo post sex dies excitavit. F. Hier. Ast. Pos.* MDCCLXXV.

Acta ss. ad diem 14. Ianuarii p. 983.

XCIII. Petrus Rodulphus Tossinianensis ex ordine minorum conventualium episcopus Senogalliensis item hoc anno extructo peculiari sacello in ecclesia s. Francisci eiusdem ordinis in oppido Montisbodii provinciae Picenae, reposuit in eleganti sarcophago sacras exuvias s. Gaudentii episcopi Ariminensis et martyris, hoc insculpto in tabula marmorea monumento prae altaris fronte

RELIQVIAE S. GAVDENTII MARTYRIS
S. GAVDENTIVS ARIMINEN. EPISCOPVS TEMPORE CONSTANTII IMPERATORIS ARIANI CONCILIABVLI ARIMINEN. ACTA RESCINDENS VARIO TORMENTORVM GENERE A PROCONSVLIS MILITIBVS TRVCIDATVS EST. CVIVS OSSA OBSCVRO LOCO CONDITA

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1594.	an. 2. et 3.	anno 18.	anno 387.

REVERITVS INVENTA POST SEPTVAGINTA ANNOS IN HOC MONVMENTVM A FRATRE PETRO TOSSINIAN. EX ORDINE MINORVM CONVENT. SENOGALLIAE EPISCOPO ET COMITE INSPECTANTE POPVLO RODIANO ET EIVS SVMPTIBVS ILLATA SVNT ANNO MDXCIV.

In basi eiusdem marmoreae tabulae obviant haec verba: LAVIT STOLAM IN SANGUINE AGNI. In circuitu vero ferreae cratis: VIVET IN AETERNUM CORONAM MERUIT DECORIS. Die III. Augusti magno fidelium accursu eius festivitas celebratur; ecclesia vero universa die XIV. Octobris eius recolit memoriam. *Baronius in mart. ad diem 14 Octob.*

XCIV. Quaedam vetat largiturque summus pontifex. Interdicit utriusque sexus regularibus largitionem munerum: *Religiosae congregationes* XIII. calend. Iulii; supprimit collegium canonicorum in ecclesia ss. Cosmae et Damiani de Urbe: *Ex suscepto* calendis Decembris; subiicit iurisdictioni ministri provinciae coenobium ss. XII. apostolorum de Urbe: *Regularium personarum* die III. Iunii; subiicit quaedam monasteria clarissarum patriarchae Venetiarum: *Pastoralis* die XVIII. Februarii; iubet ut episcopus Canarien. compellat fratres praedicatores et minores ad publicas processiones in eadem civitate peragendas: *Quoniam decet* die IV. Iulii; quaedam ministro generali ordinis minorum de observantia facultates concedit pro sui ordinis reformatione: *Ut antiquam* die VIII. Ianuarii; confirmat nonnullas ordinis constitutiones: *Pastoralis* die XXI. Octobris; confirmat pium legatum: *Ex iniuncto* die XIV. Februarii; concedit fratribus minoritis conventualibus Venetiarum celebrandi missam ante mediam noctem in die nativitatis D. N. I. Christi: *Sacrosancta* die XXVIII. Februarii; indulget fratribus discalceatis provinciae s. Gabrielis, ut e bibliothecis coenobiorum studiorum causa extrahant libros eosque in proprias cellulas retineant: *Exponi nobis* die X. Maii; ut rectores parochialium ecclesiarum dioecesis Cochinensis in India Orientali sacramentum confirmationis conferant: *Romanus Pontifex* die XXVIII. Februarii; ut Antonius de Abreu nobilis lusitanus pro se suisque sepulturam eligat in ecclesia s. Xitae dioecesis Conimbricensis in Villa de Sinceira, et maius sacellum suis sumptibus restauret, ornet, ac sacris utensilibus ditet: *Sinceraе fidei* die XXII. Martii; ut Hieronymus Bonelius tertii ordinis professor ordinis munia suscipiat, licet in diaconatus ordine constitutus: *Cum sicut* die V. Aprilis.

XCV. Quaedam altaria privilegiata declarat, nimirum altare Conceptionis in ecclesia s. Salvatoris terrae Corae Veliternae dioecesis: *Vitae ac morum* nonis Maii: altare b. Mariae de Guadalupe in ecclesia s. Francisci minorum observantium civitatis de Cuzco in Indiis Occidentalibus: *Omnium saluti* die X. Februarii; altare eligendum a guardiano conventus s. Francisci Mexici, precibus Philippi II. Hispaniarum regis: *De omnium salute* die VI. Martii; altare s. Andreae in ecclesia s. Francisci oppidi de Santaya dioecesis Mechoacan. *De omnium salute* die XXX. Augusti; altare a ministro provinciae deputandum in ecclesia Conceptionis de Valle de Xacisa Cuschen. dioecesis: *De omnium salute* die .... altare privilegiatum ab eodem ministro provinciae deputandum in ecclesia s. Francisci Collaguas eiusdem dioecesis: *De omnium salute* die ... altare in ecclesia s. Antonii de Padua Cexamarca Liman. dioecesis a provinciae ministro item deputandum: *De omnium salute* die ... concedit indulgentiam in die Nativitatis, et secunda die Paschatis, ac Assumptionis b. M. v. in ecclesia monialium Villae de Vega Carthaginen. dioecesis: *Ad augendam* die V. Ianuarii.

Digitized by Google

XCVI. Bina decreta s. Indicis congregationis circa opera Raymundi Lulli tertiarii franciscani de poenitentia anno MCCCXIV. defuncti ponimus, prout sunt relata a Francisco cardinale Albitio: *die III. Iunii MDXCIV. in congregatione Indicis, praesentibus cardinalibus Marco Antonio Columna, Francisco Toleto et aliis, lecto memoriali pro Raymundo Lullo, et omnibus consideratis quae proponebantur, praesertim quoniam super hoc catholici regis litterae ad suum oratorem in Urbe habebantur, decretum fuit, ut in novo Indice Lullus non reponatur iisdem de causis, quibus deputati in sacro concilio Tridentino eumdem Raymundum ab Indice sustulerunt.* Similia die IV. Martii anni insequentis statuerunt Patres eiusdem congregationis, cui etiam interfuit Federicus cardinalis Borromaeus Mediolanensis archiepiscopus.

Albitius de inconstantia in fide cap. 40. num. 51.

XCVII. Cum in provincia Immaculatae Conceptionis in Hispaniarum regnis exorta esset inter ecclesiarum rectores ac fratres minores de observantia controversia tum circa audiendas christifidelium confessiones, tum circa divini verbi praedicationem et defunctorum voluntatem, ut eam quamcitius componeret, Camillus Caietanus patriarcha alexandrinus in iisdem regnis nuntius apostolicus, sequens vulgavit decretum.

Camillus Caietanus, Dei et apostolicae sedis gratia patriarcha alexandrinus, et ss. d. n. Clementis divina providentia papae VIII. eiusdemque sedis in Hispaniarum regnis cum potestate legati de latere nuntius, universis et singulis ordinariis locorum, eorumque officialibus generalibus, seu foraneis, necnon parochialium ecclesiarum rectoribus, seu vicariis perpetuis eorum loca tenentibus infra limites et terminos provinciae Conceptionis ordinis fratrum minorum s. Francisci constitutis salutem in Domino.

Rodericus in quaestionibus can. tom. 1. pag. 330.

Noveritis pro parte discreti viri fratris Bartholomaei de la Penna provincialis dictae provinciae nuper gravi querela et relatu ad audientiam nostram pervenisse, quod licet fratres dicti ordinis semel predicatores et confessores ab aliquo episcopo ipsi, iuxta quamdam constitutionem perpetuam fel rec. Pii papae V. desuper editam, amplius examinari non possint nec debeant, et iuxta sua antiqua privilegia per diversos summos pontifices concessa defunctorum corpora et cadavera quando ecclesiae sepulturae tradenda asportantur, si quando ex defunctorum dispositione aut alias vocantur associare, ac certam ratam quartae funeralium accipere possint ac debeant, nec desuper a quocumque contra constitutionem ac privilegiorum huiusmodi formam et tenorem molestari, perturbari, ac inquietari possint: nihilominus multi vestrum fratres et professores ordinis s. Francisci, ac provincia huiusmodi circa praemissa viis indirectis molestare, perturbare, et impedire praesumunt. Quare fuit pro parte ipsorum exponentium ad nos recursum, nobisque humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis efficacis defensionis auxilio assistere dignaremur. Nos igitur executionem et debitum effectum constitutionum apostolicarum desiderantes circumspectionibus vestris, venerabiles patres, episcopis archiepiscopis atque aliis etiam maioribus praelatis in virtute sanctae obedientiae, et sub interdicti ingressus ecclesiae, necnon vobis officialibus, vicariis ac rectoribus et vicariis perpetuis parochialium ecclesiarum ac loca tenentibus, omnibusque aliis, quos praemissa quomodolibet concernunt sub excommunicationis maioris latae sententiae, aliisque censuris et poenis arbitrio nostro imponendis et applicandis di-

Digitized by Google

stricte praecipiendo mandamus, ne dictos fratres s. Francisci dictae provinciae circa audiendas saecularium confessiones, praedicationes, associationes funeralium, atque earum rata percipienda contra constitutiones et privilegia eisdem exponentibus dictoque ordini per sedem apostolicam concessa, quovis modo directe, vel indirecte, mediate, vel immediate, per se vel per alium, seu alios, aut interpositas personas impedire, perturbare, aut inquietare praesumatis aut audeatis, seu aliquis vestrum audeat seu praesumat: contrariis non obstantibus quibuscunque.

Data Matriti Toletanae dioecesis anno a nativitate Domini MDXCIV. *die vero* II. *mensis Aprilis, pontificatus eiusdem ss. d. n. papae anno* III.

Camillus patriarcha alexandrinus nuntius apostolicus.

Antonius Bole abbreviator.

XCVIII. Antonius Tossani Walterii ex-consulis Mosae Traiectensis filius, ad usque aetatis circiter annum sextum claudus et gibbosus, vi cuius pectore dorsoque deformis erat, delatus a suis ad aram beatae Virginis ecclesiae franciscalium eiusdem civitatis, non multo post fulcris depositis, illico sanus et rectus per aedem suam incessit, mirantibus parentibus ac famulis. *Sedulius pag.* 167.

XCIX. Filia Petri Avenalis et Floslilii de Alexandris coniugum et civium Imolensium, viginti duobus foetidis apostematibus cruciata, quorum unum in gutture, alterum in collo habebat, cum per annos plures, licet chirurgorum opera adhibita, nullum remedium experiretur, editum fuit a suis parentibus votum coram s. Catharinae Bononiensis corpore, eo se illam adducturos, si convaluisset. Tantum illa ex promissione parentum gaudium concepit fidemque mutuis recuperandae, ut protinus convaluerit, vestigiis cicatricum dumtaxat ad maiorem miraculi evidentiam relictis. Stomachi aegritudine aliisque morbis illico liber evasit etiam Torquatus Monaldini cancellarius legati Bononiensis, admota suo corpori, ut aiunt, patientia eiusdem s. Catharinae virginis, cui una cum monialibus et ipse actu preces fundebat. Utrumque prodigium rogatum fuit notariorum manu. *Acta ss. ad diem 9. Martii pag.* 183. *Ibidem. pag.* 185.

C. Adalbertus puer annorum duorum cum dimidio, Samuelis et Catharinae Iordanae civitatis Sandec in Polonia filius, a porta lignea magni ponderis fortuito oppressus, famulorum suorum ope repertus fuit toto corpore attritus, facie contusus et dorso multis portae clavibus perforatus. Pater accipiens filii corpus iam exanime, sese disponebat ad illud in crastino sepeliendum; at mater apud s. Cunegundam virginem clarissam anno MCCXCII. defunctam conversa, ab occasu solis usque ad diem deprecabatur pro filii sui salute. Nec spe sua frustrata fuit; nam quando eius cadaver ad sepulcrum evehi debebat, filius revixit et tam perfecte sanus evasit, quod nec vulneris vestigium appareret. Prodigium narratur in processu apostolico anno MDCXXIX. iussu Urbani VIII. pontificis confecto. *Ibid. ad diem 24. Iulii pag.* 753.

Digitized by Google

ANNO CHRISTI 1595. CLEMENTIS VIII. AN. 3. ET 4. RODULPHI II. ANNO 19. RELIGIONIS MINORUM ANNO 388.

ARGUMENTUM.

Tertius fratrum minorum ordo instauratur in Galliis. Aliquae pro eisdem fratribus statuuntur leges, sicut et pro reformatis et recollectis. Plurium tum fratrum tum sororum beata mors occurrit. Aedificantur pro utroque sexu coenobia. Viri docti inclarent et decedunt. Instituuntur episcopi. Aliqua iubet et indulget pontifex.

IN Galliarum provinciis eum ferme labefactatus esset tertius ordo s. Francisci de poenitentia nuncupatus, sedula romanorum pontificum ministrorumque generalium cura fuit eiusdem instituti professores ad primaevum vitae nitorem revocare. At cum in ea regione haereticorum saevitie belloruinve incursione manus tanto operi admovere haud potuissent, hoc tempore excitavit Deus spiritum pientissimi iuvenis Vincentii Mussart, sive ut scribit Fleury, Mastart, ad aggrediendam ac promovendam eorumdem fratrum reformationem. Is lucem aspexit Lutetiae Parisiorum in vicinia s. Germani die XV. Aprilis anno MDLXX. parentibus non quidem genere, sed honestate vitae conspicuis, quorum semitam aemulatus, adhuc tyro perspicuis gratiae divinae donis exornabatur. Adeo praestans erat ingenio, prudentia et in rebus gerendis dexteritate, ut ad amperanda quaeque difficilia natus esse videretur.

Fleury istoria eccl. lib. 181. num. 64.

Vernon hist. gener. tertii ord. tom. 3. art. 18. et seq.

II. Solitudinis ac austeritatis amore illectus, saeculique pericula pertaesus, Deo suo in abscondito inservire maximopere peroptabat. Hinc pater filii sui demiratus pietatem, illum fore ascripturum seraphico minorum capuccinorum instituto, pro quibus ipse Parisiis syndicum agebat, arbitrabatur; spe tamen sua frustratus est pater; nam calente adhuc aetate, Vincentius votum perpetuae continentiae emisit, sacris sodalitatibus ac praecipue chordigerorum s. Francisci adnumeratus fuit, in quibus factus cunctis exemplar virtutum, ab episcopo Lusignanensi Parisiis degente, sacra tonsura initiatur. In dira huius urbis obsidione a copiis Henrici IV. peracta, mira illuxit pietate; zelo namque fidei charitatisque aestu exornatus, hac illac discurrens, eorumdem animos ad patientiam et poenitentiam excitabat. Eo prae caeteris auctore, indictae fuerunt publicae supplicationes quibus ipse crucem baiulans, caeteris praeibat nudis pedibus, asperrimo cilicio praecinctus vinculisque ferreis super carnem constrictus ita, ut hostium furore deposito et copiarum violentia emollita, pax ubique conclamata fuerit. Frequentissimam inde civitatem dimittens, montium et sylvarum loca, moeroribus amica penetravit, ubi eremitarum more vitam ducens, corpus licet iuvenile, cilicio, afflictationibus ac inedia macerans, et cruentans, divinae voluntatis arcanum solicite exquirebat.

III. Subinde praemissis in urbe Parisiensi ad quam iterum advenerat, moderatore Alexandro Georgii presbytero societatis Iesu, spiritualibus exercitiis denuo in recessum se recepit, ubi eremitam compertum sibi compulavit in socium, Antonium nempe Paupon fama sanctitatis celebrem, a quadam nobili Belga matrona de tertio ordine s. Francisci piis eleemosynis enutritum. Ambo itaque sacro charitatis vinculo coniuncti, ad solitudinem locum, olim tertiariorum s. Francisci divertentes, in vitae asperitate ita perseverabant, ut prae carnis maceratione Vincentius trimestri morbo correptus, quanquam interius Dei consolationibus recreatus, levando tamen corpori simul cum collega Parisios contendere coactus fuerit. Male per viam ab haereticis habiti fuerunt; at prote-

Digitized by Google

gente Deo, ab eorum manibus liberati, Lutetiam advenere. Hinc Vincentius primum paterna in domo, deinde in illius urbis capucinorum valetudinario ex parentis voluntate curatus, pristinae sanitati restituitur.

IV. Solitudinis desiderio innovato, Vallis Adae sive Valadae desertum locum, quem antea incolebat laudatus Antonius Paupon eius collega petiit. Ibidem excepit consodales Franciscum Mussart germanum suum, Hieronymum Sequin Lingonensem, et Ivonem Pontifarensem parentis sui familiarem, qui omnes eremiticam vitam insimul ducentes, moderatorem vitaeque magistrum concorditer Vincentium, sacerdotali dignitate iam insignitum, conclamarunt. Diu tamen eo in recessu commorari ob gravamen illis inflictum non licuit, unde et alterum obtinuerunt oratorium sive aediculam in dioecesi Bellovacensi ad radicem Francavillae positam, eis oblatam a Iacobo Baillet loci domino. Inde accedente episcopi venia, instar religiosae communitatis pia exercitia agebant, sacramenta et verbum Dei fidelibus ministrabant, ac orationibus et austeritatibus pro Dei explorandа voluntate perseveranter intenti, tertiam s. Francisci regulam de poenitentia sibi fore amplectendam, facta eidem Antonio divina revelatione agnoverunt.

V. At cum ea regula per Nicolaum IV. pontificem probata, ipsi Vincentio non arrideret, quia promiscue tam pro saecularibus personis quam pro religiosis sacrisque virginibus in communitate viventibus condita fuerat, ideo Dionysii Richel Carthusiani in eamdem regulam edita commentaria expendens, ea pro suis moderandis confratribus aptavit. Dum haec mente alta recolebat, plures operarios pusilli gregis sui Deus multiplicavit. Nam praeter Franciscum germanum suum, Hieronymum Sequin, et Ivonem Pontifarensem, ei in socios sese dederunt Bonaventura de Plessis, Petrus Meaux, Iacobus Zitteus, Ludovicus Bourdin, Nicolaus Doveat, Ambrosius Simonis, Archangelus Vignon, Petrus Gaussier, Bernardinus de Remis, Anselmus Parisiensis et Angelus Richardus, qui fere omnes postmodum sacerdotalem dignitatem consequuti, insignes verbi Dei praecones evaserunt. Caeteris tamen sanctitate et doctrina eminebat praefatus Vincentius; nam in celebrioribus Galliarum ecclesiis, Parisiis praesertim maximo animarum foenore saepe concionabatur.

VI. Ut autem sodalium numerum Vincentius accresceret, advenit in coenobium tertiarorum de Brussy in Picardia, Hugonem de Giovin loci praesidem exoraturus, ut inter suos cooptari dignaretur. Eius votis cum Hugo annuisset, Francavillae conventum Vincentius repetiit. Anno MDXCIII. epistolam sub die VI. Novembris ab Hugone scriptam accepit, qua significabatur se non indubie sperare, tertium de poenitentia institutum aliquando per ipsum sociosque suos in Galliarum provinciis fore restaurandum. Quoniam vero lata a Pio V. pontifice constitutione: *Ea est officii* nonis Iunii anno MDLXVIII., qua ob eorumdem nimiam vivendi licentiam in suos auctoritate destituti fuerant, eaque minoritis de observantia collata, hinc tum pontifici pariturus, tum negotium suum maiori stabilitate firmaturus, ad Iulianum Barbeau ministrum provinciae Parisiensis minoritarum de observantia contendit; cui cum rem totam aperuisset, indulsit ille, ut probationis annum Francavillae una cum suis inchoaret, designato ex minorum ordine viro spectatissimae vitae moderatore. Eo expleto, solemnem professionem emisit hoc anno ita expressam: *In nomine Domini Iesu Christi ego fr. Vincentius Mussart voveo et promitto Deo, b. Mariae virgini, et b. Francisco, omnibus sanctis et tibi pater servare mandata Dei toto tempore vitae meae, et satisfacere, ut convenit, transgressionibus contra* Bordonius p. 487. et seq.

Digitized by Google

regulam, et vivendi modum tertii ordinis de poenitentia, institutum per b. Franciscum, et per d. Nicolaum papam IV. confirmatum, cum de hoc interpellatus fuero ad voluntatem visitatoris nostri, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. Die dominica prima mensis Septembris et tertia mensis eiusdem anno Domini MDXCV. - *Fr. Vincentius Mussart.* - *Et ego subsignatus primus visitator monasterii Francavillae sub nemore in dioecesi Bellovacensi vota pronuntiati fratris emissa recepi et approbavi die et anno supradictis.* - *Signatum.* - *Ioannes Le Brun.* - Similia emiserunt hoc anno et alii septem priores. Anno MDXCVIII. die XXIV. Iunii cuncta haec rata habuit Bonaventura a Calatahierone minister generalis ordinis, litteris quas desideravimus, ad eum missis maiorique sigillo munitis. In eisdem quoque litteris concessit Vincentio ut socios quos idoneos novisset, ad habitum et professionem admittere posset, novaque servatis servandis coenobia iuris sui faceret. Quae inde consequuta fuere, suo loco dicemus.

De Gubernatis tom. 2. pag. 856.

VII. Lata fuerunt hoc anno a s. congregatione super negotiis episcoporum et regularium statuta quaedam ad verbum probata a pontifice: *Ex quo* die XXIII. Decembris pro felici regimine fratrum tertii ordinis s. Francisci sub cura minorum de observantia in provincia Lusitaniae existentium quae subiicimus.

In nomine Domini. Amen.

Incipiunt statuta fratrum tertii ordinis s. Francisci de poenitentia regularis observantiae provinciae Lusitaniae.

1. In recipiendis novitiis observentur ad unguem brevia apostolica, et annus probationis complebitur a praedictis novitiis absque aliqua interruptione iuxta formam s. concilii tridentini; et nullus novitius in ipso novitiatus anno de conventu exeat, nisi insimul cum aliis fratribus in communitate. In promovendis clericis ad sacros ordines, forma praedicti concilii observetur, et examinentur de eorum moribus, vita et sufficientia; et nullus ad subdiaconatus ordinem ante tres, et ad diaconatus quatuor, et ad presbyteratus quinque completos religionis annos promoveatur. In uno conventu habeatur lectio grammaticae per sufficientem lectorem religiosum.

2. Minister ille qui finito tempore sui officii plusquam quinquaginta missas celebrandas reliquerit absque eleemosyna competenti ad eas satisfaciendas, voce in capitulo privetur et officio ad decennium.

3. Pro anima cuiuslibet fratris professi defuncti in hac provincia quilibet sacerdos tres missas celebrare, et quilibet clericus psalterium David, et quilibet frater laicus centum quinquaginta vices orationem dominicam, scilicet Pater noster dicere teneantur. Sed in illo conventu in quo frater defunctus habitaverit tempore sui obitus, quilibet sacerdos pro ipsius anima octo missas celebrabit; et quilibet clericus qualibet die quinquaginta psalmos, et similiter quilibet frater laicus quinquaginta vices Pater noster per spatium octo dierum dicent. Praeterea in quolibet conventu celebrabitur unum officium defunctorum cum tribus nocturnis, laudibus et vesperis, ut solet fieri; et minister vel superior conventus adimplebit hoc onus infra mensem computandum a die, in qua certioratus fuerit de obitu fratris defuncti, sub poena privationis ipso facto sui officii; quae missae dicentur de communitate, non vero de duabus religiosis concessis.

4. Confessores saecularium instituentur in capitulo, et examinabuntur a patribus ad id deputatis per provincialem et definitores.

Digitized by Google

5. Assignabuntur duo conventus de consilio provincialis et definitorum, in quibus singulis diebus habeatur lectio theologiae moralis, a qua lectione nullus fratrum excusabitur, nisi pro causa tangente conventum, aut alio ministro benevisa et rationabili.

6. Extra capitulum et absque tribus annis theologiae decursis, nullus poterit eligi in praedicatorem ad conciouandum populo; et praedicatores exercebunt officium praedicandi; ille vero qui remissus fuerit aut praedicare noluerit, praeminentia et loco praedicatoris careat; et nullus frater studendi causa ad collegium admittatur absque provincialis et definitorum consensu; aliter vero admissus, a praedicto capitulo amoveatur.

7. Bona quae iure hacreditario ad religionem devenerint, collegio applicentur, et poterunt fieri conventiones cum personis, a quibus ista bona erunt exigenda, quae cedant semper in evidentem utilitatem ipsius collegii; omnia praedicta tamen pro arbitrio provincialis et definitorum. Cum vero recuperandi praedicta bona, et succurrendi dicto collegio incumbat procuratori generali absque interventu alicuius praelati, sub poena privationis officiorum praedictus procurator et minister collegii reddent rationem provinciali de exactis et expensis.

8. Provincialis non possit aliquem ministrum suo officio privare, absque eo quod illi delicta in scriptis det, ut possit respondere; et non data sufficienti satisfactione, visis eius excessibus, per praedictum provincialem et definitores privetur, seu castigetur, prout eis videbitur expedire; et si praedictus minister recurrat ad generalem seu commissarium generalem, non audietur, usque dum videantur delicta talis punitionis.

9. Quilibet minister habeat auctoritatem recludendi in domo poenitentiae aut in cella quemcumque fratrem delinquentem, illumque pro suo arbitrio dimittendi; at si delictum ita fuerit atrox, quod ipso facto delinquens mereatur carcerem, praedictus minister seu superior habebit auctoritatem illum carcerandi, et reddet rationem provinciali ita, ut pro arbitrio et consilio definitorum cognoscat et definiat causam, et condignam poenitentiam imponat; et minister non poterit excarcerare delinquentem absque expresso ordine provincialis, sub poena ipsi delinquenti imponenda.

10. Omnes fratres in modo et forma vestiendi conformentur ut inter nigrum et album iuxta litterarum apostolicarum dispositionem, et cum differentia inter fratres primae regulae; et caputium in vertice capitis non sit acutum, sed totum coopertum caput; et quilibet praelatus teneatur providere fratribus de indumentis et calceamentis necessariis, femoraliisque seu mutandis; et cappelli sint eiusdem coloris cuius habitus; calceamenta vero sint calcei seu sandalia aut seulponese; nullusque provincialis aliquid in forma et modo vestiendi fratres innovare poterit absque definitoribus et auctoritate congregationis generalis.

11. Ministri conventuum nec alii suscipient nec consentient personas saeculares ingredi vel pernoctare in domibus fratrum, licet sint familiares conventus, sub poena privationis officii et poenitentiae ad provincialis arbitrium, exceptis tamen praelatis et personis in dignitate constitutis ac aliis provincialibus benevisis. Poterunt etiam pro servitio conventus aut fratrum officiales et servientes ingredi, non tamen pernoctare.

12. Depositarius singulis mensibus coram scriba et ministro ac discretis rationem reddet; et quolibet trimestri praedicta ratio in communi coram fratribus reddatur, et ideo erit unus liber in arca depositus, in quo omnia ad ipsum conventum pertinentia annotabuntur; et minister qui ita non observa-

verit, pro prima vice per annum unum privatus existat, et pro secunda officio privetur.

13. Nullus minister poterit aliquam scripturam vel contractum conventum tangentem conficere absque consilio communitatis et maioris partis ipsius consensu et approbatione provincialis; contra vero faciens suo officio privetur.

14. Ille qui pro tempore provincialis eligendus est, prius debeat esse minister alicuius conventus, et in ipsius regimine se bene gerere, atque de vita et moribus per provinciam debet esse approbatus.

15. Officium provinciale duret per triennium; quo finito vacabit per sequens triennium a tali officio; et similiter definitores; ministri vero locales per annum unum ad minus; praedictusque provincialis sit liber et expeditus ab alio quocumque officio, ita quod solummodo in ministerio sui provincialatus exerceatur; et similiter definitores actuales. Electio vero in contrarium facta nulla sit.

16. Ille qui fuit provincialis, finito triennio sui officii, semper habebit vocem in provincia, capitulis et electionibus officialium, et erit discretus illius conventus in quo habitaverit; et similiter definitores actuales illorum triennio durante, et in proximo primo capitulo generali in quo illorum officium expirat, et fruentur atque gaudebunt omnibus praeeminentiis atque praerogativis cum eademet auctoritate, quam habent definitores primae regulae in suis provinciis.

17. Provincialis habebit unum secretarium socium religiosum magnae approbationis; praedictusque provincialis aliquid grave determinare non poterit absque consilio definitorum; et cum praedicti provincialis et definitores aliquid maximi ponderis bonum regimen provinciae tangens ordinaverint, commissario generali rationem reddent.

18. Ille qui commissarium curiae seu procuratorem generalem eligendus erit, debeat esse primo minister alicuius conventus, et erit unus ex fratribus professis provinciae, nec poterit exire extra limites regni absque licentia provincialis in scriptis.

19. Provinciales et ministri se conforment cum vita aliorum fratrum, et ille qui non poterit perficere communem vitam, aut cum possit, non perficiat, amoveatur a suo officio, et in suo loco alius eligatur.

20. Nullus minister poterit amovere aliquem de discretis conventuum sub poena privationis officii; sed poterit a provinciali privari, si culpabilis reperiatur.

21. Observentur statuta ab ill. Protectore confirmata.

Idem Ibidem. VIII. Statuta haec edita fuerunt a cardinale Matthaeio ordinis patrono die xiii. Septembris anni mdxciv. et die x. Maii praesentis anni, quibus cautum fuit ne ministri provinciales fratrum minorum de observantia tum in Lusitania tum in Baetica provincia sub quovis titulo sese implicarent in iis quae spectant ad regimen fratrum eiusdem tertii ordinis, sed a visitatore provinciali per se ipsos, et de ipsis per vota secreta eligendo moderari deberent; hi vero visitatores ministro generali ordinis et generali ultramontano, et commissario generali nationali a quibus in Lusitania instituendi sunt, in omnibus et per omnia debent esse subiecti. Interim novitiorum receptionem eisdem restituit, et aliqua gravamina voluit aboleri, de quibus fuse Bordonius.

Bordonius p. 175. *De Gubernatis tom.* 1. *pag.* 595.

IX. Idem cardinalis ordinis patronus ratum habuit die xvii. Aprilis decretum editum ab Augustino a Genua custode reformatorum provinciae Romanae contra eos qui levitatis spiritu ducti, e minoritis de observantia ad fratres reformatos, et e contra transibant. Statutum igitur fuit, ut qui semel et iterum de custodia

Digitized by Google

ad provinciam absque rationabili causa, licet assequuta venia, convolaverint inter reformatos fratres, ulterius nec in congregatione custodiali, nec de custodis ipsius placito, sed tantum de expresso maioris partis vocalium reformatorum assensu valeant acceptari.

X. Pro universis autem fratrum reformatorum Italiae provinciis hoc item anno vulgatae fuerunt sequentes leges a ministro generali ordinis quas subiicimus.

Frater Bonaventura Calatahieronensis totius ordinis s. Francisci generalis minister et servus patribus custodibus et fratribus reformatis observantiae in Italia salutem et incrementum spiritus in Domino.

Postquam sola Dei gratia ad generalis ministerii apicem, licet immeriti, evecti sumus pro nostri muneris debito potior nostra fuit cogitatio, eas fovere in religione reformationes quae ad Dei gloriam, animarum beneficium, saeculi aedificationem nostrique ordinis decorem in diversis temporibus a viris observantiae zelo praeditis prudenter institutae sunt. Ne igitur reformationes praedictae a solito regularis disciplinae vigore desciscerent neve in Dei famulatu tepescerent sancto nos impellente zelo et felicis earum progressus desiderio, aliquas ordinationes ad earum regularem disciplinam et conservationem spectantes in unum colligere et in ordinatam seriem disponere ex animo decrevimus. Quod Dei opitulante gratia perfecimus, partim eas colligendo quae ad hunc ipsum effectum a nostris praedecessoribus in hac nostra familia publicatae fuerunt, partim particularium aliquarum reformationum constitutiones addendo, adhibito maxime super omnibus gravissimorum quorumdam virorum Dei timore pollentium, ac ipsarum reformationum utilitatem et incrementa cupientium, prudenti ac salutari consilio, hocque non sola officii nostri auctoritate plenaria, verum etiam particulari facultate ad hoc specialiter a sanctissimo domino nostro papa benigniter nobis concessa. Quae ordinationes post ipsarum in omnibus fere Italiae provinciis acceptationem, praelo, nobis praecipientibus, datae, reverentiis vestris ad methodum normamque proponuntur reformate vivendi. RR. VV. proinde paterna charitate sanctoque zelo monemus, exhortamur atque precamur, ut vestrae professionis nunquam obliti, sanctam quam amplexati estis, reformationem, animo et operibus prosequamini ad vestrarum aliarumque animarum aedificationem nostraeque religionis nitorem, inde enim fiet, ut nobis reformationes in dies fovendi et augendi divino nobis assistente auxilio, desiderium concrescat et augeatur. Quod postremo advertendum duximus, has observabiles constitutiones ea lege, ut caetera etiam tum generalia tum provincialia statuta, in quantum his ipsis constitutionibus non adversantur, adamussim observare teneamini. Valete in Domino, quem pro nobis exoratum habeatis.

Chronol. Seraph. tom. 1. pag. 503.

CAPUT I.

De obedientia.

1. Cum perfecta in superiorum manibus sui ipsius resignatio illud sit sacrificium, quod nostra voluntate semel pro toto vitae cursu Domino obtulimus in religione, reformati fratres qui arctiorem vitae modum profitentur, humiles se et subiectos ac in omnibus obedientes, quae animae et regulae non sunt contraria, patribus ministris ex eiusdem regulae praescripto exhibeant. Circa quod, ut omnis tollatur dissentionis occasio et pax Domini in provinciis et

custodiis magis virescat sanctissimum dominum nostrum papam humillime interpellavimus, quatenus explicare dignaretur ministrorum et custodum in reformationum gubernio potestatem: qui benigne declaravit, quod regula dicente: *fratres qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, visitent et moneant fratres suos, et humiliter et charitative corrigant eos*; possint et debeant ministri provinciales omnes et singulas reformationum domos libere visitare, easque secundum religionis instituta atque custodiarum constitutiones reformare, corrigere insuper et coercere delinquentes, dummodo extra custodias non arcessantur, nisi ob maiorem reformationis quietem et utilitatem, adhibito custodum et discretorum iudicio, aliter videretur. Quod etiam in custodiarum domibus ordinationes et statuta religionis, in quantum reformationi non adversantur, inviolabiliter observari praecipiant. Quod iidem custodes domos et loca suarum custodiarum terminis comprehensa visitare, et iuxta ordinis earumdemque custodiarum instituta corrigere et reformare valeant. Quod praeterea honesta et urgenti de causa tantummodo e suis custodiis ad alia propriae provinciae loca fratres custodum arbitrio mitti possunt, nec tamen sub quocumque praetextu extra provinciam; quam facultatem vult sanctitas sua ministris et custodibus perpetuo et respective convenire. Quod sicuti in capitulis a custodibus et discretis custodiarum aliqui reformati et idonei fratres praesentari solent definitorio, a quo illi et non alii in guardianos locorum reformatorum deputari debent; sic et non aliter fiat, quando extra tempus capitulare aliquem praedictorum guardianorum quacumque de causa deficere contigerit; hoc est, quod custodes et discreti praedicti in deficientis locum alium fratrem idoneum praesentare debeant; qui et non alius a definitorio in guardianum substituatur.

2. Quibus inhaerendo ob maiorem rei claritatem ordinamus, quod in quolibet capitulo per secretum scrutinium, ut eligi solent definitores, duo etiam discreti custodiales eligantur: qui una cum custodibus actualibus et praeteritis, guardianorum definitorio, ut supra, praesentandorum provisionem faciant.

3. Cuique etiam loco duo saltem locales discretos ex antiquioribus et probatioribus sacerdotibus deputabunt, in quorum defectum, laici fratres magis idonei poterunt deputari: sine quibus discretis rem aliquam gravem in suorum administratione officiorum guardiani facere nequeant; et hoc sub suspensionis vel etiam privationis aut alia arbitraria poena, uti praedictis custodibus et discretis custodialibus magis expedire videbitur.

4. Insuper ordinat sanctitas sua, quod si morte custodis intercedente vel alia urgenti de causa in aliqua custodia capitularis celebratio necessaria docatur, id fieri nequeat, nisi provincialis ministri vel commissarii, ab eo aut a generali ministro ad hoc specialiter deputati, interventu et assistentia.

5. Item ordinat sanctitas sua, quod in provincialibus capitulis a definitorio aliqui earumdem custodiarum deputentur examinatores ad eos reformatos fratres examinandos, qui aut ad ordines sacros suscipiendos, aut ad fidelium excipiendas confessiones sacramentales promoveri debent: et quod illi qui a dictis examinatoribus approbati ad locorum ordinarios mitti debent, si praedicti ordinarii intra custodiae confinia extiterint, a custodibus licentiam obtinere possint; sin autem extra a solis ministris provincialibus.

6. Et ut ministri et custodes visitando, reformando et corrigendo suo libere possint officio fungi, nemini fratrum liceat a familia ad reformationem nisi tempore capitulari vel capitularis congregationis transire: quo item tempore numerum nomenque fratrum, quos recipere intendunt custodes, significare te-

Digitized by Google

neantur ministris, qui huiusmodi licentiam concedere teneantur. Liceat pariformiter solum capituli tempore a reformatione ad familiam transitum facere, dummodo de hoc ministri provinciales et definitores opportune certiorentur.

7. Verum fratres illi qui extra capitulum et congregationes capitulares a familia ad reformationem transire voluerint, id exequi nequeant absque nostra vel commissarii generalis pro tempore licentia speciali.

8. Praecipit etiam sanctissimus dominus, quod nemini fratrum ad alienam custodiam absque nostra speciali facultate transire licoat. Unde conformiter ordinamus, neminem nobis inferiorem sub quocumque praetextu mittere posse seu licentiare ad reformationes fratres poenitentiatos: nec a patribus custodibus recipi posse eos qui ad fugiendam ministrorum provincialium aliorumve superiorum correctionem, ad reformationem se transferunt; sicque nemo inquisitus recipiatur, nisi prius eius causa per finalem sententiam penitus completa. Semper tamen fratres ad reformationem admittendi exemplari vita pollere debent, ut inde innotescat, ad id non timore compelli, sed desiderio proficiendi. Nec custodis aut guardiani officia aliquis obtinere possit, nisi prius per triennium saltem in reformatione laudabiliter perseveraverit.

9. Ministris igitur reformationes visitantibus et ad ipsarum beneficium aliquas ordinationes facientibus plena praestetur obedientia; ipsaeque ordinationes atque admonitiones in totum observandae transcribantur iuxta alias constitutiones reformationum, ut saepe legi possint, nec oblivioni tradantur. Sic etiam reformati fratres suis custodibus, guardianis, vicariis ceterisque legitimis quocumque nomine censeantur, superioribus humiliter et reverenter pareant et obediant.

CAPUT II.

De iuvenum tam professorum quam novitiorum magistris.

Ut iuxta praefatas apostolicas declarationes et sanctiones iuvenes in reformatione perfectionis iter non deserendum arripiant, ordinamus professos in reformatione non posse ex ea exire, nisi post triennium a die professionis completum. Praeterea ordinamus, quod novitiis tam clericis quam laicis clericisque professis usque ad sextum a die receptionis habitus annum, in quocumque conventu magister destinetur approbatus in religione, prudens, discretus, et aetate provectus, qui eos doceat verbo et exemplo christianam doctrinam, regulae praecepta, caeremonias religionis, morum candorem et animi puritatem.

CAPUT III.

De paupertate.

1. Paupertatem quam beatissimus pater noster Franciscus pretiosissimam et individuam duxit, reformati fratres in omnibus praeseferant. Quapropter eos nec sumptuosa loca recipere, nec in receptis excedentia aedificia facere posse praecipimus, ne vanitatem affectantes, spiritus soliditatem amittant.

2. Verum quando necessitate compellente, aliquem familiae locum accipere intendunt, auctoritate apostolica ordinamus, hoc fieri non posse, nisi capituli tempore et iuxta Clementis VII. fel. mem. constitutionem. Et quando denique sufficientem reformatorum fratrum numerum habeant ad locum inhabitandum ita, ut ex quatuor partibus fratrum qui in eos prius de familia commorabantur, tres saltem ex reformatis in eodem collocentur. Monentes quod a reformatis semper humiliores, pauperiores et magis sequestrati conventus accipiantur, ut sic magis sancti patris Francisci conformentur intentioni. Eadem insuper apostolica auctoritate prohibemus, ne locus aliquis quem iam reformationes obtinent,

ab eisdem deseratur, nisi solum capituli tempore. At super omnia conventuum seu locorum tam acceptio quam desertio ita dirigatur, ut nullum intersit scandalum, nulla saeculi admiratio, nulla inter fratres dissentio. Et reformatis nova loca aedificantibus patres custodes nullo unquam praetextu permittant vanas in fabricis, et praecipue in cellis amplitudines, curiositates et vanitates. Imo si aliqua ex parte resarcienda sunt loca ob antiquitatem vel aliam causam labentia, vel ut in meliorem redigantur formam, vel denique alio quocumque modo fabricandum sit, hoc fieri nequeat, nisi de scripta patris custodis facultate, qui eam nonnisi aliquorum patrum gravium adhibito consilio atque iudicio concedere valeat.

3. Nemini ex reformatis fratribus, nisi unicam et simplicem cellam habere liceat: et duplicatae penitus prohibentur.

4. Solis custodi et guardiano in cellarum ostiis seras et claves habere conceditur; reliquis reformatis fratribus penitus interdicitur, nisi aliquo in loco custodi et discretis aliter necessarium esse videretur.

CAPUT IV.

De fratrum indumentis.

1. Praecipiente regula, quod *fratres vestimentis vilibus induantur*, vilium tantum indumentorum usum habendum praecipimus, omni penitus curiositate seu pretiositate interdicta.

2. Itaque talis esse debet vestium vilitas, ut inter reformatos fratres relucent paupertatis uniformitas, non varietatis monstruositas: et qui contra haec deliquerit, gravius a superioribus puniatur. Curabunt ergo custodes, ut in aptioribus suarum custodiarum locis panni pro fratribus induendis conficiantur, vilitatem et uniformitatem in substantia et in colore servantes. Et ubi hoc in conventibus fieri nequeat, per saeculares licito modo faciendum procurent.

3. Latitudo et longitudo habitus et mantelli illa sit, quae in Salmaticensibus statutis sancita est et explicata in constitutionibus Neapolitanis.

4. Nullus fratrum, nisi unum habitum et unam tunicam in suos usus obtineat: mantellum a locorum communitatibus opportunis temporibus accipiat. Proinde patres custodes solicite curabunt, ut in quocumque loco sit aula quaedam communis pro indumentis fratrum servandis, iisdem indumentis commode referta, ut fratres necessitate urgente vestes quas habent, mutare possint. Et ut tales vestium communitates aptius conserventur, patres custodes in capitulis et congregationibus guardianis iniungent, quatenus ex sua familia unum deputent fratrem, qui tali incumbens communitati nova conficere vestimenta et antiqua resarcire curabit.

5. Solerter advertant custodes, ne fratres cuiuscumque generis calceamenta deferant, absque expressa eorum atque scripta licentia; quam tantum senioribus et adversa valetudine laborantibus, tempore item hyemali concedere valeant.

6. Pluries insuper quolibet anno fratrum cellas visitabunt, superflua inde auferentes et necessaria providentes, nullo praetextu librorum vel aliarum quarumcumque rerum superfluitatem fratribus permittentes; et lineorum sudariorum usum rigorose prohibentes, ne regularis observantia et sanctae paupertatis splendor in huiusmodi superfluitatibus paulatim patiatur eclipsin.

CAPUT V.

De missis celebrandis.

1. Abstineant reformati fratres a cuiusque pecuniae pro missis particularibus acceptione: sed missae omnes in Dei obsequium et cum intentione satisfa-

Digitized by Google

ciendi pro vivis atque defunctis, maxime benefactoribus celebrentur. Quod si aliquando benefactorum pia importunitas (cui sine scandali periculo resisti nequeat) particularium missarum a fratribus celebrationem exigat, tunc absque pacto et sine retributionis intentione, imo solum ex mera charitate missae celebrentur.

2. Nullo itaque modo denarios vel pecuniam pro sacris conficiendis fratres recipiant: verum si praefati benefactores sponte et libere fratribus offerent, praeter denarios vel pecuniam, hoc gratis et humiliter recipere poterunt, sicuti gratis etiam pro ipsis celebrabunt.

3. Advertant item fratres totis viribus, ne in reformata loca missarum particularium celebrandarum consuetudo inducatur: et ubi iam esset introducta, studeant eam e praefatis locis prudenter eliminare.

4. Et quia reformati fratres cupiunt arctiori vivendi modo regulam observare, idcirco iuxta declarationem Clementis v. *Exivi art.* 6. §. *quo circa*, diligenter caveant, ne domi vel extra aliqua sit persona quae denarios vel pecuniam pro fratribus recipiat seu conservet, neve nummos deponi faciant in aliquo loco seu capsula in ecclesia, in sacristia, aut alibi. Sed praelatus loci necessitates praesentes aut imminentes benefactori nummos offerenti manifestet, ut est olei aut alterius similis rei, defectus et indigentia; et si eaedem res libere donentur, poterunt reformati fratres cum benedictione Dei ipsas recipere; nunquam tamen denarios vel pecuniam.

CAPUT VI.

De rerum necessariarum provisione.

1. Praelati solicitam curam gerant de rebus necessariis fratribus providendis, ne ipsi fratres sibi eas cum observantiae detrimento providere cogantur. Quamobrem cum necessaria a benefactoribus offeruntur, debent ea superiores humiliter recipere, gratias agentes Deo qui nunquàm suos servulos derelinquit.

2. Quando autem oblata non sufficiunt, *recurrant ad mensam Domini petendo eleemosynas ostiatim*, superflua in omnibus devitantes, et iuxta divi Pauli doctrinam in abundantia et in egestate recte se gerant, ut decet professores altissimae paupertatis quibus solum convenit virtutibus abundare.

CAPUT VII.

De quaestibus.

Quia frumenti et vini collectio potius ad divites videtur quam ad pauperes pertinere, idcirco tempore messis seu vindemiae, frumentum et mustum etiam eleemosynaliter quaerere ad reponendum in anni provisionem penitus interdicimus, nisi iuxta Clementis papae v. articulum 7. §. *Rursus*; sed si valde credibile videretur, experientia id monente, necessaria victui alio non posse modo obtineri, super his prudenti patrum custodum reformatorum iudicio et discreto zelo nos remittimus: qui aliquorum probatorum et gravium patrum perquisito consilio statum paupertatis in primis attendentes, quod fuerit expedientius determinabunt. Poterunt tamen vindemiae tempore aliquam vini portionem pro missarum sacrificio quaerere, dummodo custodes una cum guardianis et discretis locorum id necessarium ducant. Reliqua autem eleemosynaliter petenda moderate quaerantur, ad modum et formam a patre custode simul cum guardianis et discretis prudenter et accurate sanciendam. Declarantes quod reformati nullo pacto frumentum, hordeum aut quid simile etiam

Digitized by Google

eleemosynaliter, ut ea vendant, et eorum pretio alia necessaria provideant, quaerere possunt, cum hoc absque dispensatione fieri nequeat, quam Gregorius XIII. solum Italiae locis non reformatis concessit.

CAPUT VIII.

De paupertate in ecclesiarum ornamentis servanda.

Cum Dominum in spiritu et veritate iuxta nostrae professionis rationem adorare debeamus, reformati fratres pro ecclesiis et sacrificiis pretiosa et curiosa ornamenta auro vel argento confecta in posterum nullo modo recipiant: verum iam receptis uti valeant. Nec thuribula aut alia vasa ex argento fieri procurent, vel oblata suscipiant, exceptis calicibus et patenis ac sacra pyxide ad sanctissimam eucharistiam asservandam, et etiam alio argenteo vasculo ad oleum sanctum reponendum: quae omnia etiam moderata esse debent, nec obsona paupertati.

CAPUT IX.

De libris in commune congerendis.

1. Ne in aliquo laedatur sancta paupertas, et quaecumque singularitas a fratribus eliminetur, ordinamus quod in quolibet reformationum loco parvula quaedam bibliotheca, non tamen formalis deputetur in qua commode libri serventur; et ad quam libros omnes defunctorum fratrum ex eo oppido vel ex eiusdem quaestu naturalium pertinere volumus, nullo unquam praetextu seu colore alienandos.

2. Toto igitur cordis affectu patres custodes exhortamur atque monemus, quatenus ubi praefatae bibliothecae non existunt, eas fieri curent; et ubi sunt, conservari praecipiant: sic enim librorum manutentioni et sanctae paupertatis indemnitati omni abolita singularitate providebunt.

3. Ne in ipsis bibliothecis inutiles ex quocumque capite libri serventur, sed solum pertinentes ad sacram Scripturam eiusque expositores, ad patres tam graecos quam latinos, ad sacras historias sacrosque canones, ad moralitatem et spiritualitatem, cum circa haec religiosa debeant studia occupari.

4. Ut autem praedictae bibliothecae exactius conserventur, ipsarum unicuique bibliothecario eiusdem loci destinetur frater, qui eam mundissimam et cum decore manuteneat, librosque fratribus eos petentibus accommodet, acceptа ab eis librorum accommodatorum notula, ne per oblivionem disperdantur.

5. In bibliothecis librorum omnium in ipsarum qualibet asservatorum inventarium habeatur, et nemini nobis inferiori defunctorum fratrum libros ad reformationum bibliothecas pertinentes alienare licebit.

6. Praecipimus etiam sub poena excommunicationis aliisque nostro arbitrio inferendis, ne quisquam per se vel alios praedictos libros in ordine et extra dare, vel distrahere audeat. Concedimus denique, quod dictis bibliothecis non obstantibus, si alicui fratrum a spiritualibus amicis aliquis offeratur liber, ipsum de patris custodis aut guardiani licentia recipere possit, eoque, in quantum ipso indigeat, uti.

CAPUT X.

De iumentis.

Equi et muli quia nostrae paupertati minus videntur convenientes, habeant reformati fratres, ubi opus fuerit, iumentum humile, de custodis, guardiani et discretorum loci prudenti consilio et consensu.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1595.	an. 3. et 4.	anno 19.	anno 388.

CAPUT XI.

De abstinentia et ieiuniis.

1. In reformatis locis caro ad comedendum nec ematur, nec quaeratur; quod si offeratur eleemosynaliter, possint ea vesci fratres cum benedictione Dei. Pro infirmis tamen et convalescentibus, pro senibus et debilioribus eo modo procuretur, qui aptior sit nostrae regulae puritati.

2. Advertant guardiani, ne permittant fratres extra communitatem comessationes habere; et nonnisi pia et rationabili de causa eos extra communitatem vesci concedant, a qua omnis exulet singularitas.

3. Ultra a sancta ecclesia et a nostra regula praecepta ieiunia, exhortamur fratres ad ieiunandum in quadragesima quae dicitur *benedicta*, quam tamen volumus per duos vel tres dies inviolabiliter initiari; post quos qui eam ieiunare vel non poterit vel noluerit, nullo pacto cogatur, sicut in caeteris quadragesimis ex devotione susceptis. Tempore vero horum ieiuniorum ex devotione, guardiani pro commoditate eorum qui ieiunare voluerint, hora ieiunii prandium faciendum curabunt, ut unica commestione reficiendi per totam diem laboribus resistere possint. Patres item custodes et guardiani huiusmodi ieiunantibus necessaria opportune provideant.

4. Exhortamur denique fratres omnes reformatos, ut omnibus sextis feriis mensis Martii humi genuflexi in refectorio pane et aqua ieiunent.

CAPUT XII.

De exteriori conversatione.

1. Quamquam certo supponamus reformatos fratres omni cum exemplaritate conversaturos, ad omnia tamen evitanda suspecta consortia prohibemus quamlibet cum mulieribus familiaritatem. Nec aliquis audeat feminas alloqui in ecclesia, nisi gratia confessionis, et quando a sacrista vel guardiano fuerit vocatus vel missus. Iuvenes autem tam novitii clerici vel laici, quam professi mulieres non alloquantur, nisi de expressa superioris vel magistri licentia, et urgenti de causa ac in patulo, ubi videri possint a circumstantibus.

2. Ut vero discursus fratrum extra conventum coerceantur, poterunt patres custodes saecularem aliquem moribus et vita probatum non pauciores viginti-quinque, nec plures quadraginta annos habentem, tertiarii habitum induere: quem tam in sanitate quam in infirmitate eadem charitate qua fratres tractari curabunt. Ipsum etiam vel novitiorum magistro vel alicui discreto fratri resignabunt viis christianis atque religiosis institutionibus erudiendum: quem itidem, nisi enormis excessus causa expelli non liceat. Ex hoc tertiariorum genere, ut supra, unus cuilibet loco assignari poterit, quem guardianus extra conventum ad necessaria providenda mittat, caeterisque communitatis servitiis intra conventum applicabit, fratribus intra loci septa retentis, nec foras mittendis, nisi ex manifesta necessitate, pro qua supplere tertiarius nequeat. Fratres insuper exeundi a conventu licentiam non petant, sed suas necessitates superioribus manifestent qui vel per tertiarium supplebunt, vel si fratres mitti contigerit, pauciores quam poterunt exituros permittent.

3. Fratrum nemo de conventu ad conventum sine scripta patris custodis licentia pergere poterit, quae nonnisi urgenti de causa concedatur, et non gratia visitationis consanguineorum, amicorum, et locorum piorum, etiam ex motivo devotionis, et multo minus propter recreationem concedatur. Fratres enim vagantes multoties spiritus fervorem amittunt, et posthabent sanctae paupertatis rigorem.

CAPUT XIII.

De saeculari conversatione fugienda.

Nulla maior occasio transgressionibus aperitur, quam frequens saecularium in conventu vel extra conversatio. Quamobrem eamdem conversationem districte prohibentes, inhibemus insuper fratribus, ne in conventu absque expressa guardiani licentia saeculares alloquantur, nec guardianus sine manifesta et rationabili causa eam concedat. Et quia, ut ait d. Bernardus, non est religiosa observantia, ubi cuncta saeculo patent, praecipimus ut ostia quaecumque interiorarum officinarum communi clave ab introeuntibus et exeuntibus fratribus semper concludantur: ad quas officinas, sicuti nec ad dormitorium, cellas, et refectorium ullo unquam tempore saecularibus pateat ingressus; si tamen aliquando praelatus aliquis, vel alia nobilitate et merito insignis persona conventus dispositionem devotae curiositatis causa videre cuperet, tunc illi guardianus fratrem aliquem discretum comitem tribuat, qui religiosa in omnibus circumspectione servata, loca quae ostendi possunt, ad solius aedificationis et devotionis incrementum ostendat.

CAPUT XIV.

De silentio.

Silentium quod est virtutis fomentum, in choro, in sacristia, in refectorio, in dormitorio semper servetur, (nec dispensari possit, nisi opportunis horis et urgenti de causa) tam a fratribus familiae, quam a forensibus advenientibus quibus tantummodo hora adventus sui, foresterarium alloqui liceat. Tempore noctis frater quilibet ad suam cellam divertat, nullius alterius fratris colloquutionem admittens. Novitii denique et iuvenes fratres, nonnisi de expressa guardiani licentia, saeculares alloquantur. Contrafacientes graviter puniendi superiorum arbitrio.

CAPUT XV.

De divino officio.

1. Ut divini officii recitatio debitam sortiatur praeparationem, fratres omnes impedimento legitimo non detenti chorum adeant, ubi maneant genuflexi usque ad signum inceptionis officii, mentem coelestibus contemplationibus disponentes.

2. Officii recitatio gravis sit et devota, debitis pausis interpositis, curentque superiores, ut quae in choro legenda sunt, diligenter praevideantur, ne in re tam gravi errores misceantur atque confusiones.

3. Canendi ritus suavis sit et devotus, ut finem sortiatur quem propter a sanctis patribus est institutus. Ut tamen reformati fratres ad alia spiritualia exercitia commodius se convertere valeant, officium recitabunt sine cantu, sed gravi, sonora, plenaque voce, ut supra dictum est. Poterit tamen guardianus in aliquibus solemnioribus diebus cantum etiam praecipere in hymno *Te Deum laudamus*, in missis, vesperis, et completorio, ut sibi magis in Domino videbitur expedire, ad saeculi devotionem et spiritualem suorum fratrum consolationem. Ad missas autem et ad alia canenda fratres idoneos de consilio et consensu custodis et discretorum loci guardianus destinabit.

4. In choro fratres omnes devotissimam compositionem observent, chōragis non innixi, neque corpore pervoluti, et maxime dum recitantur *Te Deum laudamus*, *Benedictus*, *Magnificat*, *Nunc dimittis*, et reliqua cantica aliique hymni, in quibus maior attentio requiritur.

5. Ad chorum omnes, nisi urgentissima necessitate praepediti, die noctuque accedere teneantur, neque choro exire liceat nisi de superioris licentia. Transgressores graviter coerceantur.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1595.	an. 3. et 4.	anno 19.	anno 388.

6. In choro post divinum recitetur semper officium beatae Mariae virginis, nec super hoc dispensetur, nisi in aliqua solemnissima die, ut paschatis et similium ex superiorum arbitratu.

7. Septem poenitentiales psalmi, defunctorum officium, psalmi graduales iuxta rubricas breviarii recitabuntur. Caveant autem superiores, ne ultra haec alia imponant fratribus in choro recitanda, ne potius spiritus opprimatur quam excitetur. Quod si imponantur alia, possint fratres nolentes assistere, absque alia licentia choro egredi, sed facta tantum superiori profunda reverentia: praeter tamen novitios et clericos quibus in nulla occasione absque expressa licentia choro exire licet.

CAPUT XVI.

De oratione.

1. Sanctae orationis studium in quo perfectionis radix sita est; tantopere in sacris Scripturis a Domino commendatum, fratres perpetuo amplectantur. Patres autem custodes duas orationis horas in ecclesia vel in choro a fratribus omnibus (nisi legitimo interveniente impedimento) cum Domino transigendas inviolabiliter praecipiant: post completorium unam, aliam (a die resurrectionis dominicae usque ad festum exaltationis sanctae crucis) post nonam: et ab hoc festo usque ad resurrectionem post matutinum.

2. In orationis principio aliqua spiritualis libri periodus ad spiritus excitationem legatur; vel etiam superior paucula spiritum redolentia verba pronunciet. Et quia spiritus libertas orationem consequitur, poterunt fratres huiusmodi orationi vacantes vel supra pedes vel genuflexi consistere, brachia in crucis modum extendere, vel alio quocumque modo honesto tamen et devoto corpus habere. Circa hoc negligentibus tam superioribus quam subditis poenae dantur graviores.

CAPUT XVII.

De pia disciplinarum flagellatione.

1. Ut caro mortificata spiritui subiaceat, pia disciplinarum flagella quibuscumque secundis, quartis, et sextis anni feriis (nisi solemni intercedente festo) sibi fratres adhibeant: et qualibet hebdomadae sanctae die psalmos et orationes recitantes, longius solito se disciplinabunt.

2. Ut vero sancta foveatur humilitas, iuxta laudabilem ordinis consuetudinem ter in hebdomada, secunda nempe, quarta, et sexta feria fratres omnes in capitulo suam culpam guardiano dicent. At novitii et qui nondum sextum religionis annum expleverint, quolibet mane; et universaliter quandocumque pro aliquo defectu impositum fuerit a superiore.

CAPUT XVIII.

De sacramentali peccatorum confessione et sanctissima communione.

1. In quocumque loco iuxta religionis consuetudinem et sanctissimi domini nostri papae decreta secundum familiae quantitatem duo, tres, vel quatuor destinentur sacerdotes confessarii, quibus omnes fratres sua peccata opportunis temporibus confiteri teneantur; et inter quos connumeretur semper novitiorum vel iuvenum magister.

2. Bis saltem in hebdomada fratres ad sacramentalem confessionem accedant.

3. Iuvenes in choro, vel in ecclesia, aut in alio patenti et convenienti loco, nunquam autem in cella in suis confessionibus audiantur.

4. Sacerdotes non legitime praepediti quolibet mane missas celebrabunt.

5. Clerici et laici saltem omnibus dominicis diebus sanctissimum eucharistiae sacramentum devotissime accipiant, et praeterea in solemnitatibus Domini nostri Iesu Christi, beatissimae Virginis, et sancti patris nostri Francisci.

CAPUT XIX.

De charitate fratribus forensibus exhibenda.

1. In quocumque loco sit frater unus foresterarius qui forenses fratres charitative recipiat; ad quem effectum duas saltem cellas omnimode accommodas semper praeparatas habebit cum suis lectulis, sine tamen anaclinteriis, papilionibus aliisque similibus profanis ornamentis. Verum poterit unam tantum syndonem vilem ac rudiorem in quolibet lectulo ad munditiam conservandam ponere.

2. Foresterarius etiam forenses fratres omni debito charitatis excipiet, eorumque pedes in communitate ad maiorum nostrorum praescriptum lavari faciet.

3. Reformati fratres ad oppida divertentes in quibus tantum familiae locus reperiatur, ad illum ibidem mansuri inviolabiliter pergant, sicuti fratres familiae, ubi non sunt, nisi reformatorum loca: nec alibi hospitium quaerant sub poena apostasiae et maledictionis, quam incurrunt scandalosi ordinis divisores.

4. Charitative igitur et in Christi amore fratres familiae et reformati mutuo se habeant et recipiant, ut Christi bonum odorem saecularibus effundant.

5. Haec sunt fratres et filii charissimi, quae pro vestra conservatione et animarum salute in unum colligere et vobis observanda proponere paterno zelo et amore decrevimus. Quae si exacta obedientia observaveritis, Dei benedictionem et nostram multo reformationum profectu et incremento consequemini. Valete in Domino semper.

Datis in Aracoelitano conventu die xx. Iunii mdxcv.

Loco ✠ Sigilli. F. Bonaventura a Calatahierone minister generalis.

XI. Multa idem generalis vulgavit pro fratribus recollectis in Belgicarum ac Galliarum provinciis degentibus.

F. Bonaventura a Calatahierone totius s. Francisci ordinis generalis minister et servus dilectis in Domino fratribus et filiis reformatis nostris in his Belgicis ac Galliarum provinciis salutem in Domino perennem.

De Gubernatis tom. 3. pag. 988.

Quod a s. sede apostolica et summis pontificibus, praesertim fel. rec. d. Clemente VII. sancte et pie sancitum est, nempe ut unaquaeque provincia nostra aliqua peculiaria loca in quibus illi, qui pure ac praesertim iuxta d. Nicolai III. et d. Clementis V. summorum pontificum declarationes sanctissimi patris nostri Francisci regulam quam professi sunt, observare et custodire cupiunt, vivere et Deo optimo maximo vota sua ardentiori quam alii solent, spiritu reddere possint ac valeant, designata habeat, sicut in toto fere nostro ordine et receptum et exequutioni est demandatum, conamur omnibus modis pro ratione officii nostri, cum Dei gratia promovere; id autem solum ob temporum calamitates bellorumque tumultus, quae nostrum praedecessorumque adventum ad vos varie prohibuerunt, his in provinciis nec quidem fuit attentatum. Iam vero cum primum divina misericordia ad vos pervenire potuimus, illud uti sanctum nostroque instituto necessarium opus et aggredi et simul perficere curavimus. Quapropter adhibito patrum vestrorum consilio, in singulis provinciis aliqua loca reformationis designavimus, fratres ac filios nostros in Domino hortati sumus, qualenus puriorem hanc vivendi formam et amplecti, et totis viribus omnique conatu custodire audeant. Leges autem ad illud institutum sancte conservandum, nullas alias adhiberi voluimus,

Digitized by Google

quam illasmet quae prudenti patrum consilio in generali congregatione praefixae fuerunt. Ad quas adamussim custodiendas, vos iterum atque iterum adhortamur, ac in Domino requirimus, ut sanctae vocationis vestrae memores, et sanctorum patrum nostrorum veri aemulatores apostolicae huius perfectionis institutum in dies magis vestra ex parte promovere studeatis curetisque, ut sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in coelis est. Valete.

PROLOGUS.

Familiare esse solet cunctis, qui christianae perfectionis veri amatores esse censentur, legem ad eum finem accommodam quam semper exquirant, ardenti animo postulare. Cumque plures religiosi sint, qui ad nostrae regulae arctiorem observantiam cum totius populi christiani aedificatione aspirent; hinc necessarium visum est r. p. Francisco Gonzagae generali ministro certos quosdam patres utriusque status deputare, qui simul coacti, maturo praemisso examine, quamdam vivendi normam ab eodem r. p. pro reformatis fratribus Italiae familiae excogitatam recognoscerent, fratribus recollectis nostrae familiae cismontanae, mutatis mutandis accommodarent; qui nimirum vivendi modus in capitulo generali intermedio, apud s. Ioannem Regum urbis Toletanae celebrato in die pentecostes anno Domini MDXXXIII. fuit summa omnium patrum consentione susceptus et approbatus. Atque adeo praedictum capitulum generale statuit et decrevit, ut omnes religiosi recollecti non solum statuta generalia, quae pro universa nostra familia in eodem capitulo statuta sunt, observent, sed et has constitutiones pro dictis fratribus recollectis conditas exequantur. Volentes, ut si quae sint speciales caeremoniae et vivendi formae in domibus vel provinciis recollectis, ad strictiorem regulae observantiam ad plenum observentur, dummodo non sint sacris canonibus et concilio Tridentino adversae et contrariae.

CAPUT I.

De instituendo et conservando recollectionis statu.

1. Tametsi dubitandum non sit, quod communis regularis observantiae status substantiam paupertatis in nostra regula praescriptae observet, et quod sit maxime necessarius reipublicae christianae, cum non solum sibi vivere sed et aliis proficere, ad imitationem seraphici Patris maxime cupiat: tamen cum non omnes ad haec ministeria sedulo aspirent, sed potius rigidam paupertatem arctamque vivendi formam nonnulli fratres ardenter conquirant: ideo ne rigidus ille nostrae primitivae religionis vivendi modus omnino lentescere videatur, statuitur, ut nulla sit provincia in qua non sint certa quaedam loca seu monasteria pro recollectis fratribus deputata, in quibus hae constitutiones ad unguem observentur, et reliquae omnes laudabiles consuetudines quae in his locis observari consuevere, retineant. Et cum experimento deprehensum sit, arctum recollectorum vivendi modum non solum necessarium esse ad augendam saecularium devotionem, verum et ad conservandam nostrae regulae puritatem et decorem, admonemus omnes ministros provinciales et reliquos omnes nostrae religionis praefectos, ut omnia recollectorum loca favoribus prosequantur, curantes ut in illis religiosi creentur, qui eidem vivendi formae se accommodent, et creatos iam, et educatos in eisdem locis conservent, non extrahentes eos ab ea vivendi forma in qua sunt educati nisi ex magna causa.

2. Verum cum non omnes provinciae unam et eamdem commoditatem habeant pro his instituendis et conservandis locis, numerum locorum recollectorum in quacumque provincia habendus relinquitur dispositioni provinciarum, dummodo nulla sit provincia, quae tria ad minus recollectorum loca non habeat. Rursus curare debent omnes provinciae, ut haec loca sint humilia, et non sumptuosa, in locis devotis et a saecularium commercio sequestrata: non tamen si fieri commode potest, sint multum distantia a magnarum urbium vicinitate. Nam, ut experientia docuit, ea recollecta monasteria quae populosis civitatibus sunt proximiora, ex oblatis eleemosynis magis quam ex mendicatis, quae ad victum et vestitum sunt necessaria, sibi comparare solent: atque ideo cum minori solicitudine rerum temporalium, cum maiori clausura et sanctae orationis exercitio vitam ducunt religiosi in huiusmodi locis commorantes.

3. Cum vero secundum sacrosanctum concilium Tridentinum nulla religiosorum domus plures debeat habere religiosos, quam qui ex consuetis eleemosynis sustineri commode valeant: ideo statuitur, ut omnes provinciae in suis comitiis provincialibus in singulis recollectorum locis taxatum numerum fratrum constituant secundum locorum exigentiam ita, ut publica lege cautum sit quot fratres debeat habere unumquodque recollectorum monasterium.

4. Verum cum rigida paupertas et debita clausura observari commode non possint, ubi multitudo magna fratrum fuerit, decernitur, ut nullum monasterium habeat plures quam viginti religiosos. Et quia ex nimia religiosorum paucitate vita regularis et communitatum sequela detrimentum interdum patiatur, statuitur, ut nullus recollectorum locus possit habere pauciores quam duodecim fratres.

5. Si vero modo aliqua sit provincia, quae nullum habeat recollectorum monasterium, praecipitur ministris provincialibus, ut quam primum ad suas provincias fuerint regressi, statim suarum provinciarum discretos convocet, et loca seu monasteria deputent, in quibus rite hae constitutiones observentur et vita recollectorum instituatur. Ministri vero provinciales secus facientes, suis officiis priventur.

6. Quia vero, ut sacrae litterae docent, hilarem datorem diligit Deus, nullusque cogendus est invitus crescere, ut iura decernunt, statuitur, ut nullus frater cogatur in istis locis degere. Quia tamen interdum contingit nonnullos fratres his locis destinari, qui idonei non sunt ad recollectam vitam ducendam; decernitur ut nullus frater possit in iisdem locis admitti ad commorandum sine expresso assensu guardiani et discretorum illius monasterii. Ne vero ex discolorum contubernio praedicta loca deformari aliquo modo valeant, praecipitur, ut nullus cui imposita sit poena luenda, possit deinceps ad recollecta monasteria mitti nec in eisdem admitti.

7. Tamen quia guardianorum institutio maxime conducere videtur ad memoratam recollectionem augendam et conservandam; statuimus ut nullus deinceps possit in guardianum eligi loci recollecti nisi tunc temporis, quando est eligendus, fuerit per biennium expletum in aliquo recollecto monasterio commoratus, vitamque recollectorum communem ducens; et aliter facta electio sit irrita et nulla.

8. Tandem ordinatur, ut singulis annis semel ad minus conventus recollectorum visitentur a ministro; et ne oblivioni tradantur, quae a ministro fuerint pro manutenentia recollectionis ordinata, statuimus, ut in singulis locis re-

Digitized by Google

collectis sit liber quidam, in quo omnia in visitatione animadversa scribantur cum subscriptione provincialis, guardiani, et discretorum eiusdem loci.

9. Item iubemus, ne praelati quando ad recollecta monasteria accedunt, secum ducant saeculares vel religiosos, ne praedicta loca graventur vel distrahantur: sed suis tantum sociis comitati illa monasteria ingrediantur. Eademque ratione praecipimus, ut nullus religiosus captandae recreationis gratia possit, etiam cum licentia superioris, illa monasteria petere, nec a guardiano et a fratribus in eisdem possit recipi.

10. Praeterea statuitur, ut in omnibus recollectorum locis, si commoditas adsit, ex licentia ministri provincialis debeant et possint novitii recipi et educari, cum quibus omnes conditiones servabunt in constitutionibus positas.

CAPUT II.

De divino officio, silentio, et oratione.

1. In primis licet ritus cantandi divinum officium pius sit, et a sanctis patribus salubriter institutus et introductus; tamen ut patres praefatorum locorum liberius orationi et contemplationi vacent, ac in omnibus ad poenitentiae lamenta salutaria reliquos suo exemplo provocent, observandum erit, ut divinum officium in dictis locis non cantetur, sed devote sine nota ab omnibus dicatur: et sic reverenter ac pie in dicto officio se habeant, ut Deum optimum maximum quem praesentem et sui obsequii inspectorem habent, oculis corporeis conspicere videantur. Et ita religiose procedent, ut hora secunda vel circiter post mediam noctem officium matutinale finiatur, ut maneat tempus in oratione et devotione expendendum. Et vigilent superiores, ut quae legenda vel dicenda in choro seu communitate studiose praevideantur. Nullus tamen eximatur a choro, seu alia communitate nisi necessitate urgente, et hoc de speciali licentia guardiani.

2. Ut vero exercitium orationis spiritu devotionis magis increscat, cui caetera temporalia inservire debent, qualibet die totius anni duae horae et dimidia orationis modo infrascripto habeantur; videlicet post matutinale officium una hora: post primam dimidia: post completorium una hora. Sed a resurrectione usque ad festum s. crucis propter noctium brevitatem, orationis hora post nonam habeatur. In diebus autem ieiuniorum orationis hora habeatur ante prandium.

3. Et quoniam devota lectio orandi materiam subministrat, semper aliqua lectio devota breviter legatur de stimulo divini amoris, aut elevatione seu itinerario mentis in Deum, aut arte serviendi Deo, vel altero libro devoto. Vigilent autem praelati diligenter, ut omnes fratres tempore deputato in oratione se occupent; et si quispiam contrarium egerit, diebus octo in oratione cum novitiis in loco novitiorum permaneat.

4. Quoniam autem bonum est praestolari cum silentio salutare Dei, et mors et vita in manibus linguae, et silentium est clavis animae, cultus iustitiae, ac domus religiosae decor et venustas, ideo laborent fratres servare silentium primo in locis debitis videlicet in choro, in dormitorio, in ecclesia, et in refectorio tam in prima quam in secunda mensa, et hoc non solum a residentibus in loco, sed etiam a forensibus. Secundo horis debitis, nempe a completorio usque ad primam diei sequentis pulsationem, exceptis tamen hospitibus de novo venientibus, quibus fratres debent ministrare et illos recipere charitative et benigne, eosque cum licentia guardiani associare, et cum eis submissa voce loqui debent. Similiter hora dormitionis a festo resurrectionis Domini usque ad festum exaltationis s. crucis, quolibet die transacta hora post

prandium pulsetur campanella refectorii, et ex tunc sileant usque ad nonam. In diebus ieiuniorum sileant simili modo, et pulsata campanella refectorii post prandium silentium servent, donec fiat signum ad surgendum a somno. Si quis autem silentium fregerit, culpam suam coram fratribus humiliter in communitate explicabit, eique a guardiano secundum exigentiam culpae poena imponetur. Non tamen dicuntur silentium infringere, quando pro rebus necessariis loquuntur submissa voce et breviter, scilicet per spatium unius Ave Maria. In aliis autem locis et temporibus, fratres in suis locutionibus caveant a strepitu verborum, in quibus modestiam et brevitatem, quantum fieri poterit, servare studeant; quia in multiloquio non deerit peccatum. Studeant quoque praedicti fratres servare silentium evangelicum, devitantes verba otiosa, superflua et vana, ac multo magis colloquia prava et iniqua, quae bonos mores corrumpunt.

5. Caeterum quoniam ubi omnibus omnia patent, ibi non est vera religio, ut d. Bernardus refert et docet; ideo tempore orationis aut silentii nullus saecularis introducatur in locum, nisi urgens necessitas iudicio guardiani aliud requireret, et tunc non permittant illos per locum discurrere, ne inde religiosorum quietem turbari contingat.

CAPUT III.

De observantia paupertatis.

1. Quoniam regula nostra dicit fratres omnes vestimentis vilibus induantur, et Christus ait: qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt: ideo istorum locorum fratres taliter induantur, quod omnis curiositas et pretiositas longe sit ab eis. Et in vestimentorum suorum pretio et colore semper asperitas, paupertas et vilitas iudicio praelati reluceant, observata tamen quoad colorem uniformitate provinciae. Et ne in modo vestiendi deformes cum saecularium admiratione appareant, sequentur omnes hanc formam, videlicet quod longitudo habitus ad superiorem partem pedis perveniat: latitudo autem sit ad minus duodecim vel quatuordecim palmorum aut sexdecim ad summum. Quod si alicuius corpulentia maiorem latitudinem requirat, fiet iuxta praelati iudicium; manicae habitus habeant in ore latitudinem palmi ad minus, et in altero extremo duorum fere palmorum. At caputii latitudo non transeat a lateribus oonum iuncturae humerorum, sed ad illud perveniat: longitudo autem illius a parte posteriori cingulum non excedat, sed ad illud fere perveniat. Mantella vero excedant genua semipalmo.

2. Nullus praedictorum fratrum habeat nisi unum habitum et tunicam unam; ideo in quolibet conventu in loco communi habeantur aliquot habitus et tunicae, quibus quando voluerit subveniantur, et istorum habituum curam habeat aliquis frater, ut nitidi serventur.

3. Missae in istis domibus non recipiantur pretio dicendae, sed omnes dicantur pro intentione quam Christus habuit in cruce, et generaliter pro vivis et mortuis. Quod si aliquando ab aliqua persona benefica multum fuerint molestati ad dicendam aliquam missam alicui in particulari applicandam, et non possent sine scandalo renuere, tunc dicantur mere charitative, nullo penitus habito remunerationis pacto vel intuitu. Caveant tamen fratres ipsi, ut usus recipiendi peculiares missas nullo modo in istis domibus introducatur, et si introductus fuerit, tollatur omnino.

4. Nullus autem praelatus in provinciis seu domibus recollectis possit ex quacumque causa missas distribuere, nec deinceps etiam alicui fratri recollecto,

Digitized by Google

vel forensi in locis recollectis existenti facultatem conferre, ut valeat missas vel missam in particulari applicare, vel pro sua intentione dicere: et praelatus qui secus fecerit, suo officio privatus existat: et missae aliter applicatae non valeant. Nam capitulum generale in perpetuum applicat intentionem omnium sacerdotum ordinis nostri in monasteriis recollectis celebrantium pro ea intentione, quam Christus habuit in cruce, et si quae licentiae fuerint datae, praesenti constitutione abrogantur omnino.

5. Quia vero dictorum locorum fratres regulam nostram seraphicam strictiori modo (ut par est) servare cupiunt, ideo attendant declarationi d. Clementis v., quae dicit ne personam aliquam habeant in domo vel extra, quae pecunias pro fratribus recipiat aut servet; nulloque in loco denarios depeni faciat, sed praelatus necessitates loci praesentes vel imminentes manifestari paterit benefactori offerenti pecuniam, videlicet indigentiam olei, piscium, caeterorumque similium: quod si libere eis largiantur, poterunt fratres cum benedictione Dei ipsas res recipere, denarios autem minime. Ipsi autem praelati quoad provisionem necessitatum fratrum solicitam curam gerant, circa duo attendenda, videlicet circa puritatem regulae observandam, et fratrum necessitatem providendam. Unde res necessarias pro Dei amore eis oblatas non respuant, sed benigne cum omni benevolentia recipiant, gratias agentes Deo, qui temporalia adiicit iis, qui primo regnum Dei quaerunt et iustitiam eius. Si autem oblata eis non sufficiunt, recurrant ad mensam Domini, petendo eleemosynas confidenter. Discant tamen modicis esse contenti et superflua respuere, ut sciant cum d. Paulo abundare et penuriam pati, reminiscentes se esse professores altissimae paupertatis, quae divitum abundantiam compensat virtutibus et temporalia commutat aeternis.

6. Mustum autem nullo modo petant in vindemiis, nec triticum, nec hordeum tempore messium quaerant. Aliae vero eleemosynae moderate fiant, eo modo et forma, quibus provinciales cum guardiano et discretis loci expedire iudicaverint. Sed fratres ipsi in tanta paupertate constituti non despondeant animo, aut nimia solicitudine anxii sint, sed credant firmiter verbis illius, qui pascit aves non congregantes in horrea, et modica solicitudine in Deum curam proiiciant, quoniam ipse curam eorum habebit.

7. Si vero necessitas tantum urgeat, ut non possint conventus recollecti commode sustentari, nisi mustum tempore vindemiae, et triticum tempore messis petant, et nisi habeant syndicum, conceditur eisdem conventibus, ut ex licentia ministri provincialis et discretorum provinciae in scriptis obtenta, possint praedicti conventus habere syndicum, et mustum et triticum petere.

8. Et quoniam vult Deus adorari in spiritu et veritate, et secundum quod decens est statui servientium, ornamenta sacrorum curiosa vel pretiosa, puta de auro, argento, vel serico deinceps ipsi non recipiant: possint tamen receptis uti. Neque in posterum fieri faciant, aut recipiant thuribula, vel alia vasa argentea, exceptis calicibus moderatis et vasculo (quod decet esse argenteum) pro servando eucharistiae sacramento, et alio pro habendo oleo infirmorum.

9. Mappas etiam non habebunt ullo tempore in refectorio, sed tantum manutergia, ut intus et foris paupertas reluceat. Atque adeo uno atque altero iumento humili sint contenti, si sine eo manere non possunt, et iudicio praelati, guardiani et discretorum loci sit omnino necessarium.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De interiori et exteriori conversatione.

1. Studeant fratres se ipsos ad Deum devote colligere, et ei ac passioni dilecti filii sui Domini nostri per lectiones, meditationes, orationes et contemplationem sic se unire, ut quaerentes legendo, inveniant meditando, et pulsent orando, secreta divina ut eis pateant contemplando: et sic sincere et devote in omnibus se gerant, ut alterius conversatio sit alteri in exemplum, et dum convenire simul habuerint, in psalmis, hymnis, seu in devoto silentio persistere curent.

2. Quia vero exterioris hominis castigatio interioris est vigoratio, ideo ut corpus in servitutem spiritus redigatur, et ut passionis Christi memoria multis modis habeatur, fiat per totum annum disciplina diebus singulis (exceptis diebus duplicibus et festivis) in illis locis, in quibus haec consuetudo inolevit; in aliis vero ad minus tribus diebus, ut in constitutionibus generalibus continetur, nunquam intermittatur.

3. Item ut magis possint in humilitate et asperitate crucem portare post Christum, si quis eorum fratrum voluerit abstinere a carnibus, vel vino, et alias quascumque austeritates et poenitentias facere, dummodo sint discretionis sale conditae, a praelatis fieri permittantur: ipsi tamen praelati (qui uti spirituales debent omnia iudicare) possint interdum filiorum suorum fervorem remittere.

4. Praeterea si dicti fratres nudis pedibus incedere voluerint, non prohibeantur sub colore uniformitatis; quando tamen fuerint praetereundo in aliis conventibus, si sibi per praelatum impositum fuerit, sumant calepodia.

5. Et quoniam multam malitiam docuit otiositas, et qui non vult operari non manducet, ut docet Paulus, si aliquod exercitium occurrerit pro bono conventus, hora a praelato deputetur pro illo peragendo, ad quod omnes fratres, et unius moris in domo Dei convenire debent. Si autem operandi non occurrerit necessitas, non occupentur in corporali exercitatione (quae ad modicum utilis est) nisi iuvenes, laici, et novitii, quibus labor et occupatio valde expedire solent. Ita tamen quod super omnia attendant praelati cultui divino, orationi, contemplationi, et adorationi, quia pietas ad omnia valet promissionem habens vitae, quae nunc est et futurae.

6. Et ut fratres occasione privationis luminis extrinseci, lumen invisibile avidius quaerant, et ferventius studeant librum vitae: *in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei absconditi*, nullus illorum habeat in nocte lumen in cella, nisi forte ex causa cum utilitate animarum, praelati cum aliquo duxerint dispensandum.

7. Quoniam autem iustus in principio sui sermonis accusator est sui, culpas suas dicent fratres ter in hebdomada, videlicet diebus lunae, mercurii, et veneris.

8. Caveant etiam, ne sub reformatorum nomine confusibiliter vagentur. Ideo nec pro civitate petenda seu oppido licentiam petant: sed si negotium aliquod habent, expectent donec a praelato alia de causa mittantur, ut in omnibus salutaris obedientiae scuto adiuventur. Saecularia ergo negotia cuncta, parentum visitationes, atque amicorum confabulationes, ac discursus et evagationes omnino curent evitare, et ad haec per superiores compellantur.

9. Quia vero absurdum est, et ordini nostro iniuriosum, atque a christiana et fraterna dilectione valde alienum fratres de observantia regulari iter agentes,

Digitized by Google

ad loca dictorum restrictorum non accedere, sed alio se recipere; et viceversa fratres huiusmodi strictioris vitae transeuntes per civitatem, oppidum, seu castellum in quo conventus praefatorum fratrum de observantia existit, ad dictos conventus non ire, sed apud saeculares vel alibi hospitari: ideo a tali absurditate tam illi, quam isti deinceps omnino abstineant. Quod si contrafecerint, severe per superiores puniantur, tamquam fautores divisionis, rixae atque discordiae. Cavete igitur, fratres mei dilectissimi, ne verbis, signis, aut quomodolibet aliter fratres alios de observantia irrideatis, increpetis, vel vilipendatis, quasi vos soli fastigia perfectionis attigeritis. sed potius memores sitis illius dicti Salvatoris: *cum haec omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* Et d. Pauli dicentis: *is qui manducat, non manducantem non spernat: et qui non manducat, manducantem non iudicet; Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autem; potens est enim Deus statuere illum. Nolite ergo,* fratres amantissimi, *ante tempus iudicare; sed magis unusquisque vestrum* (ut in regula) *iudicet et despiciat semetipsum.* Si quis ergo ex vobis inventus fuerit, qui verbo vel facto aliorum conventuum fratribus detrahere praesumpserit, condigna poena plectatur a superioribus tamquam divisor tunicae inconsutilis s. Francisci.

10. Item statuitur, ut tempore adventus et quadragesimae tribus diebus cuiusque hebdomadae, videlicet die lunae, mercurii, et veneris abstineant omnino a piscibus nisi guardianus cum discretis dispensaverit.

11. Item ordinatur, ut in singulis locis recollectis ultra suffragia ordinaria, quae pro defunctis fratribus fiunt in provincia, singuli sacerdotes dicant quinque missas pro fratribus defunctis recollectis, qui morabantur in conventibus recollectis, quando ab hac luce migraverunt.

12. Fratres qui non sunt sacerdotes, bis in hebdomada confiteantur, et singulis dominicis Corpus Domini devote recipiant.

13. Demum ordinationes istae a cunctis fratribus strictioris vitae perfecte ad unguem observentur, illibate impleantur, et saepe in communitate fratrum legantur, et memoriae magis haereant, et transgressores illarum secundum culpae exigentiam rigide puniantur; licet ex earum transgressione nullum ad peccati vinculum teneri velimus, nisi alias ex divino vel alio praecepto ad id teneantur.

14. Ut autem ista melius observentur, et plures ad sequendum vitam istam arctiorem magis excitentur, monemus omnes nostrae religionis praelatos, ut totis viribus foveant, et opitulentur, ac perhumaniter tractent fratres ipsos strictioris vitae. Nihil molestiae eis inferant, vel ab aliis inferri patiantur, sed eos Domino habeant commendatos ita, ut nulli pacem turbent, aut quietem impediant. Nulli ergo licebit hunc vivendi modum turbare, infringere, vel quovis quaesito colore immutare. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, sciat se contra voluntatem Dei et s. patris nostri Francisci facturum.

XII. Fratres discalceatos in Hispaniarum regionibus commorantes posse ad romanam curiam ac ad alia loca pro explendis eorumdem negotiis sive per ministros provinciarum, sive per alios eorum nutu delectos accedere sancivit cardinalis Matthaeius ordinis patronus.

Hieronymus tituli s. Pancratii s. r. e. presbyter cardinalis Matthaeius nuncupatus, totius ordinis s. Francisci regularis observantiae, et eiusdem

omnium religiosorum ubique gentium commorantium universalis protector, corrector et gubernator etc.

Matriten. in bull. tom. 1. pag. 381.

Reverendis in Christo patribus generali ac eius commissario generali fratrum de minori observantia, ac dilectis in Christo caeteris omnibus inferioribus praelatis dicti ordinis, praesertim in partibus Hispaniarum et regno Castellae commorantibus ac eorum universis et singulis, ac vestrum cuilibet in virtute sanctae obedientiae, sub privationis omnium et quorumcumque vestrorum officiorum ac dignitatum, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, necnon vocis activae et passivae in capitulis et conventibus monasteriorum, ad quem vos declinare, et in quibus vos residere contigerit, eo ipso quo contrafeceritis, vel aliquis vestrum fecerit, incurrerint, et aliis poenis arbitrio nostro imponendis et infligendis, praecipimus et mandamus, ne directe vel indirecte, aut quovis quaesito colore vel ingenio per vos vel interpositam personam audeatis aliquo modo impedire ministros provinciales pro tempore existentes discalceatorum ordinis s. Francisci provinciarum s. Iosephi, et s. Pauli Hispaniarum, vel ab eis deputatos vel deputandos pro infrascriptis negotiis transmittendos, quominus possint apud sedem apostolicam, et eiusdem in partibus Hispaniarum nuntium, aut alios quosvis sanctae sedis ministros pertractare quaecumque negotia, quae pro ipsis fratribus, eorum conventibus ac provinciis iudicaverint expediri; imo ab illatis molestiis et impedimentis forsan praestitis alicui praedictorum et aliorum discalceatorum, si quas intulistis vel aliqua praestitistis, desistatis, nec imposterum inferatis vel imponatis carceres, poenitentias, vel cuiuslibet generis poenas magnas vel parvas, propterea impositis relaxetis, et ab eis discalceatos praefatos et eorum quemlibet absolvatis, permittentes eisdem, quod ad curiam, necnon ad oppidum Matriti ac alia oppida, loca, civitates et provincias, quae et quas ipsi iudicaverint expedire, pro faciliori expeditione dictorum negotiorum accedere, et tempore necessario commorari et alia facere, quae ipsis, et ab eis deputatis vel deputandis videbuntur necessaria et opportuna licite possint et valeant. Nos enim praedictis provincialibus et fratribus discalceatis praemissa omnia permittimus, concedimus et indulgemus.

Datis Romae in aedibus nostris VI. *calendas Augusti an.* MDXCV.

Loco ✠ Sigilli *Cardinalis Matthaeus protector.*

Thaddaeus Palatius secret.

XIII. Dum haec pro alenda in ordine pietate regularique observantia tutanda agebantur, quaedam ordinata fuere pro missionariis franciscanis ad Indorum infidelium conversionem designatis. Franciscus enim de Arcubiana procurandis ordinis negotiis in curia romana praepositus, anno nox elapso mandavit Antonio Ortiz commissario generali super Peruanas provincias, ut in quibuslibet sibi commissis duas vel tres recollectionis domus pro iisdem instituerent, in quibus verbi Dei praecones per octennium idioma nationale, spiritum moresque seraphicae vitae accommodis, antequam eo accederent, ediscerent; item ne missarum onera susciperent, cum continua pietate providerentur a Philippo II. Hispaniarum rege catholico.

De Gubernatis tom. 3. pag. 460

XIV. In Indiis occidentalibus pro vera Christi confessione martyrium illustre subiit die XX. Decembris Albertus Gallus sacerdos inculpatae vitae, laboribus pluribus exantlatis in infidelium conversione. Topiqui in Florida Ame-

Albertus Gallus m. Daps lib. 2. c. 58.

Digitized by Google

ricana ad quam fidei lumine collustrandam missi fuerant anno MDLXXXVIII. franciscani, martyrii coronam accepit Blasius Rodericus, sive Blasius de Monte sacerdos, natus in pago Vallis Placentini in Extremadura, cooptatusque inter discalceatos provinciae s. Gabrielis. Eius et suorum acta descripsit Ludovicus Hieronymi Limae anno MDCXII. edita.

Ann. min ad an. 1568. num. 23. Blasius Rodericus m. Sbaralea in suppl. ad num.

XV. Meritorum plenus obiit die XXI. Iunii in coenobio Mechlinensi provinciae Germaniae Inferioris Florentius Leydanus, vir integerrimus ac diversis in ordine tum guardiani tum provinciae ministri muneribus cum laude perfunctus, cuius officia in turbolentis plane temporibus explevit. Ipse enim circa an. MDLXXX. quo Iconoclastae per Belgium furentes, cuncta ferro et igne vastabant, commissarius generalis et verbi Dei praeco ferventissimus erat, ac divini amoris aestu succensus, in depravatos deviorum mores palam arguendos, ac crimina sine personarum exceptione extirpanda assiduus. In primis vero haereticae pravitati bellum acerrimum indicens, novatores in Hollandia tum publicis concionibus tum privatis colloquiis concertationibusque perpetuo insectabatur, a quibus saepe verberibus affectus, ingentes aerumnas perpessus est. Sepultus fuit honorifico in loco in capitulari domo, ubi adhuc extare epithaphium narrant monumenta mss. provinciae. Scripsit *historiam novorum in Germania Inferiori martyrum ordinis s. Francisci*, cui accedit *enarratio martyrii aliorum quorumdam eius ordinis religiosorum in partibus Galliarum*. Primum haec vulgata fuerunt Neapoli anno MDLXXXI. tum anno MDLXXXII. Ingolstadii.

Florentius Leydanus. *Monum. prov.*

Wadd. et Sbaralea lit. F.

XVI. In coenobio s. Mariae de Iesu Valentiae feria IV. infra octavam pentecostes pie occubuit Dominicus Gallart, de quo nomen dumtaxat habent Bollandistae, natus in loco de Paticosa dioecesis Iacensis in Aragonia, cuius acta notavit Ioannes de Ayora eiusdem provinciae ac instituti. Adhuc infans, ab eius perditi moris noverca in ardentem fornacem coniectus, singulari Dei praesidio illaesus evasit. Divenditis rebus ac in pauperes erogatis, in humili laicorum statu Deo inservire voluit inter fratres minores de observantia. Tantis divinae gratiae muneribus excultus apparuit in ipso suo tyrocinio, ut et novitiis ac provectioribus in pietate consodalibus exemplar foret et magister. A Deo ferme toto vitae suae tempore variis gravibusque infirmitatibus probatus invicta animi fortitudine tolerabat, muniaque sua interim hilari semper facie explebat. Vitam duxit asperitatibus plenam; modico pane et aqua utebatur; breve carpebat somnum vel pedibus stans, vel sellae adhaerens, vel genibus provolutus. Multa a daemone tulit, quem oratione signoque crucis devincebat. Saepe tamen recreabatur visione Deiparae quam singulari prosequebatur devotione, virginalem eiusdem pudicitiam imitatus. Vivus et mortuus inclaruit miraculis, quorum specimen exhibet Daça ex actis Valentiae auctoritate ordinaria confectis.

Dominicus Gallart. *Acta ss. ad diem 18. Maii. Sbaralea lit. I.*

Daça lib. 4. c. 28.

XVII. Die XII. Iunii ad astra migravit tumulum nactus in ecclesia monasterii monialium Belvisii de Poenitentia dioecesis Placentinae Franciscus a Constantina sacerdos ex provincia Angelorum, magisterii novitiorum perfunctus munere per annos XL. Sanctimonialium confessarius Belvisii ex obedientia designatus, virtutes quibus antea floruerat, auxit ac fovit. Pietatis dono a Deo cumulatus, orationi ac contemplationi iugiter vacabat. Sacrum totus in lacrymas effusus peragebat. Non semel consacratione peracta, sub specie formosi pueri illi se benevole ostendebat Christus Iesus, cuius aspectu, amplexibus, et osculis deliciabatur. Cilicium iugiter deferebat, ieiunia geminabat, breveque

Franciscus a Constantina. *Idem ibid. lib. 51.*

Digitized by Google

sonoum vel super asseres vel super tabulam carpebat. In coenobio s. Francisci Estellae in provincia Burgensi Deo animam reddidit die xxvi. eiusdem mensis Petrus Romero laicus altissimae contemplationis, qui licet litteris nescius, mira tamen de rebus divinis eructabat. Cellam de nocte unquam incoluit, nec lectulo usus est, sed supra defunctorum sepulcra stratus. Dei misericordiam pro ipsis implorabat, et mortis memoriam recolebat.

Petrus Romero. *Monum. prov.*

XVIII. Die xxvi. Novembris raptus est in coenobio s. Mariae de Iesu Plateae in Sicilia Innocentius a s. Lucia sacerdos, fervidus verbi Dei concionator, cuius virtutes fuse notantur a Benedicto Mazzara. Maiorum venia e minorum de observantia instituto ad refermatos fratres transiit, inter quos emicuit corporis afflictatione, assidua oratione, eximio Dei amore, ac erga devios humanitate, quos Christo Iesu plurimos adduxit. Saepe elevabatur vivida interim luce circumfusus. Reatae in Sabinis in coenobio s. Antonii provinciae Romanae obiit in osculo Domini die xvii. Iunii Angelus Picenus laicus, singulari bonitate ac perfectione pollens, de quo pauca inter praetermissos scribunt Bollandistae. Is ad tantum perfectionis cumulum devenerat, tantaque animi puritate erat exornatus, ut angelus in carne videretur. Eius animam ascendentem coelum recte petentem vidisse sanctimonialem quamdam clarissam monasterii eiusdem civitatis tradunt.

Innocentius a s. Lucia. *Mazzara tom. 2. p. 339.*

Angelus Picenus. *Acta ss. ad diem 17. Iunii.*

Barstius part. 4. pag. 1276.

XIX. Iustorum mortem die xiii. Ianuarii oppetiit in coenobio reformatorum s. Mariae Secundae Morlupi in eadem provincia Sanctes a Ripatransonum, sive a Cupramontana Picenus, ibidem natus anno mdl. nomenque in baptismate Oliverius sortitus, patre Francisco Coptrano, sive de Colfano, et Olivera matre. Septem cum esset annorum, ab eis, ut et litteris et pietate erudiretur, traditus cuidam sacerdoti probatae vitae tantum in iis profecit, ut decimo sexto aetatis suae anno, virtutibus eximiis floreret, et disertus rhetor censeretur. Cum autem divina gratia inspirante, se Deo perpetua servitute mancipare, ac sub vexillo s. Francisci militare statuisset, re collata cum praeside coenobii patriae suae, ad ministrum provinciae minorum observantium missus, sacro habitu donatus fuit in coenobio s. Francisci Massae eiusdem provinciae anno aetatis xvii. Oliverii nomine in Sanctem commutato.

Sanctes a Ripatransonum. *Id. ibid. p. 1094.*

XX. Emissa professione, philosophicis ac theologicis studiis assiduam operam navavit, in quibus praestans cum esset, primum ad sui ordinis tyrones edocendos, mox vero ad verbum Dei disseminandum designatur. Exegit etiam munus coenobiorum praesidis et moderatoris conscientiae monialium clarissarum eiusdem civitatis. Verum cum per id temporis florerent in provincia Romana ob arctiorem quamdam vivendi rationem franciscani fratres reformati, eorumdem fama commotus, inter eos connumerari cupiebat. Spiritu tamen tepescere inceperat; at a dura solicitudine pressus, quod mente conceperat, tandem hoc modo explevit. Erat in monasterio clarissarum patriae suae una monialis sanctitatis opinione eximia, multisque a Deo revelationibus ditata, cuius ipse spiritum iam probaverat. Vulgata suarum revelationum fama, nonnulli et eam irridebant, et conviciis exponebant. Tunc Sanctes moniali iussit, ut cuncta scripto de eis notaret, de quarum revelationum veritate ipse postea vindicias suscepit. Hinc apud sacrum inquisitionis tribunal velut fabularum propugnator insimulatus, Romam se contulit, ut et seipsum et monialem a calumnia vindicaret.

XXI. Hoc negotio feliciter expleto, provinciae Romanae reformatis nomen dedit, ac in coenobio s. Pauli Natiani destinatus, totum se dedit rerum divinarum contemplationi, ieiuniis ac austeritatibus. Post biennium Romam adve-

Digitized by Google

niens, incoluit s. Francisci Transtyberim conventum, ubi prae aliis locis eorum fratrum vigebat regularis observantia. Cum autem de mittendo in Picenam provinciam commissario eiusdem instituti ageretur, tum Matthaei cardinalis protectoris tum aliorum fratrum consilio eo Sanctes destinatus fuit, ut eius exemplo, doctrina, et auctoritate illos ad arctiorem vivendi formam, a qua sensim defecerant, revocaret. Quod et obtinuit, ubique renovata religiosa pietate.

XXII. Romam inde reversus, iterum petiit coenobium Natiani, ubi virtutibus, meritis ac doctrina penes omnes florens, omnium animos in sui admirationem attraxit. Toto quadragesimali tempore, singulisque per annum festivitatibus concionabatur in oppidis locisque conventui finitimis, licet stomachi infirmitate gravatus. Aliquando etiam bis et pluries per diem praedicabat, eo tamen successu, ut quamplures e peccatorum coeno ad viam virtutis revocaret. Cum autem conciones haberet, omnes urbium pene et oppidorum incolae ad eum audiendum confluebant, intermissis negotiis occlusisque domibus; qui quidem non semel testati sunt ex eiusdem oculis lucem instar solis prodiisse, interiori Spiritus sancti gratia inflammatus. In audiendis interim christifidelium confessionibus multus erat, et antequam sacrum faceret, praemissa ferventi prece, sacerdoti quotidie suam conscientiam aperiebat.

XXIII. Multoties meruit ss. apostolorum Petri et Pauli, s. Ioannis evangelistae, s. Ioannis Baptistae, et seraphici patris Francisci praesentia recreari. Apparuit etiam ei b. v. Maria, dum eam ferventer exorabat, ut a Filio suo cordis sibi puritatem impetraret; quam vix intuitus, in genua provolutus, humilitate ac devotione summa adoravit, ac uberrimis faciem lacrymis irrigans, in haec verba prorupit: *unde hoc mihi, ut mater Domini veniat ad me?* Tunc pientissima Virgo extenso dextero brachio, manu sua tangens eius pectus: *accipe*, inquit, *donum puritatis, ut inde mundus sis corde;* et his dulciter prolatis, evanuit. Christi Iesu colloquio donatus, ac favoribus etiam ditatus fuit. Cum totus in eius passione recolenda versaretur, eiusque affectus compassiva teneritudine in eum trasformaretur, illi et apparuit Christus, eumque admonens, ut se paratum praeberet ad quaeque pro sui amore subeunda. Tunc Sanctes dixit: *paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; hic ure, hic seca, ut in aeternum parcas.* Ex tunc qua poterat animi puritate, devotione, et humilitate mentem ac cor muniebat, ut Christi Iesu donum digne mereretur accipere. Hinc intense orans in cellula, iterum Christus ei apparuit qui tam ingenti dolore, invisibili vulnere, vulnerum suorum corpori eius passionem impressit, maxime vero in capite, latere et palmis, ut nisi Christus eum liniisset, brevi se crederet moriturum. Attamen sacrorum vulnerum Iesu Christi dolorem sustinuit in suo corpore a die XVII. Septembris usque ad XXI. Novembris. Hoc privilegio famulum suum insignivit Christus, ut dolorem experiretur illapsa vi vulnerum, et cruenta signa non apparerent. Facti memoriam praeter Baretium tradit Tiepolus primicerius patriarchalis ecclesiae s. Marci Venetiarum in libro, cui titulus *le considerazioni della passione di nostro Signore ec. trattato IV. cap.* **32** *num.* **6** *et cap.* **36**

XXIV. Spiritu prophetico etiam inclaruit ita, ut et ventura praediceret, absentia nunciaret, multorumque cordis arcana detegeret. Cuidam incolae Natiani Biancone nuncupato, multis ipsisque gravissimis sceleribus irretito suasit, ut confiteretur, quia proxime moriturus erat; at ille in peccatis obfirmatus, infirmitate post aliquot dies praeventus, immundam animam exhalavit. Tribus

sororibus de tertio ordine in eadem domo infirmis, impertita benedictione, praedixit sanitatem recuperaturas; et illico convaluerunt. Paucis diebus antequam moreretur, perrexit cum socio ad oppidum Morlupi. Videns ibidem socius quoddam aquarium marmoreum longitudinis palmorum septem, proportionataeque latitudinis, dixit viro Dei: *vere haec urna fratribus nostris esset percommoda, in qua possent pannos lavare:* cui Sanctes: *in veritate dico tibi, quod pila haec conventui deportabitur, non ut laventur panni in ipsa, sed usui nobiliori servabitur*, sicut post sui mortem, ut mox videbimus, evenit. Ex quo apparet ipsi a Deo fuisse revelatum mortis suae tempus.

XXV. Licet prae abstinentiis, ieiuniis vigiliisque multis pene attritus, cilicio cinguloque ferreo revinctus, et adversa semper valetudine viribus pene consumptus, singulis tamen diebus nudatis pedibus ad Morlupi oppidum accedebat, populo Dei verbum concionaturus. Cum autem die circumcisioni Domini sacro, rigente die post obitam concionem in coenobium rediret, a valida febri et a peracuto pectoris dolore correptus, decessit infirmus fere moriturus. Hilari tamen vultu dolores multiplices sustinebat, Deo suo expansis manibus et oculis in coelum elatis gratias agens, qui eum tali ante mortem benedictione praevenisset. Tandem adveniente die XIII. Ianuarii, quae feria sexta erat, Christi passionis recolendae iugiter intentus, omnibus ecclesiae sacramentis refectus, agonem suum Domino humiliter commendabat. Hinc expletis vitae suae annis XLV. inter consodalium suorum manus Deo animam efflavit in sero, cuius corpus suavem odorem spirans, ad satisfaciendam populorum eo confluentium pietatem insepultum remansit quatriduo, donec voluntate incolarum Morlupi intra praefatam urnam, in quam se imponendum praedixerat, marmoream occlusum, positum fuit ad laevam altaris maioris ecclesiae eiusdem coenobii, ubi etiam ad praesens perseverat. Antequam tumulo mandaretur, in eius aerea effigie incisa, mandato Bartholomaei Bergomensis provinciae Romanae reformatorum custodis, apposita fuere haec verba: *frater Sanctes a Ripatransone ordinis minorum de observantia reformatorum obiit anno Domini* MDXCV. Et inferius

Nomen habet Sanctes: sunt haec praesagia rerum:
Maxima, et hoc nomen grandius omen habet
Transonem Ripam sancto de nomine dictus
Creditur in coelis nunc habitare pius.

XXVI. Eum coeleste regnum petiisse aliquot sociatum sanctis instituti minoritici quaedam virgo ordinis s. Dominici spectatae vitae vulgavit, et Elisabeth de Pontiano ex tertio s. Francisci ordine iuramento testata est, venerabilem Dei virum ei vigilanti apparuisse candida veste indutum, ac splendore undequoque circumfusum, cui illa elata voce, *expecta*, dixit, *expecta p. Sanctes; nam et ego tecum venire desidero.* Cui Pater: *expecta et tu; nondum enim tuum tempus advenit.*

XXVII. Vivus ac mortuus potestatem habuit supra daemones quos cum viveret, solo crucis signo manuumque impositione ab obsessis corporibus expellebat, magnis editis clamoribus. Post sui mortem vero, tactis corporibus obsessorum aliqua ipsius reliquia, magno cum strepitu fugae sese praecipites dabant. In civitate Ripana quidam vexatus a daemone liber illico evasit, adhibita super eius corpus reliquia viri Dei, sicuti in eius vita scribit Ludovicus de Francischinis congregationis oratorii cap. 10. pag. 142.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1595.	an. 3. et 4.	anno 19.	anno 388.

XXVIII. Inter discalceatos fratres provinciae s. Iosephi in conventu s. Ioannis Baptistae Zamorae obiit die XXVII. non vero die XIX. Augusti, ut habet Arturus, Gaspar a Viminoso Lusitanus, societati Iesu antea adscriptus. Ad perfectionis vitae gradum anhelans, discalceatorum institutum professus est. Nudis genibus diu orationi vacabat, pane et aqua sese reficiebat, et asperrimo cilicio praecinctus, carnis petulantiam coercebat. In conventu s. Andreae apostoli a Monte Arenarum eiusdem provinciae abiit ad Dominum Ioannes a s. Maria laicus, Conchae nobili genere ortus, qui avito censu relicto, inter discalceatos fratres cooptari voluit, ut Christi paupertatem imitaretur. Omnibus omnia factus, quae viliora monasterii munia erant alacri animo explebat, praesertim vero quae ad hortorum culturam ac ad infirmorum levamen spectabant. A vino et carnibus perpetuo abstinuit, Christi Iesu passionem alta mente recolebat, saepeque de ea cum sodalibus loquebatur. Meruit die parasceves eadem hora qua Christus in cruce emisit spiritum, animam suam Deo reddere.

Gaspar a Viminoso. *Agiologium Lusitanum ad diem 27. Februarii.*

Ioannes a s. Maria. *Ioannes a s. Maria in chron. prov. lib. 4. cap. 9.*

XXIX. Coenobium ss. nominis Iesu de Cebreros eiusdem provinciae mortalitatis exuvias excepit die VI. Iulii Dominici de la Frontera item laici magna virtute praediti. Quavis anni tempestate semper discalceatus incedebat. Cibo somnoque parco contentus erat, otium summopere devitabat, laborique manuum assidue incumbebat. Quietem instar orantis, genuflexus capiebat. Peste locum depopulante sublatus est. Orapesae in conventu s. Francisci laudatae provinciae die XVIII. Maii sancte obiit Ioannes de Alcazar item laicus qui tyrocinium egerat in coenobio Rosarii oppidi de Monfort una cum s. Paschale Baylon, a quo perfectionis semitam hauserat. Extitit etiam comes individuus Alphonsi Lupi eximii verbi Dei praeconis. Magni etiam habitus fuit a b. Petro Nicolao Factore. Humanitate exornabatur heroica; palam enim indignum se peccatorem denuncians, suorum confratrum consortium ob eamdem rationem refugiebat; eos tamen intime venerabatur et demissis oculis alloquebatur. In meditandis divinis rebus mire elevabatur, vivida luce saepe circumfusus. Septuagenario maior e vita decessit.

Dominicus de la Frontera. *Idem ibid. cap. 6.*

Ioannes de Alcazar. *Idem ibid. cap. 10.*

XXX. Die mortis suae praescius migravit e vita VI. Novembris in coenobio s. Didaci eiusdem provinciae Ioannes a Trinitate, Toleti natus, antea professus apud sodales ss. Trinitatis redemptionis captivorum. Multis virtutibus cumulatus, praedicationis munus ferventi zelo prosequutus est. Aliquando super flumina strato palliolo securus pertransiit. In coenobio Dominae nostrae Angelorum Cadafalsi obiit Ioannes Curiel, sive ab Ascensione, nobilibus parentibus natus. Licet angelicis moribus, attamen ita carnem macerabat, ut asperrimo cilicio uteretur, ac dire se caederet usque ad sanguinis effusionem. Excessit vix illis prolatis: *Mater Dei purissima ne a me discedas; sancte pater Francisce expecta, iam proficiscor.*

Ioannes a Trinitate. *Idem ibid. cap. 6.*

Ioannes Curiel. *Monum. prov.*

XXXI. Iis adiunctus est hoc eodem anno in coelis Alphonsus cognomento Lupus, circa annum MDXXI. Medinae Sydoniae in Baetica natus, de quo plura Boverius, licet historicae veritati minus consona. Adhuc infans in Dei timore eruditus, cum indubia ingenii sui specimina ederet, Complutum mittitur, ut in illa frequentissima academia litteris operam navaret. Brevi post tempore humanioribus artibus instructus, totum se dedit divinarum rerum studio, in quibus cum caeteris coetaneis suis longe praecelleret, penes illius universitatis moderatores praecipua gratia florebat. Ut quae a Deo acceperat tum naturae tum divinae gratiae dona solicite sepiret, assiduus Deo preces fundebat, coelestiaque impense meditabatur. Hinc inter orandum quae-

Alphonsus Lupus.

Boverius ad hunc an. pag. 504. Antonius Panes p. 4. lib. 1. cap. 59. pag. 114.

Digitized by Google

dam supernaturali visione illustratus, plane intellexit se a Deo in religionis claustra vocari. Supernae vocationi haud relactans, anno aetatis suae xx. mundo valedicens, non inter discalceatos, ut falso scribit Boverius, sed inter observantes fratres provinciae Castellae adscriptus fuit.

Idem ibidem.

XXXII. Absoluto inter eos probationis anno, nuncupatisque Deo votis, philosophiae interim ac theologiae expleto curriculo, cum animarum salvandarum zelo esset accensus, virtutum ac asperitatum vias quas arripuerat, adauxit, ac insimul studiorum normam sibi delegit, ut praesto et ubique foret ad dicendum paratus. Rem ipsam aperuit Federico cardinali Borromaeo adhuc adolescenti, sibi inde coniunctissimo. *Avebit*, scribit ipse de Lupo, *aliquis fortasse cognoscere quae fuerit forma studiorum ipsius. Ego vero faciam libenter et quaenam fuerit, exponam. Cum enim ex eo iucunde quaesivissem adolescens, narravit ipse mihi, coepitque fere in hunc modum. Ego, aiebat ille, postquam utriusque philosophiae consueta spatia confecissem, instincto fortasse divino coepi veteris et novi testamenti libros quam attentissime pervolutare; cumque aliquoties eos ad extremum usque perlegissem, novam insumpsi curam enotandis locis, quorum lectione praecipue affici sentiebam spiritum meum; videbanturque illi firmius et altius insidere, quam caetera; meaque sic ferebat opinio, promptiores atque commodiores eos ad usum fere mihi, si quae aliquando incidisset occasio. Tunc statui singulos mandare memoriae, prout eos e sacris litteris delibassem. Ita brevi est effectum, ut maximam eorum copiam animo comprehensam haberem possemque, si ita res ferret, recensere singulatim. Ea mihi deinde tam utilis fuit industria, ut divino potius quam humano consilio susceptam arbitrarer, idque demum exitus docuit. Nam cum postea venissem ad concionandum, animadverti saepe, nisi iam antea didicissem, defuturum mihi fuisse tempus ad ea perdiscenda, quibus uti necesse haberem; atque ad varias argumentorum opportunitates commode et apte in mentem veniebant. Neque vis ulla erat facienda, ut quasi contorquerentur ad rem ipsam; sed cum omnia condita essent in memoriae thesauro, depromebam inde quae vellem, et ea statim offerebant sese, quibus sententia subesse acrior videretur. Neque in eorum interpretatione utebar ipse meo iudicio, sed recta ibam ad eos auctores quorum celebre nomen esset in litterali maxime sensus explicatione. Horum igitur auctoritate cum in eo confirmarer, quod antea videbar intellexisse, vividior atque securior ad populum erudiendum fiebam. Prophetarum autem vaticinia, quo penetrarem altius, animadverti legendos esse mihi quatuor historiae regiae libros, ut scilicet notato temporum ordine, cognitisque casibus illius aetatis, admiranda coelestium concionatorum dicta rectius intelligere possem.*

Federicus Borromaeus de sacris oratoribus sui temporis lib. 2. pag. 66. et seq.

XXXIII. Iis etiam adiecerat virtutum cumulum; corpus namque suum ieiuniis assiduis dirisque castigationibus extenuabat; animum vero evangelicis perfectionibus tam imbuerat, ut sanctitatis fama floreret. Doctrina igitur ac eximia sanctitate refertus, incepit Alphonsus verbum Dei annuntiare. Impetu et ardore dicebat, ac sublatis oculis divinam e coelo implorabat opem, supplicique voce sic urgebat: *precor te*, ita laudatus Federicus, *Deus aeterne, ut immittas mihi partem illius gratiae, qua sum in hoc loco profusus aliquando, ut huic circumfusae concioni, rectam ad te commostrare viam possim.* Quo fiebat, *ut*, prosequitur idem cardinalis, *sicut concavi sinus vocem quam accepere multiplicato referunt sono, sic auditores pari arde-*

Idem ibid. pag. 51.

Idem ibid. pag. 54.

scerent igne, ac tanta descenderet in omnium animos flamma, quanta cerneretur in concionatore. At non in suggestu tantum, sed et in omni actione et loco, *certissima dabat signa perfectae virtutis. Toto quadragesimae* *Idem ibid. pag.* 52. *tempore cum in episcoporum aedibus habitaret, procella ipsi erant storeae, quas in angulo cubiculi imponebat in lecti formam, ibique nuda sedens humo, vel substrata nonnunquam storea meditabatur aut scribebat ea quae dicturus esset; hominum vero colloquia et congressus ita fugiebat, ut per illos quadraginta dies cum nemine ferme sermonem consociaret. Hinc primus omnium ita perturbavit atque concussit hominum animos* *Idem ibid. pag.* 49. *oratione sua, ut ex omni memoria paucos admodum reperire possimus, qui cum eo videantur esse conferendi.*

XXXIV. Igitur ignito eloquio suo in Hispaniarum regna nudipes discurrens, eum animarum fructum retulit, ut vix enarrari posset. Nam *huius hominis voce*, ita prosequitur idem Federicus, *compulsi quamplurimi mortales* *Idem ibid. pag.* 50 *abdicavere mundum, et in sacrata sese castra contulerunt, quocumque novus apostolus iret, ad eum populi confluebant.* Prodigii loco in primis habendae sunt, quae e rostris dixit toto quadragesimali tempore tum Salamanticae tam Compluti, quarum vi devicti simulque illecti quingenti, ut scribit Boverius, octingenti, ut testatur Antonius Panes, ex illis accademiis bonarum artium candidati, simul et adolescentulae permultae valedictis saeculi vanitatibus, ad religiosa claustra convolarunt. Unde merito de eo omnium erat opinio, alium neminem post apostolorum aetatem, praeter Alphonsum, eximium verbi Dei praeconem extitisse.

XXXV. Expletis iam inter minores observantes provinciae Castellae viginti annis, cum fratrum discalceatorum institutum a s. Petro Alcantarensi nuper fundatum apprime floreret, anno MDLXI. eis libenter adhaesit, eorumdem fratrum asperitatis viam alacriter aggressurus. At licet eremitarum more viveret, verbi Dei tamen semina ubique diffundere nunquam destitit. Qua de re illustre testimonium habemus eiusdem Federici Borromaei sic expressum: *neque* *Idem ibid.* *messis haec uberrima tantique fructus fuere negotium unius vel alterius anni, civitatumque tantummodo certarum, sicuti concionatorum fere omnium, sed toto vitae suae cursu semper et ubique concionatoris admirandi sustinuit nomen et famam.* Narrat Franciscus Gonzaga concionibus *Gonzaga in prov. s. Ioseph. cap.* 9. Lupi erectum fuisse anno MDLXX. coenobium s. Bernardini, mille passibus a civitate Matriti, quod antea quidem facere decreverant cives, sed difficultatibus prohibiti, ab incepto destiterant. Ei favit Ioanna Austriaca Portugalliae principis vidua, et Leonora a Toleto marchionis de Cerralvo filia.

XXXVI. S. Ioannis Baptistae discalceatorum custodiae praeses renunciatus, Romam anno MDLXXI. advenit, ut praesto esset generali ordinis comitio apud coenobium Aracoelitanum habendo. Ita scribit Ioannes a s. Maria testis coevus. *Ioannes a s. Maria tom. 1. pag.* 603. Traduxit per id temporis Philippi II. Hispaniarum regis iussu exilio maletractum, quia archiepiscopi Toletani adversus regios ministros de re ecclesiastica disceptantes causam susceperat defendendam. Scimus tamen eum perhumaniter in Urbe exceptum fuisse a Pio V. pontifice, ac a Petro de Xerez ministro provinciae s. Iosephi. Hic enim consulturus pontificem de quibusdam suae provinciae negotiis ad aulam pontificiam accesserat cum Alphonso, qui rem totam solus, illo interim silente, oculisque in terram defixis aperuit. Relatione expleta, adstantibus dixit pontifex: *iste* (fratrem Lupum insinuans) *non parum aedificationis mihi exhibuit loquendo, sed amplius provincialis ta-*

Digitized by Google

cendo. Pio pontifice defuncto, novas cierunt turbas contra Alphonsum regii Hispaniarum oratores apud Gregorium XIII. nuper electum, qui facti notitiam inscius, ut nonnihil Hispaniarum regis et regiorum in Alphonsum clamores sedaret, eum durius male habuit, et in sacrae inquisitionis vincula amandari praecepit.

XXXVII. Integro anno carceris aerumnas invicto animo tulit, adiunctis sibi sponte ieiuniis et austeritatibus, donec custodes longam eius patientiam et virtutes demirantes, significarunt pontifici, religiosum virum sanctitatis nota famosum carceribus detineri. Pontificis iussu solutus, a verbi Dei praedicatione tamdiu abstineri imperavit, donec regiae expostulationi satisfaceret. Inde a pontifice innocens denunciatus suoque concionatoris muneri restitutus, noluit tamen inter suos in Hispaniam, licet a Ioanne a s. Maria illius provinciae praeside expostulatus, se conferre, sed Dei verbum tum in Urbe tum in Italiae regionibus annuntiaturus remansit. Cum autem intra solas Hispaniae oras sui instituti sodales continerentur, elapsis a sua professione annis quatuordecim, rescripto apostolico nomen dedit capucinorum ordini in coenobio Forosempronii in Piceno anno MDLXXV. aetatis suae LIV.

Boverius ad hunc an. n. 14. et seq.

XXXVIII. Solemnibus votis Deo nuncupatis, iterum concionatoris munus obivit, maiori spiritus quam antea succensus fervore. Romae primum magna omnium ordinum admiratione ac deviorum fructu e suggestu edixit, cuius rei gratia idem pontifex cum esse voluit concionatorem apostolicum. Inde in Corsicam insulam quae hoc tempore dissidiis morumque corruptelis afflictabatur, pontificis voluntate profectus, feroces populos ita sua eloquentia demulsit, ut plerosque ad concordiam compulerit, alios ad ecclesiasticae regulae formam composuerit, caeteros vero ad rectam vivendi viam adduxerit. Tot igitur opimis animarum spoliis onustus, Urbem iterum repetiit concionaturus. Saepe ibidem eius sermonibus adfuit Ioannes Baptista Boniporto Novariensis ecclesiae canonicus cum s. Philippo Nerio, qui cum eum tam miro ac apostolico spiritu praedicantem audisset, ita ad s. Philippum dicebat: *quid tibi de hac Lupi concione videtur Philippe? quam ardens, quam efficax, quam apostolica!* cui Sanctus: *nihil mirere*, ait: *ipse enim sacram Deiparam Lupo dum praedicat, adstantem, et quae praedicabat, verba dictantem conspexit. Utinam plures huius generis Lupos Roma sibi vindicaret!* Vulgatum exinde fuit illud ab Angelo del Pas minorita praestantissimo viro in Urbe degente dictum, Alphonsum a Deo missum in Italiam velut alterum Ionam in Ninivem.

XXXIX. Hinc tam celebre apud omnes invaluerat Alphonsi Lupi nomen, ut praeclariores Italiae urbes certatim eum concionantem audire contenderent. S. Carolo Borromaeo cardinali ac Mediolani archiepiscopo propter eximiam in dicendo vim ac facundiam probatissimus erat. Hinc ad corrigendos gregis sui mores a Iulio Antonio Sanctorio ordinis capucinorum patrono anno MDLXXIX. expostulatus, tam egregiam Alphonsus operam navavit, ut concionibus suis totius urbis facies iuxta s. Antistitis mentem immutata fuerat. Circa annum MDLXXX. idem s. Carolus rogatus a Caesare Speciano familiari suo, ut cuidam episcopo Lupum postulanti vellet concedere, per litteras respondit: *praemissa mihi a cardinali s. Severinae huius concionatoris potestate tum decedam, cum aut Lupus, aut Borromaeus ex hoc mundo excedet; quare eum mihi habere volo, nec unquam mihi in mentem veniet illius dimittendi minima opinio. Nimium ille Mediolanensibus acceptus est et mihi.* Litteras

Giussanus in vita s. Caroli lib. 6. cap. 4. pag. 318. in nota 2.

Digitized by Google

etiam idem Carolus Romae a vicariis sanctae ecclesiae Mediolanensis accepit, Alphonsum liberius in oratione ibidem habita in regis catholici administros fuisse loquutum, quibus tamen sic respondit Sanctus: *apprime nota est mihi sancta patris Lupi in dicendo libertas, et pia voluntas. Attamen invitus audivi, illum in habita super oratione nimium manifeste ad carpendos adversarios sermonem flexisse, praesertim cum illi absessent; quandoquidem huiusmodi objurgationes aut parum aut nimium auditoribus placent, et offensionem non raro potius pariunt, quam utilitatem. Quare hac super re contrarium mentem necnon velim leniter illi aperias etc.* Idem ibidem in nota 5.

XL. Anno MDLXXXI. instante Marco Antonio Colonna insulae Siciliae prorege, Panormum ad sacras conciones ibidem habendas idem s. Carolus illum dimisit. Neapoli etiam verbum Dei per plures annos disseminavit. Romam reversus, anno MDLXXXVII. cum ante ieiunii quadragesimalis initium Urbs tota sese effundere ad geniales voluptates soleat, idem Alphonsus ad Felicem a Cantalicio laicum capucinum spectatissimae vitae accedens dixit: *quid Felix? num romana urbs in suas voluptates effusa, nostra nos voluptate curebimus? Cui vir Dei, audio, inquit, Alphonse; sed quo his verbis spectas ignoro. Mox Alphonsus suum illi consilium aperit, rationemque ac ordinem exponit, quo profana illa Urbis bacchanalia, quae in divini numinis iniuriam redundant, exturbare queant. Annuit vir Dei, protinusque consilio cum Philippo Nerio, viro Dei familiarissimo qui tum Romae oratorii congregationem instituerat, communicato, pium opus, ipso annuente, hoc ordine auspicantur. Praecedebat oratorii sacerdos sacco amictus, grandiorem crucem crucifixi imaginem ornatam utraque manu gerens, quem duo alii eiusdem oratorii sacerdotes, geminas faces accensas gestantes sequebantur. Tertius procedebat Felix, crassiorem funem manibus attrahens qua Alphonsum alligatum raptabat. Post hos denique gradiebantur* Marcus Thiphernas, *et* Dionysius Gallus *item capucini mortuorum craniis ac tibiis onusti. Cum primum ergo horrendum huiusmodi simulacrum hoc ordine dispositum, inter profanos ludos apparuit, eo primum homines obstupescere, tum Alphonso contra mundi voluptates, contra profana bacchanalia, contra gentilium ritum magnis vocibus praedicante ac mortis aeternae pericula, divinique iudicii ultionem minitante, ceterisque divinam altius pro populo Dei misericordiam inclamantibus, ita perterrefieri coepere, ut paulatim ludentium currentiumque coetus dissolvi, minui, et scurrae evanescere, romanusque populus qui tunc ibi frequentissimus erat, loco ac spectaculis cedere visus fuerit. Hoc pacto, dissipatis daemonum agminibus, qui in animarum caedem conspiraverant, Felix et caeteri domum redeuntes, suas Deo laudes persolvunt.* Ita Boverius. Boverius ad ann. 1587. n. 33.

XLI. Post haec iterum Mediolanum advolavit, ubi quotidie toto anno MDLXXXVIII. conciones habuit summo auditorum solatio. Eum ab urbe discedentem nobiles quidam hispani comitabantur, qui ad urbis portam aeciti, columbam quamdam sylvestrem ex humo in aera se efferentem rectoque volatu ad Dei famulum accedentem conspexerunt, quae primum eius capiti, mox humeris insedens, ac tandem in manus delapsa, omni quo poterat motu ipsi blandiebatur. Illam ut ab eo abiret, pellebat; et licet bis terque repulsa, attamen ad manum semper redibat. Cum autem eidem benedictionem impertisset, volatu extemplo in aera proripuit, mirantibus qui aderant, nobilibus viris. Aliis etiam argumentis Deus sanctimoniam suam apud homines manifestavit. Idem ad an. 1595. num. 36.

Digitized by Google

In primis ecstasum dono; saepe enim orationi vacans, in mentis excessum rapiebatur. Celebris fuit, quae in choro ei contigit, dum decantaretur hymnus *Te Deum laudamus*; ad illa enim verba: *te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti*, de more cum suis humi prostratus, eodem modo permansit longo tempore. Tandem ab ea, postquam fratres cellam rediissent, revocatus, vento velocior ad sacrum eucharistiae altare advolavit, has inter lacrymas ac suspiria voces ingeminans: *ah Domine! ah Domine, tantane animarum perditio futura! nullumne tantae animarum stragi remedium superest?* Hisce a fratribus auditis, probatum fuit, reproborum tunc numerum illi divinitus demonstratum fuisse. Cumulatus etiam fuit a Deo prophetiae spiritu, ac miraculorum gloria, de quibus Boverius.

Idem ibid. num. 31. et seq.

XLII. Anno ante sui obitum tertio, variis infirmitatibus premi coepit, paralysi praesertim, quam tamen patienter fortiter et hilariter sustinebat. *Cum ille*, ita Federicus Borromaeus, *incidisset in eum morbum, qui corpus ipsum eluxavit, ferme sub vitae finem ita est locutus . . . Ego satis agnosco, aiebat ipse, quemadmodum non recte fuerim usus concionandi munere, quod obtinueram a Deo, atque ea videlicet est causa, cur nunc omnis mihi vigor et robur omne sit ademptum.* Haec prae animi sui humilitate dicebat. A sacri celebratione prohibitus, quotidie tamen ad divinam mensam reficiendus pari qua antea devotione, lacrymis ac suspiriis accedebat. Hoc porro tempore cum saeva contra ipsum mota apud regios Hispaniarum administros vexatio desiisset, in Hispaniam redire statuit, ut inter fratres discalceatos suae provinciae, sicut habet Ioannes a s. Maria, iterum inscriberetur. Primum Massiliam advenit, inde Barcinonem pedem fixit in coenobio Montis Calvarii fratrum capucinorum. Morbo gravatus, in supremam tandem aegritudinem incessit; quo tempore a valida contra catholicam fidem tentatione liberatus, coelestibus deliciis a Deo recreatus fuit. Sacramentis ecclesiae mox communitus, integris sensibus animam creatori suo reddidit idibus Octobris anno MDXCV. iuxta melioris notae scriptores, non vero iuxta Boverium anno MDXCIII. cum ingenti suae sanctitatis fama. Miraculis inclaruisse post mortem tradit ipse Boverius.

Federicus Borromaeus pag. 68.

XLIII. Ingenio ac doctrina instructus erat cumulatissime; at *quod sciam ego*, ita coronidis loco pluries laudatus cardinalis Borromaeus, *nullum otii sui fructus, nullum ingenii monumentum reliquit, praeter commentariolum in divinum vatem Isaiam, quem ab ipso acceptum servari iussimus in hac ambrosiana bibliotheca, vulgandum aliquando in gratiam eorum qui studiis hisce delectantur. Posset aliquis fortasse mirari curnam ille neque doctus mediocriter et ardens divini spiritus flamma non quaesierit sibi iustum aliquando argumentum scribendi, vulgata multorum cupidine, qui nequaquam tantam hodie assequi laudem possunt, quantam ille fuisset assecutus. Arbitror hanc fuisse causam, quia nimirum animadverteret proprium animi sui bonum, quod munere possideret divino, facultatem esse concionandi, atque in ea voluisse facultate collocare curas et labores, nihil ab ea deflectendo, in quam sese vocari divinitus intelligebat.* Adhuc suae provinciae custos varia tamen scripsit, quae Compluti mss. habentur in conventu s. Didaci, ac Genuae in illa capucinorum, nimirum *conciones plurimas quadragesimales et de tempore*, ubi etiam extant *summa casuum conscientiae, de casibus reservatis tractatus, et quaestiones variae morales.*

Idem ibidem.

Sbaralea in suppl. lit. A.

Digitized by Google

Compositi ab eo sermones, aliaque mss. ab eo detinebantur in resarcito saeculo.

XLIV. Alphonsi Lupi acta cum laude scripserunt praeter mox laudati, Ioannes Ximenes in vita s. Paschalis Baylon cap. 9. Baretius lib. 10. a cap. 1. usque ad 7. Rapinaeus in historia de origine recollectorum decade 9. part. 2. §. 4. Marianus lib. 1. cap. 51. et seq., Martinus a s. Ioseph in chron. frat. min. discalceat. part. 1. lib. 2. cap. 25. Daça part. 4. chronic. min. lib. 1. cap. 29. Corneco part. 6. pag. 481. Arturus ad diem 7. Iunii. Mazzara tom. 6. pag. 65. Franciscus Arias e societate Iesu lib. 1. *de imitatione Christi Domini* cap. 54. et alii multi qui ferme tuentur eum anno MDXCV. sanete occubuisse.

XLV. Alii etiam inter fratres capucinos fama sanctitatis obiere. In provincia Aquitaniae decesserunt Petrus Belga et Emmanuel Taurinensis sacerdotes eximia virtute commendati; in provincia Parisiensi Nicolaus Aurilotus item sacerdos, vir integneratae paupertatis, assiduae orationis et invictae obedientiae. Ad vitae finem properans, a guardiano obedientiae meritum ac praeceptum ad universae carnis viam percurrendam poposcit; quo accepto, mox vir obediens vitae suae terminum imposuit. In conventu Nari provinciae Panormitanae raptus est Clemens clericus Panormi natus, septimo post emissam professionem mense, innocentia vitae, morum praestantia et virginali pudicitia illustris; in provincia Neapolitana Raphael a Manseria, fervidus Dei praeco et virtutum laude praeclarus; item in eadem provincia obiit Benedictus a Venafro sacerdos tanta animi puritate, tantoque erga Deum amore, ut dum sacris mysteriis devotissime vacabat, peracta consecratione Christum inter ipsius manus, pueri formam praeseferentem non semel habere meruerit.

Petrus Belga, et Emmanuel Taurinensis. *De Aremberg tom. 2. pag. 466.*
Nicolaus Aurilotus. *Idem ibid.*
Clemens Panormitanus. *Idem ibid. p. 523.*
Raphael a Manseria. *Idem ibid. p. 245.*
Benedictus a Venafro. *Id. ibid. pag. 462.*

XLVI. In provincia Cosentiae abiit ad Dominum Hieronymus Aquariensis concionator et illius provinciae vicarius, quam magna cum virtutis laude administravit; in Barii provincia inter molestos carcinomatis in dextro brachio dolores patientissime perlatos post illa verba: *Maria mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe*, spiritum Deo reddidit Clemens a Gravina, iam suae provinciae vicarius. Summo praestabat orationis studio; morum item honestate et charitate erga suos exornabatur. Aliquando se habitu spoliavit, ut nudatos contegeret pauperes; aegrotis vero sodalibus viliora quaeque munia exhibebat. Hora sui obitus praenunciata in Aprutinensi provincia decessit Silvester a Cingulo picenus. Erga Deum ac Deiparam aestuabat pietate summa; saepe spiritu ac sensibus rapiebatur splendidamque faciem praeseferebat.

Hieronymus Aquarien. *Id. ibid. pag. 174.*
Clemens a Gravina. *Id. ibid. pag. 144.*
Silvester a Cingulo *Id. ibid pag. 464.*

XLVII. In Carinthia occubuit Archangelus Ariminensis, ex nobili Diotallevi familia ortus. Praedicationi divini verbi incumbens, abstinentiam potissime colebat; quarta enim et sexta feria nihil praeter panem et aquam degustabat; aliis autem per anni decursum modico pane et vino utebatur. Nulla eius austeritati meta videbatur praefixa; quasi enim nocturnam quietem invideret, non in strato iacens, sed baculo geminis funibus ad cellae tabulati tigilum alligatis sustentato insidens ne a somno corriperetur, soporem capere consueverat. Martyrii desiderio incensus, Iuliam Caesaream summi pontificis nutu proficiscitur, ubi aliquando moram traxit, ac in Christi fide vacillantes plurimos confirmavit, contumeliis opprobriis et carceribus a Mahumedanis interim affectus. A suis subinde missus fuit in Hungariam una cum copiis aliisque sodalibus ad recuperandam Strigoniae urbem a Turcis occupatam. Eo in bello, dextera cru-

Archangelus Ariminensis. *Id. ibid. pag. 417.*

cifixi imagine armatus, impavidus castra praecedebat. At mirabile illud, turcarum etiam testimonio probatum, quod dum arx oppugnabatur, Archangeli facies solis instar adeo splendere visa fuit, ut non levem ipsis metum iniiceret. Bello feliciter confecto, cum in Italiam se conferret, morbo tentatus, sanctissime obiit in Carinthiae civitate. Saxo ab infidelibus in eodem Hungarico certamine contusus pro fide Christi occubuit Maximus Mantuanus laicus, socius individuus eiusdem Archangeli, vitae asperitate et orationis assiduitate clarus. In provincia Bononiensi finem suum complevit Modestus Mutinensis sacerdos, qui vitam perpetua membrorum austeritate iugique rerum divinarum meditatione duxit, quibus armis adversus tartareos hostes diu dimicavit. Parmae in eadem provincia vitam absolvit Augustinus Senensis laicus. Eremitarum more in saeculo vivebat, et quotidiano panis et aquae ieiunio carnis vitia edomabat. Factus capucinus, austeriora iis ieiunia addidit, et seraphicae vitae cursum magno cum virtutum splendore prosequutus est. Diaboli infestationes patienter tulit, et de impuro hoste trophaeum semper reportavit.

Maximus Mantuanus m. *Id. ibid. pag. 685.*

Modestus Mutinensis. *Id. ibid. pag. 461.*

Augustinus Senensis. *Id. ibid. pag. 684.*

XLVIII. Huic instituto nomen dedit hoc anno in provincia Helvetica Victor a Solodoro ex vetusta nobiliun de Wallier progenie oriundus. A parente socius datus serenissimo duci a Longavilla, ducatus Neoburgi moderatori, Parisios advenit, ubi primum christianissimi regis ephebum egit; castris postmodum destinatus, strenui belli et militum ducis famam sibi comparavit. Parente vita functo ad matrem reversus, eius assensu veneranda Hierosolymorum loca perlustrare, lacrymis potius quam verbis obtinuit. At Lucernae ad b. Virginis aram supernо lumine illustratus, desiderium sacrae peregrinationis in vitae capucinae votum hoc aevo convertit. Inter eos ita virtute profecit, ut velut religiosae perfectionis exemplar haberetur.

Michael a Tugio tom. 4. pag. 27.

XLIX. Anno mox elapso cum guardiani munus gereret in coenobio Tolosano Angelus Ioyosaeus capucinus, olim Henricus Buchagiae comes, operamque ibidem impenderet divini verbi praedicationi, Francisci Ioyosaei cardinalis eius germani ac Tolosani archiepiscopi hortatu, catholicorum nobilium foederatorum voto, ac pontificis imperio, dimisso, licet reluctans, capucinorum habitu, secularem induit, et armorum quae olim tractaverat, curam suscepit in Occitenia loco fratris sui Antonii Scipionis, rapiditate fluminis Tarni absorti apud oppidum Villamurium in Carducis, copiarum vi a Pontio Lanyero Theminio occupatum. Hinc pontifex dato diplomate relato a fr. Michaele a Tugio in bullario capucinorum tom. 5. pag. 31. rata habet quae ei largitus erat novaque eidem addit beneficia.

Ann. min. ad an. 1586 n. 67. Spondanus ad an. 1592. n. 10.

L. Aliquot inter fratres capucinos se contulerunt hoc anno in Camboiam, in regnum Martuanum, in insulam Sumatram, in regnum Conginum, et Archenensem praedicandi evangelii gratia, ubi ab hoc ad annum usque MDCLXXI. erectis centum supra triginta missionibus, ingentem tum infidelium tum acatholicorum numerum Christi ecclesiae adduxerunt. Etiam hoc tempore, annuente summo pontifice precibus Caroli Emmanuelis Sabaudiae ducis, ingressi sunt in Valles Lucernenses. Brevi eorum posuerunt sedem Perrarii nimirum, Petruxiae, Draconerii, Accalii, s. Damiani, Segusii, Versolii, Castridelfini, Cadralii, Pancalerii, Padusanae, Demontii, in Valle Soana, in Valle Varii, et Clusonis, ac inde intra Valles nempe Prati, Iallati, et s. Martini Lucernenses, in quibus omnibus ministerium suum adimplentes, mala doctrinae haereticorum semina extirparunt, ac a fide devios ecclesiae reconciliarunt. Haec novimus ex mss. novarum franciscalium missionum lib. IX. cap. 12. p. Antonii Mellissani.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1595.	an. 3. et 4.	anno 19.	anno 388.

LI. Inter sorores clarissas beato fine quievit in monasterio s. Elisabeth Bazae in provincia Granatensi Ioanna Helguera, lacrymis assidue fundens in meditandis Iesu Christi cruciatibus; in monasterio Assumptionis Malacitano eiusdem provinciae abiit in coelum Isabella Morales, quae asperrimum cilicium ad nudam carnem perpetuo gestavit tunicaque interim amicta, ut vix illam caperet. Maria a s. Iacobo decessit in monasterio Conceptionis Almeriae laudatae provinciae die IX. Februarii, angelicis ditata moribus, in meditandis divinis rebus sedula et vitae asperitatibus spectabilis. Raptuum dono exornabatur ita, ut ob diuturnitatem temporis abbatissae imperio ab ipsis aliquando revocaretur. Panormi in Sicilia die V. Decembris coelestia petivit Francisca de Cittaro tertiaria, quae vitam ducens eremitarum more, spectaculum extitit virtutum, ieiuniorum aliorumque asperitatum. Hoc anno aperto tumulo, in quo ab anno MDLXVIII. repositum fuerat corpus Catharinae a s. Paulo defunctae in monasterio oppidi Concensis in provincia Conceptionis, integrum repertum fuit, vestimentis pene illaesis.

Ioanna Helguera. *De Torres p.* 616.

Isabella Morales. *Id. pag.* 625.

Maria a s. Iacobo. *Idem pag.* 645.

Francisca de Cittaro. *Huebor ad diem* 5. *Decembris.*

Ann. min. ad an. 1450. n. 42.

LII. E coenobio Dominae nostrae de Pena in custodia s. Antonii Brasiliae transierunt fratres ad alterum commodiorem, titulo s. Francisci positum in oppido Victoriae in praefectura Spiritus sancti, excitatum consilio Leonardi a Iesu custodiae praeside. Iacet ad XX. gradus zonae torridae ad austrum. In priori conventu obiit circa annum MDLXXV. quidam Petrus de Palaciis laicus Lusitanus, eo appulsus primus omnium, cuius exuviae an. MDCIX. translatae fuerunt ad novum conventum. De eo agendum erit ad hunc annum. Raptus etiam ibidem fuit Antonius de Martyribus item Lusitanus, magnus Dei praeco in eadem praefectura, pro suarum virtutum exemplo plurimum commendatus. In custodia Vilnensi in provincia Minoris Poloniae coepit esse pro eiisdem fratribus conventus immaculatae Conceptionis Grodaensis, expensis civium.

Conv. oppidi Victoriae. *Monum prov. pag.* 283.

Antonius de Martyribus.

Conv. Grodaensis. *Monum. prov.*

LIII. Auctoritate Caroli ex ducibus Lotharingiae Argentinensis et Metensis episcopi cardinalis iterum occuparunt fratres de observantia coenobium Tabernis in Alsatia Inferiori, ab eis derelictum ob contagiosam luem quae civitatem infecerat circa annum MDL. Inde incoluerunt iesuitae, a quo et ipsi non multo post migrarunt ob simile discrimen.

Conv. Tabernis. *Ann. min. ad an.* 1570. n. 12.

LIV. Habuerunt hoc tempore fratres provinciae observantium Algarbiorum novum coenobium s. Bernardini prope oppidum de Autougria dioecesis Ulyssiponen. fundatum pro XVI. fratribus ab universitate loci, amoenitate et oceani propinquitate spectabile. Ab anno MCDLI. iidem fratres inhabitabant alterum sub eadem invocatione, lateribus crudis erectum prope torrentem eiusdem vallis, a quo prae sui ruina abierant. In translatione secum detulerunt corpus Petri de Clavibus, viri sanctissimae conversationis, potestate eis facta a legato pontificio datis litteris sub die XIII. Augusti MDXCVI. Hoc item anno iidem fratres intrarunt in coenobium s. Blasii de Monte dioecesis Bracharensis eiusdem provinciae, edificiis auctum ac ad perfectionem adductum, opera et studio fratris Antonii Bravo sacerdotis, de quo aliqua notavimus.

Conv. de Autougria. *Monum. prov.*

Ann. min. ad an. 1451. num. 62.

Conv. s. Blasii de Monte. *Ann. min. ad an.* 1577. num. 36.

LV. In provincia Angelorum obvenit observantibus eremitorium Dominae nostrae de Aquis-Sanctis Alpesae, IV. leucarum spatio ab Hispalensi civitate, eis concessum a cardinale Roderico de Castro archiepiscopo pro inibi instruendo coenobio. Loci possessionem confirmavit die XIII. Februarii Caietanus Camillus patriarcha alexandrinus in Hispaniarum regno nuncius apostolicus. Ante id temporis incolebatur ab aliquibus sacerdotibus qui curam gerebant prodigialis imaginis b. M. virginis de Aquis-Sanctis nuncupatae, quia magna in siccitate

Conv. Alpesae. *De Guadalupe p.* 166. *et seq.*

Digitized by Google

eo extemplo erupto fonte, saepe Deipara inter aquas sese ostenderat cuidam Ioanni Bono armentorum curatori eiusdem virginis observantissimo. Vulgato prodigio, indictae fuerunt publicae supplicationes a clero et ab oppidanis Villaeviridis, qui illuc accedentes, idem Virginis simulacrum aere confectum inter aquas invenerunt, hisce incisis in eo litteris: *ob caedes peractas a Maurix in Hispania, beatae Virginis imaginem ab Hispali asportarunt catholici, humoque mandarunt spe confisi, eam aliquando a Deo cuidam devoto revelaturum*. Hanc fuisse impense ante annum DXC. veneratam a s. Leandro, ac inde a s. Isidoro germanis fratribus, illius civitatis archiepiscopis tradit Andreas a Guadalupe in sua chronaca provinciae Angelorum. Hinc in ea non summs opinione, ut imago illa vulgo *de' Bisognosi*, quae hodie colitur in ecclesia fratrum reformatorum provinciae s. Angeli eamet sit ac illa quam in civitate Hispalensi summa devotione prosequebantur iidem sancti germani fratres, sicut scribit Ioseph a Nemore inter observantes definitor generalis in opere postumo *Il Monte Carsoli illustrato nella prodigiosa immagine di Maria santissima de' Bisognosi trasportata dalla Spagna in Italia sul detto Monte nei Marsi l'anno* DCX. *Roma* **1841**.

LVI. In provincia s. Antonii Venetiarum pro iisdem fratribus extitit et hoc anno conventus s. Mariae Angelorum Hostiliae in ducatu Mantuano, piorum eleemosynis erectus; in provincia Mediolanensi datus eis fuit conventus positus extra oppidum Melegnani dioecesis Mediolanensis sub invocatione s. Francisci. Extra moenia terrae Casamaximae dioecesis Barensis in provincia s. Nicolai iacta fuerunt fundamenta coenobii sub invocatione s. Mariae Gratiarum, expensis Antonii Aquaviva domini loci. Ob sui mortem illius aedificium ad verticem usque adductum non fuit. Incolitur tamen a VI. fratribus; at X. continendorum capax est. Sunt litterae summi pontificis: *Cum sicut* die XXVIII. Februarii missae episcopo Sulmonen. ut quaedam bona vendat pro perficiendo coenobio eorumdem fratrum in terra Calasii suae dioecesis, titulo s. Mariae Gratiarum. Idem pontifex: *Vestro nomine* die VIII. Aprilis indulget ministro provinciae Principatus, ut ob turcarum depraedationem, relicto iam coenobio Annuntiationis de Lazarolo, alterum de novo aedificare possit. S. Mariae de Gratia coenobium Panormi ab anno MCDLXXXVIII. a patribus benedictinis inhabitatum, ac a Joanne de Ventimilio archiepiscopo reparatum, die XXIII. Maii concessum fuit fratribus de observantia a Didaco de Haedo archiepiscopo Panormitano. In eadem provincia eis etiam attributum fuit coenobium s. Francisci prope oppidum Pelagini dioecesis Messanensis.

Conv. Hostiliae. *Monum. prov.*

Conv. Melegnani. *Monum. prov.* Conv. Casamaximae. *De Fasano p.* 31.

Conv. de Lazarolo. *Gonzaga in prov. Principatus con.* 22. Conv. Panormi. *Pirrus de eccles. Panormit. tom.* 1. *col.* 209. *et* 293. Conv. Pelagini. *Monum. prov.*

LVII. Scribit Thomas Treterus canonicus ecclesiae Warmiensis in libro de episcopatu et episcopis illius ecclesiae edito hoc anno, in Prussia et dioecesi Warmiensi *quatuor coenobia franciscanos habuisse, Baumbergae, Wariemburgi* et duo *Welraeii*, minorum conventualium unum, et alterum observantium, et haec duo ab haereticis diruta fuisse. Foederatorum copiis, duce barone Tenessey ac gubernatore loci, aestu contra fratres, solo aequatus fuit conventus Cabillonensis fratrum minorum de observantia in provincia s. Bonaventurae. Ab hoc anno piorum eleemosynis sibi aptarunt domum cum parva ecclesia intra moenia civitatis, donec anno MDCVIII. pacatis rebus, vetus coenobium instaurarunt, retenta tamen priori domo ac ecclesia, ubi sacra faciebant. Concidit etiam hoc aevo monasterium clarissarum Lonslesaulnier eiusdem provinciae, earumdem copiarum vi. Hieronymus a Tolentino piceno commissarius generalis fratrum minorum conventualium in regno Bohemiae sui

Sbaralea in suppl. ad an. ord. ad an. 1240. num. 35.

Conv. Cabillonensis. *Iacobus Fodere in prov. s. Bonavent. pag.* 530.

Idem ibid. p. 595.

Digitized by Google

iaris fecit conventus Pragae, opibus illius universitatis instructus. Incolitur a VII. fratribus. In provincia Romana iidem fratres incoluere coenobium s. Mariae terrae Montis Celii, in loco nuncupato de Monte Albano Tiburtinae dioecesis, eis concessum a confraternitate Gonfalonis, addita pactione, ut saltem duae sacerdotes locum inhabitarent. Anno MDCXXXVI. e loco abierunt, et anno MDCXCIV. traditus fuit fratribus de observantia eiusdem provinciae. Obvenit etiam eisdem conventualibus in custodia Catronis provinciae Calabriae conventus s. Francisci Septiniani, et conventus s. Francisci Castrifranchi in custodia Agrigentina provinciae Siciliae. Incepit esse conventus s. Didaci in oppido Almaguerae, incolarum facultatibus instructus pro XVI. fratribus discalceatis.

Conv. Pragae. *Ex reg. mss. commiss. generalium pag.* 50. Conv. Montis Celii. *Castimirus a Nuda pag.* 185.

Conv. Septinfani. Conv. Castrifranchi. *Monum. prov.* Conv. Almaguerae. *Monum. prov.*

LVIII. Minores observantes reformati recipiunt in provincia Siciliae conventum s. Mariae *del Soccorso* in oppido Castellucci dioecesis Cephaledien. ab ipsius oppidi patrono. Ipsis e loco abeuntibus, occuparunt observantes an. MDCXXXIV; in provincia s. Nicolai conventum s. Mariae de Cruce Francavillae, et conventum oppidi Manduri, sive Casalisnovi; in provincia s. Angeli conventum extra oppidum Montisrisii s. Berardini titulo; postremo in provincia Romana conventum s. Francisci Sublaci.

Pirrus tom. 2. *in not. V. eccles. Cephaledien. p.* 840. *Ex monumentis provinciarum.*

LIX. In provincia s. Antonii Venetiarum hoc anno iidem fratres proprium obtinuerunt custodem. Ipsi autem in ea sequentia habuisse coenobia scribit Petrus Antonius Venetus, nimirum s. Mariae de Iesu Tarvisii, s. Petri in Viminario, s. Hieronymi Asoli, s. Mariae de Gratiis Conegliani. s. Spiritus Feltriae, et s. Mariae de Gratiis Vallis Agni.

De Gubernatis tom. 2. *pag.* 312.

Petrus Antonius Venetus in chron. prov. pag. 68.

LX. In coenobio ss. Cosmae et Damiani de Urbe die XIII. Maii fratres claustrales de tertio ordine habuerunt generale comitium, in quo supremum eorumdem praesidem salutarunt magistrum Hieronymum Marchetti Cremensem. Omnium primus ordinem suum sexennio moderatus est. Eius solicitudine summus pontifex: *Decet* die XXIX. Iulii statuit normam eligendi administrum generalem, provinciales aliosque ordinis officiales. In definitores generales delecti fuerunt magistri Matthaeus Strutius a Montefano Picenus, Bonifacius de Sillis Bergomensis, Columbanus Mazzius de s. Columbano, et Bernardus Sabbia Panormitanus.

Bordonius p. 313 *et de Sillis p.* 58.

LXI. Hoc anno vulgatum fuit sequens decretum Hieronymi cardinalis Matthaei quoad habitum ab ipsis fratribus gestandum in Portugallia. *Hieronymus cardinalis Matthaeus utriusque ordinis s. Francisci protector die XIX. Aprilis, ut contentiones ortas inter minores et tertiarios in Portugallia circa detentionem habitus sedaret, auditis partibus, decrevit, quod deberent gestare tertiarii habitum iuxta ipsorum regulam et indulta apostolica, humili et vili panno contextum, eo videlicet modo, ut ex quatuor partibus lanae naturaliter nigrae, et absque aliqua tintura contextae, et una parte lanae etiam naturaliter candidae, ut talis habitus fieret ita, quod singulis quatuor libris lanae naturaliter nigrae adderetur una libra lanae albae.*

Bordonius p. 242.

LXII. Eisdem fratribus cessit domus s. Antonii abbatis in suburbio Placentiae provinciae Mediolanensis, pro derelicta habita ab eremitanis s. Augustini. Ecclesia quae parochialis titulo gaudet, erecta una cum valetudinario anno MCLXXXII. collata fuit canonicis regularibus s. Antonii Viennensis ea lege, ut et sacra ibidem ac infirmorum praesertim morbo affectorum curam agerent; in Siciliae provincia eis etiam obvenit aedes s. Viti in oppido Millusii dioe-

Conv. Placentiae. *Idem pag.* 332.

Conv. Millusii. *Idem pag.* 425.

Digitized by Google

cesis Agrigentinae, agente magistro Seraphino Ciambra Depranensi provinciae praeside.

Ex alio provinciarum Michaelis a Tugio.

LXIII. Minoritae capucini incoluerunt conventum in civitate Montis Gargani dioecesis Sipontinae in provincia s. Angeli; conventum in civitate Tenneramundae Gandavensis dioecesis in provincia Flandro-Belgica; conventum in civitate Montes dioecesis Cameracensis in provincia Vallonica; conventum in civitate Valencenae eiusdem dioecesis in provincia Insulensi, et conventum Palatioli in dioecesi Syracusana provinciae Siciliae. Extant litterae Pontificis: *Expositum* die XX. Martii pro erigendo novo coenobio Assisii in oratorio confraternitatis s. Antonii eiusdem civitatis.

Pirrus in not. eccl. Syracusanae tom. 1. pag. 681.

Monast. Meridae. Ioannes Lopez pag. 213.

LXIV. In medullitio civitatis Meridae in provincia s. Iosephi de Iucatan positum fuit hoc anno monasterium clarissarum immaculatae Conceptionis titulo, ad culmen perfectionis adductum tum expensis oppidanorum Villae de Campeche et Valladoli, tum etiam pientissimi viri Ferdinandi a s. Martino. Eo adductae fuerunt quinque moniales e monasterio conceptionis Mexici, quorum nomina sunt Marina Baptista abbatissa, Maria a s. Dominico vicaria, Anna a s. Paulo novitiarum magistra, et Francisca a Nativitate, cuius acta ad annum MDIC. quo decessit referemus. Paucos post annos monialium numerus usque ad quadraginta adolevit. In marchionatu Lycaodiae dioecesis Syracusanae pro eisdem etiam erectum fuit s. Clarae titulo monasterium, Alphii Vassalli opera, in quo, inquit Pirrus, maxima viget regularis observantia. In eius ecclesia colitur s. Ioannis Baptistae reliquia.

Monast. Lycaodiae.

Pirrus tom. 1. p. 682.

Sbaralea in suppl. ad Scr. ord. lit. I.

LXV. Inclarent viri doctrina eximii. Inter minoritas conventuales Ludovicus Cremensis provincia Mediolanensis, dum esset Bergomi studiorum regens elucubravit *explanationem in universalia Scoti lectionibus CXIII conclusam.* quae extat mss. in bibliotheca s. Francisci Ferrariae. An vero sit idem ac Ludovicus Vimercatus Cremensis nobili genere natus, qui post expleta in instituto praeclara munia obiit anno MDCLVIII. ignoratur. Errat Waddingus dum dicit hoc eodem anno cusam fuisse Parisiis *summam peccatorum* scriptam a Benedicto Sangallo eiusdem instituti; nam auctor florebat circa annum MDXXXVII. Dicendum igitur eam cusam vel an. MDV. vel an. MVD. Edita fuit Patavii a Hieronymo Pallanterio e Castro Bononiensi in Aemilia eiusdem ordinis, et Ferrariensis universitatis methaphysicae professore *oratio gratulatoria collegii theologorum in primo adventu Marci Cornelii Patavini ad suam sedem, dicta in aula episcopali die XXIX. Martii anno MDVC.* Ibidem impressa fuit eodem anno alia oratio pro Aloisio Cornelio episcopo coadiutore Patavino gratulatoria pro eodem collegio.

Waddingus et Sbaralea lit. B

Sbaralea lit. H.

LXVI. Caeteri qui sequuntur, adscripti erant minoritis de observantia. Prodierunt hoc anno Compluti latino idiomate *conciones vespertinae quadragesimales in septem psalmos poenitentiales Didaci de la Vega Toletani.* Coloniae vulgavit Franciscus Fervardentius *commentarios in Ionam prophetam* ex veterum patrum hebraeorum, graecorum, latinorum scriptis collectos, christianis mysteriis ac concionibus aptatos. Iacobus Garibi e provincia Genuae, quem diversum a Iacobo de Portu Mauritio existimavit Waddingus, in eadem civitate typis mandavit vitam s. Francisci italico versu descriptam *il serafico s. Francesco*, Francisco Gonzaga olim generali ministro nuncupatam. Conchae edidit Melchior Huelamus e provincia Carthagineusi hispanice *discursus spirituales, et praedicabiles considerationes ex caeremoniis et mysteriis missae depromptas.* Antonius Delgadus Terremira provinciae Castellae filius, et a

Idem lit. D.

Waddingus lit. F.

Idem lit. I.

Sbaralea lit. M.

Wadd. et Sbaralea lit. A.

Digitized by Google

secretis commissarii generalis Indiarum, Matriti edidit librum cui titulus *historia sui ipsius*; *tractatum* etiam vulgavit hoc anno *de milite christiano*, ut notat Beristain in sua bibliotheca hispano-americana. Bernardus Somma concionator edidit Neapoli italico idiomate *concionem de magnitudine s. Nicolai Barensis die IX. Maii ab eo habitam.* Claudius Prior Gallus, dum erat Lovanii, rogatus a parochis, maxime a Waurensi Brabantinorum, occasione quorundam christifidelium sibi false persuadentium homines in lupos converti, suo idiomate gallico ad instar dialogi scripsit *libellum de lycantropia, sive transformatione hominis in lupos*, Lovanii vulgatum apud Masium. Salamanticae edidit tomum alterum de *Angelis* Franciscus de Herrera hispanus provinciae s. Iacobi, apud Salamanticenses insignis theologus, ordinis procurator generalis, et a secretis Archangeli a Messana supremi administri. Franciscus Nunez eiusdem provinciae Salamanticae per Ioannem Fernandez publici iuris fecit *advertentias*, sive notas in quatuor Christi evangelia duobus tomis distinctas, quorum alterum hoc anno, postremum anno insequenti vulgavit. Franciscus Ortitius Lucidus iunior provinciae Castellae, vir spectabilis vitae et litteraturae haud vulgaris scripsit *summam summarum, sive instructiones et documenta pro omnibus statibus.* Opus editum fuit hoc anno Complati, anno insequenti Maioricae, et an. MDCIII. Matriti. Petrus Baroana, vel Varrona apud Waddingum, natus in oppido Villa-Hermonosa vallis de Valdivieso provinciae Castellae, Matriti apud Ludovicum Sanchez vulgavit librum *de arcano verbo, sive de vivo omniumque factivo sermone Dei, ac de concionatoribus eiusdem super illud apostoli ad hebraeos IV. vivus est sermo Dei* etc.

Sbaralea lit. B.

Waddingus lit. C.

Idem lit. E.

Idem lit. F.

Wadd. et Sbaralea lit. F.

Idem lit. P.

LXVII. In coenobio capucinorum Conceptionis Genuae mss. habentur *commentaria in IV. libros sententiarum seraphici doctoris s. Bonaventurae* explicata hoc anno in conventu s. Barbarae eiusdem civitatis a Mauritio de Morra item capucino. In eorumdem Fabriani coenobio adservatur opus item mss. Hieronymi Angeloni Urbinatis hoc titulo: *in psalmos omnes iuxta veritatem vulgatae, et ecclesiae usitatae editionis latinae, ac varias ex hebraeo lectiones* etc. Opus nuncupatum cardinali Hieronymo Bernerio episcopo Asculano probatum fuit a pp. Aurelio Cremonensi conventuali, ac a Hieronymo a Castroferrettorum: non tamen lucem aspexit. Habentur in eo epigramma et carmen in mecoenatis sui laudem, quod sic incipit

Respicit tandem sine nube solem
Noster hic parens puer, et relictis
Prospero partu tenebris, patentes
Exit in auras.
Teque prae multis petit, ac parentem
Eligit supplex, venerande praesul
Alma quam virtus tyrioque tincta
Murice lana.
Efficit notum superis etc.

Sbaralea lit. M.

Biblioteca picena lit. A.

LXVIII. Perusii aetatis suae ann. LXXXIV. sanctitatis opinione eximius decessit Evangelista a Canobio, ducatus Mediolanensis oppido, inter capucinos adscriptus in provincia s. Francisci. In saeculo laudem consequutus erat ob sui peritiam in iure canonico. Magno habitus fuit in honore a patribus Tridentini concilii, ubi theologi minoris munus obivit. Anno MDLXIV. vicarius generalis sui ordinis renunciatus, familiam sibi commissam prudentia, vitae in-

Boverius tom. 2. pag. 560.

Ann. min. ad an. 1546. num. 31.

Digitized by Google

tegritate mansuetudineque gubernavit. Gregorio XIII. pontifici valde familiaris fuit, a quo etiam impetravit diploma, ut nonnullae ex capucinis monialibus e monasterio s. Marine in Ierusalem Neapoli in Umbriam ad novi monasterii fundationem se conferrent. Scripsit latine et edidit Mediolani anno MDXCI. *consilia varia in iure canonico, et adnotationes in libros decretalium.*

Sbaralea lit. C.

LXIX. Obiit hoc eodem anno eximia doctrina excultus Constantius Bonifocus, verius, ut scribit Hyacinthus Sbaralea, ex familia Torri in oppido Sarnani dioecesis Camerinensis in Piceno, non vero in Umbria, sicut habet Waddingus, natus. Perusii ab anno MDLXIV. in publico civitatis gymnasio sacram theologiam docuit. Anno MDLXXXVI. a Sixto V. summo pontifice s. Vitalis titulo inter purpuratos patres cooptatus, ad moderandam anno insequenti Vercellensem ecclesiam missus fuit. Multa ingenii sui monumenta posteris reliquit. Eius sunt *in formalitates Scoti commentarius*, Venetiis anno MDLXXV. *in universalia Scoti expositio* cum *tractatu de principio individuationis*, et *de syllogismis conficiendis*, ibidem anno MDLXXXI. *in universam logicam Aristotelis in via Scoti* simul *cum tractatu de secundis intentionibus* ibidem anno MDLXXXIV. in fine *logicae Scoti*, quam a se recognitam edere curavit iisdem typis anno MDCV: *conciliatio doctrinae s. Thomae et Scoti* edita fuit Lugduni an. MDLXXVII: *directorium in logicam, philosophiam et theologiam ad mentem Scoti* Venetiis editum fuit anno MDLXXX.; eius *directorium theologicum* auctum ab ipso et emendatum, Romae anno MDXCIII. prodiit: *locorum communium theologiae lib.* 1. quem forsan auctum castigatumque eodem laudato anno commisit Guidoni Bartolucci, ut Venetiis ederetur. *Summa theologiae*, sive *octo loci communes* non sunt duo opera.

Sbaralea ibid.

LXX. Aliorum opera castigavit ac vulgavit. Typis perusinis anno MDLXX. edidit nuncupavitque cardinali Felici Peretti *formalitates Ioannis Vallonis*, postea Venetiis anno MDLXXXVIII. cusas *cum imagogica expositione formalitatum Laurentii Brixiani, epitomis Stephani Bruliferi, Mauritii Hibernatis, formalitatibus Antonii Sirrecti, et expositione Antonii Trombettae titulo quinque illustrium auctorum formalitatem libelli etc.: in quatuor libros sententiarum Antonii Andreae*, cum *adnotationibus ad opus creationis, et ad angelos spectantibus* in LX. conclusiones divisis. Declarat in quibus s. Thomas, Scotus, et Averroes in idem veniant ac dissentiant, et quae ss. patres ac doctores de iis rebus protulerant. Opus lucem aspexit Patavii anno MDLXXVI. Pluries vulgavit Venetiis cum *logica Scoti* eiusdem *Antonii Andreae quaestiones super sex principiis Gilberti Porretani*, nimirum an. MDLXXXIV. MDXC.: iterum prodiere an. MDCX. eadem in civitate. Emendavit ac recognovit cum notis marginalibus Neapoli an. MDLXXIX. editas *quaestiones quodlibetales Scoti a Petro Tartareto commentariis illustratas*. Venetiis an. MDLXXX. recognitum ac notis a se illustratum publici iuris fecit *scriptum* eiusdem Petri *in IV. sententiarum librum Scoti*. Item Venetiis an. MDLXXXIII. edidit *opera Paduani de Grassis Barilotae*, nempe *enchiridion scholasticum*, *concilium Pauli*, et *de ecclesiastica republica* cum *notis*. Anno MDLXXXIV. ibidem cum notis etiam vulgavit *Petri Aquilani*, alias *Scotelli quaestiones in IV. libros sententiarum*. Publicavit *Vitalis a Furno cardinalis ord. min. commentaria in proverbia Salomonis, in Apocalypsim, et in quatuor evangelia*. Romae MDLXXXVII. typis commisit cum adnotationibus suis *Ioannis Delphini minoritae concent. commentarios in evangelium Ioannis et epistolam Pauli ad hebraeos. S. Bonaventurae*

Digitized by Google

opera ei a Sixto v. pontifice, ut emendaret et ederet demandata, explere non potuit; tres tamen tomos I. II. et IV. an. MDLXXXVIII. et an. MDLXXXIX. edidit typis vaticanis. Morte sublatus, reliquos quatuor tomos publicarunt Angelus Rocca episcopus Tagastensis, et Franciscus Lamata doctor theologus eius in labore socii. Venetiis an. MDLXXXIX. cum *notis* edidit *Francisci Lycheti minoritae de observantia generales commentarios in primum, secundum et tertium libros sententiarum, atque quodibeta.* Revisa et emendata cum eius vita operibus praefixa *Petri Aureoli cardinalis minoritae opera omnia*, e quibus *scriptum in IV. libros sententiarum* Romae an. MDVC. typis vaticanis vulgavit tomis quatuor; at primus tantum prodiit eo vivente; reliqui tres an. MDCV. et MDCVI. Suos *de Deo libros* huic doctissimo viro an. MDXCIV. dicavit Franciscus Contarenus Venetus.

LXXI. Tot tantisque laboribus fractus, pridie calendas Ianuarii Romae apud suos in coenobio ss. XII. apostolorum occubuit. eius laudationem funebrem prosequutus Franciscus Remundus iesuita in ecclesia' minorum de observantia in Ianiculo, cuius titulum postremis suae vitae annis obtinuerat. Sarnanum translatus, in ecclesia sui ordinis s. Francisci tumulum accepit hoc inciso monumento

D. O. M.
CONSTANTIO CARDINALI SARNANO
QVI SVSCEPTO IN ADOLESCENTIA MINORVM CONVENTVALIVM INSTITVTO
EXIMIVS ET THEOLOGVS ET CONCIONATOR EVASIT
ET POSTQVAM IN PRAECIPVIS ITALIAE CIVITATIBVS
SVMMA CVM DOCTRINAE ET INGENII COMMENDATIONE
THEOLOGIAM DOCVISSET
EDITIS LVCVBRATIONIBVS SCOTVM ILLVSTRASSET
A S. V. P. M.
EGREGIO VIRTVTVM AESTIMATORE
AD EPISCOPATVM VERCELLENSEM INDE AD SACRAM PVRPVRAM EVECTVS
STRENVAM OPERAM CHRISTIANAE REIPVBLICAE
IN QVIBVS ROMANAE AVLAE CONGREGATIONES NAVAVIT
DONEC DE STVDIOSIS OMNIBVS ET DE HOC PRAESERTIM COENOBIO
PRAECLARE MERITVS
ROMAE MORTALITATEM EXPLEVIT ANNO SVAE AETATIS LXIII.
A CHRISTO NATO M. D. L. XXXXV.
ANDREAS CRETIVS EX ORDINE S. STEPHANI PRONEPOS
PATRVO MVNIFICENTISSIMO
MONVMENTVM PONEBAT
ANNO M. D. C. XXXXIII.

LXXII. Vivere desiit etiam inter eos Iulius Prunianus Ferrariensis, vir apprime excultus in omnibus ferme facultatibus. Fuit etiam insignis verbi Dei praeco, et metaphysicam pluribus in locis publice docuit. Alphonso II. Ferrariae duci gratissimus, ab eleemosynis et a sacris confessionibus extitit. Munus etiam inquisitionis obivit Senis annis quatuor. Quae subnectimus, asservantur in coenobio s. Francisci Ferrariae; scripsit *in universalia Porphirii — in praedicamenta et posteriora Aristotelis — in universam philosophiam — in formalitates Scoti — commentaria in Ecclesiasten* italice — *super sym-* *Waddingus et Sbaralea lit. I.*

Digitized by Google

bolum apostolorum — homilias diversas — diversarum materiarum lib. 1.

Terzaga pag. 168. Senis decessit Bonaventura Bagnai eiusdem instituti, qui prae sui morum et doctrinae praestantia in Saxoniam a pontifice missus, commissarii ac visitatoris apostolici munus obivit apud canonicos regulares lateranenses s. Augustini.

Ciaconius tom. 4. col. 153. LXXIII. Ioannes Baptista Castruccius Lucae in Hetruria natus, electusque a Sixto v. pontifice s. r. e. cardinalis, titulumque s. Mariae Aracoeli de urbe die xv. Decembris anno MDLXXXVI. primum adeptus, hoc anno dies explevit suos in patria, cuius cadaver in maiorum suorum tumulo ecclesiae s. Francisci minorum de observantia sepositum fuit hoc inciso monumento

IOANNI BAPTISTAE CASTRVCCIO
TITVLO S. IOANNIS ET PAVLI
PRESBYT. CARD. SIGNATVRAE IVSTITIAE
S. D. N. PRAEFECTO.

Alii sequens extare scribunt

D. O. M.
IOANNES BAPTISTA
S. R. E.
PRESB. CARD. CASTRVCCIVS
SIGNATVRAE IVSTITIAE
PRAEFECTVS
H. S. E.
OB. S. A. MDXCV. XV. K. SEPT.
AET. LIV. D. XXVIII.

Ughel tom. 8. Ital. sac pag. 336. LXXIV. Evangelista Pelleus minorita conventualis episcopus s. Agathae Gothorum hoc anno defunctus, tumulum nactus est in sua cathedrali. hisce inscriptis

Aere vel ingenio, vel plena aetate superbus
Quocumque incedis, pone supercilium.
Talis ego Pelleus eram, nil profuit aetas
Vivida, nil artes, omnia mors rapuit.

POMPILIVS CALANDRELLVS MEDICVS D. IVLIVS PARILLVS CHRISTOPHORVS A CREMA PETRVS MICHAELIS GAVO AGATH. PASTORI SVO EVANGELISTAE PELLEO DE SE BENEMERITO POSVERVNT.

Idem ibidem. LXXV. Episcopalem dignitatem assequutus est hoc anno die II. vel III. Decembris Iulius Santucci a Montefilottrano minorita conventualis pro ecclesia s. Agathae Gothorum, loco Evangelistae Pellei nuper defuncti. Ex minoritis de observantia electus est episcopus Salamanticae in Hispania Didacus Ordonez, et episcopus Coriensis in Africa Franciscus Maldonatus. Haec discimus a Hyacintho Sbaralea in albo episcoporum ordinis. Ad moderandam metropolitanam ecclesiam Manilensem Insularum Philippinarum quae ab hoc tempore episcopalis erat, assumptus est die xxx. Augusti Ignatius a s. Ioanne, alias de Santibanez hispanus ex provincia Burgensi, insignis theologus, et aulae Philippi II. concionator: eadem die pro ecclesia Cacerensi, Carcères de Cama-

Digitized by Google

rine earumdem insularum, designatus fuit Ludovicus Maldonatus provinciae s. Gregorii discalceatorum, Salamanticae nobilibus parentibus natus.

LXXVI. Summi pontificis voluntate Petrus Salinates ex provincia Bosniae minorum de observantia in Bulgariam se contulit, apostolicis favoribus cumulatus, ut incolas in romana sacrorum communione confirmaret purisque fidei catholicae doctrinis imbueret, devios vero in rectum religionis tramitem a graecorum schismate revocaret. Quinquennio penes eos inter vitae pericula suo munere egregie perfunctus, Romam advenit, ubi a pontifice perhumaniter exceptus, primum selegit episcopum restitutae ecclesiae Sardicensis. Felix Ranieri a Fratta provinciae Umbriae eiusdem instituti, guardianus Terrae Sanctae delectus, vix eo accitus, quatriduo diu noctuque divinis meditationibus ante sanctum Domini sepulcrum ita vacavit, ut prae lacrymarum copia animo concidere videretur.

Coleti in Illyric. sac. tom 8. p 69.

Crispoldi storia di Perugia pag 153.

LXXVII. Aliqua iubet summus pontifex. Mandat episcopo Aversano, ut in aliud monasterium suae civitatis transferat moniales monasterii s. Clarae: *In supereminenti* die x. Ianuarii; quaedam statuit pro partitione reditus cuiusdam legati: *Exponi nobis* die ..... Februarii; subiicit episcopo Lucanen. monasterium s. Clarae suae civitatis: *Ex iustis* die xxv. Februarii; iubet monialibus s. Bernardini de Urbe, ut nigrum velum ad instar aliarum monialium tertii ordinis sibi imponant: *Cum vos* die xxvi. Februarii; ut fratres de observantia provinciarum regni Peruani, et Quiti in divini verbi praedicatione subsint ministris provinciarum: *Quamquam vos* die viii. Maii; subiicit episcopo Volaterrano monasterium s. Clarae eiusdem civitatis: *Cupientes* die xviii. Maii; mandat, ut in coenobiis provinciae Pietatis discalceatorum gymnasia pro eisdem fratribus instruantur: *Iis rebus* die i. Iulii: firmat concordiam inter fratres conventuales oppidi Nicaeae et vicarium paroehialis ecclesiae s. Syri eiusdem oppidi: *Ex debito* die xxiv. Iulii; iubet, ut discalceati provinciae s. Pauli valeant aedificare valetudinarium in civitate Vallisoletana: *Exposcit* die xxii. Augusti; ut in Superiori Germania guardiani et monialium abbatissae ultra triennium continuare possint in eorum officiis: *Exponi nobis* die xix. Octobris; statuit ne alia recollectorum coenobia aedificentur in dioecesi Palentina, nisi per quinque leucas unum ab altero distet: *Decet* die xix. Octobris; ut fratribus discalceatis provinciae s. Iosephi reddantur conventus regni Baeticae ac ab illis habeant fratres eiusdem instituti provinciae s. Gabrielis: *Ut ea* die xiii. Aprilis.

LXXVIII. Aliqua indulget idem pontifex. Eximit a lege interdicti fratres totius ordinis s. Francisci in festivitatibus ss. ordinis: *Sacrae seraphici* die xvii. Octobris; donat fratribus observantibus Aracoelitanis de Urbe mediam unciam aquae felicis: *Quonium* die ii. Ianuarii: confirmat officium Matthaei Salernitani ex laudato ordine pro recipiendis eleemosynis in universo orbe pro locis Terrae Sanctae: *Tuo nomine* die xxiii. Februarii: eique indulget, ut eleemosynas possit deponere penes syndicos devotosque procuratores: *Exhibita* die v. Iulii: quaedam etiam eidem iubet circa destitutionem cuiusdam legati in favorem Terrae Sanctae: *Exponi nobis* die xxiii. Februarii: indulget, ut Laurentius de Mola capucinus ob sui infirmitatem ad fratres reformatos transeat: *Exponi nobis* die iv. Martii: applicat quaedam bona stabilia monasterii s. Catharinae monasterio Dominae nostrae de Altabas civitatis Caesaraugustanae: *Exponi nobis* die xxiv. Maii; indulget Scipioni a s. Benedicto conventuali, ut transeat ad institutum coelestinorum: *Exponi nobis* die xxvii. Maii; re-

Digitized by Google

vocat facultates concessas a suis praedecessoribus Francisco a s. Martino: *Alias* die XII. Iunii; concedit omnia privilegia a suis praedecessoribus largitas aliis monasteriis monasterio clarissarum s. Catharinae oppidi de Baetin dioecesis Giennensis, nuper ab episcopo illius civitatis erecto: *Sanctimonialium* die I. Iunii; confirmat ad alios tres annos in commissarii generalis ultramontani munere Matthaeum de Burgos: *Cum nuper* die XIV. Iulii; plura concedit Lucae Iurisich in Hungariam proficiscenti: *Cum sicut* die XXVII. Iulii; indulget ut Hieronymus Riccius procurator generalis tertii ordinis reformatorum possit extrahere quasdam ss. reliquias ex hypogeis s. Sebastiani de Urbe: *Piis votis* die III. Augusti; quaedam privilegia largitur Francisco a Palumbaria ex minoritis de observantia degenti in Hungaria cum copiis catholicorum contra Turcas: *Aequum est* die XIX. Octobris; applicat pium legatum ad reparandam domum capucinorum civitatis Iserniae: *Expositum* die XVI. Novembris; ut Philippus Gesualdi minister generalis conventualium convocet et praesideat capitulo generali Viterbii habendo anno insequenti: *Cum generale capitulum* die VIII. Novembris; concedit indulgentiam plenariam visitantibus eamdem ecclesiam tempore celebrationis eiusdem generalis capituli: *Meritis* die .... Novembris; commendat Ferdinando archiduci Austriae Marcum Antonium Brixiensem ordinis minorum conventualium: *Venit in provinciam* XVIII. Iunii; Mariae archiducissae Austriae: *Vir religiosus*; episcopo Gurgensi: *Tuae pietatis*; episcopo Laventino: *Magister*; ac episcopo Labacensi: *Scimus*.

LXXIX. Concedit altare privilegiatum Conceptionis ecclesiae civitatis Goae in Indiis orientalibus fratrum minorum de observantia: *Omnium saluti* die XV. Martii; altare a guardiano designandum in ecclesia Conceptionis Vallis Xausae Limen. dioecesis eiusdem ordinis: *Omnium saluti* die VI. Martii; altare privilegiatum a guardiano deputandum in ecclesia s. Antonii de Padua oppidi de Canamarca laudatae dioecesis ac eiusdem ordinis: *Omnium saluti* die VI. Martii; altare a guardiano item deputandum in ecclesia s. Francisci de Tanche Collaguas Cuschen. dioecesis: *Omnium saluti* die .... ; altare b. Mariae virginis ecclesiae s. Catharinae Crescevi in provincia Bosniae: *Omnium saluti* die XX. Aprilis; altare maius ecclesiae s. Antonii Patavini Ulyssiponen. et indulgentiam plenariam in die eiusdem Sancti: *De cunctorum* die VIII. Septembris; altare ss. Crucifixi in ecclesia capucinorum Castri Durantis quoad fratres dumtaxat: *Omnium saluti* die XXV. Ianuarii; indulgentiam plenariam confraternitati chordigerorum erectae in ecclesia s. Laurentii Panormi in die s. Francisci, nativitatis, feria secunda resurrectionis Domini nostri, pentecostes, ac assumptionis b. Mariae virginis: *Cum sicut* die XIII. Septembris; indulgentiam plenariam in die s. Rochi, annuntiationis, assumptionis b. Mariae virginis et omnium Sanctorum confratribus s. Rochi in ecclesia s. Andreae Tempeguare, nuncupata de Bonata Lucanen. dioecesis: *Cum sicut* die IV. Septembris.

Sedulius pag. 178. LXXX. Catharina Guilielmi Niipels uxor, filiam habuit nomine Mariam, ad sextum ferme annum pedibus membrisque totius corporis adeo solutam, ut incedere nec stare poterat. Voluit eius mater triennio filiam in publica supplicatione, quae peragitur die sacro paschatis in ecclesia fratrum minorum de observantia Traiecti ad Mosam, nudis pedibus, amictam se laneis dumtaxat circumlaturam. Ante triennium expletum cum fulcris sustentata b. Virginem in eodem templo pro filia rogasset, statim solidatis membris omnibus, ibique miraculi testimonio repositis fulcris, domum pedibus suis redivit, omnibus reparata viribus.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1595.	an. 3. et 4.	anno 19.	anno 388.

LXXXI. *Anno* MDXCV., ita Bollandistae, *calvinistae Rupellenses in Gallia, instructa classe duodecim navigiorum, piraticam exercebant per oceanum australem, Architalasso Pandemillo. tendebantque versus fanum s. Salvatoris, civitatem, la Baya vulgo dictam, in Brasilia, illam expugnaturi. Interea agressi prius urbem Arguinum, ipsam quia modico defendebatur praesidio, breri tempore interceperunt, pactis conditionibus, ut Lusitani absque noxa dimitterentur. Verum, uti haereticis istiusmodi proprium est, pactis non stare, incolas omnes crudeliter trucidarunt, urbem expilarunt, templa et sacras imagines igni dederunt, excepta s. Antonii statua lignea, habitum franciscano more induta, quam Architalassus iussit in navim suam importari, ut illic Sancto magis per otium illuderet. Illatam obiecerunt molosso, qui morsu suo vestitum omnem illico discerpsit, dum impii nebulones arma expediunt, velut in egregium facinus, strictis gladiis cultrisque aggrediuntur statuam, amputant ludibundi partem faciei, nasum, manus, digitos pedum; infligunt crebra capiti totique corpori vulnera; adigunt clavos per humeros, raptant alligatis funibus statuam sic mutilatam, per navim, ac subinde e loco altiore praecipitantes, ludibrio clamant:* Antoni, duc nos ad fanum s. Salvatoris.

Acta ss ad diem 13 Junii tom. 6. pag. 125.

LXXXII. *Audiit Sanctus ludiones, et maiis modis ludibria ultus est divina virtute, qua primum omnium, quae in classe erant, vasorum ligamina tam ferrea quam lignea fuerunt disrupta; effluxitque quidquid inerat vini et aquae dulcis: omnis quoque bis-coctus panis vitium traxit ita, ut brevi tempore tota classis media laboraret: ille qui plura statuae dederat vulnera, utrinque factus est turpiter hernionus; multi subitanea morte perierunt; mare in ultionem ebulliit, quassatasque gravi tempestate naves decem cum vectoribus demersit in fundum; unam tantum in qua s. Antonii statua erat supportans, et aliam leviorem qua praefectus eius nuntium cladis tulit Rupellam, qui ipse ibi paulo post occisus periit. Navis Architalassii cum statua Sancti, quam dixi reliquam fuisse, delata est vi ventorum ad Seregippam oppidum, leucis quinquaginta distans a civitate s. Salvatoris. Hinc illi fame enecti commiserunt se fidei d. Francisci de Sosa, locum pro rege catholico tenentis; proiecta prius statua s. Antonii turpiter truncata in mare, ut ne si comperta fuisset in navi, omne sibi malum fieret.*

LXXXIII. *Ecce autem eadem statua adversus aestus ventumque fluctuans perlata est ad s. Salvatoris litus, ibique erecta constitit in arena instar hominis veluti expectans Architalassum Pandemillo cum suis commilitonibus, qui Seregippe capti, inde transmittebantur. Ut autem eo appulerunt, conspexerunique in litore stantem statuam a se male habitam et in mare praecipitatam, prae stupore velati amentes, ultro confessi sunt coram multis adstantibus delictum suum. Inter alia dixit Pandemillo ipse:* o Antoni! profecto iniuriam tuam probe ultus es in nos, dum, quod per ludibrium te blasphemantes, poposcimus, huc nos deduxisti ad poenitentiam et punitionem. *Ipse cum suis omnibus ibidem suspendio necatus est, atque ita ex universa classe illa haereticorum nullus superfuit, nisi forte ex illa navi quae nuntium abominationis Rupellam tulit. Incolae civitatis statuam solemni pompa intulerunt ad se, et collocarunt in ecclesia minorum, totamque rerum narratarum seriem rite probatam miserunt ad Philippum II. tum Lusitaniae aeque ac Hispaniarum In-*

Digitized by Google

diarumque regem, qui exinde mandavit, ut civitas s. Salvatoris s. Antonium sibi patronum et protectorem adscisceret; quae etiam in eius honorem singulare festum instituit, hodieque celebrat quotannis dominica IV. adventus Domini, qua post tot casus sacra statua duce Deo in portum appulit. Similia tradunt authographa eiusdem provinciae Brasiliae, quae penes nos habentur.

Monum. prov. LXXXIV. Camilla Peretti Sixti V. germana, aedem in qua ambo lucem aspexerunt, positam in pago Cupramontano ad oram maris Adriatici, in ecclesiam commutavit s. Luciae titulo decoratam. Facti memoria prostat in maiori aere campano eiusdem ecclesiae

DIVAE . LVCIAE . CVIVS . DIE . FESTO
SIXTVS . V. PONTIFEX . MAXIMVS
IN . LVCEM . EDITVS
CAMILLA . PERETIA . EIVS . SOROR
HANC . ECCLESIAM
VBI . AMBO . NATI . SVNT
PROPRIIS . SVMPTIBVS
STRVXIT . ET . DONAVIT
ANNO . DOMINI . MDXCV.

LXXXV. Operis molitionem adprobavit summus pontifex, et canonicorum collegium ibidem erexit anno MDXCVII. vulgata constitutione: *Immensa* V. idus Ianuarii, in qua praeter caetera habentur: *Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectae in Christo filiae Camillae Peretti comitissae Celani petitio continebat, quod cum ipsa paulo post felicis recordationis Sixti papae V. praedecessoris nostri, et ipsius Camillae comitissae secundum carnem fratris germani, ad supremum apostolicae sedis solium assumptionem, ut erga omnipotentem Deum omnium bonorum largitorem, pii et grati animi sui pro huiusmodi et multis ab eo acceptis gratiis apud posteros praesertim, in terra Cryptarum ad mare Ripanae dioecesis et proprio situ domus, in qua praedictus Sixtus praedecessor die festo sanctae Luciae natus fuisset perpetuum extet monumentum etc.*

Ex bibliotheca Mediolan. lit. M. LXXXVI. Ioannes Franciscus Marlianus Mediolanensis sanguine, dignitate ac doctrina praestans, tumulum accepit in conventu observantium s. Mariae de Pace Mediolani, hoc elogio exornato

IOH. FRANCISCO MARLIANO ANTONII SENATORIS
ET A CONSILIIS DVCVM MEDIOLANI FILIO
EQVITI AVREATO ORATORI I. C. SENATORI
CONSILIARIO LEGATO AD MAXIMIL. CAESAREM
SENATVSQVE PRAESIDI
ET ALOYSIO PHILIPPI II. REG. HISP.
MAXIMILIANI ET CAROLI V. CAESARVM
MAXIMILIANI ET LVDOVICI DVCVM MEDIOLANI
A CONSILIIS SIMVL ET ARCHIATRO
ORATORI MATHEMATICO ATQVE PHILOSOPHO
EPISCOPO TVDERENSI CARDINALI DES.
ET IOH. ANTONIO EIVS FILIO LEGITIMO

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1595.	an. 3. et 4.	anno 19.	anno 388.

A CVBICVLO CAROLI V. CAESARIS
AB EODEMQVE DONIS HONORIBVS
EQVESTRI DIGNITATE
BELLICAE VIRTVTIS CAVSA ORNATO
PAVLVS CAMILLVS MARLIANVS
BVSTI COM. M. S. D. M. P. AN. MDXCV.

LXXXVII. In oratorio argenteis laminibus exornato ecclesiae conventus s. crucis Oeniponti eiusdem ordinis in provincia Tyrolensi sepositae fuere in tumulo nigro ex marmore aliisque pretiosis lapidibus confecto, exuviae Ferdinandi archiducis Austriae hoc anno defuncti, adiecto insequenti epithaphio *Groiderr tom. 2. n. 409. pag. 226.*

D. O. M.
SERENISSIMO PRINCIPI DOMINO FERDINANDO ARCHIDVCI AVSTRIAE DVCI BVRGVNDIAE ETC. COMITI HASBVRGICO ET TYROLENSI ETC. HEROI IMPRIMIS MAGNANIMO PIO FORTI ACERRIMO RELIGIONIS IVSTITIAEQVE VINDICI QVI AVGVSTAE DOMVS SVAE GLORIAM A MAIORIBVS ACCEPTAM ET BELLO ET PACE ILLVSTRAVIT QVI SVPERIORES DOMVS AVSTRIACAE PROVINCIAS TRIGINTATRES ANNOS ET DIMIDIVM ARQVABILITER REXIT QVI SVB DIVIS IMPERATORIBVS FERDINANDO PATRE ET MAXIMILIANO II. FRATRE EXPEDITIONI IN TVRCAS SECVNDO SVSCEPTAE TANTA INDVSTRIA VIRTVTE ET FELICITATE PRAEFVIT VT DIVVS RODVLPHVS II. IMP. AVGVSTVS SVMMVM IPSI TOTIVS EXERCITVS SVI IN AMVRATHEM II. TVRCARVM TYRANNVM EDVCENDI IMPERIVM ANN. MDXCIV. DETVLERIT ID VERO QVO MINVS GERERET IMPEDITVS GRAVISSIMO MORBO QVO PAVLO POST MAXIMO OMNIVM DOLORE VIVS IMMATVRE EREPTVS EST. HOC INTERIM SIBI MONVMENTVM MORTIS MEMOR VIVVS CONSTITVIT. VIXIT AN. LXV. MENSES VII. DIES X. OBIIT M. D. X. O. V. DIE XXIV. IANVARII.

LXXXVIII. Ad laevam chori ecclesiae s. Hieronymi Viennae eorumdem fratrum extat et hoc coenotaphium

D. O. M.
IOANNI GASPARO A SCHÖNAV IN STEIN BONSPERG ET ALTSTÖTTEN ETC. VIRO NOBILISSIMO QVI PRAECLARISSIMIS REBVS TERRA MARIQVE IN GALLIA ITALIA BELGIO PORTVGALLIA PRAESERTIM IN MARITIMO PRAELIO AD TERZERAM ET HVNGARIA IN EXPVGNATIONE STRIGONII QVO TEMPORE DVCEM AC PRAEFECTVM AVXILIARIORVM PEDITVM SVEVIAE EGIT LAVDABILITER GESTIS FEBRI ARDENTISSIMA CORREPTVS ET HVC VIENNAM AVSTRIAE DELATVS IRREPARABILI CHRISTIANAE MILITIAE IACTVRA XII. SEPT. AN. SALVTIS MDXCV. AETATIS VERO SVAE L. MAGNO OMNIVM LVCTV EXTINGVITVR. MATRONA NOBILISSIMA SABINA DE SCHÖNAV NATA EX NOBILI PROSAPIA DE STEIN VIDVA ET FRATRES MOESTISSIMI ALTARE HOC MARMOREVM TVM AD DEI GLORIAM TVM PRO MONVMENTO P. P.

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1596.	an. 4. et 5.	anno 20.	anno 389.

ARGUMENTUM

Franciscani saevam persecutionem patiuntur in regno Iaponensi. Iidem amandantur evangelii praedicandi gratia in Novum Mexicum, in Californiam, et Doralum. Minores observantes generalem congregationem, conventuales et capucini generale comitium habent. Coenobia ac monasteria excitantur. Decumbunt virgines, viri Dei ac docti. Renuntiantur episcopi. Pontificis mandata ac indulta notantur.

Acta ss. eâ diem 5. Februarii.

DE Iaponica franciscalium persecutione acturi, praesentem annum exordimur verbis cl. Ludovici Frois, qui de priori huius persecutionis causa sic scribit: *dum ex una parte fratres franciscani pergunt* (in Iaponiam) *palam evangelium annuntiare, et ex altera multi etiam ex nostris* (idest iesuitis) *baptismi sacramento initiantur, ac generatim totus populus in sanctam fidem nostram propendere intelligitur, Iacuinus* (reginae Taycosamae familiaris medicus, divinarum ac humanarum omnium legum hostis infensus, ac inter bonzorum sive sacerdotum numerum adscriptus) *stimulatus ab eo qui omnibus nostris invidet bonis, non potuit amplius venenum quo cor eius rodebatur, supprimere, sed arrepta occasione tanto studio quaesito christianum nomen apud regem detulit, non sine magno fidei detrimento.* Ut autem christifidelium exitium assequeretur, eidem propagationem christianae fidei incolumitati imperii obfuturam suasit.

II. Altera etiam fuit causa, adventus scilicet navis sub invocatione s. Philippi, quae ex Insulis Philippinis Tozzâ, una ex tribus celebrioribus Iaponiae insulis appulsa, malo, temone aliisque necessariis destituta, imo ferme praeteritis tempestatibus quassata erat. Vix advenit, illico loci praeses certiorem reddidit Taycozamam, eam illi offerens mercibus pretiosis refertam. Ne tam opima praeda manibus suis eriperetur, eo misit Taycozama Gemonogium aulae suae praefectum, qui navem inspiceret, et camerae regiae eas merces addiceret. Gemonogius praedam ad imperatorem attulit eo tempore quo vaferrimus mox dictus Iacuinus infanda quaeque in christianum nomen principi falso aperuerat; et cum ille novis suspicionibus falsisque criminationibus christianorum causam ob illius navis adventum gravaret, ac comminaret diceretque inter caeteros religiosos quosdam esse, nimirum duos ex eremitanis s. Augu-

Martinez lib. 3. pag. 36.

stini, unum dominicanum, ac item duos Philippum a Iesu, et Ioannem Pauperem ex fratribus discalceatis, velut christianorum principum exploratores, factum est, ut imperator iam sponte incitatus, iram omnem in christifideles effuderit, dicens: *pessimi exempli rem esse, si legi christianae publicandae locus detur in Iaponia.*

Acta ss. ibid. num. 49. et 50. p. 751.

III. Quare imperator primo mandavit Fazamburo rectori urbis Naugasachi, ut moneret tres franciscanos, nimirum Bartholomaeum Ruitz, Marcellum de Ribandeneira, et Hieronymum a Iesu ibidem degentes, ut brevissimo tempore se reciperent in Lusitanorum navem; si vero aliquis in fugam elaberetur, eum inquirendum curaret consignandumque loci domino, in quo inveniretur. Regis mandatum Fazamburus subscribens et explens, iidem fratres navim Lusitanorum impositi fuere, navitis sub poena mortis cavens, ne ullum ex eis in

Martinez ibid. p. 83.

terram reduceret. Hieronymus a Iesu solus ab aliis se subduxerat, quia ipsi mandaverat Petrus Baptista, ut melioribus christianae reipublicae temporibus

Digitized by Google

se reservans, lateret. Verum prae nimio persecutionis aestu hac illac discurrens, relicta Iaponia, Maniliam petiit, pro-regi ministroque illius provinciae s. Gregorii de rerum successu rationem redditurus.

IV. Interim eiusdem principis imperio missae a Gibonoscio Meaci gubernatore copiae in coenobium franciscalium eiusdem civitatis die immaculatae Conceptioni sacro, in eorum manus inciderunt qui aderant, Petrus Baptista commissarius, Franciscus Blanco, Gonzalvus Garcias, et Franciscus a s. Michaele una cum Philippo a Iesu, sive de las Casas, nuper in Iaponiam accitus. Eadem die advenit Ufioius a rege missus, ut nomina christianorum qui franciscanis favebant, adnotaret; et ille revera nulla interposita mora, inquisitionem instituit, et omnium quotquot Meaci erant nomina descripsit. Simile militum custodia apposita fuit in eorumdem coenobio Ozacae, quod incolebat Martinus ab Ascensione paulo ante eo appulsus, alter christianus qui sacro inserviebat, ac praeterea duo alii pueri. Hoc eodem tempore vigiles immissi etiam fuerunt in domum patrum societatis Iesu Ozacae in qua degebant Paulus Miki, Ioannes Soan sive Goto, et Iacobus sive Didacus Kisoi eiusdem instituti, inde franciscanorum socii in consummatione martyrii.

V. Die xiii. Decembris Gibonoscium advocavit Taycozama, eique iussit, ut morte mulctaret omnes franciscanos fratres in Iaponia commorantes; quibus auditis, mox eisdem nuntiavit regem in ipsos mortis dictasse sententiam. At illi non moesto animo, sed ingenti prorsus gaudio cum aliis quibusdam christianis nuncium mortis accepere. Id enim aperte novimus ex fragmento epistolae, quam Petrus Baptista commissarius e coenobio suo Meacensi dedit ad fratrem Augustinum Rodriquez eiusdem ordinis Nungasachi degentem: *circumdati sumus*, inquit, *intus et foris custodibus, et sententia mortis in christianos lata est, et ideo nomina eorum adnotata sunt. Primo die quo custodes nobis attributi sunt, confessi sunt de peccatis sic, ut totam noctem frater Franciscus et ego in audiendis confessionibus consumpserimus; nam ex primario quodam christiano cognoveramus nos omnes postero die vita privandos. Ante ortam lucem dixi sacrum missae et communionem fratribus aliisque quinquaginta christianis porrexi, arbitratus eam esse extremam; deinde omnes nos praeparavimus, accepta in manus cruce, ad ponendam vitam cum Christo. Eodem die ante prandium multi Iaponii advenere et per totam domum discurrere, et post eos quidam Gibonoscii gubernatoris Meacensis substitutus, educens secum Leonem, Paulum, Thomam, Venturam et Gabrielem nostros praedicatores, eosque domi suae retinuit. Ignoro quis exitus rei sit futurus. Aiunt, vel quod trucidabit nos, vel remittet ad Philippinas. Sed nos, gratia divina adiuvante, paratiores sumus ad vitam deserendam pro Christo, quam ad repetendum in Philippinas, etsi ego tanto bono dignus non sim. Frater noster Martinus* (ab Ascensione) *eiusdem est animi et spiritus. Sit Deus benedictus.*

Acta ss. ibidem pag. 750. num. 49

VI. Alteram hoc tempore scripsit epistolam quam exhibet Ludovicus Frois ex societate Iesu in historia horum martyrum, Franciscus Blanco ex eodem coenobio datam cuidam amico sic expressam: *quotidie*, inquit, *expectamus mortem amore Domini nostri subeundam, eaque ex re ingentem consolationem capiamus, maxime cum videamus christianis tantum inesse animi, ut etiam carnificum moram moleste ferant. Id vero longe maiorem nobis affert stuporem, quod et Fuscimo et ex montibus longe remotis ac-*

Ibidem pag. 756. num. 82.

Digitized by Google

currant et dicant: si christiani, quia christiani sunt, mortem oppetant propter christum, se quoque in illam societatem adscribi debere, quandoquidem et ipsi christiani sunt. Nobis autem fas non est cum illis sermonem illum habere. Pudet me mei, dum video homines in fide tam novitios non expavescere mortem.

VII. Aliis permultis omissis, prae caeteris laudanda ardenti fervore patiendi martyrium pia mulier Maria Meaci incola, quae certa per epistolam reddita ab avia sua christiana Fuscimi degente, de imminenti suae vitae discrimine nihil turbata fuit, sed imo hilari vultu Deo gratias egit, animoque invicto ad tam illustrem coronam se disposuit ita, ut vestes una cum filiola adoptiva decenni, Gratia nuncupata, deposuerit aliasque induerit, si forsan agenda esset in cruce. Inde filiolae suae explorans in fide constantiam dixit, se velle eam amandare ad patrem suum, ut mortis periculum evaderet. Illa ex tunc illacrymare incepit ac dicere: *quid est hoc? nonne ego sum baptizata? certe si christiani omnes moriuntur, ego nc velim vivere?* Ex quo responso et intellexit Gratiae in fide constantiam, et insimul experta est iucundam animi sui consolationem.

VIII. Interim Gibonoscius substituto suo imperavit, ut Meacum se denuo conferret, ac secundo omnium christianorum nomina qui fratribus franciscanis erant familiares, in unam schedulam referret. Eorum album ab ipsis fratribus exegit, et in scriptis relatum, super centum septuaginta numerabantur. Sed quia substituto hic numerus plus aequo videbatur, curavit igitur exigi tantum eorum nomina qui cum fratribus agebant; unde ad Gibonosium non est allatus nisi catalogus capitum quadraginta septem. Qui numerus cum ei iterum videretur aequo maior, ex omnibus tantum selegit duodecim. Cum autem quidam minister qui haec sciebat, a singulis peteret, num essent christieni; ipsi existimantes se ad martyrium quaeri, se tales esse generose respondebant.

IX. Irruentibus inde regiis ministris in eorumdem fratrum Meaci coenobium dum ab ipsis vesperarum solemnia agebantur die xxx. Decembris, eorum singuli duodecim adnotati vocati fuere. Aberat tunc forte unus Mathias nomine, qui fratrum munus obsonatoris obibat. Cum is non appareret, ministri clamarunt, ubi est Mathias? prodeat iste. Proximus ostio conventus habitabat quidam eodem nomine christianus qui vocari Mathiam audiens, extemplo ministris se obtulit, dicens: *ecce tibi Mathiam; etsi non sim quem quaeritis, sum nihilominus christianus, et horum patrum amicus.* Hoc satis est, responderunt ministri; et sic eum socium adduxere. Qui quidem licet opprobriis ac contumeliis affecti, imo et verberibus multis afflicti, Deo tamen suo, oculis et manibus in coelis elatis illico hymnum *Te Deum*, et alterum *O gloriosa Domina* decantarunt, cuius beneficio digni habiti erant pro nomine Christi contumeliam pati. Inde in publica Meacensi vincula coniecti fuerunt, quibus multo non post eiusdem regis voluntate Martinus ab Ascensione cum tribus Iaponiorum sociis, Paulus Miki, aliique duo alumni societatis Iesu Ozacae propriis in domibus retenti, inter omnium captivorum gaudia accesserunt.

Benedictus XIV. de canonizat. ss. tom. 3. app. 2. p. 395.

X. Aliqua hoc tempore mirabilia evenisse ex actibus pro iterum ss. martyrum canonizatione confectis scribit Benedictus xiv. Ac primo quidem » quod » statim atque captus fuit fr. Petrus Baptista cum sociis apparuit cometes in » modum harparum et crucium, qui videbatur inchoare a Philippinis versus » civitatem Nangasachi, ubi erant crucifigendi, et duravit per noctem, quous-

Digitized by Google

» que martyres pervenerunt ad locum martyrii, et nunquam amplius visus » fuit. 2. Post carcerationem martyrum in dicta civitate Meaci evenit qui- » dam terraemotus per spatium trium horarum, et multa templa deorum » corruerunt. 3. Post eamdem carcerationem in dicta civitate Meaci evenit » maximum aquarum diluvium in quo plures utriusque sexus periere. 4. Post » capturam etiam praedictam sancti seraphici Francisci imago sanguinem ex- » sudavit ».

XI. Cum tanta fidei iactura haec in Iaponiorum imperio evenirent, quorumdam Deus ex eisdem franciscanis de observantia s. Evangelii provincia suscitavit spiritum eamdem fidem in alias mundi plagas disseminare. Primo in Novum Mexicum, veteri Mexico ad meridiem conterminum anno MDLXXX. ab eisdem detectum, nondum fidei lumine illustratum se contulere, duce Ioanne Onate, cui Gaspar de Cunga et Acebedo, comes de Monte-Rei pro-rex Mexici imperaverat, ut regionem satis peramplam Philippi II. Hispaniarum regis imperio submitteret. Franciscalium nomina exhibuit Torquemada accuratissimus illarum rerum scriptor, nimirum Christophorum de Salazar, Ioannem ab Escalona, Franciscum a s. Michaele, Franciscum a Zamora, Lopezium Yzquieredo, Gasparem a Peralta sacerdotes, ac Petrum de Verzura laicum, quorum omnium a Petro de Pila commissario generali Mexicano praeses renunciatus fuit Alphonsus Martinez vir spectatissimae vitae. Animarum fructum quem inter labores vitaeque pericula retulerunt, anno MDCII. notavit Ioannes ab Escalona ex laudato Petro a Pila Mexici degente. Ex eisdem actis novimus coenobium excitasse sub invocatione s. Gabrielis in quodam eiusdem nominis loco, ad altitudinem graduum XXXVI. septentrionem versus posito.

Ann. min. ad an. 1580. n. 44, et seq.

Torquemada tom 1. pag. 673.

Coor. in oppido s. Gabrielis.

XII. Eodem Petro de Pila commissario, amandati fuerunt item hoc anno ex provincia s. Evangelii iidem fratres in Californiam Americae septentrionalis peninsulam, quae inter mare rubrum, ab hispanis vocatum *mar vermeio*, et mare pacificum excurrit. Laudati pro-regis Mexici voluntate eo deduxit Sebastianus Vizcainus totius classis praefectus fratres Didacum Perdomo, Bernardinum de Comudio, Nicolaum de Seravia sacerdotes, et Christophorum Lopez laicum, omnium Francisco de Balda commissario. Ab Indis perhumaniter excepti, domicilia quaedam ex arborum ramis penes oratorium sibi aptarunt, ubi coelestem potius quam terrestrem vitam ducebant. Hinc factum est, ut incolae eorumdem vivendi ratione illecti, obsonia eis ultro ministrabant, eosque exorabant, ut in christiana fide erudirentur baptismatisque lavacro abluerentur. Franciscalium ita labore initiata fuit Christi ecclesia in California.

Idem ibid p. 682.

XIII. Actum interea est hoc etiam tempore ab hispanis iter Doradum versus arripere, ut terram illam, sicut vulgata erat fama, argenti aurique copia, gemmis et aromatibus divitem, multorumque frugum feracem eorumdem ditioni submitterent. Doradum, ab hispanis *el Dorado*, Manoa etiam appellatum, caput regni Castellae Aureae, ad Parimae lacum quae sub aequatore est, iacet, subestque Americae meridionali vel Peruvianae. In ea regione sunt Anabas, Anapaia, Emeria, et Orenocus, a fluvio eiusdem nominis qui ibidem ortus Caribanam a Paria distinguit, appellata. Caribana Guaianae versus septentrionem adiacet inter Orenocum et Marangonem fluvios. Marangonem inter et Orenocum ponuntur Amazones Caribanae.

Torrubia pag. 157.

Cluverus pag. 558.

XIV. Cunctis igitur paratis, Dominicus de Vera praefectus Philippi regis imperio, plurium tum nobilium tum plebeiorum, ac sacerdotum saecularium et regularium numerum classibus imposuit die XXIII. Februarii. Franciscano-

Digitized by Google

rum album qui singuli erant ex provincia Castellae recensemus ex regesto p. Arzubiagae commissarii generalis Indiarum, nimirum Franciscum Aloysium de Miesses omnium praesidem, Ioannem de Pezuela, Franciscum de Arganda, Ioannem de Torres, Petrum de Esperanza, Petrum de Aragon; Laurentium de Luna, Hieronymum de Pena, Ioannem de Espeio, Paulum Barrosa, Ioannem de Manosalvas, Ioannem de Moya, Bartholomaeum de la Puebla sacerdotes, et Christophorum Suazo laicum. Omnia ei secunda venerunt in itinere; at vix in Orenocum accesserunt, a Caribis impetiti, partim se fugae dederunt, partimque caesi, ac inedia alii perierunt. Inter franciscanos mortem evaserunt Petrus de Esperanza, Paulus Barrosa sacerdotes, ac Christophorus Suazo laicus, incolumes in Lusitaniam appulsi. Franciscus Aloysius de Miesses commissarius aliique duo in provinciam s. Fidei se contulerunt. Iterum Doradum repetiere franciscani, commissario generali apud Indos Gabriele Ramirez, ali

Arzubiaga part. 2. pag. 84.

ingenti eorum labore erecta fuit custodia s. Antonii titulo, adiunctis coenobiis existentibus in insula ss. Trinitatis. ac s. Thomae apostoli.

XV. Summus pontifex arbiter electus a Philippo II. Hispaniarum, ac ab Henrico IV. Galliarum regibus pro ineundo quod ab omnibus desiderabatur, inter se foedere, ad eos destinavit Alexandrum de Medicis cardinalem et archiepiscopum Florentinum, virum multo rerum usu, prudentia ac pietate praestantem, legati sui munere insignitum. Ut autem negotium satis laboriosum felicius absolveretur, primum idem pontifex dato diplomate: *Quam semper* die XXV. Maii iubilaeum indixit ad divinam opem pro catholicae fidei exaltatione implorandam, ac eidem deinde cardinali alios eximios viros dedit, ut eorumdem consilio et opera adiuvaretur. Missis aliis, eiusdem pontificis voluntate nuncii officium suscepit Franciscus Gonzaga Mantuanus episcopus, iam ordinis minoritarum de observantia generalis administer, cui aliqua concessit idem pontifex: *Postulat* die XII. Augusti, et Bonaventura Sceusius Siculus eiusdem instituti supremus praeses, vir sui temporis eloquentissimus ac in gerendis rebus mira dexteritate exornatus.

Spondanus ad hunc an. num. 15.

Donesmondi in eius vita pag. 249.

XVI. Is accepto mandato congregationem sui ordinis generalem quam in mense Maio, ut moris est, habere debuerat, convocavit in coenobio s. Francisci Victoriae in provincia Cantabriae die XXIV. Februarii, ubi vocatis ultramontanae familiae dumtaxat patribus, summi pontificis dispensatione in officio commissarii generalis confirmavit Matthaeum de Burgos, et in romana curia item commissarium generalem instituit Baptistam Moles ex s. Gabrielis discalceatorum provincia. Concreditis inde sigillis Claudio Melulla ex provincia Bononiensi suique vicario delecto, manus tanto operi impigre, felici tamen successu, admovit, eo vel maxime, quia abiuratis erroribus ipsi Henrico vulgato diplomate: *Divinae gratiae* XV. calendas Octobris idem pontifex absolutionis beneficium impertivit. Alia suo loco dicemus.

De Gubernatis t. 2. p. 574.

XVII. Hinc Bonaventura generalis, licet nullis laboribus pareceret pro ineunda inter Philippum ac Henricum reges pace, quae etiam ad ordinis sui decorem spectabant invicto prorsus animo fovebat. Nam per Galliam et Belgium discurrens, collapsam suorum disciplinam erigebat, ac eis quibus cordi erat recollectorum vitam prosequi, domicilia tradebat. Omnium primum pro eis hoc anno constituit coenobium Niverneuse provinciae Turoniae, ab anno 1570. reformatis Italiae fratribus eo evocatis concessum a duce Gonzaga coenobii patrono a quo ipsi abierant, cum italicorum mores gallicae nationi non arriderent. Non multo post eius cura iisdem fratribus recollectis obvenit in provincia

Id. ibid. pag. 398. et seq.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodolphi II.	Religionis Minorum
1596.	an. 4. et 5.	anno 20.	anno 389.

Turoniae Pictaviensis conventus de Balmetta, extra urbem Angeriae positus, qui primum praesidem accepit Iacobum Garnerium Capovinum insignem verbi Dei praeconem sanctitatisque vitae spectabilem.

XVIII. Eo interim favente, auctum etiam fuit in Italia fratrum reformatorum sodalitium; nam cum anno MDXCIV. litteris datis: *Ut antiquam* die VIII. Ianuarii quasdam pontifex eisdem facultates pro bono eorumdem regimine ac gubernio contulisset, ipsi in spem erecti, constitutiones a Gregorio XIII. *Cum illius vicem* die III. Iunii pro eis latae anno MDLXXIX., ac: *Pro iniuncti* die XII. Octobris, confirmationem obtinuerunt. Quae tamen, ut firma essent, quosdam pontifex eiusdem strictioris observantiae viros visitatores apostolicos designavit, ut eorum studio aggressam reformationem altas in dies radices ageret. Quare uno eodemque mense in provincias Brixiae et Venetiarum Iacobum Gandinum litteris datis: *Cupientes* die XV. Novembris, et in provinciam Marchiae: *Cupientes* die XVI. eiusdem mensis Laurentium a Fulgineo mandavit insequentibus iussis a praesidibus romanae apostolicae visitationis instructos.

XIX. 1. « Ut provincias sibi respective commissas ingressi, illarum mini- *Idem ibid. p. 365.*
« stros provinciales de observantia debita humilitate ante omnia conveniant,
« quibus iam descriptum Gregorii XIII. breve: *Pro iniuncti etc.* suamque
« apostolicam commissionem reverenter ostendentes, ipsos humiliter exorent,
« ut in reformationis progressibus pro Dei gloria sanctioribus consiliis sibi
« assistere dignentur. »

2. « Ut exinde reformationis custodem conveniant eodem modo commis-
« sionem suam necnon sanctam pontificis mentem pro sanctiori reformationum
« stabilitate stabilire proponentes; visitatis demum reformatorum conventibus,
« deque eorum atque incolarum qualitatibus ad plenum informati, atque coe-
« nobiorum discretis electis in singulis, de custodis discretorumque consilio, in
« conventu sibi beneviso, non attento tempore per leges praefinito, capitulum
« custodiale celebrare debeant, in quo congregatis patribus ante omnia com-
« missionem suam atque pontificium decretum exponant, ut reformati, seclusis
« omnibus omnino privilegiis relaxativis et abusibus, ad omnimodam regulae
« puritatem iuxta Nicolai III. atque Clementis V. decretales, necnon iuxta
« Clementis VII. et VIII. recitatas litteras apostolicas vivere teneantur. »

3. « Eodem in capitulo de singulorum in reformatione viventium, aut ad
« eam transire volentium nomina, aetatis atque religionis annos, patriam et
« qualitates omnes tota diligentia et prudentia perquisitas in scriptis rediget-
« tes, illos subscribere faciant, qui in reformationis rigore permanere voluc-
« rint; ex quibus omnibus de patrum seniorum consilio illos eligere debeant
« in conventibus reformatis collocandos quos magis ad hoc idoneos iudicave-
« rint; reliquos fratres, simul et conventus reformationi minus accommodatos
« patribus de observantia ex integro dimissuri. »

4. « De patrum seniorum et saniorum consilio conventus ex tota provincia
« reformationi et praesertim novitiorum educationi magis accommodos eligere
« debent, sibi a ministro de observantia statim consignandos, caeteros, ut su-
« pra, eidem libere dimissuri; quibus peractis, custodem reformationis duosque
« discretos custodiales de praefatorum consilio et assensu electos deputabunt;
« tandem de horum trium voto guardianos caeterosque officiales et fratres re-
« liquos in conventibus reformatis respective distribuent. »

5. « Custodi, discretis, et guardianis, ut supra, electis caeterisque fratribus
« in singulis coenobiis praefatos reformatae vitae rigores omnimode observan-

Digitized by Google

« dos alte contestentur, sub poena privationis actuum legitimorum contra superiores ac in re delinquentes vel negligentes; quod itidem futuris temporibus in singulis capitulis statim ab electione erit intimandum. »

6. « Comitiis absolutis, commissarius una cum custode conventus singulos « visitare teneantur, ut fratres omnes verbo et exemplo ad puriorem regulae « observantiam diutius conservandam instruere et exercere valeant. »

7. « Omnibus tandem prudenter atque religiose peractis, commissarius ipse « Romam remeare teneatur, summum pontificem necnon visitationis apostolicae « praelatos de omnibus in sua commissione gestis ad plenum informaturus; « quod si personaliter ad Urbem accedere non valeat, informationem praedictam debeat suo scripto supplere. »

Benoff pag. 284. XX. Minoritae conventuales habuerunt hoc anno Viterbii generale ordinis comitium, in quo Philippus Gesualdi iam ordinis praeses eo in munere confirmatus fuit, accedente etiam summi pontificis voluntate: *Paterna nostra* die xx. Iunii. In officio procuratoris generalis confirmatus item fuit Franciscus Buschi a Setio. Ut pontificis mandato obsecundarent qui praeter ea conductis regularibus, specialia tamen pro eorum reformatione decreta vulgaverat, haec

Ex miscell. archiv. ss. XII. apost. de Urbe pag. 12. patres in comitio statuerunt. *Quantum attinet ad exactam vitae communis observantiam, ss. d. n. decretis praescriptis, generale capitulum eam humiliter, ut par est, amplectatur. Supplevi tamen optat eam observantiae rationem, quae duobus modis iniri potest. Primo quod simul tempore instituatur; secundo quod in aliquibus signanter conventibus, et exinde temporis progressu ubilibet in quovis religionis conventu; secundo modo sibi concedendum iri. Erit namque modus iste facilior et magis expediens, attento praesertim modo quam magna locorum pauperie, et fratrum pariter a fundatoris instituto declinatione qui ob id ingenti cum difficultate et periculo in uno comet tempore ad optatam vitae metam redigerentur. Unde generale capitulum decrevit in singula quaque provincia conventus aliquos deputandos fore, saltem unum pro qualibet custodia, in qua penitus ineatur huiusmodi observantia; progressu vero temporis ad reliquos conventus et loca deveniatur. Pro modo vero talis observantiae capitulum generale acceptat decreta a p. generali de vita communi pro sacro conventu Assisii, et pro provincia Siciliae hactenus impressa.*

XXI. Lata etiam fuere in hoc comitio plura decreta pro studiorum reformatione, quae iustis de causis praeterimus.

Ex eodem archivo. XII. Iis constitutis generalis laudatus commisit Evangelistae Adurno de Albingana, ut in Guasconiam se conferret ad recuperanda, quae sodalibus vacua iam erant, sui instituti coenobia: ad perlustrandam Dalmatiae provinciam misit

Conven. Guardiae Perticariae. Monum. prov. Seraphinum a Maccrata, et ad Calabriae item provinciam Hieronymum a Castrovillari. In custodia Principatus obtinuerunt coenobium s. Francisci Guardiae Perticariae.

XXIII. Hoc anno Marcellus Lantes curiae camerae apostolicae generalis auditor dedit integrum transumptum articulorum concordiae inter conventuales et observantes anno MDXVII. initae occasione constitutionum Leonis X. summi pontificis hisce verbis expressum.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Universis et singulis hoc praesens nostrum transumptum visuris lecturis pariter et audituris, quosque hoc praesens tangit negotium etc. quod nos Mar-

Digitized by Google

cellus Lantes protonotarius apostolicus ss. d. n. papae, necnon curiae causarum camerae apostolicae generalis auditor romanaeque curiae iudex ordinarius, sententiarum quoque et causarum in eadem romana curia et extra eam latarum, ac litterarum apostolicarum quarumcumque universalis et merus executor ab eodem ss. d. n. papa specialiter deputatus, necnon utriusque sanctitatis suae signaturae referendarius. Ad instantiam et requisitionem rr. fratrum Iacobi de Assisio, et Bonaventurae de Parma ordinis s. Francisci de observantia, omnes et singulos sua communiter vel divisim interesse putantes, eorumque procuratores si qui sint etc. per audientiarium ss. d. n. papae, ut moris est, citari fecimus et mandavimus ad certum terminum quod venirent: comparuerunt in iudicio coram nobis iidem rr. fratres, et realiter et cum effectu exhibuerunt et praesentarunt quoddam instrumentum transactionis et concordiae integrum, illaesum et intactum: et quia omni prorsus vitio et suspicione carere esse reperimus, illud per notarium nostrum publicum infrascriptum transumpturi, et in publicam transumpti formam redigi fecimus et mandavimus, decernentes et auctoritate dictae nostrae curiae statuentes, quod huic nostro transumptui cum dicto instrumento concordato, diligenter collationato et concordato de caetero in antea talis et tanta fides in iudicio et extra adhibeatur et detur, qualis adhiberetur eidem instrumento originali, si in medium exhibitum et ostensum foret, cuius tenor talis est, videlicet, *In nomine Domini. Amen.* Sciant universi et singuli praesentis publici instrumenti seriem inspecturi visuri et audituri, quod anno a nativitate Domini MDXVII. indictione V. die vero VIII. mensis Iulii, pontificatus ss. in Christo patris et domini nostri d. Leonis divina providentia papae X. anno V. Romae in palatio s. Marci, coram reverendissimo in Christo patre et domino d. Dominico Grimano misericordia divina episcopo Portuen. s. r. e. cardinali s. Marci totiusque ordinis fratrum minorum s. Francisci gubernatore protectore et correctore, in mei notarii publici infrascripti ad hoc vocati et requisiti praesentia, personaliter constituti rr. religiosi patres et fratres m. Antonius Marcellus ordinis minorum patrum conventualium magister generalis, et frater Paulus Zianus sacrae theologiae magister eiusque ordinis fratrum minorum conventualium procurator ex una; necnon et rr. religiosi patres et fratres Paulus de Parma, et Ioannes Clapius eiusdem ordinis fratrum minorum s. Francisci regularis observantiae procuratores seu commissarii ex altera partium, non vi, dolo, metu, fraude et sinistra machinatione, ut ipsi asseruerunt, inducti seu coacti, sed matura inter ipsos deliberatione prius habita, gratis et sponte, ac ex eorum certa scientia et spontanea voluntate ad infrascriptam articulatam pacem concordiamque, ad amorem conciliandum fovendum et conservandum inter fratres minores de observantia, et conventuales b. Francisci devenerunt, dicentes ac etiam in scriptis offerentes infra inserios articulos, videlicet imprimis. — Cum ss. d. n. declaravit, electionem quam fratres conventuales dicebantur fecisse sub nomine *ministri generalis* ordinis s. Francisci fuisse contra eius ordinationem et voluntatem, ipsamque ut talem cassaverit et annullaverit, declarando et interpretando ipsam eamdem electionem esse et dici debere electionem *magistri generalis* fratrum conventualium, et ut talem approbaverit et confirmaverit, supplendo omnes defectus tam iuris quam facti eiusdemque electionis magistri generalis. Ideo praedictus r. p. fr. Antonius Marcellus qui in praedicta electione electus fuerat in magistrum generalem omnium fratrum conventualium conformando se ordinationi et determinationi eiusdem ss. d. n. sponte et ne-

mine urgente, declaravit ut vere filius obedientiae ss. d. n. velle acceptare, et de facto acceptavit praedictam declarationem approbationem et interpretationem, renunciando et nomini dicti *ministri* et omnibus quibuscumque contrariis dictae ordinationi et declarationi tam directe quam indirecte, nolens tamen in aliquo sibi praeiudicare, quin sit verus, ordinarius et immediatus praelatus omnium fratrum conventualium et monasteriorum monialium, ac tertii ordinis, qui et quae erant sub ministro generali ante praedictum capitulum generalissimum, exceptis reformatis unitis. — Item promiserunt tam r. p. minister generalis dicti ordinis, quam praedictus magister generalis pro se et suis subditis ac successoribus ipsorum sub poena amissionis privilegiorum, quod quantum in ipsis fuerit, servabunt et observari facient a suis subditis, poenis et censuris omnique alia via iuridica, omnia et singula decreta et ordinata et concordata, eaque per sedem apostolicam, quae per ipsos generalem ministrum et magistrum, concernentia dispositionem ordinis factam in capitulo generalissimo ultimo celebrato, et in praesenti instrumento contenta. — Item dictus r. p. minister promisit observare ordinationem per ss. d. n. factam qua voluit, magistrum modernum pro hac vice dumtaxat confirmatum esse per solam benedictionem ss. d. n. nec teneri petere pro hac vice a praedicto ministro generali aliam confirmationem, volens quod dictus magister generalis sit et dici debeat verus et indubitatus et immediatus praelatus omnium fratrum conventualium s. Francisci et monialium s. Clarae, quatenvis a dicto ministro non fuerit confirmatus iuxta tenorem bullae praedictae, prout et quemadmodum minister generalis super dictos conventuales erat verus et immediatus praelatus. — Item quod praedictus minister generalis conformiter ad bullam apostolicam desuper confectam, consensit et consentit pro se et suis successoribus, quod nullam iurisdictionem in fratres conventuales et eorum loca ac monasteria monialium exercebit, sed ipsorum regimen totale dicto magistro generali liberum et integrum dimittet, quemadmodum in dicta bulla plenius continetur; et hoc facit sponte et nemine cogente, sed libere omni meliori modo et via ac forma. — Item licet decretum fuerit per ss. d. n. quod fratres conventuales digniorem locum deberent dimittere fratribus regularis observantiae in processionibus et aliis actibus publicis, attamen dictus minister absque praeiudicio dicti decreti quantum ad alia loca, consensit quod in civitate Patavina in processione quae fit in die s. Antonii, fratres conventuales servent suam antiquam consuetudinem: salvo quod decem fratres observantiae regularis cum patribus senioribus eorumdem fratrum conventualium ire poterunt: idemque iudicium habeatur in processione quae fit in Assisio in festo Portiunculae, excepto quod omnes ministri et guardiani remaneant in fine et comitatu magistrorum et fratrum conventualium bini et bini, si voluerint remanere. — Item declaravit dictus minister generalis se intelligere, quod bona conventuum reformandorum quorum fratres regularis observantiae nec sunt nec capaces esse volunt, libere dispositioni magistri conventualium et magistrorum provincialium dimitti debeant, et aliorum conventuum et monasteriorum, quae quovis modo de caetero fratres de observantia auferent conventualibus, dummodo bona et proventus annui remaneant dictis ministro generali et provincialibus, quorum ipsi fratres de observantia noluerunt esse capaces retentionis huiusmodi. — Item quod in partibus Citramontanis fratres conventuales qui vitam reformatam sub magistris ducere voluerint, habebunt pro signo distinctivo soleas de corio, nec calepodiis uti poterunt, nec nodis pedi-

Digitized by Google

bus incedere. In partibus vero Ultramontanis dicti reformati signum distinctivum portabunt prout ministri et magistri provinciales inter se pro varia consuetudine provinciarum et locorum convenient, ut pax et tranquillitas inter ipsos fratres servetur. — Item declaravit praedictus magister quod per se nec per alium eius mandato aut scientia nulla appellatio aut protestatio est facta, aut fiet in futurum contra decreta et ordinata per ss. d. n. in dicto capitulo generalissimo; et casu quo aliquis eius nomine, aut alii sui subditi aliquas protestationes seu appellationes fecissent, illis omnibus et singulis renunciat, et quantum in ipso est, cassat irritat et annullat. — Item concordaverunt praedicti minister et magister, quod casu quo fratres reformandi in futurum sub magistris generalibus et provincialibus fratrum conventualium non portaverint signum distinctivum, prout inter ministros et magistros in suis provinciis respective conventum fuerit, tunc cognitio per quemcumque vel ordinarium, vel in dignitate ecclesiastica constitutum quod huiusmodi signum non deferant, factaque trina monitione canonica per tres dies de deportatione huiusmodi signi, et monitioni cum effectu non paruerint, tunc possint praefati reformandi arceri per ministros vel guardianos in suis provinciis pro huiusmodi signo portando, invocato etiam ad hoc auxilio brachii saecularis. — Quae quidem omnia et singula cum ego notarius infrascriptus publicus venerabilibus viris dominis Laurentio Sager et Mathiae Standinar clericis Barien. et Basilicn. dioecesum ad hoc vocatis et specialiter rogatis, item et primo r. p. d. Antonio Marcello ordinis minorum conventualium magistro generali, etiam tunc praesenti venerabili religioso viro fr. Paulo Ziano theologiae magistro procuratori praedicto, Romae in conventu ss. apostolorum, in dormitorio et camera eiusdem magistri generalis die dominica xix. eiusdem mensis Iulii ante horam prandii seu hora tertiadecima legissem alta et intelligibili voce, idem r. p. d. magister generalis et procurator praedicti ea omnia et singula, ut supra inserta sunt, rata, grata et firma de novo habuerunt et promiserunt, manu pectus tangendo more praelatorum, mihi notario infrascripto stipulanti et recipienti vice et nomine omnium et singulorum quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum se illa grata, rata, et firma habere et habituros esse et observare ac observari facere, ut praefertur. Similiter cum postea e vestigio omnia et singula suprascripta ego notarius infrascriptus, praesentibus venerabilibus dominis Francisco Perez, et Bartholomaeo de Trannis clericis Burgen. et Callien. dioecesum, necnon supranominatis dominis duobus testibus ad praemissa vocatis et specialiter rogatis, Romae in conventu Aracoeli eadem die mane ante horam prandii ostendissem et legissem alta et intelligibili voce reverendiss. in Christo patri et domino d. Christophoro s. r. e. praesbytero cardinali de Aracoeli, et totius ordinis fratrum minorum s. Francisci ministro generali, et etiam tunc praesenti venerabili religioso fratri Paulo de Parma ordinis minorum s. Francisci regularis observantiae commissario seu procuratori in romana curia, audientibus et intelligentibus ea omnia et singula grata et firma de novo habuerunt et promiserunt manu pectus tangendo more praelatorum, mihi notario infrascripto stipulanti et recipienti vice et nomine omnium et singulorum quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, se illa rata, grata, firma habere et habituros esse et observare et observari facere, ut praefertur. Denuo vero, cum ego idem notarius infrascriptus accessi ad reverendissimum dominum d. Portuen. cardinalem patriarcham gubernatorem protectorem et corre-

ctorem praelibati ordinis minorum fratrum Romae in palatio s. Marci suae solitae residentiae, feria secunda, vigesima eiusdem mensis Iulii anni currentis mane hora tertiarum, supra insertum instrumentum concordiae, ita volentibus praelibatis reverendiss. d. cardinali, ministro, et reverendiss. d. magistro generalibus ac dictis procuratoribus legi audientibus et intelligentibus. Qui quidem reverendiss. d. episcopus cardinalis patriarcha protector laudavit huiusmodi concordiam ita factam de consensu partium pro bono pacis et tranquillitatis omnium fratrum minorum s. Francisci, et probavit praesentibus venerabilibus viris Marco Sindizonio, et Iacobo Nerdio canonicis Aquileien. testibus etc. rogatis. Super quibus iidem reverendiss. d. cardinalis, minister et magister, necnon commissarii seu procuratores petierunt sibi a me notario publico infrascripto fieri unum vel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Acta et gesta fuerunt haec Romae sub anno, indictione, pontificatu, mense, diebus, et locis, et praesentibus testibus quibus supra, ad eosdem actus respective vocatis et specialiter rogatis. Ego Iacobus Reta Trebanus clericus Aquileien. dioecesis publicus imperiali auctoritate notarius, et praelibati reverendiss. d. episcopi cardinalis patriarchae protectoris totius ordinis minorum b. Francisci cancellarius, quia insertorum articulorum praesentationi, pacis initioni, concordiae pro tranquillitate religionis, declarationi, renunciationi, cassationi, irritationi, et voluntatibus, ratificationibus, promissionibus, laudationi, probationi, paritioni, omnibusque et singulis dum, ut praefertur, agerentur et fierent una cum praenominatis testibus interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi, et audivi: ideo hoc publicum instrumentum manu alterius ex protocollo meo fideliter scriptum subscripsi, publicavi, et in hanc formam redegi in fidem, robur et testimonium omnium et singulorum praemissorum rogatus et requisitus. Super quibus omnibus et singulis tanquam rite, recte et legitime gestis et factis auctoritatem nostram dictaeque curiae pariter ac decretum interponendum duximus, et interposuimus per praesentes. In quorum omnium fidem etc. Datum Romae die VI. mensis Novembris MDXCVI. praesentibus dd. Marco Antonio Brulo et Ioanne Francisco Ugolino connotariis testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis T. Lapius locumtenens. Pro d. Hieronymo Fabrio curiae causarum camerae apostolicae notario de supradicto instrumenti transumpto rogato, ego Octavius Cellius eiusdem curiae connotarius illud subscripsi et signavi requisitus etc.

Bonrius tom. 2. pag. 572.

XXIV. Romae die pentecostes sacro coacto a patribus capucinis capitulo generali, loco Silvestri a Monteleone qui iam triennium absolverat, supremum moderatorem ordinis salutarunt Hieronymum a Sorbo Neapolitanum, et Hieronymum a Castroferrettorum Picenum generalem procuratorem.

Ex regesto Michaelis a Tugio.

XXV. Incepit esse pro eisdem fratribus coenobium in civitate Hortae dioecesis Civitatis Castellanae in provincia Romana; coenobium in civitate Maceratae: *Exponi nobis* die XV. Aprilis, et novum coenobium in civitate Fani: *Cum sicut* die X. Decembris in provincia Marchiae; item coenobium in oppido Cisternini dioecesis Monopolitanae in provincia Barensi; coenobium in civitate Ecclesien. in provincia Calaritana; coenobium in civitate Rhenofeldae dioecesis Basileensis in provincia Austriae; et coenobium Salisburgi in provincia Tyrolensi. In provincia Helvetica eis accessit conventus s. Annae Tugiensis, et conventus ss. Trinitatis Frauenfeldensis, civitas primaria Turgoviae.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1596.	an. 4. et 5.	anno 20.	anno 389.

XXVI. Coenobia de Marinduque, s. Petri de Yeatuan, et purificationis b. Virginis de Igney erecta a fratribus discalceatis provinciae Insularum Philippinarum concessa fuere aliis diversorum ordinum evangelii cultoribus. *Martinez lib. 1. pag. 60.*

XXVII. Hoc anno Camillus Caietanus in Hispaniarum regno apostolicus nuncius mandavit syndico coenobii conceptionis b. Mariae in oppido de Herrera provinciae Angelorum, anno MDXVII. erecti, ut praesul distantia aedem et adiacentia venderet, pretiumque erogaret in excitando altero pro eis novo prope idem oppidum. Fratrum translatio peracta fuit anno MDCIII. *Conv. de Herrera. Gonzaga in prov. Angelor. conv. 13. DeGundalupe p. 27.*

XXVIII. Incepit esse hoc anno pro eisdem fratribus coenobium s. Ioannis titulo in Baronia Villaefranchae prope Panormum in Sicilia, bonis relictis ab Aemilia Agliati loci incola, Hieronymi Lanze vidua, addita haeredibus conditione, ut eius et mariti corpora reposita in ecclesia conventus s. Mariae Angelorum Panormi, eo suis impensis transferrent. Fabrica absoluta, iussit Francisco haeredi summus pontifex an. MDCIII. *Exponi nobis* die XXVII. Maii, ut testatricis voluntatem compleret. Eis etiam obvenit domus et ecclesia s. Euthymii millaria IX. postea a Maleano in Sabinis, iam derelicta a quibusdam presbyteris saecularibus, qui ibidem sacra peragebant. Ob aeris inclementiam e loco et ipsi non multo post abiere. Incoluere hoc tempore fratres discalceati provinciae s. Ioannis Baptistae coenobium Dominae nostrae de Monte Sion de Torrente, una leuca a Valentia, expensis incolarum aedificatum, facultate eis concessa a Ioanne de Ribera archiepiscopo. Fratres ibidem immisit Didacus de Castellon provinciae praeses. In provincia ss. Septem Martyrum in Calabria adprobat summus pontifex: *Paterna nostra* die XXV. Maii valetudinaria erecta tum in coenobii s. Mariae de Iesu Montis Leonis, tum in coenobio Conceptionis b. Mariae Polistinae. *Conv. Villaefranchae. Conv. Maleani. Casimirus e Roma in chron. prov. p. 169. Conv. de Torrente. Panes tom. 1. pag. 213. Valetudinaria duo.*

XXIX. Anglorum copiae invadentes civitatem de Faro in Lusitaniae provincia, incenderunt coenobium observantium s. Francisci, ac monasterium assumptionis clarissarum eiusdem civitatis. Eo in excidio fugam virgines capientes, inter aerumnas vitaeque pericula hac illac discurrerunt, donec pacatis rebus, christifidelium opibus reparatum, propriam domum repetierunt. *Monum. prov.*

XXX. Minores observantes provinciae s. Antonii cesserunt hoc anno fratribus reformatis coenobium s. Bernardini apud Tridentum fundatum, indulgente pontifice Nicolao V. *Sacrae religionis* XV. calend. Iulii, anno MCDLII. extra portam s. Crucis, CC. circiter pass. ab urbe in loco dicto *de Glaras subtus Mesianum*, eisque donatum a confratribus domus Dei *Batutorum* sive *de Disciplina*, sumptibus potissimum pii viri Andreae filii quondam magistri Andreae Pelliparii eiusdem civitatis, qui notabilem bonorum suorum partem ex supremis tabulis praefato anno die XVIII. Aprilis fratribus legavit. Multa etiam contulit an. MCCLVI. Ioanna de Tridento vidua, et an. MCDLIX. Gratiadeus de Campo. Huiusmodi largitiones ignotae fuerunt p. Vigilio Greiderer. Anno MDVI. die XV. Novembris per torrentis Fersinae undas devastatum, piorum fidelium ope reparatum fuit. Bernardus de Castro Clesii episcopus civitatis anno MDXXVI. die XXII. Augusti litteras dedit ad parochos ac christifideles dioecesis suae, ut collectas pro eisdem in summa egestate positis agerent, ac libros et vestes ad divinum cultum emerent. *Greiderer tom 2. n. 14 pag 493. et seq.*

XXXI. De hoc loco pauca in anteactis annalibus. Quiescunt ibi Antonius de Leobschitio Silesita quinquies provinciae administer, defunctus anno MDD., et ab Hueber laudatus in suo Menologio ad diem VII. Iulii; Bartholomaeus de Tridento a b. Bernardino Feltrensi magni habitus clarusque miraculis, mor-

Digitized by Google

De Gubernatis tom. 2. pag. 226.

tuus anno MDVI. ac beati titulo decoratus. Similiter Ioannes Calvius, sive de Calvio Corsicus, et Vincentius Lunellus de Balvostro Lusitanus, ambo ministri generales ordinis, quorum ille decessit an. MDXLVII. die XXI. Ianuarii, alter vero an. MDL. die XIII. Februarii, prout chronologi nostri monent, vel potius, nisi veteris styli annum ab incarnatione Domini, seu a die XXV. Martii auspicandi ratio habenda sit, an. MDIL. In fronte siquidem plurium voluminum huius coenobii bibliothecae coeva manus hanc apposuit inscriptionem: *erant ad reverendis. patris nostri Vincentii Lunelli hispani usum, qui olim fuit generalis minister totius ordinis minorum: obiitque Tridenti XIII. Februarii an.* MDIL. In ecclesia sequens legitur monumentum:

FRATER IOANNES CALVIVS ET VINCENTIVS LVNELLVS QVVM VTERQVE TOTIVS ORDINIS S. FRANCISCI MINISTERIVM GENERALE HIC OBISSET ILLE OBIERIT SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE VNA CVM CAETERIS PATRIBVS SERDOCTE SERVIENTES IN GENERALI CONCILIO OBIERE ANNO DOMINI MDIIII. ET MDL., QVOS VELVTI ET HABITVS ET TANTI MVNERIS RATIO PARES FECIT ESSE GERMANOS HIC AD SVARVM VIRTVTVM PROEMIA EVOCATOS IDEM HIC LOCVS DVOBVS HIS BARIS OCCLVDIT SERVATQVE.

XXXII. Patribus reformatis etiam accessit in eadem provincia coenobium s. Mariae de Gratiis Arcensis, sive Arci Tridentinae dioecesis ad fluvium Sarcam positi, distantisque a Tridento XVI. milliaria italica. Waddingus et Gonzaga instrumento destituti ac sola incolarum traditione innixi, huius coenobii fundationem evenisse an. MCCLXXXVII. putarunt. Certum tamen est Franciscum comitem Arcensem ob uberes fructus quos observantes in cathedra, confessionibus audiendis aliisque occasionibus edebant, pro eis coenobium instruere voluisse. Eo defuncto Andreas et Odoricus eius filii parentis voluntati satisfacientes, manus operi admoverunt, litteris Sixti IV. pontificis acceptis.

Waddingus ad an. 1487. num. 33. Gvriderer ibid. n. 20. pag. 495.

SIXTUS IV. EPISCOPUS

Servus servorum Dei.

Dilectis filiis nobilibus viris Andreae et Odorico comitibus Arci Tridentinae dioecesis fratribus germanis salutem et apostolicam benedictionem.

Sinceræ devotionis affectus quem ad nos et romanam geritis ecclesiam non indigne meretur, ut petitionibus vestris, illis praesertim quae ad divini cultus augmentum, religionis propagationem animarumque salutem tendere dignoscuntur, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quondam Franciscus comes Arci Tridentinae dioecesis genitor vester proinde considerans uberes fructus qui in praedicatione verbi Dei, confessionibus, atque aliis salutaribus documentis ac vita exemplari fratrum ordinis minorum de observantia nuncupatorum in singulis terris et locis in quibus commorantur, evenire solent, speransque ad pacem et unionem inter habitatores et incolas comitatus sui promovendam et conservandam, orthodoxae fidei propagationem, haeresum extirpationem, divini cultus augmentum et sacri huius ordinis exaltationem plurimum conducere, habere aliquam domum in dicto comitatu, ac cupiens terrena in coele-

Digitized by Google

stia, et transitoria in aeterna felici commercio commutare, pro sua suorumque progenitorum animarum salute, ad honorem omnipotentis Dei unam domum sub invocatione b. virginis Mariae de Gratiis pro usu et habitatione fratrum eorumdem extra oppidum Arci praedictum construere et aedificari facere incepit, sed morte praeventus, illam perficere nequivit. Cum autem sicut ea petitio subiungebat propositum genitoris vestri prosequi, et domum coeptam huiusmodi ad debitum finem perducere, et illam ornamentis ecclesiasticis decenter decorare proponatis, si vobis desuper sedis apostolicae licentia concedatur. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis domum praedictam cum ecclesia, campanili humili, campana, coemeterio, claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione dictorum fratrum construendi et aedificandi, necnon vicario et fratribus provinciae s. Antonii sub obedientia vicarii generalis cismontani ordinis et observantiae praedictorum domum istam recipiendi ac perpetuo inhabitandi licentiam concedere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum augeri et sacram religionem propagari nostris potissime temporibus supremis desideramus affectibus, vestrum pium et laudabile propositum in hac parte plurimum commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati vobis domum praedictam cum ecclesia, coemeterio etc. pro usu et habitatione perpetuo fratrum eiusdem ordinis sine alicuius praeiudicio, et cuiusvis licentia super hoc minime requisita perficiendi, construendi, et aedificandi, seu perfici, construi, et aedificari faciendi, vicario et fratribus praedictis illam recipiendi, et perpetuo inhabitandi auctoritate apostolica tenore praesentium elargimur: iure tamen parochialis ecclesiae et cuiusvis alterius alias in omnibus semper salvo. Et insuper praefatae domui, ac guardiano et fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, exemptionibus, et indultis per sedem praedictam, vel alias domibus et fratribus dicti ordinis in genere vel in specie concessis et concedendis, uti, potiri, et gaudere libere ac licite valeatis, eisdem auctoritate et tenore concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus etc. Nulli ergo omnino etc. Si quis autem etc.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae MCDLXXXIII. *calend. Aprilis pontificatus nostri anno* XII.

XXXIII. Leo Carnasius minorita episcopus Satrensis die XVIII. Octobris anno MCXXCII. ecclesiam ac maius altare huius coenobii sacris ritibus solemniter consecravit. In coenobii claustro die VI. Iunii anno MDVI. confectum fuit induciae instrumentum Maximilianum Romanorum imperatorem inter ac Leonardum Lauretanum Venetorum ducem.

XXXIV. Opibus Francisci Lopez Bolboardo presbyteri ac civis Baialancensis hoc anno perfectionem accepit monasterium monialium clarissarum sub invocatione s. Iosephi intra moenia civitatis instructum, adiunctumque provinciae Granatensi. Ad illud incolendum translatae fuerunt eiusdem instituti sorores e sacro virginum collegio de Anduier, nimirum Maria Coeli ut abbatissa, et Ioanna de Ribera ut vicaria; caeterae autem fuerunt Agnes Palomino, Maria de Roxas, Maria Suarez, Aloisia Fuxardo, Theresia de Parraga, et Mariana de Poço. In ecclesia monasterii tumulum nactus est pientissimus fundator, Mss. Baialancenses. De Torres p. 475.

Digitized by Google

adiecta hac memoria: HIC IACET PATER FRANCISCVS LOPEZ BELHOARDO VENERABILIS SACERDOS SANCTAE INQVISITIONIS CORDVBENSIS COMMISSARIVS HVIVSQVE PRAECLARI COENOBII PIVS FVNDATOR. OBIIT ANNO DOMINI M. D. XC. VI. In eo sanctitatis fama floruerunt Magdalena a Iesu, Beatrix a Christo, Maria a s. Francisco, Mariana a Iesu, et Maria a s. Iosepho.

Monast. de Moron. *Monum. prov.* Monast. Catanise. *Pirrus in notit. eccl. Catan. t. 2 p. 430.*

XXXV. Pro eisdem monialibus extitit etiam in provincia Baetica monasterium s. Clarae intra oppidum de Moron dioecesis Hispalensis. Petrus Seminaria Catanensis genere ac pietate conspicuus anno MDLXXXV. propriam aedem cessit, ut in ea urbe aptaretur monasterium clarissarum sub invocatione s. Hieronymi, reditibus interim adsignatis pro eisdem alendis. Eius piae intentioni datis nonis Novembris litteris favens pontifex, paratam aedem hoc anno incoluere. Biennio post in aliud monasterium eiusdem ordinis s. Mariae de Succursu, opera Ioannis Rebiba episcopo civitatis, transierunt. Idem pontifex facultatem tribuit episcopo Pennensi in provincia s. Bernardini erigendi monasterium laudati ordinis in terra Civitatis s. Angeli Pennensis dioecesis ex reditibus confraternitatum ss. Corporis Christi et s. Ioannis Baptistae ultro oblatis: *Exponi nobis* die v. Septembris. Moniales tertii ordinis monasterii Conceptionis de Mondragon in provincia Cantabriae hoc anno solemnia vota emiserunt, clausuraeque legibus sese sponte dederunt.

Monast. Civitatis s. Angeli. *Monum. prov.*

Monast. Tiburis *Casimirus a Roma pag. 578.*

XXXVI. Ob loci angustiam hoc anno abierunt sorores de tertio ordine e monasterio s. Elisabeth Tiburis, ut aliam incolerent aedem prope moenia eiusdem civitatis, s. Mariae Angelorum titulo, acquisitam ab abbate monasterii s. Pauli extra Urbis muros. Post annum MDCIII. eam dimiserunt, et iterum auctis aedificiis, redierunt ad laudatum monasterium s. Elisabeth. Anno MDCCV. repetiere locum s. Mariae Angelorum; quem retinent adhuc nostro tempore.

Monast. Praenestis. *Cecconi pag. 350.*

Cura Marci Antonii Colonna s. r. e. cardinalis et episcopi Praenestini absolutum fuit monasterium clarissarum s. Andreae titulo, anno MDLXXV. in eadem Urbe initiatum opibus collatis a confratribus ss. Crucifixi. Moniales perfectionis spiritum subinde hauserunt a venerabili Francisca Farnesia, virgo multis virtutibus exornata.

Monast. Senense. *Ann. min. ad an. 1554. n. 30.*

XXXVII. Dominico die XXVIII. Octobris Ascanius Piccolomini archiepiscopus Senensis cum clero nobiliumque coetu, urbis suae moniales clarissas solemniter transtulit e monasterio s. Onuphrii ad aliud novum pro eis, publicis ac privatis eleemosynis paratum in parochiali ecclesia ss. apostolorum Philippi et Iacobi, animarum cura alio instituta.

XXXVIII. Virginum palmas acceperunt hoc anno in coelis aliquot ex clarissarum ordine sorores. In monasterio s. Clarae Scalbais in provincia Portugalliae obiit Guiomar de Angelis, charitate erga egenos exornata quibus totius ferme vitae suae tempore cibaria subministravit, portariae munus summa animi alacritate obiens. Mortis tempore tria luminaria apparuerunt super cubiculi sui fastigium. Eodem anno ibidem coelestia petivit Maria a Christo multis virtutibus eximia; vix defuncta monasterium ita quodam coelesti lumine circumfusum fuit, ut quidam fratres proximi coenobii haec intuentes ad monasterium festinarint, compescere incendium. Habito tamen cum monialibus sermone, cognoverunt eo tempore laudatam virginem in osculo Domini obiisse. Poenitentiae rigore attrita et sui ipsius victrix effecta, decessit in eodem monasterio die III. Februarii Genebrada a s. Gabriele. Oculorum lumine diu destituta, praesto tamen tum die tum nocte aderat una cum monialibus in choro, ubi divinis officiis ac coelestibus meditationibus summo spiritus fervore incum-

Guiomar de Angelis. *De Esperanza tom. 1. pag. 347.*

Maria a Christo. *Idem ibid.*

Genebrada a s. Gabriele. *Agiologium Lusitanum ad diem 3. Februarii.*

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1596.	an. 4. et 5.	anno 20.	anno 389.

bebat. Saepe a daemonibus vexabatur; at fidei ac orationis praesidio munita, de hoste triumphum reportabat. In monasterio Dominae nostrae de Campos oppidi de Montemaior eiusdem provinciae decessit die IV. item Februarii Guiomar de Meneses tertiaria, illustri genere nata, eximia humilitate animique puritate commendabilis. Gravi diuturnaque infirmitate correpta fuit; at in ea ita se gessit, ut patientiae miraculum videretur. Rapta fuit feria V. in coena Domini, dum laeta in suo cubiculo decantabat illud versiculum: *in monte Oliveti* etc.

Guiomar de Meneses. *Ibidem ad diem 4. Februarii.*

XXXIX. Hoc anno obiisse in monasterio de Iesu tertii ordinis Monfortii in laudata provincia Agnetem de Britto abbatissam, et Beatricem Montoza germanas sorores fundatrices eiusdem monasterii anno MDXXIII. erecti, tradit Georgius Cardosus. At nos putamus non hoc anno MDXCVI. sed ante id temporis eas vitam cum morte commutasse; alias dicendum foret ambas expleto iam centesimo et amplius anno occubuisse. De fratris sui piissimi sacerdotis ac rectoris parochialis ecclesiae eiusdem oppidi consilio, propriis in aedibus monasterium aedificarunt, ubi cum Christo absconditam vitam ducentes, assiduis asperitatibus carnem edomabant. Super nudam humum cubabant, perpetuis ieiuniis indulgebant ac in rerum coelestium meditatione versabantur. Iis adhaesit in coelo Catharina a s. Maria ibidem defuncta, candidi moris virgo spectataeque perfectionis, cuius corpus multos post annos repertum odorem suavissimum spiravit. In monasterio s. Antonii Baetiae provinciae Granatensis ad Dominum migravit Angela a s. Paulo, membra diris caedens flagellis ob Christi Iesu passionis memoriam. Nullo vitae suae tempore cellam habuit, ea tamen usa est obedientiae merito ante eius mortem.

Agnes de Britto, et Beatrix Montoza. *Ann. min. ad an. 1523. num. 61. Agiolog. Lusitan. ad diem 30. Ianuarii.*

Catharina a s. Maria. *Monum. prov.*

Angela a s. Paulo. *De Torres pag. 584.*

XL. Die I. Novembris mortalitatis exuvias deposuit Nuntia Neapoli nata, florenti in aetate viro Siculo nupta. In Siciliam ab ipso delata, non multo post illius iacturam aequo animo tulit. Viduitatis suae pericula metuens, piis operibus Deo liberius copiosiusque inservire decrevit. Quare vanitatibus saeculique illecebris valedicens, tertii ordinis s. Francisci de poenitentia habitum impetravit. Mox peregrinatione instituta, Lauretanam b. Mariae virginis aedem petiit, ac inde Romam se contulit, ubi septem Urbis ecclesias crebro visitans, apud ss. martyrum coemeteria in rerum coelestium meditatione diversabatur. Aediculam exinde satis angustam, *del campo santo* nuncupatam, sibi delegit prope vaticanam s. Petri basilicam, ut commoditas sibi daretur eo ad explenda suae pietatis officia accedendi. Illic precibus ac coelestibus meditationibus ab aurora ad meridiem, et a vesperis ad completorium iugiter vacabat, ecclesiaeque sacramentis summa animi devotione reficiebatur. Cilicio induebatur asperrimo, eo ter per hebdomadam dire se caedebat; ipsius victus panis erat, obsoniumque herbarum folia ac radices. Hinc tot virtutibus florens, magni ab omnibus habebatur; prae caeteris vero ab Angelo del Pas franciscano perfectissimae vitae eximiaeque doctrinae, qui cum ad eam iam aegrotantem quadam die accessisset ac de Christi Domini passione colloquium instituisset, dixit ei Nuntia velle Hierosolymam se conferre, ut Christi Domini loca sanguine conspersa saltem intueretur. Cui Angelus: *non ibis*, inquit, *Hierosolymam, priusquam ego conscendero*. Haec spiritu prophetico edicebat, significans coelestem beatorum patriam prius ab ipso quam ab ea petendam; quod revera evenit; nam Angelus die XXIII. Augusti, Nuntia vero die I. Novembris ad superna migrarunt.

Nuntia Neapolitana. *Baronius Chron. lib. 10. cap. 55. p. 1188.*

Digitized by Google

XLI. Defunctae corpus inter populi frequentiam a canonicis aliisque de clero in basilicam vaticanam illatum, ac de more sequenti die solemni pompa parentalia celebrata, reconditum fuit in sacello b. Mariae virginis a *Febribus* nuncupato, hoc monumento quod nunc abrasum, servatur in archivo eiusdem basilicae, plumbi laminae inciso.

Hoc est corpus Sor Nuntia de
Neapoli que per xxii. annos
Quotidie assidue oravit ad corpus
Domini sub i..... to divi Petri
anno MDLXXXXVI.

XLII. Inter capucinos beato fine quievit in Insulensi urbe provinciae Gallo-Belgicae peste saucialus, ut animae corporibusque necessaria praeberet christifidelibus morbo affectis, Ambrosius Zisoniensis sacerdos, virtutum laude clarus, canonicis regularibus patriae suae antea adscriptus. Capucinorum habitu indutus, regularem vitam innocentia et integritate morum coniunxit; in conventu Montis Calvarii Barcinone pie decessit Pacificus Italus laicus, qui licet in Cosentinae provincia tyrocinium inter clericos inchoasset, humilitatis spiritu ductus, sponte ad abiectum laicorum transivit statum et prosequutus est. Ob animi probitatem Barcinonem missus, tam coelestem vitam agebat, ut angelus in carne appareret. Meruit non semel b. Virginis visione quam tenerrimo prosequebatur affectu, recreari. In conventu Panormi e vita migravit post aliquot a probatione annos Ludovicus Panormitanus clericus, praenuntiato suae mortis die. Eius facies post mortem vivida luce circumfusa fuit. Messanae in eadem provincia coelum petivit Maximus Messanensis concionator fervidus, cuius invicta animi constantia in diuturna potissimum hecticae febris aegritudine probata fuit.

Ambrosius Zisoniensis. *De Aramberg tom. 2. pag. 465.*

Pacificus Italus. *Id. ibid. pag. 691.*

Ludovicus a Panormo. *Id. ibid. pag. 803.*

Maximus Messanen. *Id. ibid. pag. 419.*

XLIII. Abiit ad Deum in provincia Cosentiae Nicolaus Rossanensis laicus, assiduus in rerum coelestium meditatione ex quibus multa hauserat ad divina enuncianda; in provincia Hydruntina obiit Sebastianus Matteolensis, item laicus, multarum virtutum laude illustris, paupertate praesertim, charitate corporisve macerationibus; Maceratae in Piceno anno aetatis suae xc. occubuit Conradus de Balneis, oppidum Romandiolae provinciae Bononiensis, item laicus. Praestans extitit in oratione assidua, in charitate erga Deum divinumque ss. eucharistiae sacramentum. Erapuli in eadem provincia finem vitae imposuit Salvator Sardus, in rebus adversis gravibusque infirmitatibus mira patientia exultus ita, ut sola illius vox ex eius ore prodiret: *sit nomen Domini benedictum*. Orationi incumbens, in ea interdum ad septimam usque horam immobilis permanebat, ecstasibus interim passus. Scientiae dono a Deo cumulatus, tam alte de theologicis rebus disserebat, ut in admirationem raperet philosophos ac theologos. Scripsisse dicitur coronas plures spirituales in honorem b. Mariae virginis, a Hieronymo de Montefiorum vicario generali ordinis commendatas.

Nicolaus Rossanensis. *Id. ibid. pag. 693.*

Sebastianus Matteolen. *Idem ibid.*

Conradus de Balneis. *Id. ibid. pag. 682.*

Salvator Sardus. *Idem ibid. p. 685.*

Sbaralea de Script. lit. S.

XLIV. Iis aliquot adhaeserunt etiam ex minorum observantium ac reformatorum instituto. In cathedrali ecclesia Quitensi requiem accepit Antonius a S. Michaele huius civitatis episcopus. Salamanticae nobilibus parentibus ortus et inter observantes cooptatus, evangelii praedicandi causa adhuc iuvenit in Mexicanas regiones cum aliis sodalibus advenit. Aliquando in provincia Mexicana diversatus, magnum Indorum numerum Christo adduxit. Inde Limanum regnum petens, provincialis munus ibidem explevit ea vitae sanctitate, ut non-

Antonius a s. Michaele. *Didacus a Cordoba in vita s. Francisci Solani pag. 315.*

Digitized by Google

nunquam subditorum suorum errata, propriae carnis maceratione vindicaret. Ter in die conscientiam expiabat poenitentiae sacramento. Erga salutiferae crucis signum mira devotione ferebatur. Quocumque enim loco eam inspiciebat, vel osculabatur vel genibus colebat. Cilensis ecclesiae episcopus renunciatus, nihil a priori sui instituti rigore remisit; pecunias nec habuit nec contrectavit unquam. Limensi concilio anno MDLXXXIII. habito, prudentia, doctrina, vitaeque probitate inter reliquos patres emicuit. Invitus inde ad episcopatum Quitensem translatus, triduo post a sui adventus die inter suorum lacrymas die V. Decembris occubuit, signis ac prodigiis ad eius tumulum patratis.

XLV. In coenobio observantium s. Francisci Mexici in provincia s. Evangelii meritis cumulatus obiit die I. Decembris Franciscus Ximenez hispanus, natus in civitate Guadalcanal. Defuncta uxore, Mexicum advenit, ubi a fratribus illius coenobii seraphico habitu indutus ac inter laicos voluntate sua connumeratus vitam arripuit austeritatis plenam. Nudis semper incessit pedibus ferreoque cilicio ad medietatem usque corporis revinctus. Eumdem habitum quem primo induit, ad mortem usque gestavit. Extensis brachiis genibusque denudatis, duarum horarum spatio in coelestium rerum meditatione versabatur. Eius filius Petrus Ximenez parentis sui prosequutus vestigia, eadem in civitate inter eosdem fratres cooptatus, mire illuxit in verbi Dei praedicatione qua multos devios ad rectam vivendi vitam revocavit. Ulisipone in coenobio s. Francisci quievit Gaspar a Cuba sacerdos, vir innocentissimae vitae, qui obitum suum guardiano praedicens, raptus fuit post sacrum peractum, et extrema unctione munitus. Ioannes Palmella item sacerdos in conventu s. Francisci Portuensis occubuit, de quo tradunt gravi diuturnaque infirmitate a Deo visitatum, vultu hilari semper fuisse crebroque dixisse: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Emisit spiritum, illa Davidis verba proferens: *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Die XXV. Aprilis in conventu s. Iacobi Cinguli in provincia Picena multis donis cumulatus raptus est Augustinus a Montebarochio, et in conventu s. Francisci Massae Andreas de Montebello eiusdem provinciae lucius, totius vitae suae tempore commendatus prae obedientia et charitate erga Deum eximia.

Franciscus Ximenez. *Torquemada tom. 3. pag.* 393.

Gaspar a Cuba. *De Esperanza tom. 1. pag.* 219.

Ioannes Palmella. *Idem ibid. p.* 415.

Augustinus a Montebarochio, et Andreas de Montebello. *Monum. prov.*

XLVI. Die XXVI. Iulii in coenobio s. Onuphrii Setabiensis in provincia s. Ioannis Baptistae obiit Petrus Nictus sacerdos, erga Deum et proximum eximia charitate exornatus. Oratione rerumque divinarum contemplatione delectabatur. Corporis afflictationibus deditus, sibi severus, cum aliis vero benignus et mitis erat. Sacrum faciens, aram prae nimia sua charitate lacrymis irrigabat. Multa futura, maxime vero sui obitus diem praedixit. Librum edidit valde commendatum *de oratione mentali.* Circa haec tempora decessit Gabriel del Olmo laicus in conventu s. Francisci Beniganin eiusdem provinciae. Is natione Gallus, ne haeresi quae ea tempestate universam ferme regionem invaderat, se inquinaret, in Hispaniam adveniens, discalceatorum habitum obtinuit. In instituto floruit humilitate, obedientia, silentio ac sui ipsius abnegatione. Ita charitate erga ss. eucharistiae sacramentum flagrabat, ut submissis ante sanctam aram genibus, noctes duceret saepe insomnes. Dulcissimum Iesu nomen quod scriptum semper in pectore gerebat, et ore proferebat ingeminans, pie decessit inter suorum luctum. In conventu s. Andreae apostoli a Monte Arenarum provinciae s. Iosephi meritorum plenus occubuit Ioannes a Iesu, Abulae nobilibus parentibus ortus, s. matris Theresiae agnatus eiusdemque virtutis aemulator eximius. Ab ineunte aetate pietati et litteris ita operam dedit tan-

Petrus Nictus. *Panes p.* 230.

Wadding. tit. P. Gabriel del Olmo. *Panes pag.* 235.

Ioannes a Iesu. *Ioannes a s. Maria. lib. 4. cap* 6.

Digitized by Google

tumque in eis profecit, ut coetaneos suos longe superaret. Discalceatis adhaesit in eodem coenobio anno aetatis XVI. ubi viliora officia coenobii obibat, silentium excolebat, et totius mortificationis viam prosequebatur. Ab esu carnium ac piscium semper abstinuit, pane et aqua, aliquando vero modico iusculo reficiebatur. In parasceve ac sabbati s. diebus nihil edebat. Assiduae erant eius vigiliae ac flagellationes cruentae. Nonnisi genuflexus, extensis in crucis modum brachiis preces effundebat. Iugiter velut absorptus elevatusque in Deum incedebat. Maligna febri correptus, placidissime obiit, sacramentis ecclesiae refectus. In sui agone ei apparuisse eius amitam s. Theresiam scribit Ioannes a s. Maria testis coevus.

Honorius a s. Maria. *Menum. prov.*

XLVII. Nonagenario maior spiritum emisit die XVI. Octobris in conventu s. Crucis Montis Cyntiae in provincia Arrabidorum Honorius a s. Maria sacerdos, natus in oppido dos Arcos de Valderes, antea professus inter minoritas de observantia. Anno aetatis suae LX. maioris perfectionis gratia discalceatis fratribus adscriptus, magis magisque virtutibus corporisque afflictationibus vacavit; membra enim domabat ciliciis, flagellis ac ieiuniis. Nunquam carnem ac pisces edit; pane vero tam modico utebatur, ut aliquando duarum unciarum pondus non excederet. Sexdecim annorum spatio profundam cavernam coenobio proximam incoluit, a qua nisi ad explenda communitatis officia, vel obedientiae merito egrediebatur. Multa tulit a daemonibus quos vel Iesu Christi invocatione vel crucis signo fugabat. Adhuc perennat memoria crucis signi, quod ad eos effugandos digito suo lapidi insculpsit in eodem speeu. Super eiusdem aditum obviat marmori incisum sequens monumentum: HIC HONORIVS VITAM FINIVIT, ET IDEO CVM DEO IN COELO VIVIT. OBIIT ANNO DOMINI MDXCVI.

Hieronymus Paternò. *Huber ad diem. 29. Iunii.*

XLVIII. Clusarum in Sicilia ad Deum advolavit die XXIX. Iunii Hieronymus Paternò tertiarius, qui totius vitae suae tempus, eremitarum more inter asperitates duxit. Licet a mundo penitus semotus, post sui tamen mortem devoto christifidelium affluxu eius exuviae summo in honore habitae fuerunt. Aetatis XXXIII. pie decessit in conventu s. Marinae Iucundae Morlupi in provincia Romana Moricus Siculus laicus, oratione, contemplatione aliorumque virtutum splendoribus illustratus, qui sub vitae finem gravissima daemonis tentatione exagitatus, liber ab ea b. virginis intercessione ac visione evasit.

Moricus Siculus. *Barelius lib. 10. pag. 1109.*

Angelus del Pas. *Id. ibid. pag. 1114. et seq.*

XLIX. Doctrina simul ac eximia sanctitate praestantes etiam occubuere. In primis commendandus est Angelus, anno MDXL. parentibus Ioanne del Pas et Anna Pincarda, dominis terrae s. Martini, natus Perpiniani dioecesis Ilerdensis in Hispania, vocatusque Ioannes Carolus in baptismate. Paterna in domo honestis moribus imbutus, et erudito viro pro addiscendis litteris traditus, cum ingenio tenaci, memoria animoque ad pietatem prono polleret, qualis esset in studiis ac virtutibus futurus, satis superque demonstrabat. Septennis lusum pueris admodum familiarem tanquam animi pestem fugiebat; priusquam studio operam navaret, Deo solitario domi loco preces fundebat, et modico obsonio contentus, pauperibus ac egenis condiscipulis maiorem partem sibi a parentibus paratam liberalissime largiebatur. Summo devotionis affectu b. Virginem ac Angelum sui custodem prosequebatur, quibus vespere et mane flexis genibus precationes quasdam ante altariolum a puero a se compositum se commendabat.

L. Quintum decimum annum agens, puellam perditae vitae ad illecebras eum allicientem secundo devicit, carnis petulantiam interim expertus vehementissimam. Coepit exinde in cordis humilitate, contritione, ieiuniis, oratione ac

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1596.	an. 4. et 5.	anno 20.	anno 389.

fatu Deum, Virginem, Angelum suum custodem ferventer deprecari, ut cordis munditiam custodirent, sibique dignarentur ostendere, quo in instituto posset Deo inservire omnibus diebus vitae suae. Divino hinc lumine illustratus, plane intellexit Dei voluntatem esse, ut ad sequenda seraphici patris Francisci vestigia minorum instituto adscriberetur. Quare ad coenobium s. Francisci observantium eiusdem oppidi convolans, provinciae Catalauniae administrum profusis lacrymis oraverit, ut inter suos nulla interposita mora cooptare dignaretur. Iuvenis voto haud satisfecit provinciae praeses; annuit tamen ut saeculari habitu indutus, in coenobio remaneret. Ut id parenti innotuit, ad coenobium festinanter accessit, ubi filium invenions scopis claustrum mundantem, ira succensus, asperrimis verbis iussit, ut relicto tam ignobili servitio, domum statim repeteret. Inde in Hieronymum Rabassa loci guardianum effervescens, eius suasiones ac mitissimi filii sui verba nihil valuerunt, quominus a conventu amoveretur; unde invitus et moerens ad proprium larem remeavit. At mane facto iterum coenobium petiit, et in lacrymas effusus ac in genua devolutus deprecabatur guardianum, ut parentis sui indignatione postposita, statim sacro habitu donaretur: *fortasse*, siebat, *dum ipse viderit religiosa veste me indutum, acquiescet.* Quibus auditis a guardiano, inter suos connumeravit, Ioannis Caroli nomine in Angelum commutato.

LI. Anno decimo sexto aetatis suae tyrocinium in laudato Perpinianensi coenobio inchoavit. Pater ejus divitiarum, saeculique vanitatibus mancipatus ac in filium amore carnali plus aequo affectus, id aegre tulit ac rabie infremens, filio imprecavit odioque maximo prosequutus et filium et coenobii fratres per annum integrum. At novitius parvifaciens maledicta patris, exemplo seraphici patriarchae s. Francisci, loco patris carnalis habere ac vocare incepit Patrem coelestem. Prae vitae asperitate ita in gravem morbum incidit, ut ab omnibus moriturus crederetur. Novitiorum moderator animadvertens nullo humano remedio illum revocari potuisse ad perfectam valetudinem consequendam, eidem suasit, ut singulo quoque die mane ac vespere ter se pracis signo muniret; sperabat enim per merita ss. crucis et pretiosissimi Iesu Christi sanguinis in ea affusi pristinam sanitatem ipsum recuperaturum; quod revera evenit post novendium expletum.

LII. Inter novitios diversatus tanto in omnium virtutum genere perfectus evasit, ut caeteris se praeberet omnimodae pietatis exemplar; tantique insuper apud Deum meriti erat, ut eo etiam tempore mirabilia aliqua patrasse multi iureiurando tradiderunt. Iis igitur divinis charismatibus exornatus, solemnia vota nuncupavit in manibus ministri provinciae eo cordis iubilo, ut vix enarrari possit. Cuncta haec iam parenti suo innotuerant; unde feritate deposita et odio in amorem converso, coenobium petiit guardianum exorans, ut filium suum sibi ostendere dignaretur. Eum ut vidit, complexus et deosculatus est, multisque lacrymis verbisque suavissimis benedixit; filius quoque in genua provolutus, e collo eius pendens ac paternis lacrymis plurimum commotus, coepit et ipse uberrime illacrymare. Igitur spiritali laetitia ac mutua pietate collacrymantes, Deo gratias reddidere.

LIII. Studiis primum incubuit philosophicis, indeque theologicis in frequentissima Complutensi de Enares academia tum parentis tum praesidis provinciae consilio, ut divinis litteris eruditus, dignos ingenii sui dexteritate posset in vineam Domini fructus afferre cumulatissimos. Quae ut assequeretur, eius erat agendi ratio, nimirum divinarum rerum contemplationi, asperitatibus, scholasticis

exercitiis officiisque sibi concreditis vacare, maioribus obtemperare benevolumque se praebere condiscipulis. Hinc felicitate ingenii ac divina gratia adiutus, ibidem trium annorum curriculo in assequendis divinis litteris tantum profecit, ut coetaneis suis longe praecelleret. His dotibus excultus ad provinciam suam inter omnium gaudia reversus, lectoris ac concionatoris munus obedientiae merito suscepit, iuvenis adhuc XXV. annorum. In oppidum de Figueras adveniens, coepit illico verbum Dei annuntiare, tantamque in adstantibus admirationem excitavit, ut eum velut angelum susciperent omnes. Alii vero populi ad quos viri Dei nomen cito pervenerat, ipsum avidissime expetebant. Ad sui coenobium rediens post habitum sermonem in festo assumptionis Deiparae in quodam oppido, ab ingenti pluvia madefactus, calceamenta quae gerebat chorderum funiculis contexta, abiecit nec amplius resumpsit; ex tunc nudis pedibus semper incessit.

LIV. Licet lectoris subindeque quorumdam coenobiorum praesidis officium gereret, insimul et concionabatur per varias urbes et oppida contermina pluries per diem. In deviorum animadversione exardebat ita, ut plurimi ex ipsis genu supplices, omni pudore semoto, coram conserta multitudine lacrymis ac suspiriis facinora confiterentur, divinamque misericordiam inclamarent. Cum vero de futuro iudicio, aut de poenis infernalibus, aut de Christi Domini passione sermonem haberet, tam ipse quam adstantes in lacrymas effluebant, unde factum est, ut persaepe concionem contineret. Quae vero extemplo eructabat, eximia utique memoria ditatus, tum ss. litterarum testimoniis tum ss. patrum sententiis copiose exornabat.

LV. Maioris perfectionis gratia in nuperam, quae hoc tempore austeritate vitae in Catalaunia recollectorum fratrum florebat, reformationem intravit, et in comitiis provincialibus habitis die XVI. Februarii an. MDLXXIX. in coenobio s. Mariae de Iesu Barcinone praeses custodiae nominis Iesu eorumdem fratrum fuit renunciatus. Non levem controversiam inter observantes et recollectos eiusdem provinciae excitatam composuit, firmatis inter ipsum et Michaelem Masnovell provinciae ministrum de quibus iam egimus quibusdam pactis et conditionibus. Verum his diu non steterunt; nam eodem anno vulgata die III. Iunii constitutione: *Cum illius vicem* a Gregorio XIII pontifice, recollecti a regimine minorum de observantia exempti fuere, salva auctoritate generalis administri in his quae eorum privilegiis non contradicerent. Scripsit hoc anno hispanice ad fovendam regulae observantiam ediditque Barcinone *discursus spirituales super regulam s. Francisci*. Interim cum ab anno MDLXXIX. ad an. MDLXXXI. multiplicata fuissent in provincia Aragoniae, Valentiae, et Catalauniae eorumdem coenobia, apostolicas litteras: *Ex quo nos Deus* die XVIII. Februarii an. MDLXXXI. impetrarunt recollecti erectionem novae provinciae, quam Tarraconensem appellabant, ab observantium regimine disiunctam. Quare indicto capitulo, illius regendae provinciae munus demandatum fuit laudato Angelo del Pas omnium electorum suffragio. Comitio absoluto, statim ipse perlustrare coepit cum Caesare a Bergomo Pedamontano, initam nuper provinciam; at quibusdam difficultatibus obortis, Angelus suo officio destitutus, Romam advenit, de hoc negotio cum pontifice acturus. Frustra tamen.

Ann. min. ad an. 1579. n. 5. et seq.

Ibidem ad an. 1581. num. 29.

LVI. Genuam inde missus, concionatoris munus ibidem gessit duobus annis cum dimidio, verba dicens quadragesimali tempore festivisque per annum diebus. Eodem tempore ea in urbe verbum Dei disseminabant ipse Angelus del Pas ac Franciscus Panigarola, omnium ordinum admiratione ac plausu, quibus

Digitized by Google

cum interesset Iustinus archiepiscopus civitatis, doctrinae morumque suavitate notus, quadam die adstantibus dixit: *pro certo habeo in toto terrarum orbe alios similes verbi Dei praecones his duobus, qui hic Genuae praedicant, non reperiri. Pater Panigarola utique eloquentiae flumen, doctissimus, facundissimus; pater autem Angelus discalceatus lepidus in dicendo, potens in sermone, penetrans corda, ardens, efficax, ad compunctionem, ad lacrymas, ad poenitentiam excitans.* Licet his divinis ingiter concionibus distentus, multa tamen pro restituendo ordinis candore, et pro augenda insimul in christifidelium cordibus pietate scripsit ediditque. In ea civitate anno MDLXXXII. prodiit eius *enchiridion divinae scholasticaeque theologiae* in duas partes speculativam et practicam distributum, Ferdinando Medicaeo cardinali ordinis patrono nuncupatum. Scripsit, at nondum editam etiam *enchiridii expositionem*, sive *commentarium* in sex libros divisum. Hoc eodem anno scripsit tractatum *de fundamentis boni spiritus et omnis perfectionis spiritualis* ad priorissam monasterii s. Andreae Gennae. Anno MDLXXXIII. ad mox laudatum cardinalem ibidem editum *tractatum misit de restituenda disciplina vetusta religionis* s. *Francisci*; item *tractatum secundum de eodem argumento*; et alterum *tertium circa idem argumentum* ad cardinales s. c. episcoporum et regularium. *Tractatum quartum de reformatione regularium in genere* Romam misit ad Felicem Perettum cardinalem de Montealto minoritam conventualem, postea Sixtum v. pontificem. In coenobio s. Mariae Genuae anno MDLXXXIV. elucubravit opus *de cultu sanctorum, oratione ad eosdem eorumque pro nobis intercessione, et de reliquiarum earum reverentia* ad Franciscum Taglicarneum illius urbis patritium. Pro Veronica de Mari nobili femina eiusdem civitatis scripsit *admonitiones vitae spiritualis* divisas in duas partes, in quarum prima de rebus saecularibus; de spiritualibus agit in altera. Postremo libros tres *de confidentia hominis in Deum* scripsit ad Antonium Mariam Brecellum patritium civitatis. *Wadd. et Sbaralea lib. A*

LVII. Instructis quibusdam contra eum motibus, quatenus eius ope iterum in romana curia moliretur erectio provinciae Catalauniae, timens grave damnum sibi, si diutius in Italia diversaretur, futurum, in suam provinciam remeare deliberavit. Dum haec tristis mente recolebat, summo mane sacrificio peracto, rogatus fuit a coenobii sacrista, ut ad ecclesiam accederet, quia vetula quaedam cum eo sermonem habere cupiebat. Quae ut eum vidit, dixit ei: *an novit pater Angelus*; quo respondente, *ego sum*; ait mulier: *scito quod mihi peccatrici et indignae dignatus est apparere Dominus noster Iesus Christus, et iussit mihi ut mane facto huc ad te venirem, tibique suo nomine imponere, te nullatenus in Hispaniam redire; quoniam ibi regii ministri te expectant, afflictionibus, molestiis insidiisque affecturi, multasque maiores animadversiones in eo regno patieris, quam in Italia: nec ibi sicut in hac regione animarum fructum, Deo cooperante, retuleris.* Obstupuit ipse vereque cognovit, vetulam divina revelatione loquutam fuisse; quandoquidem ipse nemini sui cordis arcanum de redeundo in Hispaniam patefecerat.

LVIII. Circa annum MDLXXXIV. Genuensi civitate relicta, in Siciliae insulam, factuito sibi parato navigio, commeavit. Post biduum motus magnus factus in mari, in mortis periculum inciderant qui aderant omnes. Tunc Angelus puppim ascendens, et manibus crucifixum quem pendentem in pectore semper gestabat, accipiens, sermonem habuit ad nautas, adhortans eos, ut

Digitized by Google

cogitatus suos iactarent in Dominum, ad ipsum contrito corde converterentur, totaque fide confiderent fluctuationem iustis non esse daturum. Hisce vix dictis facta est tranquillitas magna ita, ut omnes mirarentur, et flantibus prosperis ventis ac ridentibus undis, post paucas horas Panormum accesserunt. Vulgata prodigii fama, licet Angelus ne alicui haec dicerent, navitas rogasset, omnium ordinum cives illico ad eum confluxerunt, benedictionem postulaturi. Panormi summum animarum fructum retulit, verbum Dei annuntiando. Post exactum quadragesimae cursum, Messanam advenit, ubi non divini verbi praedicationi, sed solitudini, asperitatibus scribendisque libris totum se dedit.

LIX. Romam a Sixto v. pontifice cui erat familiaris, aegritus, eius discessum aegre tulerunt cives Messanenses, quem ad portum usque comitantes, felices se reputabant vel eius habitus fimbriam attingere vel manus deosculari. Summa animi humanitate eam excepit pontifex; Angelus vero *commentarium in symbolum apostolorum in quatuordecim libros distributum*, Messanae elaboratum eidem obtulit, quorum novem anno MDXCVI. paullo ante sui obitum typis vaticanis editi fuerunt; caeteri vero post annum MDCII. De priori libro, quem solum legerat Possevinus sic habet: *quem perlegisse spero neminem poenitebit; nam et stylus elegans et ecclesiasticus; at cum plurima afferat, non tamen laxus, sed pressus et patrum testimoniis absque taedio legentium dives.* Hoc tempore accepit a pontifice mandatum, ut etiam *sacra evangelia commentariis* illustraret. Cum dimisse de se sentiret, seque nequaquam tam arduum opus crederet perficere, assiduis precibus, ieiuniis ac lacrymis Domino, b. Virgini, ss. apostolis se commendabat, ut eorum praesidio voluntati pontificis satisfaceret. Hinc a Sixto v. notabili librorum subsidio pro instruenda familiari bibliotheca cumulatus, tum in coenobio observantium s. Mariae Maioris Tiburis, tum in altero s. Petri in Ianiculo de Urbe manus tanto operi admovit; attamen non sine insigni prodigio haec effecisse narrant suorum actuum scriptores ac praecipue eius confessarius Cyprianus a Novara eiusdem instituti ac Iustinus Miechoviensis dominicalnus. Quare tam facili stylo conceptus profudit, ut angelorum ministerio hausisse complurima possit existimari.

LX. Porro haec commentaria successu temporis edita fuerunt. Vulgatum fuit hoc anno typis camerae apostolicae: *breve trattato del conoscere et amare Iddio composto dal r. p. f. Angelo del Pareo ad istanza dell' illustris. signora Claudia Rangona l' anno* MDLXXIV. Prodierunt item hoc anno Romae *tractatus de digna et necessaria praeparatione ad suscipiendum ss. eucharistiae sacramentum, de coena eucharistica, et de oratione iaculatoria.* Inedita sunt: *commentaria in Abdiam prophetam — in omnia evangelia de tempore, et de Sanctis breves adnotationes — de fabrica mundi, sive de rerum omnium prima creatione libri duo — de divino amore captando lib. 1. — de parentum et filiorum amore reciproco libri sex — opusculum instructionis seu admonitionum* ad Iacobum Sanchez designatum commissarium apostolicum provinciae Valentiae — *opusculum quo commendat decretum congregationis episcoporum et regularium de tollendis omnium regularium coenobiolis, in quibus necessarius ad conservandam disciplinam regularem religiosorum numerus haberi non possit — opusculum de instructione et educatione religiosorum — de auctoritate cardinalis protectoris liber unicus — oratio funebris an.* MDLXXXIX. *habita in obitu fratris Caesaris Bergomensis eius*

Waddingus lib. 4.

Digitized by Google

socii — commentaria in regulam tertii ordinis franciscani — de profectu et splendore hominis spiritualis — de Christi amore quo pro nobis pati dignatus est — tabulas et repertoria etiam scripsit omnium ferme conciliorum, ss. patrum, illustrium historicorum, ac ss. virorum. Alia etiam scripsisse affirmat Bonifacius Bonibellus eius ab anno MDXCIII. socius vitaeque suae auctor, quae tamen periere, quando ipse ab Hispania in Italiam advenit. Caeterum *haec omnia*, inquit Lucas Waddingus, *venerabilis viri opera ipsius manu exarata diligenter asservata sunt in nostro codicum mss. archivo.* Nos huiusmodi archivi, his aliisque pene innumeris autographis divitis, naufragium deflevimus. Idem ibidem.

LXI. Inter assiduos scribendi labores et propriae aliorumque spirituali, imo et temporali saluti prospiciebat. Semitam quam poenalitatis plenam pene ab infantia arripuerat, semper adversa etiam valetudine retinuit; semel per diem, at pauco obsonio contentus, sub vesperas reficiebatur; carnem nisi diebus dominicis edebat modicam; somno vel super nudam humum, vel super stoream trium horarum spatio indulgebat: a matutinis laudibus ad auroram usque vel divinis meditandis vel vocalibus precibus effundendis incumbebat; universim tamen quolibet die quinque horas orationi ferventissime instabat. Alias autem per diem horas vel in Urbis basilicis, vel infirmis visitandis insumebat, vel iis solandis qui ad eum confluebant consilii causa. Multos infirmos interim sanabat extemplo vel signo crucis, vel manuum suarum impositione, vel precibus, vel Dei, vel b. Virginis, vel ss. invocatione.

LXII. Servi sui sanctitatem insignibus donis ac favoribus adhuc vivens cumulavit Deus. Prae caeteris fulsit tum miraculorum gloria, tum cordis scrutatione, tum prophetiae dono, vi cuius responsum mortis a Deo in festivitate s. Bonaventurae accipiens, arrepta cruce oculisque in coelum elatis, dilecto suo animam hisce verbis commendabat, dicens: *vin. Domine, non sicut ego volo; da mihi virtutem; paratus sum; adiuva me; memento congregationis tuae; credo: spero: Iesu, Maria.* Inter suorum lacrymas sancte occubuit die XXIII. Augusti in coenobio s. Petri in Monteaureo de Urbe. aetatis suae LVI. Eum inter angelorum agmina coelum ascendentem vidisse fratrem Anselmum a Ponzano laicum simplicissimi moris tradunt scriptores. Ob illius sanctitatis mirabiliorumque patratorum famam, ex mandato Hieronymi cardinalis Matthaei ordinis patroni sepulcrum nactus est marmoreum a terra elevatum prope dexterum evangelii cornu aree maioris ecclesiae coenobii, gemino insculpto epitaphio; nimirum in superiori parte in qua eius imago instar orantis picta erat, sequens obviabat

SIC ORANS DOMINO PLACVIT SIC SAECVLA IVVIT.

In inferiori hoc alterum

CONDITVR HAC INGENS MERITIS PATER AVGELVS VRNA
HISPANVS PATRIA RELIGIONE MINOR.
OBIIT R. P. F. ANGELVS DEL PAS PERPINIANENSIS
ANNO DOMINI M. D. X. C. VI. DIE XXIII. AVGVSTI.

Ad eius sepulcrum haec erant appensa

Angele flos hominum, telluris sydus Iberae,
Et franciscanae gloriae magna domus;
Incola nunc coelites, quo te pius evocat ardor,
Sectaris vitae dum melioris iter;
Nam Christi meditare crucem, durosque labores,
Inque illis semper mens tua fixa fuit.
Inde tibi sacrae doctrinae haurire liquores.
Mos erat, et totus, dum pietate mades.
Quae stupet haec aetas, seri stupeantque nepotes,
Aetherei scripsit flaminis auctus ope.
Inde petis radios, quorum fulgore micanti,
Mens tua splendescens, quaeque futura videt.
Inde tibi licuit saevos depellere morbos,
Quos contra medicae non valuere manus.
Ad tua traxisti totam miracula Romam
Quae nunc vota tibi supplica mente facit.
Dexter ades, faveasque lubens, te Patris amorem
Aeterni nobis conciliare decet.

LXIII. Viri Dei praecordia iussu Gregorii XV. pontificis illata fuerunt in ecclesiam s. Francisci Transtyberim de Urbe fratrum minorum reformatorum, ubi facti memoria et exhibet monumentum.

LXIV. Caeterum sunt quaedam vulgata illustrium virorum testimonia, quibus Angeli virtutes et miracula publico iuramento comprobantur. Missis illis Aloisii de Amigrante basilicae lateranensis poenitentiarii, ac Ludovici a Trioria aliorumque franciscalium laudato viro familiarium, Marcellus Vestrius Barbianus a secretis Sixti V. pontificis die IV. Iunii anno MDCII. propria manu de eius actibus, etiam a pontifice prolata scripsit, ac Franciscus Gonzaga episcopus Mantuanus, olim ordinis supremus moderator sequens chirographum dedit.

Franciscus Gonzaga gratia Dei et sedis apostolicae episcopus Mantuanus.

His nostris praesentibus dicimus et indubitatam fidem quibuscumque facimus, qualiter nos cognitam multo tempore et intellectam vitam et mores multi reverendi patris fratris Angeli del Pas seraphici ordinis patris nostri s. Francisci de observantia habuerimus, et quidem ab anno MDLXIII. *Cum enim ego essem novitius in conventu s. Mariae de Jesu Compluti in Hispania, dictus pater eo missus a sua Catalauniae provincia ad studia theologica, venit cum alio patre vocato fratre Michaele Tavernerio similiter Catalauno, quem postea in meum socium et secretarium ordinis pro familia ultramontana assumpsi, quando in conventu Parisiensi generalis ordinis electus fui; ex eo autem quod ipse vidi et audivi aliquot annis in supradicto conventu Compluti, ex his quae a dicto patre fratre Michaele, et ab aliis eiusdem et aliarum provinciarum postea intellexi, et propter cognitionem quam in diversis occasionibus spatio viginti septem annorum habui, quibus frater in meo instituto versatus fuit (ex quorum numero octo annis generalis fui) assero et indubitatam fidem facio, a me semper et a cunctis dictum patrem Angelum del Pas fuisse cognitum et habitum pro religioso multae sanctitatis, vir-*

Digitized by Google

tatis et litterarum, vitae spiritualis delitium, multae orationis et contemplationis, multae poenitentiae corporalis; quia postquam finito studio ad suam provinciam cum recollectis se recepit, discalceatus omni tempore et cunctis anni tempestatibus incessit, cursum artium et theologiae praelegit; scripsit atque edidit aliquot libros, ex quibus eius spiritus, necnon et solida doctrina perspicue cognoscitur. Sicque vitam suam conformiter ad reliquum nomine et fama magnae sanctitatis et miraculorum in vita et post mortem editorum terminavit. In quorum fidem etc.

Datum Romae ultima Augusti MDCV.

Franciscus Gonzaga episcopus Mantuanus.

L. ✠ *S.* *G. Caesar Perinetius secretarius.*

LXV. Capucini hoc anno luxerunt Raphaelem Astensem provinciae Genuae definitorem generalem, sanctis moribus ac doctrina conspicuum, qui italico idiomate ad dialogi formam scripserat *duo volumina super regulam s. Francisci et summorum pontificum.* Praefert hic titulus *lima s. Francisci et summorum pontificum.* Ad tomi secundi calcem posuit sua manu exaratum *testamentum suum* anno MDLXXII. scriptum. Montisalti in Calabria migravit ad Dominum Silvester Rossanensis eiusdem instituti, vir in verbi Dei praedicatione eximius, ut novus apostolus Romae, Venetiis et Neapoli habitus. Eius labores Deus illustravit prophetia, et miraculorum dono. Florentiae anno MDXXV. dum concionatoris munus obibat, confraternitatem sanguinis Christi initiavit, et primus qui in ea conscribi voluit, fuit magnus ipse Hetruriae dux Franciscus, ac inde nobilium copia qui eam maxime eorum pietate illustrarunt. Pro eadem sodalitate constabilienda italice scripsit *tractatum de XII. effusionibus sanguinis Iesu Christi*, Florentiae typis Ioannis Marescotti anno MDLXXIII. editum. Sbaralea tit. R.

LXVI. E vita ereptus est item hoc anno inter conventuales Octavianus Ravennas, ex perantiqua Strambiati familia natus. Concilio Tridentino interfuit anno MDLXIII. et die XIII. Iulii eiusdem anni Pius IV. pontifex hortatorias litteras dedit ad Avenonienses cives, ut ad eos venientem benevole reciperent. Plura ingenii sui monumenta posteris reliquit, nimirum *commentaria in logicam Aristotelis, in metaphisicam eiusdem, in libros eiusdem de anima, tractatum de praedestinatione, alterum de libero arbitrio, et alterum de symbolo fidei; in quatuor libros sententiarum, seu in scriptum Oxonien. Ioan. Duns Scoti doctoris subtilis commentarii* extant mss. Patavii in bibliotheca s. Ioannis in Herbara canonicorum regularium. *Lectiones super primo sententiarum libro, et super quaestionibus quodlibetalibus Scoti per magistrum Octavianum Raven. regentem an.* MDLXIII. *Bononiae* mss. in quarto imperfectae extant Ferrariae in bibliotheca s. Francisci, et *lectura super prologum habita Romae* MDLXXXIV. Ravennae in primo claustro coenobii sui ordinis sequens legitur epithaphium: *Octaviano Strambiato Ravennati franciscano theologo eximio Scoti subtilitatum maximo et clarissimo interpreti, qui cum praecipuorum sui ordinis gymnasiorum summus doctor fuisset, et Avenionem ad confutandos haereticos ab Alex. Farnesio card. legato missus, ingentem undique laudem retulisset, Augustae Taurinorum metaphysicam Emmanuelis Philiberti ducis cui charissimus fuit, accersitus cum summa auditorum admiratione professus est. Postquam autem collegii seraphici ad ss. apostolos Romae, Sixto V. pontifice max. instituente ac iubente, primus et summus magister praefectus fuisset, atque* Idem lib. S. Idem lib. O. Ann. min. ad an. 1563. num. 35. et ad an. 1341. n. 41.

Digitized by Google

inde tandem in patriam rediisset, ubi per XII. *annos canonicos Portuenses magno auditorum numero fructuque docuerat, Bononiam valetudinis causa se contulit, ibique annos natus* LXXII. *ex hac vita migravit an. sal.* M. DLXXXVI. *Octavianus Strambiatus eiusdem ordinis theologus illius ex fratris filio nepos patruo magno bene merenti P. C.*

Sbaralea tit. H. et in addenda et corrigenda tit. H.

LXVII. Hunc ex eodem ordine sequutus est Hieronymus Tinelli, vir apprime doctus qui scripsit *commentarium super psalmum* CXVIII. *Beati immaculati in via.* Praeter eius scripta, nimirum *in evangelia quadragesimae, super orationem dominicam, tractatum super symbolum apostolorum, in epistola Pauli ad Romanos, in libros Aristotelis de anima, et in quartum sententiarum*; sunt etiam ipsius *analysis fidei quam ecclesia catholica romana adversus sectariorum errores profitentur; compilatio, dilucidatio et defensio decretorum concilii Tridentini, itemque congregationes concilii* usque ad annum MDXCIII. mss. ac denique *orthodoxia episcopi Mutinensis vindicata.* In maiori ecclesia Montisalcini in Hetruria hoc epitaphio honestatur. *Pacem aeternam fratri Hieronymo Tinello Ilcinensi ord. min. viro omnibus virtutum numeris absoluto, theologiae sacrarumque litterarum mysticae huius templi per duodenas trieterides rectori, cuius doctrinam Tridentum in sacrosancta synodo audivit; pietatem Finalis aspexit; prudentiam orbis suspexit; qui dexteritatis et orationis clavo monstro pernicialis Finalensium discordiae prostrato, impio furori lacrymis laetitiae parentans, civile bellum penitus funeravit; universitas Finalensium velut in parentem optime meritum gratitudinis damnata hoc nunquam interiturae benevolentiae signo apprecatur. Ipso anno* MDXCVI. *meritorum et annorum onere pressus, ut gloriam indueret hominem exuit, nunc omnis particeps aeternitatis spiritu coelum, cinere hoc templum decorat.* Hoc alterum de eo prostat elogium in ecclesia s. Francisci Ilcinensi. *Fratri Hieronymo Tinello Mutinensis episcopi in Tridentina synodo theologo eiusdem dioecesis visitatori, aedis s. Ambrosii Campi Granai canonico, maioris ecclesiae Finalis rectori, et coenobii huius munificentissimo benefactori.*

Sanderus lib. 2. de script. Flandr. Waddingus tit. G.

LXVIII. Furnis in provincia Flandriae sublatus est hoc anno Gerardus Veruust, aliis Vervoestius, perperam a Sandero Georgius adpellatus, inter minores de observantia professus in conventu Burgis. Munus guardiani obivit tum Yprae tum Dunkerkae. Lingua patria disertissimus erat egregiusque theologus. Verbi Dei praeco fervidus, haereticos Flandriam expopulantes ita insectatus est, ut ab iis captus et ad patibulum ductus, dentium suorum excussionem generose sustinuit. Sequentia vulgavit, nempe *in passionem Domini* conciones *tres* doctas et perbreves, Antuerpiae an. MDXCIV.; *de praestantibus novi testamenti donis*, Lovanii an. MDXCIII.; *conciones tres de gloriosa resurrectione Domini, et laetabunda resurrectione iustorum hominum, et de iucundissimis glorificandorum corporum dotibus*, ibidem eodemque anno; ac postremo *concionem in orationem dominicam* Antuerpiae edidit an. MDXCVI. Publico urbis luctu decessit hoc anno die XII. Februarii in coenobio Silvae Ducis provinciae Germaniae Inferioris Hermannus a Lochen, pluries guardianus, et semel provinciae administer, *qui*, ut scribit Waddingus, *pro bono civitatis aliquoties honesta legatione ad gubernatorem patriae ducem Parmensem laudabiliter functus fuit. Magnos ille civibus addebat animos concionibus suis ad urbem in catholica religione tuendam contra per-*

Mon. prov.

Ann. min. ad an. 1228. n. 91. et seq.

Digitized by Google

Anno Christi 1586.	Clementis VIII. an. 4. et 5.	Rodulphi II. anno 20.	Religionis Minorum anno 389.

duelles haereticos, ut etiam hactenus tuta et asservata fuit. In choro coenobii obviat eius elegans effigies, senatorum sumptibus depicta.

LXIX. Desideratus est et hoc anno ex eodem instituto Angelus, an. MDXX. in insula Chii nobilissimo Instinianorum genere ortus, quem parentes in collatione baptismi Vincentium vocarunt. Ordinem ingressus, ob ingenii sui praestantiam ita mira sua eruditione multiplici floruit, ut nemini secundus esset in litteraria republica, sive in concionibus habendis, sive in scholasticis tradendis disciplinis, sive in libris scribendis. *Ipse enim*, inquit Ubertus Folietta in elogiis clarorum virorum Ligurem, *ad solidam doctrinam qua in principibus aetatis nostrae numeratur, versatilis ingenii felicitate ad omnia quaecumque multiplicem eruditionem adiecit, ut nemo illi omnibus ingenuis artibus illustrior sit. Ad hoc motibus ita ad excogitandum et inveniendum acutis et celeribus, atque ita ad explicandum uberior est, ut nemo maiore ac firmiore argumentorum copia et vi haereticorumque dogmata refellat, in quibus perpetuo insectandis et exagitandis vehementissimus acerrimus est, quum ea dicendi copia sit, eaque in animis hominum pervolendis vis, quae res in oratione haud dubio priores teneat, ut nemo aetate nostra maiorem sibi audientiam maioresque concursus faciat. Quem laudis fructum non in certis modo locis, quaecumque illum adire contingit, percepit.* *Ibid. ad an. 1587. num. 17. et seq.*

LXX. Romae etiam penes omnes, sed praecipue apud Pium IV. pontificem magnum sibi laudis nomen comparavit. Quare cum eo tempore tota Gallia seditionibus ac tumultibus haereticorum ope arderet, datus fuit ipse anno MDLXI. ab eodem pontifice Hippolyto Atestino cardinali legato eo cum comes, ut sui eloquii praestantia eorumdem audentiam retunderet cunctaque pacaret. Tanto operi manus illico admovit, frequentibus sermonibus habitis super quaedam s. *Ioannis evangelistae capita*, quos cum audirent haeretici, eius in dicendo ingenii acumen mirabantur, argumentorumque suorum copiam insimul formidabant. Theodorum ipsum Beza haeresiarcam petulanter in ipsius christianissimi regis aula penetralibus sua venditantem ita devicit, ut rubore suffusus, aula ac civitate cesserit. Ipse vero Angelus unius et amni spatio ibidem permansit ad tutanda contra fidei refractarios ecclesiae atque catholicae religionis iura coram rege et dynastis. *Pallavicin. in hist. conc. Trident. lib. 15. cap. 10.*

LXXI. Post haec ab Aloisio Puteo ministro generali ordinis anno MDLXV. electo, commissarius generalis magni Parisiensis conventus, a quo, ut ait Henricus Willot, delectissimi pugnatores qui Salomonis lectulum ambiunt, non raro prodierunt, designatus, pro ea qua in rebus agendis dexteritate pollebat vitaeque sanctitate exornabatur, ad frugaliorem vitae normam traduxit. *Willot in Athenas ordinis pag. 52.*

LXXII. E Galliarum regno praeclaris laboribus iam functus, in Italiam remeavit, et a Philiberto Sabaudiae duce exceptus, tum a sacris confessionibus, tum ab eleemosynis et ab intimis consiliis eumdem constituit. Cum autem pastore suo viduata esset ecclesia Gebennensis, sive Genevae in ducatu Sabaudiae, datis anno MDCXVIII. a Pio V. pontifice litteris: *Apostolatus officium* III. idus Octobris, ad eam regendam ecclesiam destinatus fuit, subscripto fidelitatis iuramento ipsi a pontifice misso. Ea in moderanda ecclesia inculpate ita se gessit, sibique commissi gregis ita partes explevit, ut eximium de eo elogium habuerit in praefatione praemissa rituali sacramentorum, Lugduni an. MDCXII. edito, s. Franciscus Salesius illius ecclesiae postremis temporibus antistes. Praeconium illud licet a Caietano Michelesio praedecessore meo in suo de anni- *Ann. min. ad an. 1568. in regesto pag. 480.*

Digitized by Google

libus volumine relatum, hic velut suo loco iterum excribendum putavimus.

Ibid. ad an. 1598. num. 127.

« Quo vehementiori (inquit) conatu, ac uberiore intemperantia in sacramentorum numerum, dignitatem cultumque hostes ecclesiae eidem converterunt, « eo fortius ac firmius pro sacro illo septenario numero, pro rituum religiosa solemnitate ac rerum sacramentalium sanctitate ab omnibus primum « antistitibus in augustissimo concilio Tridentino coniunctim, deinde vero etiam « a plerisque fere omnibus in suis provinciis seorsum maiore semper alacritate certatum est. Inter hos autem ex nostris praedecessoribus magnum « Angelum Iustinianum incomparabilis doctrinae et ingenii virum, e concilio « cui interfuerat, redeuntem maximam operam huic rei impendisse meminimus; « sed cum recenti ac miseranda Gebennensis civitatis defectione hanc dioecesim universam tantisper exagitatam reperisset, primam laborum suorum « partem in assereuda fide catholica collocandam censuit. Quamvis enim inter « populares nostros nemo palam haeresim profiteretur; aliqui tamen haeresis « crimen non ita (ut par est) execrandum existimabant: homines non frigidi « quidem, sed certe neque etiam calidi in fide. Pauci quoque aliquot scioli rerum litterarumque humaniorum sectatores ritus catholicos non sane damnare, « sed tamen ad censuram et in discrimen suo iudicio examinandos revocare « contendebant. Quibus omnibus animorum aegritudinibus eximia qua pollebat, « de rebus divinis dicendi ac disserendi virtute frequentissimis concionibus « privatisque colloquiis remedium praesentissimum attulit optimus pontifex; « effecitque tandem ut passim in dioecesi, sed in hac maxime civitate (nempe « Aniciensi) haereseos, haereticorumque nomen infame, horrendum ac abominandum omnibus videretur et esset. In his ergo curis, necnon variis difficillimisque nodis dissolvendis quibus temporum hominumque malitia optimorum patrum conatus impedire solet, distentus et implicatus non potuit « antistes, quantumvis vigilantissimus et fortissimus, brevi duodecim annorum « spatio, quibus episcopatum gessit externum ecclesiasticae disciplinae sacramentorumque splendorem penitus restituere. Porro igitur in eius locum successit Claudius de Granier. »

Ibid. ad an. 1578. num. 103.

LXXIII. Anno MDLXXVIII. die XV. Decembris sponte sua dimisit ecclesiam Gebennensem in manibus Gregorii XIII. annua pensione oc. scutorum auri sibi reservata super fructibus episcopalis mensae, cum denominationis retentione.

Rodulphus lib. 3. pag. 308.

Huic dignitati, inquit Rodulphus auctor coevus, nuncium remisit, quia et *laboribus fessus erat*, et quia *lectioni quietius vacare cupiebat*. Inde subiungit: *vivit hodie sexagenarius podagrae morbo laborans, cunctosque iuvare studet, vel reipsa vel consilio; nam tristes consolatur, aegris compatitur, eos fovet, cunctisque humaniter se obvium praestat, ut hac via vitam ipsam promereatur, qua fine caret.* Interim eius effigiem exhibens, praecipuum hoc elogium ipsi struxit.

Angelus hic almo splendescens lumine terris
Non sinit haereseos morte perire deos.

LXXIV. Musicae artis ignarus quoque non fuit. Latinarum autem ac graecarum litterarum peritia ad miraculum exornabatur; latino enim idiomate *quamplures scripsit sermones*; graecorum autem ss. pp. opera, magnis insumptis laboribus ac impensis collegit, ac secum in Italiam adduxit, de quibus sic

Sixtus Senensis. Bibl. sancta l. 1. lib. 4. pag. 251. Neapoli 1742.

Sixtus Senensis auctor item coevus: *subiectos sermones s. Cyrilli Alexandrinae ecclesiae episcopi in caetera Pentateuchi volumina vidimus in vetustissimo graeco codice, quem nobis suppeditavit Angelus Iustinianus*

Digitized by Google

Anno Christi 1596.	Clementis VIII. an. 4. et 5.	Rodulphi II. anno 20.	Religionis Minorum anno 389.

Chyus minorita, insignis theologus, qui nuper ex Graeciae ruinis bibliothecam antiquissimorum orientalium ecclesiae patrum monumentis instructam multo aere ac labore collegit, eamque secum veluti sacrum quemdam thesaurum in Italiam advexit. Sermonum tituli sunt — In Exodi cap. IV. de tribus signis a Deo Moysi exhibitis sermo XIX. — In Exod. XII. de sacrificio agni sermo XX. — In Exod. XIII. de consecratione primogenitorum sermo XXI. — In Exod. XV. de aqua Marath sermo XXII. — In Exod. XVI. de manna et coturnicibus sermo XXIII. — In Exod. XVII. de petra in Raphidim percussa sermo XXIV. — In Exod. XIX. de monte inaccesso et Israel iuxta eum posito sermo XXV. — In Exod. XXIV. de ascensu Moysis, Aaron, Nadab, et Abiu sermo XXVI. — In Exod. XXXII. de fabricatione vituli sermo XXVII. — In Exod. XXXIV. de velamine in facie Moysis sermo XXVIII. — In Levit. I. quod passio Christi salubris est sermo XXIX. — In idem quod participes mysticae benedictionis sancti et sacri undequaque erimus sermo XXX. — In Levit. XIV. de mundatione leprae sermo XXXI. — In Levit. XVI. de Iudaeorum synagoga, quae ex infidelitate cecidit sermo XXXII. — In idem quod non semper ingrediatur Aaron in sancta sanctorum sermo XXXIII. — In Num. XIII. cap. de exploratoribus terrae promissionis sermo XXXIV. — In Num. XIV. de Christo et Iudaeorum synagoga et populi murmuratione sermo XXXV. — In Num. XV. quod Christus factus est nobis panis vitae, et de primitiis sermo XXXVI. — In Num. XIX. de vitula rufa sermo XXXVII. — In Num. XXI. de serpente aeneo sermo XXXVIII. — In Deuteron. cap. XX. de missis in bellum sermo XXXIX. — In Deuteron. XXI. de muliere captiva in unguibus abradenda sermo XL. — In Deuteron. XXII. de bove in foveam lapso sermo XLI. — In Deuteron. XXVII. de lapidibus trans Iordanem erigendis sermo XLII. — In Deuteron. XXXI. de institutione et electione Iosue sermo XLIII.

LXXV. Alio in loco de eodem Angelo ita scribit idem Sixtus Senensis: *catena graeca in totum evangeliorum corpus habetur Genuae in bibliotheca Angeli Iustiniani minoritae in membranis vetustissimis conscripta, et ab incerto auctore ex diversis graecis patribus collecta, quorum nomina haec sunt; Origenes — Victor presbyter — Isidorus Pelusiota — Eusebius Caesariensis — Titus Bostrenus — Basilius — Chrysostomus — Severus — Cyrillus. Initia vero expositionis in singulos evangelistas haec sunt; in Matthaeum: evangelium est sermo, bonarum rerum annunciationem continens iuxta id, quod rationi consonum est. in Marcum: cum multi in evangelia secundum Matthaeum et secundum Ioannem commentarios composuerint. In Lucam: sicuti in veteri quidem populo multi prophetiam annunciaverunt. In Ioannem: evangelista hic patria quidem fuit etc.* Merito igitur Horatius Iustinianus s. r. e. cardinalis talem ac tantum virum patruum suum olim habuisse gloriabatur. Senectute laboribusque gravatus Genuae podagra decessit, tumuloque mandatus in choro ecclesiae ss. Annuntiationis suorum consodalium, inscripto marmori hoc epithaphio. *Idem ibid. p.* 548.

HIC SITVS EST
FR. ANGELVS IVSTINIANVS
EPISCOPVS GENEVAE
EXPECTANS RESVRRECTIONEM
CORPORIS SVI
OBIIT ANNOS AGENS LXXVI. DIE XXII. FEBRVARII
ANNO M. D. I. C. VI.

Digitized by Google

ANNO CHRISTI 1596. CLEMENTIS VIII. AN. 4. ET 5. RODULPHI II. ANNO 20. RELIGIONIS MINORUM ANNO 389.

LXXVI. Prodierunt hoc anno Romae typis Stephani Paolini *novem sermones* Ioannis Baptistae Canoti, sive Cavoti minoritae de observantia, una cum *quadragesimali* Francisci Panigarolae cui non hoc sed post annum MDLIX. die IV. Februarii facta fuerat potestas praelo eos committendi ab Angelo Aversano, vicario generali ordinis, electo eodem anno MDLIX. in comitio Aquilano. Item anno MDXCVI. ibidem editi fuerunt *sermones in sex sabbata quadragesimalia* una cum *sermonibus tribus in resurrectione Domini. Lectiones eius* XXXIII. *in caput* I. *Iob habitae in aede Aracoeli ad populum* latine vulgatae fuerunt eadem in Urbe an. MDCXVII. *Lectiones in cap.* I. *epistolae* S. *Iacobi* etiam ibidem an. MDCXXII. impressae fuerunt. Florebat litteris hoc tempore Petrus Baroana, sive Varrona, quos distinguit immerito Waddingus, natus in oppido Villa-hermonosa vallis de Valdiviesso in montanis Burgensibus, et in coenobio s. Ioannis regum Toleti provinciae observantium Castellae an. MDLXXV. ordini admissus. Eius hoc anno Salamanticae prodiit *tractatus super Ave Maria*. Vulgavit etiam hoc tempore *interpretationem litteralem, moralem, et mysticam psalmi* LXXXVI. *fundamenta eius, immaculatae conceptioni beatae virginis Mariae aptatam*. Edidit hoc eodem anno Hieronymus Marafiniotus Polistinensis Calaber eiusdem instituti typis Stilliolae Neapolitani opus italice inscriptum *Cronica et antichità di Calabria*. In eo diligenter agit de civitatibus, castris, villis, montibus, fluminibus, plantis etc. eiusdem provinciae. Anno MDCI. a se emendatum Patavii iterum vulgavit. In laudem *Chronicorum* eius sequens tetrasticon cecinit Paulus Vaccarius minorita Iatrinolensis.

Chronol. seraphica Ordinis tom. 3. p. XXVI.

Waddi. et Sbaralea loc. P.

Idem loc. H.

Quod fuit Italiae, nomen disoesserat olim;
Et leto dederant tempore multa frui.
Ast ubi de coelo procedens mittitur iste,
Iam felix radiat, claraque semper erit.

Idem loc. F.

LXXVII. Franciscus de Sousa hispanus, Toleti natus nobili genere, adscriptusque eisdem fratribus in provincia s. Iacobi, vulgavit Salamanticae *expositionem in constitutionem Clementis VIII. de largitione munerum*, quam auream adpellat Diana in indice auctorum in sua *summa* morali. Editum fuit hoc anno Venetiis *compendium* 100. *meditationum sacrarum* Christophori ab oppido Verruchii dioecesis Ariminensis capuciui, postea latine redditum a Theodoro Patraio carthusiano. Franciscus Grassi Arbensis Dalmata minorita conventualis, guardianus ss. XII. apostolorum de Urbe vulgari idiomate scriptum reliquit *quadragesimale cum concionibus pro diebus Sabbati, et conciones* super evangelia festorum annuorum. Utrumque opus duobus tomis partitur.

Idem loc. C.

Sbaralea loc. F.

LXXVIII. Nullus, quod sciam, hoc anno ex minoritis conventualibus episcopale munus accepit. Qui delecti fuerunt, sunt ex observantium familia. Ad regendam ecclesiam s. Iacobi Cilen. in Indiis occiduis die XXIX. Ianuarii assumptus est Petrus de Aquaia; ad ecclesiam s. Salvatoris nuper erectam, die XX. Maii Michael Cordubensis; ad ecclesiam Minerbiensem die XX. Iunii Laurentius Mangioius Galatinus. Ad ecclesiam Cubensem et Floridae delectum fuisse hoc anno Stephanum de Alzua ministrum provinciae Mexicanae, nec tamen munus suscepisse scribit Torrubia. Die II. Maii promotus est ad ecclesiam Namurcensem Iacobus Blassaeus Flander Burgensis, concionator facundissimus, iam minister provinciae s. Andreae. Die XXIII. Novembris insequentis anni consecratus fuit in oratorio s. Elisabeth Bruxellis ab apostolicae

Torrubia pag. 11.

Ex Gallia christ. tom. 3. pag. 146.

Digitized by Google

sedis nuntio. Summus pontifex ad eum litteras dedit, quibus comprobatur Namurcensium christifidelium sinceritas in fide catholica profitenda. Florebat hoc tempore Franciscus Ribeira ex eodem ordine episcopus Leyglinensis in Hibernia, qui una cum caeteris adstitit solemnitatibus consecrationis Mathiae Lambrech episcopi Burgensis. In monumentis provinciae Argentinae invenio hoc eodem anno praefectum fuisse ecclesiae Bosnen. Petrum a Gradovar Salinensem. *Ibidem tom. 5. p. 249.*

LXXIX. Ecclesia clarissarum s. Silvestri in Capite de Urbe prae sui vetustate ruinae proxima, summi pontificis mandato reficitur. Quo in opere peragendo, praeter quamplurium ss. mm. reliquias, detectum etiam fuit sub ara maiori ecclesiae caput s. Silvestri I. papae et confessoris. De qua re sequens extat monumentum. *Carletti memorie storiche di s. Silvestro in Capite p. 65.*

S. SILVESTRI . PAPAE . ET . CONFESSORIS
CORPVS . VENERABILE
A . PAVLO . I. PON. MAX. DIE . XIX. IVNII
INTRA . MOENIA . VRBIS
MIRIFICA . POMPA . TRANSLATVM
IN . HAC . A . SE . CONSTRVCTA . ECCLESIA
ET . EIVSDEM . S. NOMINI . DICATA
OPIPARE . CONDITVM . FVIT
EMIN. CLEM. VIII. PP.
RENOVATA . OB . VETVSTATEM . ECCLESIA
IDEM . S. SILVESTRI . CORPVS
CLERO . POPVLOQVE . PRAESENTIBVS
SVBTER . ALTARE . MAIVS . INVENTVM
AC . IBIDEM . DIGNISSIME . REPOSITVM
CVM . SS. PONT. STEPHANI . ET . DION.
ALIORVMQVE . SANCTORVM . RELIQVIIS
HONORIFICA . DEVOTIONE
SERVATVR

LXXX. Corpus b. Iacoboni Tudertini, an. MCCCVI. defuncti Collazzone, Tudertum solemni funere illatum sepultumque extra urbem in ecclesia clarissarum, titulo Montis Sancti, translatum fuit subinde in ecclesiam fratrum s. Fortunati, et in sacrario repositum. Cum autem hoc anno Angelus Caesius episcopus Tudertinus pro singulis sanctis tutelaribus egregia parasset mausolea, honorifico etiam sepulcro occlusit exuvias b. Iacoboni VII. idus Maii ad eiusdem sacrarii latus, gubernatore, consulibus ac optimatibus urbis spectantibus. In eo haec posuit: OSSA B. IACOBONI DE BENEDICTIS TVDERTINI FRATRIS ORDINIS MINORVM QVI STVLTVS PROPTER CHRISTVM NOVA MVNDVM ARTE DELVSIT ET COELVM RAPVIT. OBDORMIVIT IN DOMINO DIE XXV. MARTII ANNO DOMINI M. CC. XCVI. Haec tamen mendis tum quoad diem, tum quoad annum mortis eius scatet. Obiit enim die XXVI. Decembris anno MCCCVI. Quare incidendum foret: DIE XXVI. DECEMBR. AN. DOM. M. CCC. VI. *Ann. min. ad an. 1306. num. 10*

LXXXI. In oratorio s. Didaci eleganter instructo in ecclesia coenobii s. Francisci de Arizafa, impensis canonicorum Cordubensium, reposita fuit tibia s. Didaci Complutensis in pulcherrima argenteaque librarum duodecim theca. Hoc in coenobio tyrocinium incepit complevitque idem s. Didacus. *De Torres pag. 73.*

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1596.	an. 4. et 5.	anno 20.	anno 389.

LXXXII. Quaedam iubet et indulget summus pontifex. Eximit a iurisdictione minorum de observantia fratres tertii ordinis de poenitentia in regno Portugalliae: *Cum sicut* die xi. Septembris; iubet commissariis visitatoribus eiusdem tertii ordinis, ne aperiant eorum negotia extra ordinem: *Romanus pontifex* die x. Maii; iubet fratribus ordinis b. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, ne recipiant alios fratres cuiuscumque instituti, licet rigidioris vitae: *Nuper ad nos* die xxiv. Decembris; aliqua statuit circa regulares notorie delinquentes extra claustra: *Suscepti muneris* vii. calendas Martii; iubet ne recipiantur novitii ad habitum nisi in conventibus designatis: *Regularis disciplinae* die xii. Martii; mandat ne Itali extra Italiam inhabitent loca, ubi liber et publicus cultus sive usus catholicae religionis non existat: *Cum sicut* die xxvi. Iulii; mandat ministro provinciali observantium Catalaniae, ut reformet monasterium clarissarum Dertusin. *Expositum* die xxx. Octobris; confirmat privilegia fratrum discalceatorum: *Singulare studium* die vi. Iunii; ratam habet concordiam inter eosdem fratres circa coenobium s. Didaci Hispalensis: *Nuper ad nos* die v. Iunii; indulget ut iidem fratres extrahere valeant libros e suis bibliothecis: *Exponi nobis* die v. Iunii; ut Francisca de Sambuca vidua ingredi possit in conventum observantium oppidi de Barrerio: *Spirituali consolationi* die xxx. Augusti; concedit Henrico, antea Angelo capucino, Ioyoseo licentiam capiendi fructus bonorum sibi a suis relictos, eosque ad sui libitum aliis largiendi: *Iam pridem* xviii. Septembris; indulget, ut festivis diebus capiantur coralla pro ampliando conventu Alexien. minorum de observantia provinciae Sardiniae: *Romanus pontifex* die ix. Maii; ut Andreas Nursinus conventualis erogare valeat ad bonum conventus patriae suae reditus cuiusdam praedii labore suo acquisiti; *Honestis petentium* die xix. Martii; ut Isabella Bisignani domina quater infra annum ingredi possit in monasterium s. Clarae Neapoli: *Nobilis mulier* die xxiv. Aprilis; eximit a cura minorum de observantia monasteria s. Clarae de Plumbo, aliaque posita in civitate Neapolitana, ac subiicit archiepiscopo eiusdem civitatis: *Ex iustis* die vi. Septembris. Verum de hac re ad annum insequentem. Plura postremo largitur pontifex Petro a Bosnia Argentina in Serviam proficiscenti: *Cum sicut* die xxv. Septembris.

LXXXIII. Concedit pontifex altare privilegiatum a guardiano designandum in ecclesia s. Francisci observantium oppidi de Zapa Limensis dioecesis: *Omnium saluti* die xxv. Ianuarii; item altare privilegiatum a superioribus eiusdem ordinis designandum in Ecclesia s. Francisci de Avvedo Limen. dioecesis. *Omnium saluti* die xxv. Ianuarii; et altare pariter a superioribus deputandum in ecclesia s. Francisci oppidi de la Plata dioecesis de las Carças: *Omnium saluti* die xxv. Ianuarii; altare s. Ioannis Baptistae in ecclesia monialium discalceatarum oppidi de Madrid titulo de Consolatione, precibus Mariae viduae Caroli v. imperatoris: *Piis charissimae* die vi. Februarii; altare maius ecclesiae b. Mariae Carnuca prope locum a Salines nuncupatum minorum de observantia in insula Chii: *Omnium saluti* die vii. Iunii. Quasdam etiam indulgentias largitur pontifex hospitantibus patres discalceatos: *De omnium saluti* die xx. Iunii.

LXXXIV. Accedunt alia pontificis diplomata ex indiculo bullarii Petri de Alva. Pro monasterio clarissarum b. Mariae de Angelis Alexandrin. *Ex iniuncto* vi. idus Maii; pro monasterio conceptionis virginis Mariae Abulen. *Piis fidelium* v. idus Octobris; pro monasterio conceptionis b. Mariae Panormitan.

Digitized by Google

ANNO CHRISTI 1596. CLEMENTIS VIII. AN. 4. ET 5. RODULPHI II. ANNO 20. RELIGIONIS MINORUM ANNO 389.

His quae pridie calend. Maii; pro monasterio clarissarum s. Margaritae Civitatis Castellanae: *Ex iniuncto* pridie calend. Octobris; altare conceptionis in ecclesia Tiburtina: *Vitae et morum* VI. nonas Martii; cappellania conceptionis s. Cyriaci Anconitan. *Dignum* VI. calend. Maii; beneficium in ecclesia conceptionis loci de Paredes Toletan. *Vitae et morum* VII. calend. Septembris; beneficium pro monialibus s. Mariae de Zimate Pisauren. *Exigit* idibus Augusti; cappellania conceptionis in ecclesia tituli Domini Mediolanen. *Dignum* IV. calend. Augusti; cappellania et confraternitas s. Antonii de Padua in conventu Corduben. *Gloriosi principis* calendis Maii; confraternitas conceptionis in loco de Vicomagio Valgrabae Fesulan. *Gloriosi principis* XIII. calend. Augusti; confraternitas in ecclesia s. Francisci de Alicante Oriolen. *Salvatoris nostri* nonis Martii; indulgentia in die conceptionis ecclesiae de Prezza Castren. *Gloriosi principis* XVI. calend. Iunii; indulgentia in ecclesia conceptionis b. M. v. Mexici: *Salvator noster* idibus Februarii.

LXXXV. Prodiit hoc anno s. c. concilii Tridentini decretum auctoritate summi pontificis super regularium ordinatione vulgatum. « De mandato ss. d. « n. Clementis divina providentia papae VIII. tenore praesentium mandatur « omnibus et singulis quorumcumque regularium superioribus, ut de caetero « observari faciant, quae in decreto s. c. concilii Tridentini continentur, cu- « ius tenor est talis: congregatio concilii censuit, superiores regulares posse « suo subdito item regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines su- « scipere voluerit, litteras dimissoriales concedere, ad episcopum tamen dioe- « cesanum, nempe illius monasterii, in cuius familia ab iis ad quos per- « tinet, is regularis positus fuerit, etsi dioecesanus abfuerit, vel non esset « habiturus ordinationes, ad quemcumque alium episcopum, dum tamen ab « eo episcopo qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum « ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in « id tempus, quo episcopus dioecesanus vel abfuturus, vel nullas habiturus « esset ordinationes. Verum cum a superioribus, episcopo dioecesano absente, « vel ordinationes non habente, litterae dimissoriae dabuntur ab eis utique « huiusmodi causam absentiae dioecesani episcopi, vel ordinationum ab eo non « habendarum exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis, « suae administrationis ac vocis activae et passivae privationis, et alias arbi- « trio eiusdem ss. d. n. papae reservatas poenas incurrant. In quorum etc.

« Datum Romae die XV. mensis Martii XDXCVI. »

Chronol. seraphica tom. 3. part. 1. pag. 379.

LXXXVI. Latum etiam fuit hoc eodem anno a sacra visitationis apostolicae congregatione decretum, quo aliqua statuuntur pro hospitibus advenientibus et incolentibus coenobium Aracoelitanum de Urbe: « De mandato sacrae congregationis in virtute sanctae obedientiae praecipitur omnibus et singulis fratribus cuiuscumque gradus, conditionisque sint non habitantibus de familia in monasterio de Aracoeli, ut debeant discedere, et ad proprias intra triduum, exceptis infirmis, et qui licentiam expressam habent a sua sanctitate, vel ab ill. et rev. d. cardinali Mattaeio ordinis protectore, vel a praelatis congregationis apostolicae visitationis; quam tamen in praefato tempore exhibere et praesentare teneantur. Et contra inobedientes et contumaces procedatur ad poenas in decreto sanctitatis suae contentas, carceris scilicet, et privationis vocis activae et passivae. »

Ibidem tom. 3. p. 2. pag. 194.

2. « Vult et mandat denuo sua sanctitas, quod omnes fratres forenses, qui de licentia, ut supra, moram trahunt in dicto conventu, teneantur et debeant

interesse choro divinis officiis diurnis et nocturnis, missas celebrare, et alias functiones facere, prout fratres locales et de familia tenentur sub poenis in dicto decreto contentis. »

3. « Vult etiam et praecipit sanctissimus in Christo pater, quod deinde nullus a monasterio egredi valeat, nisi ex causa, et cum socio, impetrata singulis vicibus licentia ac benedictione a superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eumdem saepius; licentia vero generalis exeundi nulli concedatur: qui secus fecerit superior, voce activa privetur, subditus vero pupiatur ut apostata. »

« Datum in conventu s. Mariae de Aracoeli die xv. Novembris anni MDXCVI. »

LXXXVII. In ecclesia fratrum capucinorum Caesenae in provincia Bononiensi extat incisum monumentum quod ponimus, pientissimae feminae Medeae Ferretti sic inscriptum

MEDEAE FERRETTAE MALATESTAE IACOBI MARCHIONIS I. CONIVGI RELIGIOSISSIMAE ANIMI CANDORE PROBITATE RELIGIONE ET PIETATE, INSIGNI PAVPERVM FAMILIARVMQVE PIISSIMAE TVTRICI IN REGENDIS SVBDITIS AC DOMO GVBERNANDA PRVDENTIAE INCOMPARABILIS. QVAE CVM AB VIRTVTIS CHRISTIANAE EXEMPLVM INNOCENTER VIXISSET GRAVISSIMO MORBO IAM DIV EXCRVCIATA CONSTANTER ET SANCTE REQVIEVIT IN DOMINO OCTAVO IDVS AVGVSTI ANNO MDXCVI, ET CVM SVVM CORPVS IN CAPVCINORVM AEDE EXTRA CAESENAM CONDI IVSSISSET GRATVM HOC MONVMENTVM HIC ANTONIVS MARIA SANCTIVS SVI IN ILLAM DEVOTI ANIMI PATRONAE S. P. M. P. C.

LXXXVIII. Postremo loco adnotatum volumus indultum fuisse fratri Evangelistae de Gabiano Terrae Sanctae custodi a Michaele Angelotto Thessaliae principe ut ob notariorum defectum testamenta conficeret peregrinorum aliorumque in Palestinae regionibus decedentium, sigillo apposito cum litteris G. T. S. idest *Guardianus Terrae Sanctae*. Sequens quod damus monumentum asservari in archivo coenobii Hierosolymitani tradit Ioannes Colorra in sua historia chronologica provinciae Syriae et Terrae Sanctae anno MDCXCIV. edita pag. 541.

NOI MICHELE ANGELOTTO PRINCIPE DI TESSAGLIA ETC.

« Nel miglior modo, forma e via che più efficacemente potiamo, abbiamo « creato, deputato e in virtù della presente creiamo e deputiamo in publici « notarii e giudici ordinarii il r. p. guardiano e quello che sarà pro tempore « del monastero di Gerusalemme, assente o presente, avendo fatto prima giu- « ramento di fedeltà in mano di un sacerdote; del quale giuramento deve « costare sotto questo privilegio secondo la forma, espressione e tenore con- « tenuti in esso concedendogli facoltà per le presenti di esercitare il suddetto « ufficio e giudicatura, con autorità apostolica, imperiale etc. »

L. ✠ S. « Michele Angelotto principe di Tessaglia ».

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodolphi II.	Religionis Minorum
1597.	an. 5. et 6.	anno 21.	anno 390.

ARGUMENTUM.

Ordiur pacis foedus inter Gallos et Hispanos ope Bonaventurae Secusii generalis ordinis administri. Excitantur pro fratribus et sororibus domicilia. Decedunt virgines et viri Dei. Acta martyrum Iapanensium notantur. Elevantur corpora aliquorum beatorum fratrum. Eliguntur episcopi et aliqui occumbunt. Ordo favoribus a pontifice augetur.

DIximus Franciscum Gonzagam Mantuanum episcopum ac Bonaventuram Secusium a Calatahierone generalem ordinis administrum anno mox elapso a pontifice delectos fuisse, ut una simul cum cardinali Medicaeo legato suo optatum quidem at laboriosum inter Henricum IV. Navarreum ac Philippum II. Hispaniarum reges pacis vinculum procurarent. Hinc Bonaventura de rebus agendis tum a pontifice tum a cardinali legato edoctus, tanta apud Gallos Hispanosque gratia valuit, ut ob sui dexteritatem publicae tractandae concordiae viam hactenus frustra tentatae aperire potuerit. In movendis utriusque partis animis parandisque illius foederis legibus indefessus, duorum mensium spatio septiendecim vicibus Bruxellis Parisios, Parisiis Bruxellas continuo inter fidei hostes periculo commigravit. Eo igitur auctore, inter Villaregium Henrici regis a secretis, et praesidem Ricardotum ab Alberto Austriaco cardinali, nomine Philippi II, Belgii praefecto designatum, tandem consultum fuit, primo anni tempore delegatos ab utraque parte Vervinecum Galliae oppidum in Veromanduis mitti, de foederis conditionibus de quibus anno insequenti, serio acturos. *Ann. min. ad an. 1596. n. 15.* *Spondanus ad an. 1597. num. 7.*

II. Quae dum ipse invicto prorsus animo praestabat, ad ordinis sui incrementum ac decorem promovendum solicitus, in Germania Inferiori et in Flandria ac in Galliarum provinciis novam recollectorum fratrum sobolem fovebat tuebaturque. Qua in re peragenda, commissarium suum constituit Andream a Soto, virum spectatissimae vitae qui tum Germaniam Inferiorem tum Flandriam perlustrans quasdam fratrum de observantia domus eisdem recollectis concessit. In priori provincia eis attribuit Mechliniense coenobium, illius familiae praeside delecto doctissimo viro Henrico Sedulio. Ab eo tamen anno MDCIV. abierunt, ut alterum incolerent positum in civitate Boetendalensi. Cura laudati commissarii fuit etiam recollectorum coenobia statuere in provincia Flandriae; iis enim attribuit primo conventum ss. Francisci et Ludovici Sambrensis, inde conceptionis b. Mariae Nivellae, postremoque s. Antonii Patavini Biezensis. Rem autem maxime promovit vir magni nominis Henricus Willot item franciscanus. In provincia Franciae, ministri generalis imperio, eisdem recollectis obvenerunt coenobia s. Lamberti Verduni in Lotharingia, et ss. Petri et Pauli Metia. *Mon. prov.* *Mon. prov.* *De Gubernatis tom. 1. pag. 309. n. 243.*

III. Fratres reformati in Italia obtinuerunt ab observantibus in provincia Siciliae coenobium s. Mariae de Iesu extra moenia civitatis Nari. In sacello conceptionis veneratur particula ss. crucis, in cuius theca haec obviant incisa: *Hic pretiosum Christi lignum verae crucis reconditum inesnies. Roma ab illustr. domina Felice Columna Ursino vice-regina huc translatum anno* MDLXXVII. Eisdem etiam obvenit coenobium s. Mariae de Iesu Bivonae. Novum autem incoluerunt iidem fratres hoc anno sub invocatione s. Mariae de Angelis ad D. P. ab oppido Calatanixetae dioecesis Agrigentinae, rem pro- *Pirrus in notit. eccl. Agrigent. tom. 1. pag. 742.* *Conv. Calatanixetae.* *Pirrus cit. loco p. 758.*

Digitized by Google

movente Angelo a Neto, viro eximiae pietatis. Degunt eo loci xv. fratres. In provincia Calabriae concessus eis item fuit conventus s. Mariae Gratiarum Misuracae dioecesis Sanctae Severinae. In provincia Bononiensi iuxta Flaminium a Parma eis cessit conventus ss. Annuntiationis Caesenae, item conventus s. Mariae Gratiarum Imolae, ac s. crucis Veruchii; in provincia Marchiae conventus s. Bernardini Urbini, et s. Mariae de Gratiis Senogalliae. In provincia Tusciae iidem incoluere conventum s. Ioannis Baptistae Sergiani, s. Francisci Montis Caroli, s. Bernardini Senae Longae, s. Francisci prope Citonium, et s. Iacobi Savonae cum valetudinario eidem adnexo. In provincia s. Antonii Venetiarum extitit tandem et pro eis conventus s. Mariae extra moenia oppidi Arenae dioecesis Papiensis, antea ad solemnia ibidem peragenda ab aliquot observantibus inhabitatus: *Ex iniuncto* die xii. Decembris.

Flaminius a Parma tom. 3. pag. 73. 124. et 281.

Monum. prov.

Conv. Arenae.

IV. Hoc anno intrarunt fratres discalceati provinciae s. Gabrielis in coenobium s. Bernardini, initum an. MDXCIII. prope oppidum de Bornos in dioecesi Hispalensi, expensis nobilissimae familiae Enriquez de Ribera, Tarifae marchionis. Pro eis etiam indulsit pontifex: *Exponi nobis* die XVII. Octobris constructionem conventus in urbe Civitatensi eiusdem provinciae. Similia concessit pontifex: *Quaecumque* die XXV. Octobris marchioni del Valle pro aedificando in sua ditione coenobio pro eisdem discalceatis, bonorum suorum simptibus. Iacta item pro eisdem fuerunt hoc anno fundamenta conventus s. Catharinae v. et m. in provincia s. Iosephi in villa de Almagro, sive Alobricae dioecesis Toletanae, ad perfectionis apicem anno MDCXII. adductus facultatibus pientissimae familiae de Sanabria. Eo tamen hoc anno advenerunt fratres, ut fabricae praesiderent. Sancte ibidem occubuere anno MDCV. Franciscus a Stella, an. MDCXIV. Michael a Sanctis, an. MDCXXII. Lucas a Cruce, an. MDCXXXIII. Didacus a Carrion aliique plures. Iidem fratres ob aeris inclementiam abierunt e coenobio s. Annae de Villena an. MDLXIV. fundato, translati ad alterum s. Francisci titulo prope eamdem civitatem, incolarum eleemosynis instructum, provinciae s. Ioannis Baptistae praeside Antonio Alvero. Antonius a Conceptione provinciae s. Pauli minister immisit hoc tempore eosdem discalceatos in coenobium s. Floriani Legionensis, ubi antea peregrini ac infirmi hospitabantur. Locum eis cesserunt canonici regulares s. Augustini, iuspatronatus sibi reservantes.

Conv. de Bornos. Franciscus a Iesu in Chron. prov. s. Didaci pag. 54.

Conv. Civitatensis.

Conv. del Valle.

Conv. de Almagro. Ioan. a s. Maria tom. 2. pag. 340.

Conv. de Villena. Fasti tom. 1. pag. 39.

Conv. Legionensis. Ioan. a s. Maria Ibid. pag. 264.

Conv. Calataphimi. Bordonius p. 425.

V. Confratres sodalitatis s. Michaelis Calataphimi in Sicilia cesserunt, quibusdam pactis probatis a Luciano episcopo Mazariensi, fratribus de tertio ordine ecclesiam s. Michaelis domumque adnexam pro instruendo ibidem coenobio. De eo sic scribit Bordonius: *franciscani tertii ordinis in d. Michaelis archangeli anno* MDXCVII. *die* XX. *Aprilis, fundatore fr. Massaeo de Calataphimo. Huius coenobii prior de more in die solemni sanctissimi sacramenti praebet pyxidem archipresbytero civitatis..... eique os s. Rosaliae Panormitanae.* Fratres minores conventuales redierunt hoc aevo in coenobium s. Stephani Estensis Patavinae dioecesis, a quo anno MDLXXXIX. evadere coacti fuerant, ut capucinis locum darent, mandato Alqisii Cornari cardinalis et episcopi Patavini.

Conv. Estensis. Monum. prov.

VI. Recipiunt fratres capucini hoc anno conventum Centi dioecesis Ferrariensis in provincia Bononiae. Ecclesiam solemni ritu consecravit die XXVI. Septembris an. MDIC. Franciscus Beni ex instituto servorum b. Mariae virginis, episcopus Scalarum in regno Neapolitano; in provincia Neapolitana conventum in pago Alveti dioecesis Soranae; in provincia Cosentiae conventum in oppido

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1597.	an. 5. et 6.	anno 21.	anno 390.

Altusmontis dioecesis Cassanensis; in provincia Britanniae conventum Nannatae; in provingia Lotharingiae conventum in civitate Barrum Ducis Tullensis dioecesis. Haec ex Michaele a Tugio. Silvius Santa-crux Arelatensis episcopus hoc eodem anno posuit primum lapidem pro instruendo eorumdem coenobio in urbe Solani. *Bullar. Capucin. Gallia christiana tom. 1. pag. 591.*

VII. Incolnere hoc anno fratres de observantia in provincia Siciliae conventum s. Viti prope oppidum Brontis dioecesis Montisregalis, et s. Mariae de Iesu Siclis; in provincia Basilicatae conventum s. Mariae Magdalenae penes oppidum Carleti Tricaricensis dioecesis; item coenobium s. Antonii de Padua, fundatum in urbe Neritonensi provinciae s. Nicolai impensis Senatus. Idem anno MDIC. cesserunt fratribus reformatis eiusdem provinciae. Refectis aedibus, anno elapso una cum civitate incensis a copiis Britannicis, iidem fratres recuperarunt coenobium s. Francisci de Faro dioecesis ac provinciae Algarbiorum. Redierunt etiam monsales clarissae in monasterium Assumptionis eiusdem civitatis, quae fugam arripuerant ob incensam aedem peroctam ab iisdem militibus. Dimiserunt iidem observantes conventum s. Mariae angelorum, positum in insula Ebutia provinciae Maioricarum, ad eum perlustrandum provinciae administris non satis accommodum. Datis a pontifice litteris: *Cum dilectus* die XV. Aprilis ministro provinciae Poloniae indulget Nicolao Christophoro Radzivil Olicae duci, ut in oppido Nieswitii coenobium pro fratribus excitet ex bonis sibi relictis a sua coniuge iam defuncta. Iubet idem pontifex, ut non amoveatur ab officio rectoris collegii trium regum Goae Indiae orientalis Emmanuel Pinto Lusitanus: *Cum sicut* die XXIII. Ianuarii.

Conv. Brontis. Conv. Siclis. *Monum. prov.* Conv. Carleti. *Monum. prov.* Conv. Neritonensis. *Monum. prov.* Conv. de Faro. *Ann. min. ad an. 1596. num. 29.* Monaster. de Faro. Conv. Nieswitii.

VIII. Perfectionem accepit hoc tempore monasterium sororum tertii ordinis Posnaniae, excitatum prope coenobium s. Martini fratrum de observantia eiusdem civitatis ex bonis relictis Annae Smoszenska viduae domini Rozdrazevir, curante Fabiano a Krobia conventus guardiano. Ibidem solemnia vota emiserunt prae ceteris eadem Anna abbatissa, Catharina, Lucia, Magdalena, Euphemia, et Susanna nobilissimae virgines. In ecclesia ab antiquo impense honoratur statua sculpta ss. Salvatoris, miraculorum gloria illustris. Extructum etiam fuit in civitate Zamorae in provincia s. Iacobi monasterium clarissarum, diversum ab altero titulo s. Francisci Sabulosi, de quo Gonzaga. Abbatissae munus ibidem accepit Anna de Cruz et de Borgia ex ducibus Gandiae, monialis professa in monasterio Valentiae eiusdem instituti, eo translata summi pontificis voluntate: *Exponi nobis* die XXI. Septembris. Moniales tertii ordinis s. Annae Lucernae, quae antea in monasterio extra urbem degebant, et a nuntio apostolico intra moenia adductae fuerunt hoc anno, mandante pontifice: *Cum sicut* die XXIII. Augusti, strictiorem vivendi normam acceperunt, ibidem eo fine e monasterio Psanneregensi missa Aurelia Hager. Novam huius monasterii ecclesiam idem nuntius apostolicus sacris ritibus anno MDIC. consecravit.

Monast. Posnaniae. *Monum. prov.* *Ann. min. ad an. 1594. num. 30.* Monast. Zamorense. *Gonzaga in prov. s. Iacobi monast. 2.* Monast Lucernae. *Gridérer tom. 2. n. 139. pag. 636.*

IX. Moniales, quae ab anno MDXXVI. degebant extra moenia urbis Ripaetransonum, hoc anno translatae fuere ad Xenodochium s. Mariae Magdalenae erectum in medullitio civitatis. Incolitur a XL. sororibus clarissis, quae parent ministro provinciae Marchiae. Monast. Ripaetransonem. *Monum. prov.*

X. Aliquot virgines hoc anno pie quieverunt. In monasterio s. Clarae Portus in provincia Lusitaniae obiit Christodolinda de Angelis, vix illis davidicis verbis expletis: *non mortui laudabunt te, Domine* etc. usque ad illa: *ex hoc et nunc in saeculum*. Tam in saeculo quam in instituto vitam duxit prorsus angelicam, quam, licet illustribus parentibus orta, sepsit sui corporis Christodolinda de Angelis. *De Esperanza tom. 1. pag. 189. Psalm. 113.*

maceratione, oratione rerumque coelestium meditatione. In eadem provincia in monasterio s. Clarae Scalbais piis operibus cumulata obiit Leonora de Aegypto, singulari humanitate ditata erga pauperes. In monasterio s. Clarae Palentiae in provincia conceptionis decessit Maria de Reynoso, relicta suae pietatis et virtutis magna opinione.

Leonora de Aegypto. *Id. tom. 2. p. 72.* Maria de Reynoso. *Ann. min. ad an. 1373. num. 34.*

XI. Capucinorum institutum illustravit hoc anno plurium beata mors. In primis Franciscus Arelatensis ex provincia s. Ludovici, qui spretis quibus affluebat, opibus ac amplissimis sibi a parentibus oblatis nuptiis, instituto eorumdem se addixit, in quo totius vitae suae tempore verbum Dei disseminavit, ingentem deviorum fructum referens. Sexto ante sui obitus mense divina revelatione accepit mortis suae diem, in quo puerum Iesum cum matre Virgine, sibi praesentem conspexit. Similia obtinuit in morte Matthaeus Salinensis ex Lugdunensi provincia, ante exactum suae probationis annum; puritate vitaeque innocentia exornabatur. In Senensi conventu provinciae Hetruriae obiit Ioannes Lusitanus sacerdos, antea inter observantes adscriptus, multarum virtutum cultor eximius. Eas tamen mire auxit inter capucinos, ieiuniis maxime; per integros enim plerosque annos solo pane et aqua nutriebatur. Post sui mortem, tactu ipsius habitus duo a quartana febre, alter a capitis dolore immunes evaserunt. In conventu Ferrariae provinciae Bononiae abiit ad Dominum Clemens Placentinus clericus. Impense recolens Iesu Christi contumelias ei ab iudaeis illatas, tanta in eis cupiditate ferebatur, ut saepe ab aliis decipi vel ludibrio haberi occasionem captaret.

Franciscus Arelatensis. *De Aremberg tom. 2. pag. 11.*

Matthaeus Salinen. *Id. ibid. pag. 44.*

Ioannes Lusitanus. *Id. ibid. pag. 464.*

Clemens Placentinus. *Id. ibid. pag. 523.*

XII. Maceratae in Piceno mortem cum vita commutavit Andreas a Sestino sacerdos. Prae sui religiosa perfectione novitiorum magister designatus, eos verbo quidem sed magis exemplo pascebat. Non semel orationis praesidio ciboria pro suis ac pauperibus multiplicata fuerunt. In provincia s. Angeli obiit Antonius a Vico laicus. Tantae erat sanctitatis, ut orans, lucis radios effundere e vultu visus fuerit. Histonii in laudata provincia quievit Antonius a Toro item laicus. Addictus hortorum culturae, dum corpus ligone fatigat, carnis concupiscentiam refraenat, animum humilitate fovet, obedientia cohibet fraternaque charitate exornat. Tam familiare erat illi orationis studium, ut plures noctis horas in ea consumeret. Caritate Histoniensem agrum occupante, famelicis erogabat quae ei ex eleemosynis christifideles largiebantur; attamen arca panaria sui coenobii panibus semper erat referta. Messanae supremum diem obiit Stephanus de Randazzo sacerdos, iam novitiorum magister et saepe guardianus; praestans erat in ieiunii cultura in carnis maceratione ac in asperrimis flagellationibus.

Andreas a Sestino. *Id. ibid. pag. 249.*

Antonius a Vico. *Idem ibid. p. 695.*

Antonius a Toro. *Idem ibid. p. 695.*

Stephanus de Randazzo. *Id. ibid. pag. 250.*

XIII. In coenobio aracoelitano de Urbe die XXVI. Iulii, iuxta Bollandistas de quo solum nomen habent, coelestia petivit Franciscus a Terra Nova, Calaber vulgo dictus. In saeculo cum esset utriusque iuris doctor non vulgaris, timens ne propter mundanam vanitatem amitteret aeterna, despectis eius fallaciis, fratrum minorum de observantia institutum ingressus est. Ut Deo intimius adhaereret ad reformatos provinciae Romanae convolavit. Ob sanctitatis suae opinionem custos renunciatus, optimis exemplis et adhortationibus subditos sibi commissos gubernavit. Apud curiae romanae praelatos et cardinales, maxime cum esset praeses poenitentiariae Lateranensis, magni habitus, in omnibus conclavibus quae a Gregorio XIII. usque ad Clementem VIII. fuerunt, e confessionibus purpuratorum patrum extitit. Virtutibus miraculorumque gloria florens, hoc anno obiit etiam inter fratres conventuales Benedictus a Randazzo

Franciscus a Terra Nova. *Acta ss. ad diem 26. Iulii. Leonardus a Neapoli tom. 2. pag. 1125.*

Benedictus a Randazzo *Benoffi pag. 284.*

Digitized by Google

Siculus, professione laicus. Panormi in conventu s. Mariae de Iesu sanctis operibus cumulatus pie occubuit in senectute bona, annos numerans CXII. Franciscus Garganus a Paula tertiarius reformatus, olim socius s. Benedicti a Philadelphio. Vitam semper duxit asperrimam eremitarum more. Ad seraphici Patris exemplum totius ferme anni tempore iciuniis vacabat, vescebaturque, modice tamen, solis quadragesimae cibariis. Vivus et mortuus inclaruit miraculis. Francisc. Garganus. *Tognoletto p. 584.*

XIV. Aquis in Germania vitae praemium accepit die V. Ianuarii Gerardus Sehwoll sacerdos, qui ob insigne praedicationis munus et ob catholicae fidei defensionem contra lutheranam haeresim e suggestu peractam, exilii molestias ac adversitates generose sustinuit. Aetatis suae anno LXXXII. mortalitatis debitum exsolvit die II. Februarii in coenobio Antuerpiensi provinciae Germaniae Inferioris Ioannes Troius, de quo aiunt, consuevisse capere somnum super magnam crucem ligneam, spineamque coronam ob memoriam passionis Iesu Christi super eius caput gestare. Abstinentia admirabilis usque ad senectam, pane et aqua famem sitimque extinguebat. Praedicandi gratia hac illac ex superiorum mandato excurrens, accidit aliquando ut labente die foveam profundam aquis refertam cum sine vitae discrimine traiicere non posset, ad Deum confugiens, ut in necessitate constitutum, ne superioris voluntas frustraretur, iuvaret, illico advenit cum equis auriga eidem iubens, ut currum conscenderet. Eo conscenso, et foveam transvexit et a mortis periculo evasit, auriga extemplo interim evanescente. Eiusdem exuvias excepit altare nominis Iesu ecclesiae minorum de observantia Antuerpiae. Gerardus Sehwoll. *Hueber ad diem 5. Februarii.* Ioannes Troius. *Molanus in auctario ss. Belgii ad diem 2. Februarii.*

XV. In capitali limine coenobii Hilereami minorum de observantia in provincia Hiberniae iacet Thaddaeus Sulivanus, defunctus hoc anno die XVII. Septembris, de quo ita Waddingus: *magnam Hiberniae partem praedicando peragravit, multis ubique ad meliorem frugem conversis. Dermitius Grugus episcopus Corcagiensis consiliarium adhibuit et in rebus arduis auxiliarem. Insidiantibus haereticis semel intrepide occurrit dixitque*: novi vos, propositis praemiis, istuc missos, ut me capiatis; expendite quid agatis: si Dei voluntas haec est, ut ego tradar vobis, ecce iam paratum. *Illi ad haec attoniti et divina revelatione cuncta sibi patefacta suspicantes, non sunt ausi manus iniicere, sed liberum abire permiserunt. Alias equites fugiens insequentes et ad quamdam crucem perveniens dixit*: per signum crucis de inimicis meis libera me Deus, nec patiaris, ut sacram hanc metam transiliant. *Exauditus est; nam licet adhuc in conspectu esset, ultra crucem proficisci non potuerunt. Mortuum in quodam vico ubi agricolis praedicabat, pii quidam viri iumento imposuerunt ad hoc coenobium deportandum. Terra erat invia, et noctis confundebat caligo, nec qua eundum esset, quisquam sciebat. Inito consilio decreverunt iumentum sibi permitti, et insequi praecedens. Ita factum, nulloque minante recte per ignotas semitas stupidum animal ad coenobium duxit moribundum. Ea ipsa nocte propter metum haereticorum dum traderetur sepulturae, visum est insolitum lumen super templum, quod dum propius accedunt visuri quidam catholici, perceperunt coelesti coruscatione viri sancti cohonestari sepulcrum.* Thaddaeus Sulivanus. *Ann. min. ad an. 1465. num. 20.*

XVI. Antonius Leitao sacerdos vitam commutavit cum morte in conventu s. Francisci Portugallensi, antea minorita conventualis. Provinciae Portugalliae definitoris et guardiani munus inculpate explevit. Solitudinis amore captus, inter suos vitam ducebat cum Christo absconditam, nullis interim parcens Antonius Leitao. *De Esperanza tom. 1. pag. 413.*

Digitized by Google

corporis macerationibus. Feria quinta in coena Domini sacramento eucharistiae refectus, petiit a guardiano, ut extrema unctione muniretur. Reluctabatur guardianus ob sui perfectam valetudinem; at monitus ab ipso, quia cito moreretur, suae voluntati cedens, statim expiravit. In coenobio s. Ioannis Baptistae Valentiae die xvi. Augusti vitae suae praemium consequutus est Franciscus Ximenez, illustri genere ortus Xeresii de la Frontera in Hispania. Indolem ad pietatem nactus, tenerrimo a parentibus eoque maxime quia unicus erat illis, amore prosequebatur. At divina gratia illustratus, clam e domo aufugiens, Valentiam advenit, et franciscalium de observantia habitu impetrato, in conventu s. Mariae de Iesu illius urbis tyrocinium inchoavit. Studiorum curriculo Compluti emenso, coepit virtute ac doctrina penes omnes florere. Inter discalceatos fratres inde adscriptus, praeses custodiae s. Ioannis Baptistae primum, inde minister nuper erectae provinciae renunciatus, suorum animos charitate ac prudentia moderabatur. Mirae erat humanitatis erga egenos et infirmos. Ingenti praemissa prece ad sacrum peragendum accedebat, tantaque animi devotione illud peragebat, ut saepe inter missarum solemnia totus in lacrymas efflueret. Egregius extitit divini verbi praeco; et licet pluribus distentus curis, attamen munus illud nunquam omisit. Innumeros peccatores ad poenitentiam revocavit multosque alios ad portum salutis adduxit, regularium instituta profitentes. Scrutationis cordium ac prophetiae dono illustratus fuit. Pluribus tandem afflictationibus et infirmitatibus a Deo probatus, illas tamen summa animi constantia pertulit ad mortem usque sui pretiosam. Post sui obitum apparuit b. Andreae Hibernon sodali suo, cui gloriam qua fruebatur, revelavit. Scripsit *tomos xx. in concionatorum usum*, et librum *de consolatione in hora mortis*, quae mss. adservantur in conventu de Torrente provinciae s. Ioannis Baptistae. Dubitant eruditi an eius sit *concio de s. p. Francisco* an. mdcxiv. impressa.

Franciscus Ximenez. *Fasti in prov. s. Io. Bapt. p. 237.*

Sbaralea tit. F.

XVII. Meritorum dives obiit die x. Iulii Petrus Oroz, Pampelone in Hispania natus, qui adhuc puer Mexicum advenens, franciscanorum habitum florenti in aetate suscepit in provincia s. Evangelii. Virtutibus ac doctrina eximius, pluries coenobiorum guardiani, definitoris, ac provinciae ministri munia obivit. Maiorum suorum voluntate commissarii generalis officium explevit in provincia ss. Petri et Pauli de Mechiocan, quam nudis pedibus perlustrabat. Tanto animarum salvandarum zelo aestuabat, ut saepe haec verba eructaret: *convertantur ad te, Domine, omnes gentes et diligant te.* Hinc multos labores tulit in Indorum conversione; et idiomate mexicano et otomico instructus, mexicana lingua elucubravit *sermones copiosos pro singulis anni festivitatibus, dominicis, ac feriis quibus solet praedicari.* Charitate Dei vulneratus, sacrum quotidie peragebat lacrymarum imbre perfusus. Postremis suae vitae annis curam egit collegii s. crucis de Tlateluleo laudatae provinciae, tyrones sibi concreditos verbo et virtutum exemplo fovens. Omnium moerore in hoc collegio decessit; eius tamen exuviae magno populi afluxu delatae fuerunt in proximam s. Francisci ecclesiam, et intra gradus aeae maioris repositae. Praeter laudatos sermones correxit et auxit *grammaticam linqua ottomica a suo consodali Petro de Palacio compositam*; et hispanice scripsit *historiam provinciae s. Evangelii Americanae.* Waddingus et Sbasalea eum appellant Petrum Orosium.

Petrus Oroz. *Torquemada tom. 3. pag. 375*

Wadding. tit. P.

XVIII. Mensis Iulii die xx. mortalitatis debitum solvit in coenobio s. Francisci Mexici Franciscus Ruiz laicus, ortus in pago Aiamontis prope Soglar in

Franciscus Ruiz. *Torquemada ibid pag. 587.*

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1597.	an. 5. et 6.	anno 21.	anno 390.

Nova Hispania. Voto ab adolescentia emisso, minorum instituto nomen dedit in provincia s. Evangelii, in quo sensuum mortificationi, orationi caeterisque virtutibus quotidie incubuit. Obedientiae merito in secandis lapidibus pro aedificandis fratrum domibus doctrinalibus ac sacellis viginti annorum spatio insumpsit, ea tamen animi hilaritate ac patientia, ut eius sanctitatis fama ubique per dies vulgaretur. Festivis diebus neophitos utriusque sexus summa animi humanitate in christiana fide bonisque moribus erudiebat. In conventu s. Francisci de Merida provinciae de Iucatan coelestia petivit Antonius de Figueras hispanus, ea in provincia diversatus spatio annorum XLVI. cuius laboribus, prodigiis vitaeque suae exemplo quamplures infideles sacro baptismatis lavacro tinxit. Vitam adeo mortificatam arripuit, ut laudari non vero imitari posset. Ibidem et hoc anno decessit Alphonsus de Sousa sacerdos, ob nimiam defaticationem pro Indis ad Christi fidem adducendis visu orbatus, et molesta infirmitate diu gravatus. Postremo obiit in eadem provincia Antonius de Valdemoro laicus, rerum coelestium meditatione ac paupertate eximius. Idiomate mexicano valde instructus, diu occupatus fuit in catechizandis infidelibus Indis.

Antonius de Figueras. *Lopez in chron. prov. pag. 424. et seq.*

Alphonsus de Sousa. *Idem ibidem.*

Antonius de Valdemoro. *Idem ibidem.*

XIX. Maniliae in coenobio s. Mariae de Angelis in provincia s. Gregorii tumulum nactus est Ioannes Clemens laicus, qui ex Burgensi Hispaniae provinciae ad Insulas Philippinas ob anno MDLXXVII. advenerat cum caeteris aliis sodalibus pro Christi fide disseminanda. Summa praeditus erga egenos ac infirmos charitate, Maniliam vix appulsus, nosocomium s. Lazari pro eis excitavit, ubi biscentum et amplius ex ipsis piorum eleemosynis nutriebat. Cum autem incolarum idioma ob ingenii sui duritiem nunquam addiscere valuisset, depictis in papyro aliorum manu inferni ac paradisi imaginibus usus, multos ad fidei veritatem adducebat aliosque christifideles ad augendam pietatem provocabat. In oratione assiduus, saepe elevabatur. Multis macerationibus membra edomabat; flagellis nimirum, cilicio asperrimo assiduisque ieiuniis. Decessit in eodem valetudinario a se fundato, nomina Iesu et Mariae devotissime ingeminans. Praeter de eo habitam funebrem orationem, eius parentalia cohonestata fuerunt in ecclesia laudati coenobii a pro-rege, archiepiscopo, optimatibus aliisque de clero saeculari ac regulari.

Ioannes Clemens. *Martinez lib. 1. pag. 67.*

XX. In coenobio s. Luciae de Monte Neapolis pie obiit Ioannes Baptista a Pisauro, de quo plura diximus in annalibus nostris. Pisauri in ducatu Urbinatensi provinciae Marchiae natus, aetatis anno XVI. minoritis conventualibus adhaesit confecitque studiorum curriculum cum Felice Peretti, inde romano pontifice, Sixti V. assumpto nomine. Sacerdotio vix initiato, in Hispaniam se contulit eo consilio, ut fratribus discalceatis nomen daret in provincia s. Iosephi. Praedicationis officium ibidem primo obivit per plures annos, animarum fructum referens cumulatissimos tum vitae exemplo tum prodigiis. Plura enim patravit super infirmos vel crucis signo vel sanctae crucis adhibito ligno. Inter caeteros apostolos, qui anno MDLXXV. Insulas Philippinas evangelii evulgandi gratia petierunt, adnumeratus, primus in Sinarum imperium an. MDLXXIX. cum Petro de Alpharo omnium praeside penetravit, ubi multa passus, Amacaum adveniens, ibidem pro suis coenobium erexit, infidelibus multis ad fidei veritatem adductis. Malevolorum calumniis impetitus, fugam ab ea civitate arripuit; at eius innocentia cognita, iterum eo reversus, collegium pro eisdem fratribus ibidem posuit.

Ioannes Baptista a Pisauro. *Idem ibidem p. 60.*

Ann. min. ad an. 1575. n. 11. ad an. 1578. n. 16. ad an. 1579. n. 41. ad an. 1581. n. 5. ad an. 1582 n. 22.

XXI. Pro conficiendis quibusdam sui instituti negotiis Matritum, Romamque anno MDLXXXVI. advenit, ubi a Sixto V. pontifice antiquo socio suo be-

Ibid. ad an. 1586. num 69.

Digitized by Google

nevole exceptus, multis ditatus fuit privilegiis, ut apud infideles facilius Christi fidem disseminaret, penesque eos altas in dies radices ageret ac illibata consisteret. Interim illum demittens, amplissimo vulgato diplomate cunctis eum in itinere commendavit. Verum mutato consilio, cum eo tempore in Italia floreret, quorumdam fratrum conventualium opera, eiusdem ordinis reformatio, eorum vivendi ratione illectus, inter eos cooptari voluit. Hac illac concionatoris munus obiens, discurrens, cum aliqui ex Hispania discalceati advenissent in Italiam, ei oblata tum Genuae tum Romae, nulla pontificis facultate munitus, coenobia recepit familiasque composuit. At pontifex nuper inductam discalceatorum societatem supprimens, Ioannes Baptista ad reformatos conventuales reversus, reliquum vitae suae tempus inter eos permansit, asperrimae vitae genus, quo antea, prosequutus.

Ibid. ad an. 1587. num. 179.

XXII. In provincia de Camarines earumdem Insularum appositus est ad patres suos Ioannes Oliver, Valentiae in Hispania natus. In catechizandis infidelibus diu occupatus, multos ex illis Iesu Christo peperit, variaque per regiones templa ac domus doctrinales erexit. Vice-commissarii munere functus, singulos moderabatur mira charitate, eximia mansuetudine virtutisque exemplo, ut omnibus omnia factus, ad prosequendam religiosae perfectionis semitam caeteri excitarentur. Angelicis ditatus moribus, perditam mulierem eius pudicitiam insidiantem devicit, coram ipsa se caedens sanguineis flagellis. De nocte surgens, orationi scribendisque libris vacabat, quorum specimen, ab illo Hyacinthi Sbaralea aliquanto diversum, exhibet Dominicus Martinez. Scripsit enim tegalo idiomate *artem* et *dictionarium* pro eisdem indigenis, emendavitque aliud confectum a Ioanne de Placencia sodali suo. Eius sunt tractatus decem, nimirum *de divinis beneficiis — de mysteriis vitae humanae — de beatitudinibus — de quatuor novissimis — de septem peccatis mortalibus — de eleemosyna — de poenitentia — de ss. sacramento altaris, ac de praeparatione ad illud suscipiendum — de fide — de charitate — de consideratione ac meditatione — de rosario, et de Dominae nostrae mysteriis.* Quatuor etiam catechismos composuit, nimirum *de declaratione christianae doctrinae — de catechizandis infidelibus — de bonis moribus christifidelis — de modo confitendi.* Scripsit etiam opus *morale*, in quo aperiuntur difficultates quae in administrando hoc sacramento occurrere possunt. Ex Sbaralea novimus alia quoque opera confecisse nempe *catalogum indulgentiarum*; et *sermocinationes varias* Manilae impressas. In morte meruit Iesu Christi, Deiparae et s. p. Francisci visione recreari.

Ioannes Oliver. *Martinez ibid. p. 62.*

XXIII. Apud Hibernos laqueo extinctus et in partes dissectus martyrium subiit die xv. Septembris Ioannes Stephens Lageneusis sacerdos, ab haereticis accusatus quod sacrum perageret. Die xii. Octobris func quo erat praecinctus, suspensus fuit ab haereticis in odium fidei Thaddaeus o Boyl Ultoniensis, conventus Dungallensis guardianus, pietati et orationi maxime addictus. Crudele etiam martyrium sustinuit Walterus Fernanus Lagenensis, item sacerdos. Is enim ab haereticis captus et Dublinum adductus, carceribus includitur, ubi catena ferrea circumdatus, manicis ac compedibus ad palum ligatus, virgisque caesus animam Deo reddidit die xii. Martii, verba illa: *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, proferens.

Ioannes Stephens m. *Bruodinus de martyribus Hiberniae p. 465.*
Thaddaeus o Boyl m. *Idem ibid.*
Walterus Fernanus m. *Idem ibid.*

XXIV. Martyrii coronam accepit die xxvi. Martii in India orientali Petrus Baptista ex oppido Cuniali, humilitate sensuumque mortificatione spectabilis. Prae nimia Dei amoris flamma interius ita exardescebat, ioleque experiebatur

Petrus Baptista Cuniali m. *Apologium Lusit. ad diem 26. Mart*

Digitized by Google

incendium quod etiam exterius erumpebat, ut pectus madefactis pannis lenire cogeretur. Cum a Cochino reverteretur, in mahumedanos incidit, a quibus ob christiani nominis odium multis cruciatibus afflictus fuit; miraculo tamen ab eorum manibus ereptus, Calecutium advenit. Ab incolis huius urbis iterum comprehensus, mucroneque confossus, gloriosum pro fide certamen consummavit.

XXV. In Florida Americae insula martyrium et hoc anno subiere Petrus a Corpa, Petrus de Velasco, et Michael de Agnon sive de Occania, sacerdotes provinciae Castellae minorum de observantia. Item et martyrio coronatus est Assosii in Gulensi provincia eiusdem insulae Antonius Badaioz strictioris observantiae s. Gabrielis provinciae laicus et interpres laudati Michaelis de Agnon. Eorum nomina se ignorare profitetur Antonius de Truxillo provinciae historiographus. Hi postquam duorum annorum spatio apud Gualam aliaque loca verbum Dei impigre disseminassent, ab indigenis qui a fide defecerant, media nativitatis Domini nocte aggressi, violenter e domo extracti, ac inde cruci affixi, sagittis confossi sunt. Scribit autem Ioannes a s. Antonio eos martyrium consummasse die VIII. Septembris.

Petrus a Corpa, Petrus de Velasco et Michael de Agnon. mm.

Antonius Badaioz m. *Sbaralea in syllabo mm. lit. A. Antonius de Truxillo pag.* 524. *Daza lib.* 2. *cap.* 53.

XXVI. Reliquimus Meaci, Taycozamae iussu die XXX. Decembris anni proximi elapsi, carcere publico ob fidei christianae promulgationem coniectos Petrum Baptistam commissarium caeterosque eius commilitones. Hi dum nimio animi fervore verbum fidei assidue custodibus aliisque ibidem detentis annuntiabant, ac de Domini passione martyriique praestantia sermonem inter se habebant, die II. Ianuarii de mane eis allata fuit imperatoris qua mandabatur sententia, ut omnibus carnificum manu auris una abscinderetur. Hinc illi XXIV. numero e carcere educti, manibus post terga colligatis, pedibus deducti fuere ad Meaci plateam, ubi singulis ingenti gaudio perfusis, auris sinistrae particula resecta fuit. Mox Iaponiorum more ternis singulis carris impositi copiisque stipati, magno populo non in viis modo sed et in fenestris ac tectis spectante, laeti procedebant, subiecta tabella idiomate iaponico scripta praeeunte, quae eorum crimen et sententiam praeseferebat: *quoniam hi fratres ex Philippinis venere quasi legati, et tamen remanserunt Meaci ut legem christianam divulgarent, quod ego superioribus annis severe prohibueram, mando ut omnes una cum Iaponiis, qui christianae legi nomina dederunt, e medio tollantur, et ideo hi viginti quatuor crucifigantur Nangasachi. Et ut omnibus innotescat, rursus dictam legem in futuris etiam temporibus prohibeo, et mando ut haec executio fiat. Si quis autem edicto meo non paruerit, cum universa familia sua mulctabitur. Anno primo Cheicii, ad decimum undecimae lunae.*

Ann. min. ad an. 1596. *num.* 9.

Acta ss. ad diem 5. *Februarii pag.* 733. *num.* 59. *et seq.*

C. I. C. regale sigillum.

XXVII. *Pater Petrus Baptista*, ita Ludovicus Frois in bb. martyrum historia, *commissarius, horum Christi militum fortissimus dux tum ad suos animandos tum ad solandos christianos qui ad hoc spectaculum concurrerunt, elata voce nunc hispanice, nunc iaponice quantum poterat, adhibito quoque corporis gestu et motu concionabatur. Frater autem Martinus* ab Ascensione, *et frater Franciscus* Blanco *magna cum modestia et humilitate atque si coram Dei tribunali consisterent, procedebant, divinae misericordiae se multa devotione commendantes. Illud vero spectatoribus partim lacrimas elicuit, partim magnam admirationem attulit videre in hoc numero tres adolescentulos (qui patribus franciscanis in sacrificio missae inservierant ac maximus quidem quatuordecim circiter annorum,* nempe Thomas Co-

Ibidem num. 63.

Digitized by Google

xaqui, *minimus undecim*, scilicet Ludovicus) *plenos gaudio, vultu angelico, manibus, ut diximus, a tergo colligatis, clara et hilari voce accinentes dominicam orationem, et salutationem angelicam aliasque orationes. Ac minimus quidem nomine Ludovicus, cum ad eum adhuc in carcere agentem gentilis quidam primatius venisset, spopondissetque se eum liberaturum si vellet renuntiare baptismo, audacter respondit*: imo tu etiam debes fieri christianus; siquidem aliud medium non est ad salutem consequendam. *Dum vero hi servi Dei in hunc modum per Meacum circumducuntur, nonnulli christiani accensi desiderio eamdem cum illis ignominiam mortemque perferendi, rogabant milites, ut et ipsi coniici possent in carros; sed neutiquam assenserunt.*

XXVIII. *Tandem ad carcerem unde excesserant, reducti sunt; eumque e carris desiliisent, Paulus* Miki iesuita *adiungens se patribus franciscanis eosque amplectens, magnas gratias egit, quod sub eorum umbra tantum beneficium a divina misericordia consequutus esset. Qua ex re obstupefacti milites et aurigae inter se dictitabant*: unde hoc genus hominum talia agentium? ubi terrarum possent inveniri, qui perinde ac isti exultent in probris et contumeliis?

XXIX. Ut autem maiorem Iaponiorum gentibus metum iniiceret Taycozama, nec amplius quisquam ex eis ad sacri baptismatis lavacrum aspiraret aut verbi Dei praecones reciperet, iussit praenobilem cohortem terrestri itinere Nangasachum perduci, licet marinum iter foret terrestri brevius; abest namque Meaco Nangasachum sexcenta passuum millia terrae continentis. Die igitur III. Ianuarii regis mandato e carcere Meacensi educti, impositique iumentis, Ozacam traducti fuere, ubi etiam per illius urbis vias ignominiose ad spetaculum propositi, gentiles ipsi tenerrima miseratione commovebantur. Denique Ozaca Sacaium delati, iisdem contumeliis per urbis vias affecti fuere. Die IX. Ianuarii hominibus armatis stipati, Sacaio excesserunt. Molestiae ac aerumnae huius itineris tales fuerunt, quales pauperibus et male vestitis damnatisque viatoribus summa hyeme afferre solent ingentia frigora, nives et glacies quibus ea regna abundant. Negandum tamen non est, gentiles quibus commendabantur, omni humanitate eos tractasse; nam et equos eis procurabant vel sedes apud Iapones usitatas, quae duorum hominum humeris deportantur, si eis opus erat. Nam saepe ad augendum sibi cruciatum pedibus iter conficiebant, uti apparebat ex eorumdem pedum iutumescentia ac vulneribus.

XXX. Cum eis procedebant Petrus Suquezico familiaris patrum societatis Iesu, et Franciscus Fahelante item familiaris franciscalium, ambo Meaci nati ac baptizati eo fine, ut eis necessaria suppeditarent ac una cum eis pro Christi fidei confessione, si opus esset, martyrium subirent. Hinc magna omnes voluptate affecti, Deo pro tanto munere impensas gratias agebant, et reliquum iter eximio cum gaudio prosequuti, ardentibus ad ipsum Deum precibus animum erigebant. Omnium interim erat votum coelesti ante obitum pane refici. Quae ut assequerentur, Petrus Baptista commissarius ad rectorem collegii societatis Iesu Nangasachi, et Paulus Miki ad vice-provincialem eorumdem scripserunt hisce verbis: *nullum aliud in hac vita desiderium habemus, quam aliquo die confitendi ac communicandi antequam perveniamus Nangasachum; nec enim scimus an postea oblatura se sit occasio.* Huic animi praeparationi accedebant exhortationes ad Iapones christianos quibus franciscani et iesuitae excitabant ad offerendum se Deo totis viribus, atque ad agnoscen-

Digitized by Google

dam tantae divinae bonitatis gratiam. Prae omnibus sit illa quam per viam idiomate iaponico scriptam repertamque in pectore unius e crucifixis habuit ad omnes Martinus ab Ascensione franciscanus: *fratres*, aiebat, *cogitare debemus nos magnos esse peccatores, neque cognoscere quanto beneficio Dominus noster in hac exigua afflictione nos afficiat. Multi sancti et singillatim s. Franciscus omni studio aulspirabant ad coronam martyrii; verum concessum eis non est, ut ad eam pertingerent. Hanc ipsam Deus hodie nobis offert, et non quovis modo, sed per instrumentum crucis. A Christo impense amabantur apostoli, et tamen crucem non concessit, nisi duobus tribusve: ex caeteris quoque sanctis nonnulli fuerunt decollati, alii in lebetes bullientes demersi, alii assati, alii in stagna gelu rigenti conjecti; hi in mille frustra dilacerati, isti medio corpore secti; multi e montibus praecipites acti, et in rupes ac pranacutos scopulos et cautes dejecti, ut omnibus membris dissolverentur: ac denique alio atque alio genere cruciatuum tormentorumque probati spiritum suum reddiderunt conditori. At nobis, licet immeritis, nunc paratum est trophaeum, in quo ipse Filius Dei morte sua mundum restituit. Quod beneficium tam singulare et immensum est, ut angelicam quoque intelligentiam excedat. Itaque comparemus nos ad perferendos fortiter omnes cruciatus a carnificibus nobis inferendos, armantes nos gloriosae Christi passionis memoria, qui licet ab omni culpa alienissimus, tamen pro salute nostra promptissime omnes molestias et tormenta suscepit. Infinita misericordia est, quam nobis declarat Dominus: nam cum pro uno etiam lethali peccato promeruimus aeternas et intollerabiles inferni poenas, dignatus est tamen eas commutare in hanc brevem et transitoriam. Caeterum quia homo sua natura imbecillis est, nec facile aliquid perpeti potest, necesse est, ut gratiam divinam de coelo imploremus. Toto igitur corde ad ss. Dei Matrem peccatorum advocatam, ad gloriosum d. Franciscum, ad angelum custodem, et ad omnes Sanctos in coelo confugiamus, ut intercedant pro nobis.* Ibidem num. 87.

XXXI. Cum autem hoc iter militibus aliisque dicendo confecissent viri Dei, postrema die Ianuarii Facatam pervenere, ubi noctis partem quae ibidem haeserunt, in eodem labore impenderunt. Vix autem Fazamburo civitatis praesidi, cui ab imperatore commissa fuerat in eos mortis sententia exequenda, eorumdem adventum innotuit, extemplo cursorem amandavit ad sui vice-gubernatorem Nangasachi manentem ut quinquaginta cruces pro reis breve adventuris paratas haberet. Quibus Nangasachi auditis, magnus inter christifideles motus factus est ita, ut disponerent se multi ad mortem pro Christo Iesu subeundam: crucium enim numerus varias cogitationes pepererat, cum longe maior esset quam captivorum. Relicta Facata die prima Februarii, pervenerunt Carazu, locum tribus leucis a Nangoia distantem, ubi Fazamburus cum copiis eos praestolabatur. Paulus Miki et franciscani multis precibus eum exorarunt, ut Nangasachi breve eis tempus confitendi ac communicandi ante mortem concederet. Omnibus omnia promisit; at promissis haud stetit. Inde Ludovico tam tenellae aetatis puero accersito, dixit: *vita tua in arbitrio meo est et potestate; si mihi servire velis, te liberabo.* At puer: *de me nihil statuo; id faciam quod visum fuerit fratri Petro.* Qui respondit: *acciperet conditionem, modo christiano ei esse licet. Non*, inquit Fazamburus: *fidas christiana ab eo deseranda erit.* Cui Ludovicus: *hac conditione non* Ibidem num. 91 et seq.

Digitized by Google

cupio vivere, quia pro hac vita misera et momentanea facerem iacturam beatae et aeternae.

XXXII. Ulterius longum iter prosequuti, advenerunt Zucasachi, a quo sequenti mane discesserunt. Licet autem itineris incommodis fracti, quia singulis horis videbant se morti viciniores, reliquum tamen magno frigore afflicti pedites conficere maluerunt Sononchum usque, octo vel novem leucis Nangasacho positum. Eo ad diem quartum Februarii sub meridie appulsi, praesto fuerunt duo e societate Iesu patres, nimirum Franciscus Pasius et Ioannes Rodriquez a vice-proviuciali missi, ut utroque sacramento confessionis et eucharistiae quod studiose optaverant, munirentur. Verum repulsam passi a Fazamburo, pro se vix a satellitibus obtineri potuit p. Rodriquez ut sodales suos salutaret et amplecteretur; verbis tamen ad tempus accommodatis, singulos ad gloriosum pro fide certamen animavit. Quo facto, rursus cum multo lacrymarum imbre repetiti fuerunt amplexus. Sub vesperas eiusdem diei antequam navim qua Tonchizu eundum erat, conscenderent, omnium manus, franciscanis exceptis, post terga revinxere eorumque collo funes iniecere administri. Brevi septem leucarum itinere portum Tonchizanum tenuere; nocte tamen ingenti frigore affecti fuerunt in navigio.

XXXIII. In ordinario supplicii loco intra moenia Nangasachi statuerat Fazamburus evangelicos praecones crucibus imponere; at ob Lusitanorum preces qui ibidem ecclesiam eorumdem memoriae subinde aedificare cupiebant, mutato consilio, viginti sex cruces ante domum s. Lazari ab ipsis mox fratribus inhabitatam erexit in altera viae parte, in qua instar calvariae eminebat collis, ad quem quasi gradibus ascendebatur. Cruces caeteraque a Iaponibus pro eis parata ita describit Frois. *Cruces apud Iaponios in multandis hominibus* Ibidem num. 104.



facinorosis usitatae duo habent ligna transversaria, alterum ad brachia, alterum ad pedes; mediae item cruci affixum breve lignum est ponderi corporis sustinendo, cui reus insedit velut equo. Quaelibet igitur crux constat quatuor lignis, ut liquet ex effigie hic subiecta. Non uruntur clavibus, sed manus pedesque alligant aut funibus, aut manicis ferreis quae lignis transversariis clavis sunt affixae. Collum quoque costringunt nervo ferreo ligno infixo. Funibus item adstringunt cruci, et cingulum et brachia inter se scapulas et cubitum sic prorsus, ut totum corpus bene sustentetur. Denique dimittunt crucem in fossam, lapidibusque iniectis et terra obfirmant. Mox succedit carnifex lancea praeacuta, macherae ancipiti non absimili armatus, eamque tanta vi adigit in latus dexterum crucifixi, ut penetret in sinistrum usque ad cor. Nonnunquam sunt duo carnifices, dum simul utrumque latus confodiunt, transverso obiecto lancearum, quasi crucis formam exprimunt. Ita fit, ut rei uno tantum sanguinis fluxu, minimo temporis puncto spiritum Deo reddant. Quod si non statim moriantur, duplicat ictum carnifex, atque ita finem faciunt.

XXXIV. Cuncta Christi militibus patefacta fuere Ucacami, una leuca Nangasacho, ipsumque mortis supplicium eis inferendum die sequenti v. Februarii. Hi quasi ad epulas invitati, hilari vultu elatisque in coelum oculis omnes Deo gratias impensas agebant ac praecipue Petrus Baptista commissarius qui

Digitized by Google

advenerat eques, divinum officium recitans. Lusitani e Nangasacho obviam eis venerunt, ut cibo, potu, cupediis oblatis recrearent; at illi mortificationem Iesu in corpore circumferentes, omnia in carnifices et custodes distribuere.

XXXV. Tunc epistolam quam damus, a Petro Morriggione presbytero societatis Iesu ad eos scriptam receperunt captivi, qua singulos hortabatur ad hilariter pro Christi nomine mortem subeundam.

Iesus, Maria, pax Christi.

Ah dilecti patres mei et amantissimi fratres, Spiritus sanctus sit cum animis reverentiarum vestrarum et istorum christianorum, qui de mundo ac de vobis ipsis feliciter triumphastis! Quanta autem cupiditate flagro et flagravi vobis comitem me iungere! Sed ex me non stetit, nec minus a Deo tantum bonum promereri plorans expecto felicem huiusmodi diem mihi contingere, quo (non inquam) martyr evadam, (id enim vel cogitare non audeo, nec propter meam magnam indignitatem mereor), sed haec mea afflicta vita hocque meum millies infelix corpus vivere desinat, et pro hac sancta Iaponis ecclesia moriatur; ut postquam in ea tam bona principia et indicia cernuntur, aliquem certe diem pro me et aliquantulum mihi partem expectare possim. Interea patres mei et fratres amantissimi, per Dominum pro quo patimini, vos rogo, ut ingentis molestiae et malae aedificationis quam aliquando vobis praebui, veniam mihi detis, et, ut cum per misericordiam Dei in eius divino conspectu eo mutuo viderint, horum qui in hac lacrymarum valle relicti sunt, non obliviscantur; specialiter vero mei qui supor omnes memoria vestra indigno. Oh si in cordiales amplexus erga reverentias vestras me extenderem, si mihi concederetur! Sed saltem, pro discessu vos exoro, ut a Domino impetretis, quatenus, quando moriar, in eo vivam; quandoquidem (Ipse moriens) suam ecclesiam decoravit, nec impraesentiarum quicquam aliud intensius desidero. Vale pater mi commissarie, frater Petre Baptista: vale pater mi, frater Martine: vale pater mi, frater Francisce, et tu p. Blance: vale frater mi, frater Philippe: vale frater, frater Gonzalve: vale frater, frater Francisce: felix mors quae debilia merita, qualia sunt mea, excedit. Leonem, Cosmum, Paulum, Thomam, Franciscum caeterosque omnes pro me salutetis. Non puto opus esse reverentias vestras hortari, ut istos christianos doceant mortem cum humilitate suscipere, quia Iaponii interdum (ut saeculo satisfaciant) mortem oppetere solent. Eia patres amantissimi usque ad conspectum Dei etc.

Moriggionus indignus.

Marianus ab Orscelar in chron. pag. 503.

XXXVI. Nangasachum tandem advenerunt, et ad locum martyrii adducti, nova illustribus fidei athletis laetitia ex crucium aspectu oborta fuit; nam ingressi in septum paratum lanceariis copiisque undique vallatum, una omnium vox in Dei laudem et gloriam erupit. Martinus ab Ascensione s. Zachariae prophetae *Benedictus Dominus* etc. canticum usque ad finem elata voce accinuit. Petrus vero Baptista singulorum dux et magister, oculis illico coelo defixis, totus in Deo absorptus videbatur. Omnes autem quam citissime crucibus alligati fuerunt, quia singuli habebant attributos ministros, et omnia singulis necessaria ad manus parata. Tradunt rerum nostrarum auctores omnium eorum nomina singulis crucibus inscripta fuisse a Iaponibus.

XXXVII. Crucifixorum qui vultu Nangasachum converso alter ab altero tribus vel quatuor passibus distabat, hic erat ordo. Asta in qua descripta erat mortis sententia ibidem elevabatur. Medium occupabant locum franciscani;

Digitized by Google

dextrum latus decem Iaponenses; sinistrum tres e societate Iesu, aliique octo. Singulorum exhibemus nomina.

Franciscani fratres.

1. Petrus Baptista commissarius
2. Martinus de Aguirre, sive ab Ascensione
3. Franciscus Blanco
4. Philippus a Iesu
5. Franciscus a s. Michaele, sive de la Parilla
6. Gonzalvus Garcias

Soc. catechistae et familiar.

7. Paulus Suxaqui
8. Cosmas Taquia
9. Leo Carazuma
10. Ventura, sive Bonaventura Meacensis
11. Antonius Nangasachanus
12. Ioannes Quizvia

Iaponenses catechistae et famil. Franciscanorum.

13. Franciscus Meacensis medicus.
14. Ioachim Saquiye
15. Franciscus Fahelante
16. Thomas Idanqui
17. Thomas Coxaqui
18. Paulus Ibariqui
19. Mathias Meacensis
20. Gabriel de Yxe
21. Michael Coxaqui
22. Ludovicus Ibariqui

Soc. Iesu.

23. Paulus Miki
24. Ioannes de Goto
25. Didacus Quizay
26. Petrus Suquezico familiaris

XXXVIII. Crucibus ergo hoc ordine defixis, dum e vaginis lanceas eximere coeperunt carnifices, omnes qui aderant christifideles, ad horrificum aspectum Iesu Mariae nomina acclamarunt; quaerelae ac planctus inde ipsum coelum ferientes consequuti miserabiles; at beati martyres mire laetitia gestientes, uno alterove eorumdem ictu forti animo conciderunt.

XXXIX. Haec universim; nunc de singulorum martyrum actis agemus, ac primo quidem aliqua dictis subiicimus de b. Petro Baptista commissario. Nobilibus parentibus in castro s. Stephani dioecesis Abulensis natus et inter discalceatos fratres coeptatus, virtute ac eximia doctrina cum excelleret, praedicationis munus obedientiae merito suscepit; in quo obeundo nullis laboribus deterritus, plures peccatores ad poenitentiam in hispaniarum regno excitavit. Infidelium salutem sitiens, in novam hispaniam advenit, et Mexici commorans, praeses custodiae s. Didaci renuntiatus fuit, et aliqua pro suis coenobia instruxit. Anno MDLXXXIII. illis se addixit apostolicis viris, qui insulas philippinas potierant disseminandi evangelii causa, ubi etiam officium moderatoris custodiae s. Gregorii sanctissime explevit. Eo exacto, in solitario s. Francisci de Monte Manilae coenobio suis curis aedificato sese occlusit, ut tantisper quietis caperet, austeritatibus indulgeret, et orationi rerumque divinarum meditationi maiori studio vacaret. Cum ageretur de mittendo oratore ad Taycozamam Iaponiorum imperatorem pro ineundo ipsum inter et Hispaniarum regem foedere, a clero, optimatibus et a pro-rege Manilae idem Dei servus ad id munus expiendum fuit designatus. Aegre mandatum accepit; attamen eo una cum aliquot suis sodalibus se contulit, ubi quinque ferme annorum spatio diversatus, laboribus, vigiliis, fame, siti ac aerumnis infideles multos ecclesiae Christi adunavit. In cruce elatus, cum caeteri interimerentur, manu in quantum eam movere poterat, sociis ipsisque lictoribus ad se occidendum advenientibus benedicebat. Omnium postremus Deo suo innocentissimam animam pretioso crucis martyrio reddidit anno XII. aetatis, verba illa proferens: *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.*

Petrus Baptista protomart. Iapon.

Anno Christi 1597.	Clementis VIII. an. 5. et 6.	Rodulphi II. anno 21.	Religionis Minorum anno 390.

XL. Miraculis in vita floruit. Manliae ab elephantiae morbo immunis evasit quidam vir, ut aquam bibit, cui furtive ipse infuderat cingulum b. Petri Baptistae, quem paullo ante obvium habuerat. Feminam eodem morbo affectam sanavit, lectis super eam s. evangelii verbis. Sacro pentecostes die ab eadem infirmitate liberavit filiam Cosmae Yoyae iaponi christifideli sibi coniunctissimo. Eodem die rubeae linguae instar ignis super capita eorum, qui domi laudati Cosmae erant, apparuerunt, quorum aliqui exinde martyrio cum eodem b. Petro Baptista affecti, eorum quoque bona proscripta fuerunt. *Martines lib. 3. pag. 89.* *Ioannes a s. Maria in relat. horum mm.*

XLI. Alia etiam evenere post sui obitum mirabilia, quae esse authentica dicunt Bollandistae. « Asseruere testes quidam, biduo post mortem morsu « praecisum a quopiam s. Petri Baptistae pedis pollicem fuisse, ac multum « sanguinis effluxisse perque plures horas stillasse. » Triduo post haec evenisse novimus ex Benedicto XIV. pontifice in relatione canonizationis eorumdem Beatorum. « Ex alia informatione, item laudati Bollandistae, solemni ritu « Manliae instituta, testibus oculatis legitime interrogatis constat, post LXII. « a morte dies, eiusdem patris commissarii corpus e cruce dependens, cal- « didum adhuc, tet contremuisse magnamque vim cruoris e latere, lancea cum « crucifigeretur confosso, denuo promanasse; atque ubi id Nangasachi auditum « christianos quosdam eo venisse, linteaque complura et papyri folia eo tra- « xisse. » Alterum profertur a Benedicto XIV. eo loco sic. « Corporibus martyrum in cruce pendentibus, quaedam mulier infidelis ad extremum vitae, « loquela non solum sed et aliis corporalibus sensibus amissis, deducta, « quadam particula crucis patris Petri Baptistae ori suo applicata, in instanti « loquelae fuit restituta, et sacramentum baptismi instantissime petiit faitque « ab eodem patre Petro Baptista adhuc vivente, licet cruci affixo, sanitati cor- « poris et animae medio baptismi restituta. » *Acta ss. loc. cit. pag. 759. n. 151.* *Bened. XIV. de beatif. et canonis. ss. tom. 3. app. 3. pag. 396.*

XLII. Sequens postremum miraculum et ab eodem Benedicto XIV. notatur. « Postquam dicti martyres et inter ipsos dictus p. commissarius Petrus Baptista « iterum crucifixi, pluries dictus pater Petrus Baptista fuit visus, derelicta « cruce, celebrare missam in suo monasterio Nangasachi, illique ministrare « Anonimus *(de quo infertur)* qui simul cum illo crucifixus fuerat, indutus « veste alba, et audiebant canticum quasi coeleste, quamvis non videbant « canentes, et hoc deponunt propriis oculis vidisse Ioannes Rodriquez Curiel, « et Ioannes Baptista de Aquirre. Horum primus dixit, qualiter ivit ad vi- « sitandum locum istorum ss. martyrum, et respiciendo crucem dicti patris « Petri Baptistae, invenit quod non erat in cruce, et magna admiratione quae- « sivit a custodibus, ubinam erat corpus dicti patris Petri Baptistae: qui re- « sponderunt: quod saepissime evenichat, quod non videbatur in cruce, et « quod postea, transacto aliquo spatio temporis, iidem custodes videbant idem « corpus in eadem cruce. Unde idem testis fuit reversus magna cum celeri- « tate ad quaerendum dictum patrem Petrum Baptistam ad locum, in quo « primum eum viderat celebrare missam, et iam illum non invenit; et testis « iterum reversus fuit ad locum, ubi crucifixus fuerat; et cum teste in- « venerent plures christiani, de quorum nominibus non recordatur, sed dixit « hoc fuisse et esse publicum et notiorium tam inter christianos quam inter « infideles. . . . Satellites et custodes martyrum multoties viderunt post « dictum martyrium crucem patris Petri Baptistae vacuam, et post aliquod « spatium temporis viderunt eumdem patrem Petrum Baptistam in eadem « cruce. »

Sbaralea in suppl. ad script. lit. P.

XLIII. Non solum vitae sanctitate, sed et doctrina floruit idem b. Petrus Baptista. Scripsit *consultationem moralem regularem*, quae mss. asservatur in conventu s. Andreae Arenis in provincia s. Iosephi. Plures etiam epistolas scripsit hispanice et latine iterato editas. Prior fuit illa data anno MDXCVII. ad ministrum provinciae s. Gregorii Insularum Philippinarum post sui ingressum in Iaponiorum regnum, quem exorat ut eo mitteret sodales, litteram ab hisce verbis exorsus: *messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogamus omnes Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*; 2. e carcere Meaci aliam dedit Martino ab Ascensione, Ozacae in vinculis detento; 3. aliquot alias misit ad Hieronymum a Iesu, cui iubebat, ut pro christifidelium institutione ac solatio persecutionis furorem declinaret ac se occultaret. Eas numero quatuor fuisse notat Dominicus Martinez; 4. alias etiam dedit epistolas ad proregem Manilae, ad consodales suos aliosque christifideles ibidem degentes, ut eis nota faceret quae ab infidelibus patiebantur in odium fidei evangelici cultores; postremam misit ad moderatorem collegii Nangasachi societatis Iesu die XIX. Ianuarii, Carabe datam, qua ipsum deprecabatur, ut a praeside eiusdem civitatis veniam obtineret sacramenta ecclesiae ante mortem sibi dari ac episcopi benedictione muniri.

Martinus de Aguirre mart. Martinez loc. cit. pag. 91.

XLIV. Binis lanceae ictibus ab imis lateribus ad humeros usque confossus, hymnis et canticis Deum collaudans, martyrium consummavit eodem die et loco Martinus de Aguirre, sive ab Ascensione, natione Cantaber, Vergarae in Guipuscoa nobili genere ortus, annos numerans XXX. Pietatis ac litterarum rudimentis domi imbutus, philosophicis et theologicis studiis miram operam inde navavit in academia Complutensi, ubi improborum consuetudinem declinans, totum se dedit fundendis Deo precibus, piis legendis libris templisque visitandis. Cum autem tam altiora iecisset suae sanctitatis fundamenta, iuvenili in aetate opibus suae familiae valedicens, ad minores discalceatos concurrit, tyrocinium prosequutus in coenobio Annonis s. Sebastiani martyris. Post emissam professionem sacerdotalique dignitate insignitus, tantus in eo exarsit divini honoris, religionis ac alienae salutis studium, ut visus ex tunc fuerit a Deo praeordinatus ad vocationem gentium. Huic praelusit mirabili carnis suae mortificatione; bellum enim sibi indicens, cilicio premebatur asperrimo, nudis incedebat pedibus, paucis vescebatur herbis, ac singulis noctibus ter etiam cruentis flagellis corpus castigabat. Martyrii desiderio inflammatus, sexto a sua professione anno cum sodalibus suis Mexicum primo, deinde Manilam, ubi philosophiam ac theologiam omnium primus tyronibus franciscanis explanavit, postremoque in Laponiam pervenit eo tempore, quo publicis Taycosamae edictis in operarios evangelicos persecutio fervebat. At ipse divini verbi acumine gladio, crucis vexillum cum aliis forti animo erexit. In aede Ozacae ubi praesidebat, comprehensus, aliisque fidei athletis adiunctus, auriculae sinistrae parte abscisa, Nangasachum usque perductus est. Licet multis aerumnis confectus, ab incepto tamen praedicationis opere nunquam destitit, etiam in cruce pendens ceteros adhortatus est ad martyrium quod subiit invicta animi constantia, illa Davidis verba proferens: *laudate Dominum omnes gentes*, cum finali laude *Gloria Patri etc.* Eius est *sermo ad commartyres*, et *epistolae curiae* ad pro-regem Manilae, ad ministrum provinciae s. Gregorii ac ad eius procuratorem. Anno MDCCXII. Clemens papa XII. indulsit utroque clero Vergariae aliisque dioecesis Caesaraugustanae locis recitationem lectionis secundi nocturni proprii in eius festivitate: *Exponi nobis* die VI. Aprilis.

Sbaralea in suppl. ad mart. lit. M.

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1597.	an. 5. et 6.	anno 21.	anno 390.

XLV. Lanceis item transfigendus sese obtulit in ara crucis Franciscus Blanco sacerdos, qui sereno vultu a laudibus divinis nunquam cessans, in illa verba: *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* expiravit, inconditatis stolam accipiens in sanguine agni dealbatam anno XXVI. vel iuxta alios XXX. aetatis suae. Natalem habuerat in comitatu Montis-regii, sive Montrey dioecesis Ovetensis, in Gallaecia, ordinique minorum de observantia adscriptus in provincia s. Iacobi. In eo instituto eximius erat tum puritate cordis tum morum innocentia; ea tamen animi ornamenta usque ab infantia coluit pietate erga Deiparam, assiduis precibus corporisque afflictationibus, auxitque per dies cooptatus inter discalceatos fratres provinciae s. Iosephi. In Iaponiam cum Martino ab Aguirre adveniens, intra tres menses eorum idiomate instructus, totum se dedit in moderandis christifidelium conscientiis ac in opitulandis summa charitate infirmis. Franciscus Blanco mart. *Martinez loc. cit. pag.* 94.

XLVI. Martyrii coronam et accepit eodem loco Philippus a Iesu, sive de las Casas, Mexici natus anno MDLXXIV. Antonia Martinez et Alphonso de las Casas hispanis nobilibus parentibus. Adolescens cum animum ad pietatem sectandam pronum haberet, aetatis suae anno XV. nomen dedit fratribus discalceatis in conventu s. Francisci Populae de Angelis in custodia s. Didaci Mexici. Sumpto habitu, nec satis gnarus quod cum callido hoste sibi sustinendum esset certamen, cessit illius illecebris abiitque ab instituto. Ea inconstantia tantum intulit dolorem pio parentibus, ut ne ipsorum perpetuo vulneraret obtutum, in insulas Philippinas ablegarunt. Verum, ut scribit Martinez, quae cum multa a parentibus sibi data ad honeste vivendum brevi tempore consumpsisset, biennio post mente revolvens, quam periculosa in libertate, patria procul vitam ageret, quaeque in instituto vidisset et reliquisset suae animae bona, sibi poenitens, vitam cum Christo absconditam iterum degere deliberavit. Hinc cum Manilae degeret, petiit et denuo obtinuit discalceatorum habitum in coenobio s. Marino Angelorum eiusdem civitatis, ubi perecto laudabiliter tyrocinio, solemnia vota item emisit die XX. Maii an. MDXCV. Antiquae vitae sordes lacrymis, corporis macerationibus, oratione ac vigiliis ita accurate abstersit, ut velut sanctitatis norma ab omnibus haberetur. Philippus a Iesu mart. *Idem cit. loc. pag.* 95.

XLVII. Utriusque mutationis perlato Mexicum nuncio, vehementer exhilarati parentes, commissarium generalem Indiarum ibidem tunc commorantem obsecrarunt ut filius ea concederetur videre, denuo seraphico habitu amictus. Cessit eorundem votis commissarius; quare die XII. Iulii anno MDXCVI. navigio sub invocatione s. Philippi imposito, non Mexicum sed in Urandum Tozzani Iaponiorum portum vi tempestatis iactatus, advenit invitus. Dum ab hac maris procella agitabatur, ea coeli parte quae Iaponiam respiciebat, crucem candidam, figura eisdem similem, in quibus sublati fuere martyres, vidisse vectores ad quartam horae partem, postea in sanguineum colorem mutatam, atque postremo ad horae quadrantem nigra obvolutam nube, narrat Baretius ex Ioanne a s. Maria. Quidquid de hac re sit, Philippus inde Meacum ad Petrum Baptistam commissarium advectus, perhumaniter ab eo exceptus fuit, ac ad Ozacae aedes, ubi praesidebat Martinus ab Ascensione sive de Aguirre missit, ut in ministerio apostolico ipsi opitularetur. Meatum inde obedientiae merito se conferens, in coenobio s. Marini Angelorum cum ceteris sodalibus ac familiaribus comprehensus, Nangisachium ad martyrii locum adducitur.

XLVIII. In triumphantem cruce delatus, parvam sibi aram crebis genibus ulnisque amplectens, agit, illa emittavit verbum *o fortunatum! o fe-*

licem s. Philippi navem! o iacturam mihi minime damnosam, sed omni lucro quaestuosiorem! Cum transversarium crucis lignum, ubi eius corpus iuxta laponiorum morem inniti posset, suo loco fabrilignarii incuria haud consisteret, factum est, ut erecta iam cruce cui sancti viri alligata erant ferreis circulis brachia, collum, et tibiae tam subsedit suo pondere corpus, ut ab eis quae guttur costringebant, pene praefocaretur. Eo in cruciatu Iesu et Mariae nomina dulciter ingeminans, configi lanceis imperat iudex. Ita primus omnium triplici lanceae ictu palmam martyrii anno aetatis suae xxxii. obtinuit, qui in Iaponiam venerat postremus. Lato ab Urbano viii. an. mdcxxvii. decreto, quo facultas concedebatur, sacro cultu posse beatos martyres Iaponenses honorari, Antonia Martinez mater b. Philippi in publica solemnique supplicatione Mexici habita anno mdcxxix. archiepiscopum inter et pro-regem eiusdem metropolis, magno omnium pietatis sensu procedebat.

Martinez ibid. p. 93.

XLIX. Martyrii palmam cum laudatis sodalibus accepit eodem in loco Franciscus a s. Michaele, sive de la Parilla, oppido Palentinae dioecesis prope Vallisoletum. In provincia Conceptionis minorum de observantia sacro habitu donatus, ac inter laicos adnumeratus, paucos post annos transiit ad fratres discalceatos provinciae s. Iosephi, cum quibus aliquandiu diversatus est. In novam Hispaniam subinde profectus, Mexici primum incolatum tenuit, ubi multum adlaboravit in novis excitandis coenobiis custodiae s. Didaci; mox in regionem Chichimecarum adveniens, male ab eis habitus fuit contumeliisque affectus. Mexicum reversus, insulas Philippinas petiit anno mdcxxxiii. cum laudato Petro Baptista, ubi inculpatam sic gessit vitam, ut gentes in sui admirationem attraxerit. Provinciam de Camarines sibi pro catechizandis Indis christifidelibusque instituendis coloreditam perlustravit pedibus denudatis; non semel autem divino prorsus sancti Spiritus afflatu concionabatur idiomate incolarum, at tanta dicendi copia ac elegantia ut singuli Spiritum sanctum per eius os loqui dicerent. Sui sanctimoniam Deus testatam voluit quibusdam per eum editis prodigiis. Indam mulierem morti proximam ac facultate loquendi tam destitutam invisens, crucis signo in illius ore facto sanavit ac loquelam eidem restituit; inde illa baptismum postulavit et obtinuit. Indi alterius tibiam iam veneno serpentis tumidam, eodem crucis signo momento liberavit.

Franciscus a s. Michaele mart. Idem ibid. pag. 99. Baretius pag. 1239.

L. Inerat ei infusa divinitus reminiscendi vis tanta, ut in Iaponiam appulsus, eorum idioma exiguo temporis spatio perfecte calluerit, et ferme quidquid audiebat, memoriae firmiter infixum retinebat. Facili hac ratione illorum conversionem operabatur: et si quid minus iis persuadere verbis posset, opere suo complebat et exemplo. Saepe interim accipiens in ulnas suas crucifixi imaginem, Dominum exorabat, ut Iaponis mentis oculos aperiret ad Christi fidem suscipiendam. Ita ille illustrium exercitatione virtutum praeludebat martyrio, quod diu expetitum, maxime subiit in cruce aetatis anno lv. animi alacritate.

LI. Postremus ex eodem instituto martyrium consummavit in Iaponia Gonzalvus Garcias, Bazani in India orientali, parentibus Lusitanis anno mdxxxvi. natus. Aetatis suae xx. patribus societatis Iesu in Iaponiam euntibus voluit comes se addixit, ubi indigenorum idiomate instructus, ipsorum nuper neophytorum institutioni fuit destinatus. Cum bonzis idolorum sacerdotibus non semel in certamen devenit, cui praerationum suarum vi multi inter eos devictus manus dederunt, ecclesiaeque Christi per baptismatis lavacrum adhaeserunt. Non igitur Iaponiam advenerat, sicut scribit Baretius, ut terrenas opes sua in-

Gonsalvus Garcias mart. Martinez ibid. p. 102.

Baretius p. 1238.

ANNO CHRISTI 1597. CLEMENTIS VIII. AN. 5. ET 6. RODULPHI II. ANNO 21. RELIGIONIS MINORUM ANNO 390.

dustria congereret. Octo annorum spatio in Insenia diversatus, Manilium inde advenit. Cum autem frequens adiret in coenobium discalceatorum s. Mariae Angelorum eiusdem civitatis, divina gratia illustratus, illorum anno MDLXXXVII. capessit institutum ac regularem professionem emisit in manibus Petri Baptistae tunc illius custodiae moderatoris.

LII. Biennio a sua professione elapso, nonnullas epistolas quas tunc mandavimus, a christifidelibus Insenicorum acceperat quibus franciscani regulares Philippinarum expetebantur, ut eis propter Taycosamae imperatoris persecutionem contra evangelicos operarios vulgatam, in tanto fidei discrimine positis auxilio forent. Anno MDXCIII. cum a pro-rege Manilae velut legatus ac commissarius delectus esset Petrus Baptista ad ipsum Taycosamam, idem Gonzalvus ab eodem Petro sui interpres ac comes designatur. Ad haec exultavit spiritus eius tantoque mox exarsit fervore, ut in ea regione sanguinem pro Christo fundere summopere peroptaret. Sanctitatis suae radiis, consiliis et idiomatis Inponiorum peritia omnibus charus acceptusque et ipsi imperatori quem noverat, illius ecclesiae nascentis maximum incrementum attulit. At mortis sententia contra ipsum prolata, elatus in crucem, Iapones magno spiritu ad christianae veritatis agnitionem excitabat. Geminae lanceae ictu, in illis pii latronis verbis expiravit: *Domine, memento mei.*

Ann. min. ad an. 1590. num. 84.

Idem ad ann. 1593. num. 17.

LIII. Nunc de caeteris Inponiorum martyribus franciscanis vel familiaribus, vel ut alii volunt tertio minorum ordini adscriptis sermonem instituimus. Eiadem familiaris erat Thomas Coxaqui Inponensis, filius Michaelis Coxaqui, de quo inferius, qui cum suam operam conferret, licet puer, aedificio domus et ecclesiae Meaci, fratrum vivendi normam illectus, baptisma suscepit anno undecimo aetatis suae. Munus catechizandis infidelibus ac fidelibus ei collatum implevit exacte non sine magno fidei incremento. In coenobio Meacensi comprehensus, postquam praecisa sibi fuerat a gentili lictore auris particula, dixit ei, ut altius eam si vellet, amputaret ac suo christiano sanguine se penitus extingueret. Orsacam cum aliis delatus, litteram pietatis plenam scripsit ad eius matrem ibidem degentem. Duplici item mucrone spiritum Deo reddidit, Iesu et Mariae nomina invocans, annos natus vel XIV. vel XV.

Thomas Coxaqui m. *Martinez ibid. p.* 107.

LIV. Antonius Nangasachanus, bona indole praeditus ab infantia, annorum XII. vel XIII. iam baptismate ablutus, ab omnibus, praesertim vero a b. Petro Baptista ac a b. Martino ab Ascensione complectebatur peculiari dilectione. Licet facile posset antequam caperetur, fuga elabi, magistros tamen sequi maluit ad vincula et ad mortem. Appropinquanti ad triumphi locum parentes christiani accurrere, qui licet haudquaquam dolerent obtigisse filio sortem tam felicem, amore tamen quodam humano verbis ac lacrymis ei suadebant, ne in flore adolescentiae suae ultro morti se offerret, sed in maturiorem aetatem differret; non enim tunc ei defutura esset occasio. Ille vero gratia divina illustratus novit quas sibi insidias terrimus hostis parentum etiam opera struxeret. Itaque ut illas diaboli artes penitus dissolveret, confidens se respondit divinitus sibi constantiam suffectam iri, per quam ex hac lucta victor evaderet. Haec illi audientes, tacuerunt. Singula haec in parentibus ac in puero demiratus index, Antonium admonuit, ne parentum desiderio obsisteret; nam si eis annuisset, velut proprium filium in aede sua reciperet, imo curaret ut a Taycosama honore ac rerum copia augeretur. Antonius autem ea diluens respondit: *magna profecto foret insania, pluris momentanea ac cana, quam aeterna bona aestimare. Tamen quae polliceris, cedo an impertiri*

Antonius Nangasachanus m. *Idem ibidem pag.* 109.

Digitized by Google

ea velis in consortio p. Petri eiusque sodalium. Minime vero, inquit Iudex, tibi soli ea tribuam. Brevi igitur, ait Antonius, intelliges, quam nihil tua promissa vitamque ipsam aestimem. Neque enim aut erax percellit, aut martyrium terret. Unice potius id expecto, eius amore qui pro me in cruce mortuus est. Demum cruci alligatus, dum vulnus fatale laetus expectabat, psalmum *laudate pueri Dominum* decantavit; antequam vero ad *Gloria Patri* perveniret, e vita ereptus est. Post sui obitum visus fuit, relicta cruce, alba veste indutus, ministrare Petro Baptistae sacrum operanti in ecclesia monasterii Nangasachi, iam cruci cum eo affixo.

Ludovicus Ibariqui m. *Frois apud Bolan. ibid. n.* 107. *Martinez ibid. p.* 110.

LV. Ludovicus puer XI. vel XII. annorum iuxta Frois, a paucis mensibus christianus, prima aetate acris ingenii et Pauli Ibariqui item martyris nepos, etiam crucis agonem tulit. Si Dominico Martinez fidem haberem, is ille fuit qui ob tenellam aetatem in captivorum schedulam non inscriptus, lacrymis et precibus ut ibidem notaretur, a substituto Gibonoscio mox obtinuit. Resecta eius aure, una cum caeteris plaustro impositus fuit. De hoc aliisque duobus pueris, nimirum Antonio ac Thoma, ita scribit laudatus Frois: *illud vero spectatoribus partim lacrymas elicuit partim magnam admirationem attulit, videre in hoc numero tres adolescentulos (qui patribus franciscanis in sacrificio missae inservierant, ac maximus quidem erat quatuordecim circiter annorum, minimus undecim) plenos gaudio, vultu angelico, manibus, ut diximus, a tergo colligatis, clara, et hilari voce accinentes dominicam orationem, salutationem angelicam aliasque orationes. At minimus quidem Ludovicus, cum ad eum adhuc in carcere agentem gentilis quidam primatius venisset, spopondisseque se eum liberaturum, si vellet renuntiare baptismo, audacter respondit: imo tu etiam debes fieri christianus, si quid aliud medium non est ad salutem consequendam.* In extremo conflictu in omnium vultibus laetitia quaedam apparebat; at in Ludovico praecipua; cui cum alius quidam christianus acclamaret brevi eum futurum in paradiso, digitorum totiusque corporis gestu gaudii pleno omnium in se spectantium oculos convertit.

Frois ibid. n. 62.

Leo Carazuma mer. *Martinez ibid. p.* 111.

LVI. Leo Carazumanus, Oari in regno natus nobilibus parentibus, idolorum sacerdos erat, dum ad fidei lumen advenit opera insignis Dei viri ac inde martyris strenui Cosmae Yoya Iaponensis. Septem octove annorum christianus, in coenobio Meaci franciscalium a b. Petro Baptista inter familiares receptus, ad instituendos neophitos destinatur. Multos suo labore hac illac discurrens Christo filios peperit, aliosque in fide errantes confirmavit. Charitatis operibus apprime deditus, curam infirmorum ita egit, ut propriis humeris eos obvios per vias humique stratos ad aedem a se instructam deferret. Factus christianus, a vino, a carnibus ac piscibus abstinuit, et totius ferme anni tempore ieiunils ac vigiliis vacabat. Cilicio item asperrimo membra domabat et flagellis caedebat.

Paulus Suxaqui m. *Martinez ibid. pag.* 113.

LVII. Paulus Suxaqui, quem et Suxuqui appellant, Oari item natus, franciscalium interpres erat. Ad iracundiam pronus, post susceptum baptisma adeo mitis evasit, ut patientiae miraculum videretur. Oratione diu ac nocte delectabatur, ac divinarum rerum contemplatione quibus etiam cruentas flagellationes addebat. In iis explendis, totus in lacrymis effluebat. Varia pro erudiendis christifidelibus ac neophitis scripsit, ac ad eorum usum lexicon, grammaticam, ac catechismum vertit. Valetudinarium s. Iosephi pro infirmis Meaci erectum, summa charitate moderabatur.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1597.	an. 5. et 6.	anno 21.	anno 390.

LVIII. Franciscus Meacensis professione medicus, in fide christiana eruditus, sacramento baptismatis regeneratus fuit a p. Marcello a Ribandeneira in aede Meacensi. Aegre id tulit eius uxor infidelis; verum eo suadente, et ipsa baptisma suscepit ac sui exemplo vitam arripuit virtutibus plenam. Quosdam tractatus ille pro fide christiana tuenda scripsit aliosque in vulgus sparsit, gentilium errores refellens. Aberat a Meaco dum Taycozamae decreto excubiae positae fuerant in fratrum aede. Vix id rescivit, eo festinanter accessit et christianus se profitens, in caeterorum album inscriptus fuit. Aetatis suae anno XLVI. martyrii palmam accepit.

Franciscus Meacensis m. *Idem ibid. p.* 116. *Frois ibid. n.* 108.

LIX. Cosmas Taquia, vel Tachegia natalem habuit in regno Oari, parentibus genere et opibus claris. Is recenter baptizatus, aedem fratrum incolebat in civitate Ozacae, ubi una cum Leone Carazumano institutioni neophitorum aliisque piis exercitiis operam dabat. Cum p. Martino de Aguirre ibidem a militibus captus et Meacum adductus, una cum aliis summa animi constantia martyrium consummavit.

Cosmas Taquia m. *Martinez ibid. pag.* 118.

LX. Thomas Danchi, sive Idanqui Meacensis regeneratus a patribus societatis Iesu, vetusque christianus vocatus, interpretis munus gerebat in coenobio franciscalium eiusdem civitatis. Pauperum erat solatio; pro eis enim recipiendis ac alendis aedem suam velut diversorium constituerat. Verbo ac exemplo universam domi suae familiam ad evangelicae veritatis lumen adduxit.

Thomas Idanqui m. *Idem ibid. p.* 119.

LXI. Bonaventura, alii Ventura Meacensis, *qui*, ut scribit Frois, *in tenella sua aetatula a patre christiano fonte baptismatis erat elutus; deinde pupillus relictus, in bonzorum ordinem descíverat*, inter quos XX. annorum spatio diversatus: *sed quadam die memoria repetens se baptizatum per fratres franciscanos*, ideat per Petrum Baptistam commissarium, *ecclesiae sanctae restitutus est, quibus inserviens tam felicem meruit fortunam.* Apostasiae maculam corporis afflictationibus, vigiliis ac demum glorioso pro fidei Christi triumpho abstersit.

Bonaventura Meacensis m. *Frois ibid. n.* 108. *Martinez ibid. pag.* 119.

LXII. Gabriel ex regno Yxe annorum XIX. eodem glorioso fine vitam cum morte crucis viriliter commutavit. Eum ad fidem Christi adduxerat Gonzalvus Garcias laicus, baptismatisque lavacro regeneratus a laudato b. Petro Baptista. In eo florebat mirae vitae puritas, fervensque charitas in suscipiendo eucharistiae sacramento ac in meditandis divinis. Lacrymis ac suspiriis Deum suum exorabat, ut dignaretur aperire oculos mentis tot infidelium in umbra mortis misere sedentium. Eum velut sanctum ab omnibus habebatur.

Gabriel de Yxe m. *Idem ibid. p.* 121.

LXIII. Ioannes Quizvia, alii Chimoza Meacensis, baptismate donatus hoc eodem anno quo martyrium summa animi constantia subiit, vinculis constrictus in eodem coenobio una cum aliis. Suo exemplo etiam uxor eius ac unicus illius baptisma susceperant; qui quidem divinis obsequiis semper praesto erant in ecclesia eorumdem fratrum.

Ioannes Quizvia m. *Idem ibid. p.* 122.

LXIV. Ioachim Saquiye, patria Ozacensi, vix novit uxorem suam aqua baptismatis regeneratam a p. Marcello de Ribandeneira, ad aedem fratrum accedens instanter petiit et ipse sacrum baptisma. Verum cum pro explendis quibusdam religionis negotiis ille abesset e Nangasachi coenobio, gravi morbo correptus, ab altero christifideli baptisma suscepit. Eo vix collato, cum animae et corporis sanitatem obtinuisset, grati animi erga Deum causa totum se dedit in assequendis virtutibus humilitatis, asperitatis ac orationis. Famulabatur infirmis in nosocomio eiusdem coenobii ac ipsis fratribus, quoquinae insuper munus gerens. Charitate Dei vulneratus, vitam pro eo dedit in ara crucis anno aetatis suae XL.

Ioachim Saquiye m. *Idem ibid. p.* 123.

Digitized by Google

ANNO CHRISTI 1597. CLEMENTIS VIII. AN. 5. ET 6. RODULPHI II. ANNO 21. RELIGIONIS MINORUM ANNO 390.

Paulus Ibariqui m. *Idem ibid. p. 134.*

LXV. Paulus Ibariqui ex Oari regno, germanus beati martyris Leonis Carazumani, cuius ope ad fidei lumen pervenerat. Ut quae a religiosis agebantur et ipse praestaret, penes eorumdem coenobium aedem extruxerat, ubi precibus et vigiliis vacans, pauperibus ac infirmis cibaria suppeditans, quamplures infideles Christo Iesu attraxit. Interpretis munus penes eosdem fratres explebat.

Michael Coxaqui m. *Idem ibidem.*

LXVI. Michael Coxaqui, pater adolescentuli Thomae Coxaqui, de quo supra, ex regno Yxe, vir candidi moris eximiaeque humanitatis erga omnes. Ut fratribus solicite inserviret, domum erexit penes coenobium, quam etiam paratam voluit pro curandis infirmis, pro enutriendis pauperibus, hospitandisque illis qui e remotis locis adveniebant, recepturi sanctissima ecclesiae sacramenta. Multa item contulit pro instruendis coenobiis Meaci et Ozacae. Cum ad martyrium duceretur cum filio, tantus erupit tum in viris, tum in singulis feminis familiae suae fidei ardor, ut sese sponte offerrent ad illud fortiter subeundum cum illis.

Mathias Meacensis m. *Ann. min. ad an. 1596. num. 9.*

LXVII. De b. martyre Mathia Meacensi iam suo loco egimus, qui sicut et caeteri crucis patibulo impositus, laetus et gaudens sanguinem fudit pro Christo.

Franciscus Fabelante m. *Martinez ibid. pag. 125.*

LXVIII. Illustribus fidei confessoribus accesserunt alii duo Adaucti, quorum charitas in sanctis martyribus opitulandis in admirationem etiam movit animum ipsius Taycozamae. Alter fuit nomine Caius Fabelante, in confirmatione appellatus Franciscus. Cum in custodiam Meaci conjecti fuissent iidem fratres, ipse se quoque christianum professus est, eosque crebro invisebat. Ad circumvectos per compita se inde adiunxit, ipsasque subiens carrucas. Tanta illi erat cupido martyrii! Neque interim fustibus aut lictorum securibus submoveri unquam potuit, vires ei ac constantiam suggerente Deo. Ozacam, Sacaiumque comitatus, perpetuo eis in carcere ministrabat, ac una cum illis summa laetitia martyrium consummavit.

Petrus Suquezico m. *Idem ibidem.*

LXIX. Actus etiam fuit in cruce nobilis Christi athleta Petrus Suquezico, alii Suchegirus civis Meacensis, familiaris sodalium societatis Iesu, qui ex mandato p. Leonis Organtini praesidis eorum domus operam suam locaverat captivis, quorum erat per viam comes. In eum sicut et in Franciscum mox laudatum lictores iniecere manus; at prius utriusque peculium in levamen beatorum martyrum concessum rapuere.

Paulus Miki m. *Acta ss. ibid. num 91. et seq.*

LXX. Consors eorumdem beatorum martyrum fuit et Paulus Miki e societate Iesu sacerdos, in Ava regno Iaponico nobili genere ortus, traditus subinde a parente suo christiano p. Leoni Organtino educationis causa. Factus insignis verbi Dei praeco, multos in iis regionibus infideles Christo regeneravit, praesertim in Ozaca finitimisque locis. Acriter bonzorum errores ac fraudes insectabatur voce non solum, sed scriptis etiam magno rerum apparatu exornatis, quibus et christianos confirmabat et vanissimam superstitionem detegebat. Anno MDXCVI. dum ipse incolebat residentiam illius civitatis, Marcellus a Ribandeneira franciscanus amicitiam iniit cum eo, de quo ipse sic scripsit: *bis, terve ad conventum nostrum venit* (Naugasachi), *ac tum perspexi virum esse silentii et modestiae observantem ac reipsa ostendere, quantum undecim quot in societate vixit, annis, addidicisset boni. Inter omnes fratres, qui, quando in Iaponia fui, concionabantur, hic sanctus martyr apud christianos maxime concionator audiebat, ac luculentum prae caeteris fructum facere dicebatur, flagrantemque zelum declarare non verbis magis quam affectu ipso.*

Digitized by Google

LXXI. Mirus eius animarum salvandarum zelus praecipue emicuit in quodam ethnico ad mortem damnato. *Decem vel duodecim*, inquit Frois, *diebus ante attributas Ozacae aedibus nostris excubias, obviam forte factus* Paulus *turbae ex magistratus edicto deducenti hominem ethnicum, ob nescio quod scelus, ad supplicium, magno animo facta via per confertam multitudinem penetrat ad reum: concionatur homini usque ad locum, ubi capite erat mulctandus; cedentem veritati baptizat, et invocantem nomen Iesu et Mariae, in coelum mittit.* *Ibidem num. 106.*

LXXII. Inde Ozacae imperatoris Taycozamae mandato comprehensus, cum Meacum duceretur, singulari animi voluptate haec commilitonibus dicebat: *triginta et tres vixi annos, qua ipsa aetate pro nobis mortuus est Christus. Hodiernus dies* (calendis Ianuarii) *sanctissimo nomini Iesu sacer, cuius ego societati, indignus licet, adscriptus sum. Quarta feria est, qua a iudaeis venditus est idem Christus Iesus. Dicunt nos feria sexta cum eo quoque morituros. Exulto vehementer, quod ut tantilla in re Dominum meum, tanta mea causa perpessum, imitari mihi, quamquam immerenti liceat.* In ipso vero carcere fusis suae laetitiae lacrymis, Deo gratias prolixe agebat, quod sibi hanc impertitus esset felicitatem, ut ipsum aliquo modo imitaretur. Gratias etiam egit fratribus franciscanis, quod sub eorum umbra beneficium martyrii a divina misericordia esset consequuturus. *Ibidem num. 98.*

LXXIII. Cum Nangasachum in conspectum crucis sibi paratae adveniret, adstantibus christifidelibus dixit: *declaro vobis nullam esse ad salutis viam, nisi quam tenent christiani. Quae cum doceat me ignoscere inimicis et omnibus qui offenderunt, ego libenter regi omnibusque meae mortis auctoribus ignosco eosque rogo, ut christiano baptismo initiari velint. Hinc oculis in socios conversis, coepit eos in hoc extremo conflictu animare.* Priusquam lancea transfigeretur, ait: *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Subvenite sancti Dei etc.* *Ibidem num. 109.*

LXXIV. Cum eodem etiam martyrii sortem consequutus est Iacobus, vel Didacus Quizay, alias Kisai ex Bigensi regno, annorum LXIV. christianus perantiquus, et boni exempli vir, in societatem admissus sub ipsum quo comprehensus est, tempus. Is in eorum domum se receperat, ut totum se Deo consecraret; in qua magna charitate rerum externarum curam gerebat; singulari vero affectu meditationi passionis Christi vacabat. Comitem habuit in martyrio Ioannem Soan, de Goto etiam dictus, quia in ea insula, prima quae ex India in Iaponiam navigantibus occurrit, natus. Catechismi doctrina a patribus societatis Iesu egregie eruditus, Ozacam missus fuit, ut Petro Morriggionio iuvaret ac sacrum facienti ministraret. Moribus integris, fortique animo praeditus erat; poterat certe, priusquam Ozacanae illius residentiae apponerentur vigiles, se periculo subducere; noluit tamen, ut sacrarii cui praeerat, in tuto supellectilia custodiret. Iacobus, vel Didacus Quizay m. *Ibidem num. 106.* Ioannes de Goto m. *Ibidem num. 112. et seq.*

LXXV. In horum martyrum agone Iaponus quidam cum a fide iam defecisset atque ad eorum caedem operam contulisset, ut eos vidit tanta laetitia in tormentis profusos, audivitque Deum pro salute imperatoris aliorumque inimicorum suorum, quinimo et pro eis qui cruci affixerant, orantes, mox Christi fidem multis lacrymis quam deseruerat, publice professus est. Auctor est Ioannes Nierembergius iesuita, Paxamburum in lacrymis effusum cum cerneret ita atrociter beatos martyres necari, Nangasacho abcessisse, urbano praetori reliqua explenda commisso. *Ibidem num. 119.*

Digitized by Google

LXXVI. Ardens interim fuit christifidelium spectantium studium, qui nullo amittendae vitae periculo deterriti, inter carnifices ad cruces accurrebant vel ut martyrum sanguine sudaria imbuerent, vel ut ex tunica aliquid haberent, vel ut reliquiarum loco aliud aliquid tollerent. Cum autem a remotis etiam regionibus multi alii christifideles, eo licet duplicatis custodibus, affluxerint, de martyrum vestibus quid accepturi; hinc factum est, ut aliquorum ex ipsis corpora viderentur in cruce non satis decenter contecta, quae tamen certis storeis vestium loco operta fuere.

LXXVII. Admirabilius tamen est, quod de bb. Pauli Miki, Petri Baptistae, et Martini ab Ascensione sanguine narratur. Venerat Nangasachum cum mercatoribus lusitanis miles Natus Ioannis Baptistae nomine, eo ipso tempore quo acti erant in crucibus martyres. Pileo is exceperat sanguina bb. horum martyrum alteriusque Iaponis, quem deinde in ampulla condidit atque adservavit. Nono post mense coram vicario generali episcopi Iaponen. et Sinen., praesentibus viris religiosis, sex ordinis minorum, uno ex praedicatorum familia, duobus de societate Iesu presbyteris aliisque, quorum unus medicus, reserato vasculo inventus fuit sanguis omnino fluens, ac velut recens fusus et calens, nihil mali odoris effundens.

LXXVIII. Sub vesperas eiusdem diei Petrus Martinez e societate Iesu episcopus Iaponen., qui ut scribit Boretius, e fenestris aedis suae singulorum martyrum agonen spectaverat, ad locum in quo cruciibus affixa erant eorum corpora, cum universa familia sua advenit, ea positis humi genibus veneratus. Quae vero viderat per epistolam cuius authographum Manilae extat, sota reddidit Ioanni de Garravillas ministro fratrum provinciae s. Gregorii Insularum Philippinarum.

Multum reverende in Christo Pater. Pax Christi.

Boretius pag. 1254. *Non possum non collaetari paternitatibus vestris et cum sua sancta religione de felicissima morte sex religiosorum sui ordinis, patris fratris Petri Baptistae commissarii, patris fratris Martini, patris fratris Francisci Blanchi, patris fratris Philippi, fratris Gonsali Garzine, et fratris Francisci qui isthic Nangasachi ex praecepto Taycosamae crucifixi fuerunt, culpam obiicientis illis nostram sanctam fidem eos in Iaponia praedicasse. Sed istae eorum mortes sanctificant, propter quas omnes Domino nostro gratias infinitas agimus, et tam felicis mortis atque eximii exempli (quod nobis reliquerunt) invidia quadam sancta afficimur. Sub umbra autem illorum, tres fuere et decem ex septem christiani Iapanenses quos omnes simul cum sanctis fratribus viginti sex pie credimus, in festo sanctae Agathae sexto Februarii in paradisum introisse triumphantes de tyranno, qui eos iussit interfici, et de morte quam eis intulit, honorantibus ipsis pariter beatis religiosis suum religionemque tam praeclarum charitatis et fortitudinis exemplum relinquentibus, ut eorum sanguine conspecto animati, ad strenue pugnandum parati simus, et ad vitam ipsam pro tam sancta tamque honorificata nostrae sanctae fidei causa offerendam parati simus. Lusitani aedificatissimi remanserunt ex verbis quibus patres in cruciibus mortui sunt, quibusdam psalmos et hymnos recitantibus, aliis a Deo pro suis interfectoribus veniam petentibus, aliis dicentibus, in manus tuas, Domine etc., aliis eandem piis excipes complectentibus, et tanto favore indignos et exaltantibus. Pater frater Petrus particulari virtute quadam magni nostri Dei praeditus fuit; cum enim carnifex cruci brachium annulo pectoris digito*

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1597.	an. 5. et 6.	anno 21.	anno 390.

invenens volum manus, ait: hic, frater, clavum fige. Non scribo p. v. huius martyrii particularitates, nec tyrannidis quam imperator in navem s. Philippi exercuit, ne miserabilia scribam; quae si scribenti dolorem offerunt, quanto magis illis qui ea passi sunt? Isthinc veniunt testes oculati. P. V. his bonis de gloriosa suorum fratrum morte nuncis pacato ac laeto animo sit, neque in numero devotorum insignium suae religionis habeat, ac in rebus ad suorum obsequium pertinentibus paratum experiatur. Suis devotis orationibus etiam atque etiam me commendo.

Datae Nangasachi xxvii. Februarii anno mdxcvii.

Vestrae paternitatis servus Christi

Petrus epis. Iaponen.

LXXIX. Horum martyrum aderea multis prodigiis a Deo illustrata fuit. Post eorum agonem in feria sexta conspecti fuerant per noctem in aere ad eam partem qua ipsi in cruce pendebant, tres ingentes instar ignae columnae radii, dante quodammodo coelo eorum gloriae testimonium ac evangelicum lumen Iaponiae gentis. Harum columnarum media binis horis illuxit super ecclesiam societatis Iesu; et nox quae antea obscura caligine horrebat, mox vivida luce resplenduit. In loco ubi visa erat columna, multae inspectae fuere scintillae stellis similes. Per longum temporis spatium quavis feria sexta supra campum martyrum multae illuxerunt stellae candelarum instar, quae ad ritum quemdam supplicationum motae, subsidebant ad nosocomium s. Lazari, quod prima eorumdem martyrum sedis fuit, cum Nangasachum advenere; inde vero ad locum qui eremus Delparae dicitur, ferebantur. Addit Baretius, modico post tempore intuitam fuisse ad ortum velut sagittam igneam, et illico similem ad occasum; dein ad ortum supra aedem eremeticam Delparae conspectas plures stellas variatas, nunquam visas: hoc prodigium ad horas quatuor, spectantibus iaponis et lusitanis qui prae terrore Dei misericordiam confuso clamore implorabant, duravit. *Baretius pag. 1246.*

LXXX. Eorumdem exanima corpora adeo remanserunt speciosa, ut iapones nem plane insolitam mirarentur ac praedicarent. Quadragesimo quarto post die lusitani eo advenientes martyrum corpora visitavere, ut certius testare cuncta valerent, et eorum digna admiratione quae inerat forma primaeva, viderunt. Et licet per bimestre in crace pependissent, singuli tamen formosam faciem ac si animati essent, retinuerunt. *Benedictus XIV. de beatif. et canon. st. tom. 3. app. 3. p. 396.*

LXXXI. Licet ea diu patibulis affixa, suavissimum tamen odorem spirabant. Attamen cum exsiccata aliqua eorum ossa in terram decidissent, a christifidelibus religiose collecta, alio cum caeteris eorumdem reliquiis asportarunt. In aede Meaci societatis Iesu venerantur reliquiae b. Pauli Miki, cineres b. Ioannis Soan, et reliquiae b. Iacobi Kisai. Scribit Cardosus in martyrologio franciscano lusitano asservari Manilae in ecclesia discalceatorum chlamydem b. Petri Baptistae utrumque dexteram qua sodis cruci affixis benedixit, retinentem etiamnum ligneam stimamque benedicendi. Aliae etiam adnotatae fuerunt a Dominico Martinez in Manilensi coenobio discalceatorum veneratae, nimirum sententia obortis lata a Payezania contra beatos martyres, crux in qua affixus fuit b. Martinus ab Ascensione, aliquot tibiae, manus, pedes et quatuor eorumdem capita. *Acta ut. ibid. n. 139.* *Apologium lusitanum ad diem 5. Februarii.* *Martinez ibid. pag. 74. 78.* *Benedictus XIV. t. 3. pag. 397.*

LXXXII. Vulgata hb. martyrum fama editisque per eorumdem intercessionem quamplurimis prodigiis, eo res processit, ut ab Hispaniarum rege, a civibus Amacanensibus, Manilensibus ac ab ordinis franciscalium praesidibus

Digitized by Google

Idem ibid. pag. 390. et seq.

supplices litterae darentur ad summum pontificem Paulum v. pro assequenda beatorum mm. canonizatione. Petitis annuit pontifex anno MDCXVI., cuius mandato delecti fuerunt tres sacrae rotae auditores, nimirum Ioannes Baptista Coccinus decanus, Alphonsus Manzanedus patriarcha hierosolymitanus et Philippus Pirovanus auditor, ut martyrum acta et probationes expenderent, iudiciumque super ea proferrent. Hinc plures epistolae dimissoriales vulgatae fuere. Omnium prima missa fuit ad archiepiscopum Mexicanum, et ad episcopum Tlaxcalen.; altera item ad episcopum Tlaxcalen. ac ad duas dignitates eiusdem ecclesiae; tertia ad vicarium provincialem Iaponiae ordinis praedicatorum, ad p. Ioannem de Rueda, et Hyacinthum Orfanel; quarta ad archiepiscopum Manilien. et ad duas dignitates eiusdem ecclesiae; quinta ad vicarium provincialem societatis Iesu Iaponiae ac ad duos patres dictae societatis: postrema ad archiepiscopum Goanen. ac ad episcopum Amacan. sive Chinen.

LXXXIII. Post insumptum ob locorum distantiam ac difficultates ingentem laborem, tandem beatorum martyrum acta quae originalia iam vidimus, in unum congesta, rigoroso examine ab ipsis sacrae rotae auditoribus expensa veritatisque consona inventa, iidem auditores, Paulo v. e vivis erepto, Urbanum VIII. pontificem, ut iisdem protomartyribus Iaponensibus solemnes honores dignaretur indulgere, exorarunt.

Beatissime Pater

Idem ibid.

Ex ultimis terrae finibus in tuum conspectum prodeunt hodie invicti fidei pugiles christianae religionis testes, constantes catholicae veritatis assertores: tuae sanctitatis se sistunt formosi in stolis suis, in accepto gloriantes vulnere ipsis honorifico, aliis salutari. Ad remotissimas enim orbis plagas progressi, ut Christi nomen portarent coram gentibus, tolerarunt fortiter usque ad consummationem gloriae durissimam quaestionem, et divino quodam usi doctrinae compendio pro salutifera gloriosi nominis confessione ita occubuerunt, ut plurimos ex mortifera infidelitatis caligine ad luminosam vivificae fidei professionem erexerint. Et nimirum, cum illi censendi sint verae fidei magistri qui et fidem proprio sanguine confirmant, et pluries pariunt Christo discipulos moriendo quam docendo, ita probatum est in horum martyrum tormentis, in remotissimis Indiis plures christiano nomini ex cruce quam ex cathedra aggregasse discipulos, dum insignes magistros viderunt, eam fidem quam verbo docuerunt, sanguine rubricasse. Istos defensores fidei hodie beatitudini vestrae praesentamus, ut etiam in ultimis finibus terrae perspiciat, quales habeat christiana religio fortes athletas, et quantum undique catholica fides suscipiat incrementi, et quantum in illis partibus propagetur et dilatetur. Quae magis absque dubio augebitur, dum novella illa fidei germina viderint suos magistros sanctorum honore celebrari, et quam ab eisdem hauserunt doctrinam, in publico eorumdem cultu firmiter approbari. Iaponensi enim ecclesiae isti novellae, cuius triumphum narraturi sumus, beatissime pater, bene aptantur verba coelestis sponsi Cantic. 8. *Soror nostra parva est et ubera non habet: quid faciemus sorori nostrae in die, quando alloquenda est? Ecclesia enim ista Iaponensis parva est et ubera non habet: parva non solum annorum aetate, sed exortae tempestatis grandine percussa: ubera denique non habet, quia ministros et doctores evangelicos persecutionis pruina partim martyrio sustulit, partim in latebris abdidit, unde nonnisi furtim et in occulto teneros adhuc filios christiano lacte*

nutrire possit. Quid enim faciemus sorori nostrae in die quando alloquenda est? nempe quando a tyrannis de fide sua interroganda est? Remedium est in promptu: si murus est, aedificemus super ea propugnacula argentea. *Martyres enim ecclesiam, sicut columnae sustinent. Habet iam ecclesia Iaponensis plurima martyrum propugnacula, nondum tamen argentea, nempe huius apostolicae sedis approbatione honorata. Quod si a s. v. obtinuerint isti primi martyres, o quot alii ad fidem allicientur odore istius portae cedrino! Et maxime quando viderint istos martyres describi in cedro, apostolicae sedis calamo nunquam iam abolendos, sicque in dies magis ac magis propagabitur in illis partibus fides; quatenus viderint magistros qui doctrina proprio sanguine et exemplo meruerunt in sanctorum numero referri, et a sanctitate vestra declarari: tunc enim libentius imposterum* Deo servient viventi, illique soli honorem et gloriam dabunt, qui hactenus immolarunt perituris.

LXXXIV. Dies tandem illuxit, postulantibus fratribus minoribus tam pro suis, quam pro tribus aliis societatis Iesu martyribus, qua idem summus pontifex, ut ecclesiae Iaponicae tot martyrum rigatae sanguine aliquod in terra solatium patrociniumque in coelum impenderet, eos in martyrum album retulit, divinumque officium concessit, hac vulgata constitutione.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi, qui milites suos inclytos quorum mors pretiosa est in conspectu eius, immortalitatis corona donat in coelis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, pia christifidelium, praesertim catholicorum regum vota, per quae eorumdem sanctorum militum veneratio promovetur et laudatur Dominus in sanctis suis, ad exauditionis gratiam libenter admittimus favoribusque et gratiis prosequimur opportunis. Cum itaque sicut dilectus filius Petrus Baptista procurator fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia, discalceatorum nuncupatorum provinciae s. Gregorii Philippinarum et Iaponiae, nobis nuper exponi fecit venerabiles fratres nostri sanctae romanae ecclesiae cardinales sacris ritibus praepositi in causa canonizationis viginti trium martyrum, videlicet Petri Baptistae et sociorum eius ex dicto ordine, quorum nempe sex professi, caeteri vero laici, familiares et coadiutores eorumdem sex professorum erant, quique omnes pro Christi nomine in oppido civitate nuncupato Nangasaqui, extra muros in regno Iaponiae crucis affixi et transverbarati fuerunt, in sacro rotae auditorio, et deinde de mandato nostro ab eisdem cardinalibus, referente dilecto filio nostro Tiberio tituli s. Priscae presbytero cardinali Muto nuncupato, discussa, censuerint constare de martyrio et miraculis, ideoque ad actualem illorum canonizationem quandocumque deveniri posse: superiores vero dicti ordinis pro eo quem erga eosdem martyres gerunt devotionis affectum officium et missam de illis, donec ad solemnem eorum canonizationem, pro qua non solum dictus Petrus eorumdem fratrum nomine, verum etiam charissimus in Christo filius noster Philippus rex catholicus ac charissima in Christo filia nostra Isabella regina catholica Hispaniarum, necnon universa civitas Maniliensis et Sinensis seu Machanensis, aliique nobis per eorum litteras ad nos transmissas humiliter supplicarunt, deveniatur, ut

Martinez ibid. pag. 82.

Digitized by Google

infra recitari posse, plurimum desiderent. Nos piis eorumdem superiorum votis huiusmodi quantum cum Domino possumus, annuere illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus dicti Petri eorumdem superiorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, ut de eisdem martyribus tam ab omnibus dicti ordinis s. Francisci religiosis ubique existentibus, quam etiam aliis ecclesiasticis et saecularibus personis Manilensis dioecesis dumtaxat (ubi praecipui dictorum martyrum pro Christi fide laborantes valde profecerunt) officium et missam de communi plurimorum martyrum die eorum natalis, videlicet die v. Februarii recitari et celebrari respective libere et licite possit et valeat, apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impertimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die xiv. Septembris MDCXXVII. pontificatus nostri anno v.

M. A. Maraldus.

Similia indulsit die xv. Septembris: *Salvatoris* patribus societatis Iesu pro martyribus eiusdem sodalitii.

LXXXV. In horum mm. festivitate Clemens XII. indulgentiam plenariam concessit.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat, ut coelestium munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos erogemus, cum ad augendam in terris sanctorum in coelis cum Christo regnantium veneralionem, excitandamque et confovendam erga illos fidelium devotionem ac ad animarum salutem, speramus in Domino profuturam. Supplicationibus itaque dilecti filii Michaelis Angeli a Gallipoli, procuratoris generalis cismontanae familiae ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum nomine, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac bb. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum et monialium dicti ordinis tam hactenus erectis quam in posterum erigendis, die quinta mensis Februarii in qua recolitur memoria martyrii Sanctorum viginti trium martyrum Iaponensium eiusdem ordinis, nempe Petri Baptistae et sociorum, a primis vesperis usque ad occasum solis diei, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac s. matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam; monialibus vero supradicti ordinis ac aliis in earum quolibet monasterio nunc et pro tempore degentibus, vere pariter poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, quae suam respective ecclesiam in die praedicto visitaverint et, ut praefertur, oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die xiii. Iulii MDCCXXXIX. pontificatus nostri anno ix.

Digitized by Google

ANNO CHRISTI 1597. CLEMENTIS VIII. AN. 5. ET 6. RODULPHI II. ANNO 21. RELIGIONIS MINORUM ANNO 390.

LXXXVI. Beatorum martyrum memoria a multis scriptoribus commendatur. Ac primo quidem a coevis. Eminet inter eos Ludovicus Frois iesuita in horum martyrum historia missa ad Claudium Aquaviva praepositum generalem; qui quidem auctor Nangasachi obiit mense quinto post martyrum agonem. Item Marcellus de Ribandeneira hispanus provinciae s. Iacobi minorita de observantia scripsit *vitam et gesta martyrum Iaponensium*, quorum obitus si non spectator nec martyrii particeps fuit, quia a Taycozama in exilium pulsus, tamen id audivit a fide dignis qui una cum eo Iaponiam hoc tempore advenerant, zelo fidei propagandae ducti. Opus editum fuit anno MDCI. Barcinone. Ludovicus Guzman iesuita vulgavit Compluti eodem anno in duos tomos hispanico idiomate gesta patrum societatis Iesu in India, China, ac praesertim in Ioponia. Romae anno MDXCIX. hispanice prodiit *relatio martyrum Iaponensium* cum additionibus Francisci Gemmae romanae rotae auditoris, scripta a Ioanne a s. Maria provinciae s. Iosephi ministro. Haec italice legitur in quarta parte chronic. s. Francisci lib x. a cap. LVI. ad caput LXXVI. per Bzetium translata vel edita. Idem auctor de eis agit in chronica provinciae s. Iosephi part. I. lib. II. cap. XLVII. et par. II. lib. III. a cap. I. usque ad XXV. Dicatus Innocentio X. pontifici prodiit Romae anno MDCXLVI. liber inscriptus *fasciculus e Iaponicis floribus suo adhuc manantibus sanguine*, auctore Antonio Francisco Cardim societatis Iesu, provinciae Iaponiae ad Urbem procuratore. Fusiori tamen calamo acta martyrum notarunt Ioannes Franciscus a s. Antonio tom. III. chronicae provinciae s. Gregorii Philippinarum insularum, inde in compendium redactae a p. Dominico Martinez. Alii etiam de eis scripserunt. Anonymus Hispanus composuit vernacule *historiam bb. martyrum Iaponensium Petri Baptistae et sociorum ex authenticis testimoniis* ad Philippum III. Hispaniarum regem missam, quae mss. extat Matriti in bibliotheca Marchionis de Villena. Item Barcinone anno MDCXVIII. edidit a se librum scriptum *de vita et miraculis bb. mm. Iaponensium Petri Baptistae ac sociorum* Alphonsus Balsalobre Hispanus franciscanus.

Acta ss. ibid. num. 75.

Wadd. de script. tit. M.

Acta ss. ibid. num. 79.

Wadd. et Sbaralea tit. I.

Sbaralea tit. A.

Idem tit. A.

LXXXVII. Hoc anno solicitudine p. Bartholomaei a Monte-reali ministri provincialis conventualium provinciae Umbriae ossa b. Andreae Hispellatis quae a sui obitus tempore iacuerant lapidea in arca, novo loculo occlusa, translata fuerunt ad altare s. Andreae eiusdem ecclesiae cui praesunt iidem patres conventuales. Facti memoriam exscribimus. « Anno a nativitate Domini MDXCVII. indictione X. tempore pontificis sanctissimi in Christo patris et domini nostri d. Clementis divina providentia papae VIII. anno VI. die vero XI. mensis Aprilis, illustris et adm. rev. d. Vincentius Matthaeus Venantius abbas st Silvestri de Monte Subasio pro illmo et rmo d. Paulo Sanvitali episcopo Spoletino vicarius foraneus terrae Hispelli, necnon et rmus p. magister Philippus Ser-Georgi provincialis ordinis seraphici patris s. Francisci se contulerunt in ecclesiam s. Andreae terrae praedicti Hispelli, et facta oratione more debito ad altare b. Andreae existente in dicta ecclesia s. Andreae, in angulo dextro subtus pulpitum, et retro dicti altaris repererunt sepulcrum, lapidibus ac rasura a dextra facie versus dictam ecclesiam munitum. Quo quidem sepulcro discooperto, invenere adesse capsam ligneam, fere rasam et consumptam, crucibus tribus laminarum ferri munitam cum duabus ferraturis rotundis. In qua quidem capsa aderant recondita ossa b. Andreae, necnon et cineres; inter quos fuerunt reperta fila serica rubri coloris numero undecim, in quibus apparebant appensa fuisse moneta, quae temporis vetustate corrupta et consumpta videba-

Acta ss. ad diem 5. Iunii.

Digitized by Google

tur. Quae quidem sacra ossa fuerunt recondita, delavata et postmodum reposita in capsa nuceo, et clausa clavibus duabus; quarum una remansit penes magnificos dominos priores terrae Hispelli, conservanda in *capsa dictae communitatis* per priores in magistratu pro *tempore existentes*; altera vero penes guardianum dicti conventus s. Andreae.

Ex proces. p. 245. LXXXVIII. Arcam in qua sacrae exuviae venerantur b. Gaudulphi a Binasco hoc tempore Emmanuel de Quero episcopus Cephalediensis invisit, qui cum omnia decenter condita reperiisset, sine ulla mutatione reliquit. Anno MDXC. eumdem sarcophagum reseraverat Franciscus Gonzaga eiusdem urbis episcopus. Idipsum praestitit anno MDCVII., et anno MDCXIV. Martinus Miranitem episcopus, ut per Philippum Clariana notarium exemplar illius vitae ex authographo in arca conservatum exciberetur, illudque traderetur Octavio Caietano iesuitae ss. Siculorum acta Panormi edituro.

Annal. min. ad an. 1590. num. 126. Ex processu pag. 251. et 228.

Annal. min. ad an. 1529 num. 35. Apologium Lusit. ad diem 26. Maii. LXXXIX. Ossa Petri Guardiensis laici, magnae sanctitatis viri quae ab anno circiter MDXXIX. loco aquis referto iacuerant prope claustrum coenobii s. Bernardini Insulae Lignorum in provincia Portugalliae, hoc anno die XXVI. Maii illata fuere in aram maiorem ecclesiae ad evangelii latus, favente Aloisio Figueredo de Lemos, episcopo Fungalensi. Cum autem ad eius tumulum quamplurima per dies ederentur miracula, potione potissimum illius aquae unde febricitantes, paralytici, podagra affecti aliique sanitatem recuperabant, idem episcopus potestate ordinaria processum inchoavit pro eius canonizatione apud apostolicam sedem introducenda. Acta congessit complevitque; verum ulterius minime processit.

Ughel tom. 3. p. 656. Muratori rerum italicar. tom. 1. in supplem. p. 1124. XC. Massaeum Bardi episcopum Clusinum ex minorum observantiam instituto anno MDLXXXV. obiisse, ac in episcopatu successorem habuisse Ludovicum Martelli scribit Ughel. At novimus ex Ioanne Gori de Senalonga laudato Bardi coevo, anno MDXCV. adhuc episcopum illius ecclesiae fuisse, ac eodemet anno fastigium turris in sua cathedrali posuisse. Unde corrigendum est ab eo relatum monumentum quod vulgamus: *Massaeus Bardius Florentinus episc. Clusii culmen huius turris proprio aere construxit anno Domini* MDLXXX(X)V. Alii vero tenent eum occubuisse anno MDXCVII. Qua in re nobis arridet cl. Muratori placitum, qui dicit anno MDXCV. forte claustrum repetiisse, electumque eius loco laudatum Martelli. Incerta tamen, ut sunt, ponimus. Indubium vero est ipsum penes suos Florentiae in coenobio omnium SS. pie occubuisse. In supremis tabulis caverat, ut eius corpus Clusium adsportaretur, mandareturque tumulo ea in cathedrali ecclesia.

Annal. min. ad an. 1575. n. 154. ad ann. 1576. n. 36. 47. XCI. Dies etiam complevit suos hoc tempore Franciscus Sporenus Ulmen. eiusdem ordinis, episcopus Sebastensis, de quo plura nos diximus, tumulum nactus in ecclesia s. Petri in Ianiculo de Urbe, hoc inscripto epitaphio in cornu epistolae aris maioris quod nunc desideratur.

D. O. M.

FRA. FRANC. SPORENO ORD. MIN. FRANC. SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORI . . . BASTEN. . . APVD . . . SVMMOS PONT. PRO SERENISSIMO FERDINANDO AVSTRIAE ARCHID. ORI . . . ANDREAE CARD. AB AVSTRIA SVMMOPERE CARO VIX. ANN. LXVII. OBIIT V. IDVS OCTOBRIS MDXCVII.

XCII. Item aetatis anno LXVI. obiit Nicolaus Ramos, natus anno MDXXXI. Villasabae dioecesis Palentinae in provincia Conceptionis, vir praestans mo-

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1597.	an. 5. et 6.	anno 21.	anno 390.

ribus ac doctrina, primo episcopus de Portudivite in insula Cubae, inde ad archiepiscopatum s. Dominici, vulgo insulae Hispaniolae anno MDXCVI. translatus. Aliqua edidit de quibus nos notavimus ad annum MDLXXVI. *Annal. min. ad an. 1576. n. 46. ad ann. 1589. n. 22.*

XCIII. Ante altare maius ecclesiae s. Mariae maioris Tiburis habetur memoria dd. cardinalium Hippolyti et Aloisii ex illustri familia de Atestinis.

D. O. M.
HIPPOLYTO ET ALOISIO
PRINCIPIBVS ATESTINIS
S. R. E. CARDINALIB.
CAESAR ATESTINVS MARCHIO
PATRVO ET PATRVELI
BENE DE SE MERITIS
P. CVRAVIT
AN. MDXCVII.

XCIV. Inter minores de observantia episcopalem dignitatem obtinuerunt die VIII. Ianuarii pro ecclesia Tudensi Franciscus a Tolosa iam minister generalis ordinis; die X. Novembris pro ecclesia s. Iacobi de Cuba Bartholomaeus de la Plaza; Antonius Diaz iam episcopus s. Iacobi de Cuba transfertur ad ecclesiam de Nicaragua.

XCV. Aliquot viri docti hoc tempore florebant. Antonius Delgado minorita de observantia a secretis commissarii generalis Indiarum edidit Toleti apud Thomam de Guzman hoc anno, iterumque anno insequenti hispanice *regula et arancel de prelados*. Philippus Diez eiusdem instituti Lusitanus vulgavit Salamanticae typis Ioannis Fernandez *consideraciones seu conciones XII. pro omnibus actis vel functionibus generalibus quae in ecclesia Dei celebrantur*. Latine prodierunt postea Venetiis. Compluti edidit Franciscus Sanchez hispanus ex provincia s. Iacobi librum ab eo scriptum, cui titulus *passio duorum*, scilicet de passione Iesu Christi, et de compassione b. Mariae virginis. Claudius Picquet Gallus ex s. Bonaventurae provincia edidit *commentaria super evangelicam fratrum minorum regulam, ac s. Francisci testamentum*. Scribit Waddingus Angelum Galliottum Siculum vulgasse hoc anno Panormi quatuor volumina de *monarchia mundi, et de familiis Siculis antiquis*; Sbaralea vero ait, opus vulgatum fuisse anno MDLVII. Insuper addit historiam Siciliae a se mss. magno fratrum moerore ducem Complutensem, tunc Siciliae pro-regem obtinuisse. Interim scripsit etiam *relationem schismatis anglicani, et martyrium Ioannis Foresti franciscani, Angliae reginae sanctissimae Catharinae e sacris confessionibus*. Victor Fernus, Insuber natione, italice scripsit ac Alexandriae vulgavit *cagam et fructuosam repraesentationem statuae Nabuchodonosoris, diversis conceptibus scripturalibus adumbratam*. Ex iisdem postremo minoritis de observantia Brixiae edidit Claudius Medulla Mediolanensis *orationem de transfiguratione Domini, ac de duabus in Christo naturis et earum effectibus*. *Bernstein bibliogr. hisp. americ. lib. D.* *Wadding. et Sbaralea lib. F.* *Idem lib. V.* *Wadding. lib. C.* *Idem lib. A.* *Sbaral. lib. A.* *Wadding. et Shar. lib. V.* *Wadding. lib. C.*

XCVI. Inter conventuales florebat Ludovicus Vitellianensis, oppido dioecesis Cremonensis, qui Venetiis publici iuris fecit *plurima opera sacra, quae et publice inter sacra cani solent, et privatim notis musicis elaborata*. Lipsiae *opus de festis diebus christianorum et iudaeorum* vulgavit hoc eodem anno Valerius Polydorius Patavinus. Iulius Giornata a Populis, Aprutii oppido *Wadding. et Shar. lib. L.* *Sbaral. lib. I.*

Digitized by Google

Idem lit. I. Lancianen. edidit Theatae *opusculum de principio individuationis ad Antonium de Sanctis.* Recudi curavit hoc anno Venetiis Guido Bartalocci Assisias *reportata Scoti in IV. sententiarum libros*, olim a Ioanne Maiori Parisiis vulgata.

Idem lit. G.

De Esperanza t. 1. pag. 366. XCVII. Emmanuel de Costa saecularis sacerdos sumptibus suis oratorium instruxit exornavitque in honorem ss. martyrum Marochii in ecclesia coenobii s. Francisci de Leyra provinciae Portugalliae. Vido Servideus solemni ritu consecravit ecclesiam s. Matthaei Volaterrae fratrum capucinorum, et ecclesiam monialium s. Clarae Lucae item consecravit Alexander Guiduccionus.

Ughel t. 1. pag. 850. et pag. 1402.

XCVIII. Aliqua iubet concedilque summus pontifex. Iubet, ut moniales monasterii s. Elisabeth tertii ordinis Vallisoleti ad clausurae leges adigantur: *Exponi nobis* die XXIX. Martii; similia iubet monialibus tertii ordinis s. Annae de Quellar dioecesis Segobiensis: *Exponi nobis* die V. Iulii; subiicit ordinario Ariminensi monasterium s. Clarae eiusdem civitatis: *De tua* die XXV. Aprilis; episcopo Avenionen. monasterium s. Clarae eiusdem civitatis: *De statu monasteriorum* die XVI. Septembris; et episcopo Montispolitiani monasterium s. Hieronymi in ea civitate positum: *De statu monasteriorum* die VI. Novembris; vetat ne extrahantur paramenta sacra ab ecclesia coenobii Granatae minorum de observantia: *Cum sicut* die II. Ianuarii; confirmat privilegia ordinis a suis praedecessoribus concessa; *Ratio pastoralis* die XX. Decembris.

Ex arch. m. XII. apost. de Urbe. XCIX. Instituit visitatorem apostolicum in provinciis Ternae Laboris et Principatus Antonium Manler, alias de s. Columba minorita de observantia: *Pastoralis nostra* die VI. Maii. Eiusdem summi pontificis mandato Philippus Gesualdi minister generalis ordinis fratrum conventualium mittit magistrum Alexandrum a Mondavio ad perlustrandas provincias Neapolis, s. Nicolai, Siciliae, Calabriae, s. Bernardini, ac s. Angeli; indulget pontifex Ioanni Baptistae Pisello eiusdem ordinis, ut annuam pensionem recipiat: *Religionis zelus* die ultima Februarii; quaedam indulget fratribus observantibus et capucinis eantibus cum copiis contra Turcas: *Cum ad salutem* die XX. Iunii; ut Gandiae ducisea ingredi valeat ter in anno in monasterium clarissarum illius oppidi: *Spirituali consolationi* die IV. Septembris; similia indulget Philippae de Villena de Alburquerque pro monasteriis b. Mariae de Spe, et s. Clarae Ulyssiponen. *Spirituali tuae* die IX. Septembris; itemque *Spirituali tuae* die XXI. Novembris Annae de Mendoza comitissae Saldagnae pro monasterio tertii ordinis b. Mariae de Pietate Guadalaxarae a suis erecto.

C. Concedit indulgentias fratribus visitantibus oratorium sacrorum stigmatum s. Francisci Montis Alverniae, expleto divino officio post mediam noctem: *Spirituali consolationi* die XXI. Aprilis; confraternitati conceptionis erectae in oppido de Stilo Casalis de Guarda dioecesis Squillacensis: *Cum sicut* die XXIII. Decembris; largitur indulgentiam plenariam ecclesiae discalceatorum oppidi de Brozas: *Ad augendam* die XVIII. Martii, et ecclesiae s. Gabrielis Pacensis provinciae s. Gabrielis in die conceptionis: *Ad augendam* die II. Septembris.

CI. Caetera diplomata notamus ex Petro de Alva. De oratorio conceptionis in domo s. Leonardi Castrimaris in provincia Neapolis: *Omnipotentis* III. idus Martii; pro monasterio clarissarum Castricolis Tudertinae dioecesis: *Romani pontificis* pridie nonas Maii; beneficium in conventu minorum de observantia Parmen. *Vitae ac morum* XII. calendas Iulii; beneficium monialis Catharinae Puget Lugdunen. *Religionis zelus* IV. nonas Augusti; pro coenobio minorum conventualium s. Ioannis Suessan. *Ex iniuncto* IX. calendas Ianuarii; circa

Digitized by Google

dotium eorumdem fratrum loci de Castra: *Ex iniuncto* XIII. calendas Aprilis; pro erabrio hac missa in conventu tertiariorum Ulyssiponensi *Sacroban-cte ecclesiae* XII. calendas Martii.

CII. Multis ab hinc annis, consilio habito cum Petro Paulo minorita de observantia, initum fuit sodalitium ss. stigmatum seraphici patris Francisci in ecclesia nostrorum ss. Petri in Ianiculo de Urbe, a pie viris Federico Pizzi romano chirurgo, Prospero Penaodi item romano, Claudio Palumbari a Bergomo, et Aniello Palombi Neapolitano, ut aliqua ratione tanti patris vestigia ab ipsis prosequerentur. Dia confratres spiritualibus exercitiis in mox laudata ecclesia vacarunt; at ob loci distantiam ea dimissa, sedem posuerunt primo in ecclesia Iesu Mariae de Aino in regione *Regulae*, subinde vero in altera s. Ludovici titulo in concessa a praeside abbatiae Farfensis. Hoc autem anno precibus germanorum Bartholomaei cardinalis ac Federici Cesi ducis Aquasparte eidem tribuit summus pontifex *in his* die XXIII. Martii parochialem ecclesiam ss. quadraginta martyrum in medullitio Urbis positam. In hac impense celebrantur exequiae in lipsana occlusae sanguinis particulae seraphici parentis, quae ex sacris suis stigmatibus manarunt. Hoc sodalitium quod nobilium ac ecclesiasticorum dignitate fulgentium numero caeteris emineat, pluribus favoribus et gratiis cumulatum fuit a romanis pontificibus qui plures et notum dederunt.

Ex arch. s. Petri in Ianiculo de Urbe.

CIII. Ex summi pontificis mandato prodierunt haec decreta circa indulgentias concessas vel concedendas coronis, rosariis, granis, crucibus, imaginibus a s. indulgentiarum congregatione edita.

Rodericus in bullar. pag. 555.

1. « Formula indulgentiarum novissime a sanctitate sua praescripta huiusmodi coronis, rosariis, parvis crucibus et imaginibus ex aere aliove metallo confectis, vulgo *metallis* appellatis in futurum benedicendis, etiam principibus vel ad aliorum instantiam tantum concedatur, atque haec una de caetero, et non alia servetur et retineatur. Haec formula indulgentiarum sola imprimatur, et ad omnium commodum etiam lingua vulgari. »

2. « Nomina vero indulgentias impetrantium etiam si principes sint, imprimantur. Coronae, rosaria, grana, seu calculi, cruces, et sacrae imagines cum indulgentiis antea benedictae, quae quidem in hunc usque diem distributae sunt, sive illas a ss. domino nostro, sive a superioribus pontificibus sunt concessae, non transeant personam illorum, qui eas in praesenti obtinent. »

3. « Quae autem usque in hodiernam diem effectum sortitae non sunt, ideat nulli hactenus distributae sunt, nemini uti benedictae deinceps distribui possint; quae si defacto distribuantur, careant indulgentiis iam concessis. »

4. « De caetero indulgentiae non concedantur granis seu calculis, neque etiam sacris imaginibus aut coronis sive impressis, sive depictis, sive ex quovis metallo, aut gemma caelatis et expressis, sive in ecclesiis publice collocandae, sive privatim habendae sint, iis de quibus in formula dicitur duntaxat exceptis. »

5. « Neque similiter concedantur pro agnis cereis, seu agnus Dei benedictis, vel pro quibusvis sacris reliquiis retinendis. »

6. « Indulgentiae concessae visitantibus septem seu novem ecclesias, seu alias ecclesias intra et extra Urbem, vel eas quadragesimae et aliis anni temporibus adeuntibus pro stationibus consequendis, coronis et rosariis huiusmodi benedictis amplius non concedantur. »

Digitized by Google

7. « Nec etiam indulgentiae concessae visitantibus ecclesiam s. Iacobi in « Compostella, et loca Terrae Sanctae, et Hierusalem, et b. Mariae de Lau- « reto, et alias similes ecclesias, eisdem coronis et rosariis benedictis con- « cedantur. »

8. « Nec item communicatio bonorum operum, quae « regularium et re- « ligiosorum ordinibus vel congregationibus seu monasteriis fiunt, coronas et « rosaria benedicta huiusmodi recitantibus concedatur. »

9. « Nec etiam eisdem illas vel illas recitantibus concedatur liberatio ani- « marum in Purgatorio existentium, nisi ut in memorata forma expres- « sum est. »

10. « Si quando intuitu alicuius gentis, nationis vel provinciae, indulgen- « tiae aliquae dictas coronas aut rosaria recitantibus conceduntur, illae ad alias « gentes, nationes vel provincias ne extendantur. »

11. « Pro populis autem remotissimis novi orbis et indiarum ad christia- « nam fidem conversis pauciores indulgentiae; praedicatoribus vero, qui pro « Christi evangelio in eisdem partibus et indiis disseminando laborant, am- « plissimae concedantur. Corona vel rosario, aut grano seu calculo uno, aut « alia re, una benedicta deperdita, alteram pro ea subrogandi facultatem nec « esse, neque detur. »

« Datum Romae apud s. Petrum v. idus Ianuarii anno a nativitate domi- « ni MDXCVII. pontificatus vero sanctitatis suae anno V.

CIV. Aliqua pro fratribus qui ex alienis provinciis ad Urbem confluunt, statuit Hieronymus cardinalis Matthaeus ordinis patronus.

Chron. seraph. t. 3. pag. 196. *Nos Hieronymus Matthaeus miseratione divina s. r. e. tituli s. Pancratii presbyter cardinalis, ac totius ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observantia protector, corrector, et gubernator.*

Non aliquam religionis constitutionem infringere seu suspendere volentes, sed omnem imposterum dubitationem tollere, inconvenientia permulta cavere et de opportuno remedio circa fratres qui ex alienis provinciis ad hanc curiam confluunt, providere desiderantes, volumus et statuimus, ut omnia quae sequuntur, inviolabiliter observentur. Primo, ut omnes fratres alienigenae, cum primum ad conventum s. Mariae de Aracoeli accesserint, et procuratori, commissariove generali respective curiae, tamquam veris et legitimis eorum praelatis se praesentaverint, ut eorum obedientias recognoscant, a guardiano praedicti conventus benedictionem accipere teneantur, ut etiam ipse notitiam saltem habeat numeri fratrum, qui in conventu suo existunt, et temporis quo advenerint. Secundo, quod omnes alienigenae sint guardiano subiecti, quantum ad hoc, ut possint illos quando domi sunt, ad chorum sequendum, ad missas in conventu suo celebrandas, et ut processionibus, defunctisque intra vel extra domum sepeliendis, intersint, obligare, et illos si opus fuerit, reprehendere et arguere. Tertio, quod nullus praedictorum fratrum de conventu egredi, quovis praetextu vel quacumque de causa praesumat absque expressa licentia procuratoris vel commissarii sine apostasiae nota ipso facto incurrenda; socius vero semper erit a guardiano assignandus ex familia sua nisi procurator vel commissarius respective, aut eorum socii velint alienigenas sociare, et ipsi alienigenae voluerint cum illis accedere. Quarto, quando

Digitized by Google

guardianus alienigenis iam a procuratore vel commissario respective licentiatis socium non assignaverint, tunc si qualitas et magnitudo negotii, ac temporis maxime urgeat, vel gravitas vel religiositas personae ill requirere videatur, liceat praedictis curiae officialibus socium ex suis sublitis assignare. Quinto, quod ne concentui inimicum fiat gradamen, observentur aliam statuta, ipsius religionis circa temporis spatium fratribus huc concurrentibus praefixum, nimirum, ut si pro negotiorum expeditione accesserint, per octo dierum spatium valeant commorari; si autem devotionis causa Romam contenderint, finitis primis tribus diebus illinc ire teneantur sub poena carceris, et privationis vocis activae et passivae, et tempus praedictum ab inferioribus eis nullo modo prorogari valeat.

Datum Romae in aedibus nostris die XVIII. Iunii MDXCVII.

Loco ✠ Sigilli

Hieronymus cardinalis Matthaeus protector.

CV. Pientissimi coniuges Thomas Erdeodi comes Montis Claudi, Croatiae Dalmatiae, ac Croatiae Banus, et Anna Maria hoc anno imaginem trium palmorum ac unciarum argenteam posuerunt in sacellum b. Mariae Gratiarum Transacti ob restitutam extemplo filio suo Sigismundo sanitatem cuius opem multis precibus imploraverant. *Greiderer tom. 1. p. 100. n. 102.*

CVI. Sequens miraculum de puero hernioso illico sanato apud sacram imaginem Traiecti ad Mosam impense cultam in ecclesia minoritarum de observantia exponimus verbis notarii Tungrensis: *Anno a nativitate Domini MDCVII. mensis Maii die XXVII. in praesentia honorabilis viri d. Laurentii ab Aertsbergen sublepani in oppido Tungrensi, et Cornelii Verrers testium, comparuit personaliter Maria uxor Laurentii de Wederen oppidi Tungrensis, sponte et non inducta, confessa fuit ingenue, quod abhinc decem annis, nempe in anno MDXCVII. pietatis causa et ex mera devotione, habens filium Ioannem nomine, tunc temporis rupturam patientem iuxta verenda, eumdem spe recuperandae sanitatis duxit ad processionem, altera paschatis die apud minoritas Traiecti fieri solitam; itidemque divae virginis Mariae imaginem in processione sequebatur circumeundo, cum magna fiducia Deum pro gratia et misericordia beatam Virginem pro intercessione apud suum Filium imploravit incessanter. Et templum est ingressa, cum filii maiori quam antea infirmitate laborantis collapsa sunt intestina, quae reintrusit et ligamen quo ruptura ligata fuit, solvit, et ante imaginem divae Virginis ibidem reliquit. De quo miraculo laudavit Deum in excelsis, eiusdemque matrem semper virginem beatissimam pro beneficio perceptae gratiae, declarans ab illo die filium suum praenominatum ab huiusmodi ruptura convaluisse, sanatum et incolumen extitisse usque in hanc horam .... Assistens et astans huic mulieri Thomas Lansmanus oppidanus Tungrensis adfirmavit praemissa (eo quod viderit et praesens fuerit eadem hora) vera et notoria esse et manifesta. Acta fuerunt haec Tungris anno, mense, et die praescriptis, praesentibus testibus supra nominatis, et me Henrico Ulieck publico notario ad prae-* *Sedulius pag. 191.*

Idem ibid. p. 192. *missa vocato specialiter et requisito.* Similia obtinuerat a beata Virgine Ioannes Cuyperius civis Herendalensis adhuc puer, hernia sic fatigatus, ut tumor erumpentium viscerum anseris ovo exaequaretur. Haec iureiurando confirmavit in aetate matura apud publicum notarium eiusdem oppidi.

Acta ss. ad diem 13. Iunii. CVII. Hoc anno Venetiarum senatus voto satisfecit Ferdinandi archiducis Austriae, reliquiam oesium brachii s. Antonii patavini postulantis. Concessionis decretum proferimus. *Accepto memoriali illustriss. ac reverendiss. domini comitis Hieronymi de Portia, apostolici apud serenissimum archiducem Ferdinandum nuntii, et proponente magnifico domino comite Julio, decretum est die XXIX. Maii MDXCVII. ut in illius quoque favorem ageretur eo ordine ac modo, qui observatus fuit XV. Februarii MDLXXX. ad instantiam serenissimi regis Portugalliae, et XII. Decembris eiusdem anni ad instantiam serenissimae imperatricis Annae uxoris Mathiae imperatoris, quibus decretum fuit reliquiam ex osso brachii s. Antonii dandam.*

ANNO CHRISTI 1598. CLEMENTIS VIII. AN. 6. ET 7. RODULPHI II. ANNO 22. RELIGIONIS MINORUM ANNO 391.

ARGUMENTUM.

In aracoelitano templo minorum observantium de Urbe aguntur pro summo pontifice e Ferraria in Urbem redeunte solemnes precationes. Componitur dissidium ope potissimum Bonaventurae Secusii administri generalis ordinis inter Henricum IV. Galliarum, ac Philippum II. Hispaniarum reges, qui paullo post defunctus, ei succedit Philippus III. eius filius. Inclarent viri docti ac decedunt. Beate occumbunt viri Dei ac virgines. Multiplicantur aedes monialium ac fratrum, et aliquot genere illustres tumulantur in ecclesiis ordinis. Pietas Papiensis urbis erga b. Bernardinum Tomitanum. Mittuntur a pontifice commissarii apostolici visitatores. Aliqua iubet et concedit idem summus pontifex.

MORTUO absque liberis die XXVII. Octobris anni superioris Alphonso II. Ferrariae duce, virtutibus, pace et bello eximio principe, huius ducatus regimen assumpsit Caesar Estensis agnatus suus, at nothus, quem ipse testamento haeredem suum, etsi a romanis pontificibus illius principatus romanae ecclesiae beneficiariis in aliquem ex agnatis translationem obtinere nunquam potuisset, iam constituerat. Ut haec innotuit pontifici, illico nuncios, exposito negotio, ad principes litteras eorumdem opem imploraturus misit, ac insimul copias ex suis provinciis militiae praefectis parare iussit, Petro cardinali Aldobrandino nepote suo totius expeditionis duce, ut Ferrariae ditio ecclesiastico regimini, ad quod iure devoluta erat, vi etiam, si opus esset, adiungeretur. His deterritus Caesar, ad pacis consilium cum pontifice descendit, ac die XI. Ianuarii, quibusdam pactionibus ab utraque parte subscriptis, Ferrariensem urbem eiusque ditionem cessit. Qua de re nimia, tam in Urbe, quam in singulis pontificiis ditionibus publicae laetitiae signa edita fuere. Ferrariam inde proficiscere volens pontifex, praecepit insigni apparatu ante se deferri de more veterum pontificum longum iter habentium sacram eucharistiam, ac die XIII. Aprilis ab Urbe discessit cum nobili antistitum, aliorum piorum virorum comitatu ac custodia militari. Civitatem inter omnium ordinum gaudia die VIII. Maii, adstantibus XXVII. cardinalibus ingressus, illic pro singulis rebus ordinandis ad VII. usque mensis Decembris substitit. Sequenti die immaculatae virgini sacro a Ferraria discedens, itineri eodem ordine se commisit, romanam urbem suam catholicorumque metropolim petiturus. *Spondanus ad ann. 1597. n. 9. et seq.* *Idem ibid. ad ann. 1598 num. 1.*

II. Ante id temporis statutum fuerat a senatu populoque romano, ut solemnes precationes die VIII. eiusdem mensis pro pontifice ad Urbem redeunte agerentur in ecclesia aracoelitana minoritarum de observantia s. Francisci. Quae vero peracta fuere novimus ex archivo cameraе almae Urbis hisce verbis expressa. « Nell' anno MDXCVIII. a dì VIII. di Dicembre, partitosi papa Clemente « VIII. da Ferrara di ritorno a Roma, per decreto della congregazione l' illu« strissimo magistrato mise le orazioni continue publiche in Araceli a sup« plicare il signore Iddio di concedere al papa felice ritorno. Fu cantata una « messa con musica di voci e strumenti; poi portato il santissimo sagra« mento in processione, dove v' intervennero dugento frati della stessa chiesa « dell' ordine dei minori osservanti. Dipoi seguivano tutti i consoli delle arti « di Roma. Appresso dei fedeli e dietro a loro gli offiziali del popolo, e dei « signori conservatori, chiamati Fedeli. Dietro a questi veniva il santissimo

Digitized by Google

« sagramento, portato il baldacchino nell' uscire ed entrare della chiesa dalli « signori conservatori e priori. L' illustrissimo senatore e caporione, e l' altre « mute de' gentiluomini romani, e tutti i suddetti portarono intorcie bianche « in mano accese, eccetto li frati, candele bianche a spese del publico tutto. « Dietro al santissimo sagramento portato da un r. p. fu posto nell' altar « maggiore di detta chiesa, fattavi una cappella parata di ricchi panni di tela d'oro « e seta. L' altare saliva dieci scalini tutti carichi di numero infinito di can- « delieri d' argento, e torcieri con lumi di cera bianca, parte candele di sei « libre l' una, parte di cinque, quattro, e tre, e tutto il resto di una libra. « Tra detti lumi sopra l' altare e scalini vi era una gran quantità di « vasi d' argento grandi e piccoli, di grande ed inestimabile valuta per il « peso e manifattura. Su l' altare sorgeva una piramide di sette scalini di tela « d' argento dove posavano molti candelieri d' argento con lumi accesi, e so- « pra detta piramide posava il santissimo sagramento, e sopra un ricco bal- « dacchino piccolo secondo la prospettiva. La chiesa poi era tutta parata di « stanni e di razzi. Tutto l' apparato delle tele d' oro, seta, e stanni di razzi « fu accomodato dal guardaroba dell' illustrissimo cardinale Farnese, e gli ar- « genti quasi tutti gli accomodò l' illustrissimo cardinal d' Aragona legato. »

Herrera pag. 556. et seq.

III. Licet pluribus ab hinc annis frustra tentatum, tandem hoc anno studio prae caeteris Bonaventurae Secusii Siculi supremi ordinis minorum administri, pacis foedus inter potentissimos totius christiani orbis principes Galliae ac Hispaniae reges sancitum fuit. A die VIII. Februarii ab utraque parte delegati, Vervinum in Veromanduis de illo acturi se condixerant, nimirum summi pontificis nomine Alexander cardinalis Medicaeus Florentinus apud christianissimum regem legatus, Franciscus Gonzaga episcopus Mantuanus laudati pontificis nuncius, ac idemet Bonaventura Secusius ambo ex minoritis de observantia; Henrici regis nomine Pomponius Belleurius Grignonius, et Nicolaus Brularius Sillerius; ab Alberto Archiduce Philippi regis nomine Ioannes Riccardotus primarius Belgici consilii praeses, Ioannes Baptista Taxis, et Ludovicus Werreyckius. Bonaventura intermedium, tamquam sequester, se ferebat. Post quatrimestre colloquium variis difficultatibus superatis, die tandem II. Maii pacis foedus triginta octo articulis concinnatum, recognitum fuit a Philippo II. et ab Henrico IV. regibus, ingenti omnium provinciarum plausu vulgatum. Omnia haec quae nos breviter prosequuti sumus, fuse edixit idem Bonaventura in *historia* quam scripsit *pacis initae inter Philippum II. Hispaniarum, et Henricum IV. Galliarum reges.*

Wadding. hic. B.

Spondanus ad hunc ann. num. 9.

IV. Nuper editae pacis beneficium vix degustavit Philippus rex; nam paullo post a gravibus morbis, patientia summa perlatis, tentatus, Matriti animam suam Deo reddidit die XIII. Septembris, aetatis anno LXXI. mensibus IV. regni Castellae XLIII. et mensibus IX. Morienti sacramentis ecclesiae procuratus adstitit Garcias Laoisa archiepiscopus Toletanus, Philippi filii sui moderator, vir doctrina singularique probitate exornatus. Morti proximus, multa praebuit circumstantibus suae pietatis argumenta; filio vero suo annis XX. nato, quem omnium regnorum ac bonorum haeredem constituerat, Philippo eius nomine regi III. solo mari superstiti, sancta monita tradidit. Erga seraphicum institutum benevolus, plura tum ad sui decorem promovendum, tum ad sui propagationem in Indiarum occidentalium ac orientalium regionibus egit, eorumdem opera interim usus in bellis ferme perpetuis, quae quidem cum fidei catholicae hostibus per legatos gerebat.

Emmanuel Mariana de rebus Hispaniae. tom. 6. pag. 403.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1598.	an. 6. et 7.	anno 22.	anno 391.

V. In solemni funere pro laudato Philippo Bruxellis habito in principe templo s. Gudulae pridie calendas Ianuarii, Iacobus Blassaeus Burgensis franciscanus de observantia, episcopus Namurcensis commendatissimam sermone gallico de eo habuit orationem. Licet is alia multa eruditissime composuisset, nunquam adduci potuit ad ea praelo committenda. Ad edendos aliisque communicandos suorum studiorum labores his verbis, iam electus episcopus, adhortabatur ab Henrico Willot familiari ac consodali suo: *vide .... propterea heros pererudite, decus omne tuorum, ne Deo, ecclesiae, nobis, et posteris sis prolixiori silentio iniurius, et scriptorum loculos dum recondis, aliis thesaurizes. Nam si quid humanitatis tibi in hac declivi aetate contingat, ut tuis sudoribus more bombycum sine tuo proprio fructu immoriaris, fiet, ut vel tui labores pereant, vel alios forsitan immeritos et indignos tua purpura vestias, tuisque plumis exornes. Felicissima quaeque ingenia magno feruntur ardore ad solertem eruditionem tuam scripto delibandam; nam ex floridiore eloquentia sat superque totum Belgium illam degustavit. Dic, quaeso, vir clarissime, scientia oculata, et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque?* Wadd. de script. lit. B.

VI. Idem Henricus Willot ex oppido, quod nuncupatur a Fontibus Episcopi, sive *Fontaine l' Evêque* in finibus Leodiensis, iam Belgii administer provinciae, ac sui ordinis generalis commissarius edidit hoc anno, non vero, ut scribit Waddingus anno MDLXXXIX. Leodii typis Arnoldi a Consuvarenia librum de scriptoribus ordinis minorum sic nuncupatum: *Athenaeum orthodoxorum sodalitatis franciscanorum.* Item eodem praelo alterum opus *de Enoch, qui apud Iudam apostolum de extremo iudicio prophetavit.* Henricus Sedulius eiusdem instituti Antuerpiae vulgavit *a se illustratam vitam s. Francisci Assisiatis.* De ea sic ad eum scripsit in epist. XXVIII. cent. I. select. eius epistol. Iustus Lipsius eius familiaris ac benevolus. *Librum tuum,* inquit, *accepi, neque uno nomine libens legi; quia argumentum pium erat, quia iam de capite et principe ordinis vestri erat, quia a te ipso erat, quem iam pridem cum veneratione quadam (serio loquor) amo. Vidi igitur libens, et legi libentius; ita me et ipsa scriptio tua, et iudicium trahebant. Multa opportune miscuisti ad fidem, ad intelligentiam, ad vitam, ad mores; quam partem in his scriptis ego maxime requiro et amo. Non dicam de stylo tuo, qui gravis simul et praeter communem morem disertus est; sed illum adesse etsi gaudeo, tamen si absit, ipsa etiam res sic tractata delectat. Ordo et iudicium, et optimus ille finis ea sunt, quae in re pietatis me capiunt; et tum maxime, cum a spirante animo, et incenso veniunt, et qui sentire se ostendit, quae dicit. Fateor me his moveri, trahi, rapi; fac me tu saepe mi pater, et in Dei honorem, et nostrum bonum scribe. Loquentem olim audivi cum fructu; recognosco nunc in scriptione quod dixi, amo te et veneror: tu illud prius, tu mihi facito, et precibus etiam iuva.* Wadd. et Sbaral. lit. H. Idem Wadd.

VII. Paschasius, Waddingus, Sbaralea Paschalis Aurantius *d'Orangie*, Belga laudati ordinis transtulit in linguam gallicam ediditque Lovanii hoc anno *pratum spirituale Sophronii* patriarchae. Vivebat hoc tempore Petrus Hontoyus item Belga Lucemburgensis, vel, ut Willoto placet, Namurcensis qui conciones a se scriptas in sex tomos divisit, ac vulgavit Moguntiae anno MDCIV. Primo continentur, quae sunt *in epistolas ab adventu usque ad septuagesimam;* 2. quae *a septuagesima usque ad pascha;* 3. quae *a dominica in* Idem ibid. lit. P. Idem lit. P.

Digitized by Google

albis usque ad tertiam dominicam post pentecosten; 4. quae *ab illa dominica usque ad adventum*; 5. quae *habitae diebus festis tempore aestivo*; 6. quae *iisdem habitae tempore hyemali. Mensam* postremo *apostolicam* composuit, scilicet *commentarios de genuino sensu epistolarum dominicalium per annum.* Praefixa est cuilibet epistolae tabula *dispositionis.* Valerius Andreae et Willotus hunc laudant a pace ac litterarum amore. Granatae edi-

Idem tit. P. dit Petrus a s. Maria Malacitanus discalceatus lingua hispana *manuale sacerdotum, speculum veri christiani cum explicatione missae mysteriorum.*

Idem tit. M. Martinus Ruego guardianus conventus observantium Calciatensis provinciae Burgensis scripsit ac vulgavit librum inscriptum *purgatorium conscientiae,*

Idem ibid. tit. I. sive *salus animae* Burgis apud Philippum Iunctam. Ioannes Ximenez hispanus eiusdem instituti, ac Valentiae fundator congregationis s. Philippi Nerii, scripsit puncupavitque Philippo III. Hispaniarum regi *vitam b. Paschalis Baylon* sodalis sui ac socii, Valentiae anno MDCI. editam. Latinam ex hispano

Idem ibid. tit. D. fecerunt Bollandistae. Item Valentiae per Alvarum Francum Damianus Giner vulgavit *commentarios Scoti in IV. libros sententiarum in faciliorem et clariorem methodum redactos.* Matriti publici iuris fecit Gabriel de Mata

Wadding. ibid. tit. G. *vitam s. Didaci Complutensis.* Ludovicus Hieronymi de Ore, natus in Urbe

Beristain in bibl. Hispan. Americ. tit. O. Guamangae regni Peruani, Limae edidit *simbolo catolico Indiano, en el qual se declaran los misterios de la fe en los tres simbolos Apostolico, Niceno, y Atanasiano.* Scribit Hyacinthus Sbaralea symbolum hoc simul

Sbaralea in suppl. ad script. tit. L. edidisse una cum *descriptione novi orbis et incolarum, atque ordine tradendi doctrinam christianam in linguis quichua, et aymara,* hispano item idiomate scripta.

Sbaral. ibid. tit. P. VIII. Minorum conventualium institutum litteris varii illustrabant. Philippus Gesualdus minister generalis italice edidit Bononiae *diurno compuntivo dei*

Idem ibid. tit. I. *sette dolori di Maria vergine.* Ioannes Baptista Berardi Leminiacensis in territorio Veronensi, vir bonarum artium studiosus, Venetiis vulgavit *carmina latina et italica lib. I. ad v. c. Marcum Dandulum patritium Venetum.*

Idem ibid. tit. V. Valerius Bona Brixianus, prater ea quae notavimus, *opera alia musice facta*

Wadd. de script. tit. P. typis Bisutii Mediolani edidit. Petrus Marsaeus Cratepolius Lugduni edidit apud Hobergum librum *de resurrectione corporum et animae immortalitate con-*

Idem tit. A. *tra Sadducaeos.* Patavii prodiit liber scriptus ab Augustino Superbi Ferrariensi *de origine et antiquitate Carrarae.* Edidit Florentiae vernacule a se compositum *speculum coelestium thesaurorum fraternitati funiculi franciscani*

Sbaral. tit. R. *concessorum* Raphael a Fonte Florentinus. Sebastianus Palmerinus, alias Al-

Idem tit. S. bonus Bononiensis vir pius vulgavit Bononiae *preces devotas*, alias *officium compunctionum cum orationibus et meditationibus, praesertim super VII. doloribus b. Mariae virginis etc.* Anno MDXCVI. eadem in civitate ediderat italice *modum peragendae orationis mentalis et vocalis pro novitiis sui*

Idem tit. P. *ordinis.* Postremo Petrus Calanna Thermensis Siculus latine edidit *orationem funebrem in exequialibus Philippi II. Hispaniarum regis anno MDXCVIII. defuncti;* et italice *orationem alteram in obitu eiusdem Philippi II.* Inter

Idem ibidem. capucinos florebat Philippus Ribottus a Pancalerio, oppido Agri Taurinensis in Vallibus Subalpinis, missionum apostolicarum praefectus a Clemente VIII. constitutus. Scripsit italice *sermonem ad modum disputationis habitum inter ipsum et Davidem Rostagnum publice in oppido s. Germani de ss. eucharistiae sacramento, et de sacrificio sacrosanctae missae.* Eo auctore ex haereticorum ministro ille ad Christi fidem advenit. Hic sermo editus fuit Tau-

Digitized by Google

rini iussu Bartholomaei Rocchae inquisitoris generalis in Pedemontio. Hieronymus Malfreta item capucinus Italus Venetiis edidit *dialogos de divino amore.* *Wadding. tit. H.*

IX. Desideratus est inter minores observantes vir summa doctrina praeditus, Antonius Alvarez hispanus Beneventanus ex provincia s. Iacobi, auctor eximii operis *silvae spiritualis variarum considerationum ad recreandam animam in tres tomos distinctae*; hoc opus quinquies vulgatum fuit. Scripsit etiam *miscellanea pro concionatoribus*, Salamanticae apud Artum Tubernier anno MDCVII. impressa. In ecclesia collegiata Rottemburgi provinciae Tyrolensis dormitionis requiem accepit Georgius Ecker eiusdem instituti, illius provinciae administer, ac insignis verbi Dei praeco, qui plura vulgavit contra Osiandrum Lutheri doctrinae sectatorem lingua germanica, nimirum *responsum pro defensione Ioannis Pistorii Nidani*, Coloniae anno MDXC.; *coronam alkoranicam ex urticis*, anno MDXCI. Friburgi; ac tandem *responsum ad clamorem asininum Osiandri eodem anno ac loco impressum.* *Wadd. et Sbaral. tit. A.* *Greiderer tom. 2. p. 213. n. 389.*

X. Iidem minores de observantia luxerunt Adrianum Hofstadium, de quo sic Waddingus. « Adrianus Hofstadius Lovaniensis, theologus, ecclesiastes egre- « gius, in antiquis patribus versatus, ore et calamo promptus, quem saepis- « sime Antuerpiae (sibi et regi catholico restitutae) de suggestu tonantem « cum admiratione se audivisse narrat Franciscus Swertius. Suffectus in locum « p. Bartholomaei a Middelburgo, Ultraiecti primum, deinde Amsterdami, Lo- « vanii, Coloniae Agrippinae, Antuerpiae, Bruxellis denique Traiecti ad Mosam, « maximam sermonibus suis peperit admirationem; sacrarum litterarum in exilio « Coloniae, sed prius theologiae lector Lovanii; praeter fratres, multorum « secularium maximam habuit frequentiam, cum eodem tempore illic doceret « controversias suas cardinalis Bellarminus. Guardianus secundus fuit Lovanii « et alibi . . . . Moritur Traiecti ad Mosam, et sepultus in nobili d. Virgi- « nis sacello ad dexteram altaris hoc epithaphio. » *Wadd. ibid. lit. A.*

D. O M.
REVERENDO ADMODVM PATRI
P. ADRIANO HOFSTADIO
HVIVS ET ALIORVM CONVENTVVM GVARD.
MERITISS. S. THEOL. PRAECEPTORI
AC DIVINI VERBI PRAECONI FAMOSISSIMO
OBIIT XXII. NOVEMB. M. D. XCVIII.

Hofstadius sacro iacet hic, Francisce, meorum
De numero, magnis notus ubique viris.
Ingenii cuius cives Brabantia passim
Senserat, et Batavi gens generosa soli
Lovanium genuit, quem verbi deinde ministrum
Lectoremque stupens audiit eximium.
Hoc multis tandem fractus sudoribus, astro
Conditus, aetherei vivat in arce poli.

XI. Henrici Sedulii eiusdem instituti solicitudine editi fuere eius *sermones eucharistici* LXIX. impensis n. v. Henrici Vannetten militaris annonae praefecti, Antuerpiae typis Tregnesii anno MDCVII., Coloniae aliisque in locis. Eius libri XII. in *symbolum apostolorum*, et *liber 1. in epistolam s. Pauli ad Romanos* mss. asservantur in archivo provinciae Germaniae Inferioris. *Decas-* *Sbaral. de script. tit. A.*

Digitized by Google

logi et catechismi explicatio, sive adnotata in catechismum concilii Tridentini ad parochos tom. IV. in IV. mss. extant Antuerpiae in bibliotheca pp. praedicatorum, uti scribit Iacobus Echard de script. sui ordinis tom. II. pag. 339. ad annum MDLXVII. Auctor impense laudatur a Valerio Andrea in belgica biblioth. a Miraeo, ac a Dupino saeculo XVII.

Idem tit. H.

XII. Montispolitiani obiit Hieronymus Urbani conventualis sacrae theologiae magister, procurator generalis sui ordinis anno XDXCIV., ac minister provinciae Tusciae. In laudato coenobio asservatur mss. *bullarium* ab eo *compilatum* anno MDXCI. *ex bullis originalibus Florentiae in conventu s. Crucis min. conv. existentibus.* Eius etiam sunt *dubia theologica dogmatico-moralia a curia proposita et ab Hieronymo Urbani resoluta tom. II., et privilegia procuratoribus ordinis suo munere functis vindicata.*

Idem in addenda et corrigenda tit. H.

XIII. In Peruano regno coronam martyrii accepit die XXIII. Decembris una cum duobus sociis Ioannes de Tobar minister provinciae ss. Trinitatis de Cile a furentibus incolis lanceis confossus. Osorni in eadem provincia die XXVI. eiusdem mensis martyrium subiere alii etiam duo Anonymi, quos fidei desertorum crudelitas fame extinxit. Die XXII. Iulii martyrium passus est in Anglia Gottefridus Iones, qui ab anno MDXCII. pontificia benedictione Clementis VIII. munitus ad suos advenerat, ut devios ad fidei lumen revocaret, ac in fide stantes suo eloquio confirmaret. At cum a quodam vaferrimo exploratore Anglo Romae latente eis descriptus ac delineatus fuisset, ut eo habitu saeculari indutus advenit, comprehensus ac in vincula, ubi per aliquot annos summa penuria, et aerumnis multis afflictus vitam admirandam duxit, coniectus, libere catholicam fidem custodibus captivisque evulgabat. Moras autem nectentibus iustitiae ministris, eumque de uno in aliud tribunal distrahentibus, insultans martyr desiderio: *ut quid*, dicebat, *tantae iudiciorum indagines? ego quacumque tyrannide paratus sum mori; tollite moras, quia ecce quod quaeritis, iam sponte vobis obtuli.* His prolatis, ad suspendium rapitur, et audita suae mortis sententia, corde et ore exultans, dixit: *Deo gratias, cui animam meam restituo.* Vestibus denudatus, habitu franciscano indutus, ac asperrimo cilicio revinctus repertus fuit. Furcae inde alligatus, unam ferme horam in vindicanda catholicae fidei veritate consummavit. Tandem post diversa tormentorum genera sanguinem pro Christo laeto animo fudit.

Ioannes de Tobar ac socii mm.
Daza lib. 2. c. 59.
Anonymi duo mm.
Idem ibidem.

Gottefridus Anglus m.
Certamen seraphicum pag. 13.

XIV. Suspendio necatus hastisque confossus in odium catholicae fidei coelestia petivit die XV. Februarii Edmundus de Garan, Ultoniae nobili genere ortus, iam tertii ordinis alumnus, archiepiscopus Armacanus, ac totius Hiberniae primas. Commissum sibi gregem qua verbis, qua sacramentorum pabulo, qua vitae inculpatae exemplo solicite fovebat.

Edmundus de Caran m.
Brucdinus de mar. Hibernis pag. 466.

XV. Beato fine quieverunt inter fratres capucinos aliqui viri Dei. In conventu Avenionis in Gallia, cui guardianus praeerat, occubuit Lucas ab Eratuertio, vulgo *la Terza* ex provincia Hydruntina; qui cum a medico certum sibi occasum imminere accepisset, post immensas gratiarum actiones Deo redditas, plurimum exultare coepit, moxque haec verba eructare: *laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Magistri novitiorum aliquando munere functus est. Cum autem sanctitate vitae usque ab infantia floruisset, in Galliam missus, tam admirabili in s. Ludovici provincia virtute effulsit, ut tamquam vir sanctus Deoque dilectus ab omnibus haberetur. In Parisiensi provincia obiit Michael Gallus laicus, pluribus naturae et gratiae donis, animique interim candore et simplicitate cumulatus. Deiparae

Lucas ab Eratuertio.
De Aremberg tom. 2. pag. 97.

Michael Gallus.
Idem ibid. pag. 27.

Digitized by Google

matris praesentia paullo ante sui mortem recreatus, ad eiusdem aspectum haec protulit: *o quam pulchra, o quam decora es, Maria!* In conventu Montis Calvariae Barcinone diem supremum explevit Archangelus Alarconius, in Turris Siltanae Hispaniae Tarraconensis oppido nobili ortus genere, primum in Mediolanensi provincia inter capucinos adscriptus. In Neapolitana provincia extitit tyronum moderator; quo tempore suis ieiuniis et oratione quemdam novitium a gravi carnis petulantia liberavit, et eumdemet oculorum visione orbatum sanavit. Crucis signo cum invocatione ss. nominis Iesu incolumem reddidit filium marchionis s. Crucis Neapolitanum, gravissimo morbo laborantem. An. MDLXXVIII. delectus fuit in generali sui ordinis comitio commissarius provincipe Catalauniae, a quo ipse initium et accrementum accepit. Barcinone non anno iuxta Waddingum MDXLIX. ubi nondum capucini advenerant, sed forte anno MDXCIV. edidit *de b. Virgine diversi generis carmina* una cum *viridario plantarum divinarum*.

Archangelus Alarconius. *Idem ibid. p.* 100.

Wadd. h. A.

Ann. min. ad ann. 1575 *num.* 1. *et seq.*

XVI. In conventu Fabriani provinciae Marchiae raptus est Gabriel a Montenovo herniae morbo; quem cum propter suae honestatis pudorem nulli unquam aut medico aut sodali aperuisset, insanabilem redditum, quamdiu vixit, eximia patientia sustinuit. Provinciae vicarii munere functus, illam praeclaris virtutum exemplis, et eximiae prudentiae gubernavit. Cum ad nullius unquam vultum intuendum oculos convertisset, commune apud fratres humi spectantis, italice *guardabasso* agnomen obtinuit. Fervidus Dei praeco etiam fuit, scripsitque *enchiridion spiritualium orationum et meditationum, necnon exercitiorum in exorando Deum*. Lucem opus aspexit primum anno MDLXXXIII. Venetiis sine eius nomine. Praenuntiata suae mortis hora decessit in coenobio Paterni in provincia Siculo Franciscus a Paternò sacerdos, qui ad culmen religiosae perfectionis accessit, illud saepe Apostoli usurpans: *Domine, quid me vis facere?* Ita animum ab omni honoris propriaeque existimationis cupiditate exuerat, ut et probra, et contumelias avide exoptaret. Orationi vacabat, ieiuniis et silentio potissimum, unde apud consodales eremitae nomen sibi comparaverat. A Deo mire divinis revelationibus illustratus fuit et miraculorum gloria ditatus.

Gabriel a Montenovo. *De Aremberg ibid. pag.* 147.

Sbaralea tit. G.

Franciscus a Paternò. *De Aremberg ibid. pag.* 466.

XVII. In conventu Tyraceni provinciae Messanae ipsa die annuntiationis Deiparae coelestia petivit Humilis a Tyraceno laicus, humilitate, oratione, et animi mansuetudine praestans; in Salensi conventu provinciae Siciliae obiit Laurentius Atinensis item laicus; saepe in oratione elevabatur, ex quo splendor quidam coelestis instar flammae prodibat; Messanae decessit Andreas a Catania laicus, asperrimo cilicio revinctus, qui cum a daemone saepe impuris tentationibus vexaretur, in altam gelidae aquae foveam brumali etiam tempore sese immergebat, et sic libidinis flammas extinguebat. Ibidem occubuit Salvator a Tissa laicus, quotidianis ieiuniis, sanguinolentibus corporis flagellationibus, ac vigiliis iugiter intentus. Raptus et ecstases non raro in oratione patiebatur, ante altare ss. eucharistiae sacramenti orans. Item apud fratres fama erat, eum saepe familiari beatae Mariae virginis colloquio potitum Prophetiae dono, ac mirandis signis et inclaruit. Dum Tissae quaedam coenobii loca instaurabantur, ingens quidam lapis ibidem erat, quem octo robustarum virium fratres vix dimovere potuissent. At Salvator lapidem simul ut crucis signo benedixit, leviter in humeros imponens, aptoque in loco operis collocavit. Alia plura et quidem insignia referunt Boverius et de Aremberg.

Humilis a Tyraceno. *Id. ibid. pag.* 703.

Laurentius Atinensis. *Id. ibid. pag.* 696.

Andreas a Catania. *Id. ibid. pag.* 703.

Salvator a Tissa. *Id. ibid. pag.* 698.

Digitized by Google

ANNO CHRISTI 1598. CLEMENTIS VIII. AN. 6. ET 7. RODULPHI II. ANNO 22. RELIGIONIS MINORUM ANNO 291.

Philippus a Funiano, Hilarius Cebensis, Hieronymus a Vigueria, Franciscus Aprilianensis, et Ioannes Bapt. a Bissiniano. *Boverius t. 2. pag. 614.*

XVIII. Eis adhaeserunt felici exitu Philippus a Funiano laicus ex provincia Bononiensi, patientia ac mansuetudine praecellens; Hilarius Cebensis sacerdos ac Hieronymus a Vigueria Pedemontani, a peste correpti, cum luc laborantibus opitularentur; Franciscus Aprilianensis laicus ex Cosentina provincia, plurimarum virtutum laude commendatus, ac postremo Ioannes Baptista a Bissiniano clericus eiusdem provinciae, Aciri defunctus, angelica propemodum vita clarus.

Antonius Maqueda. *Martines lib. 1. pag. 72.*

XIX. Meritorum plenus decessit in coenobio s. Gregorii de Mahayhay provinciae s. Gregorii insularum Philippinarum Antonius Maqueda hispanus laicus, qui post sexagesimum suae aetatis annum ad eas insulas advenerat, ut aliquo modo infidelium ac christifidelium saluti prospiceret. Curam infirmorum agebat summa animi sui alacritate; nudis incedebat pedibus, habituque induebatur detrito. Orationi die ac nocte ita vacabat, ut quatuor horarum spatio in ea defixus maneret. Eodem anno Manilae ad Dominum abiit Martinus de Almandos sacerdos item hispanus, per aliquot annos diversatus in eisdem insulis in verbi Dei praedicatione, qua plurimos Indos ad Christi fidem adduxit. In eo emicuit singularis patientia in tolerandis diu corporis infirmitatibus, quas Dei dona vocabat.

Martinus de Almandos. *Id. ibid. pag 73.*

Franciscus Perales. *Lopez pag. 427.*

XX. In coenobio s. Francisci Meridae provinciae de Iucatan occubuit Franciscus Perales sacerdos hispanus, qui ab anno MDLXI. in eam provinciam cum Laurentio Beinvenida advenerat praedicandi evangelii gratia. Indigenorum idiomate instructus, multos infideles Christo Iesu peperit triginta septem annorum spatio, quibus inter eos mansit. Pro suis domicilia, monasteria pro sacris virginibus ac aliquot collegia erexit pro iuvenibus in pietate ac scientia erudiendis. Prae nimiis laboribus a gravi infirmitate correptus, laetus tamen Dominum benedicebat, eiusque divinas laudes decantabat. Paullo ante eius mortem totum defunctorum officium alta voce persolvit. Morti vero proximus, arrepta manibus cruce dixit: *Domine eamus, quia toto vitae meae tempore te expectavi; et quia iam venisti, eamus, Domine.* Iisque dictis, sanctam efflavit animam. Ibidem etiam hoc anno decessit Antonius de Taracon laicus ex provincia Castellae, in oratione assiduus, et corporis macerationibus detritus. Diris flagellis se caedebat, licet ad nudam carnem instar habitus cilicio indutus. Coenobia Guadalaxarae in provincia Castellae, Populae de Angelis in provincia s. Evangelii, et s. Francisci Meridae propriis manibus vel auxit, vel a fundamentis erexit; at tanta celeritate, ut sui sodales dicerent, ea oratione magis quam manibus suis instructa fuisse. Raptus est in conventu s. Michaelis de Mani eiusdem provinciae Franciscus de Miranda item laicus, eximiae humanitatis in catechizandis infidelibus triginta annorum spatio, quibus etiam praeibat virtutum exemplo.

Antonius de Taracon. *Id. ibid. pag. 428.*

Franciscus de Miranda. *Id. ibid. pag. 427.*

Ioannes de Atayde. *Monum. prov.*

XXI. In provincia Arrabidorum in Lusitania obiit calendis Februarii Ioannes de Atayde, Ulysipone ortus ex comitibus de Atouguia. Adolescens Indiam orientalem cum patruo suo Ludovico traiiciens, strenui ducis munia subiit multa caede cruentus. Inter blandientis fortunae prosperitates mortalium caducitatem relegens, mundo valedicens, instituto seraphico in custodia Matris Dei Goae, non sine omnium admiratione nomen dedit. Ubi ascensiones virtutum in corde disponenes, adeo brevi in illis adolevit, ut sodalibus aetate longaevis exemplo praeluxerit. Paucis a sui professione annis elapsis, ministri generalis mandato in Lusitaniam remeare iussus, unice breviarium pro divino officio persolvendo secum detulit. Ad patrium litus appulsus, continuo haud acquievit

Digitized by Google

carni et sanguini, sed illico austeritatibus, ieiuniis, vigiliis, et rerum divinarum contemplationi animum adiecit. Licet ad sacerdotalem dignitatem initiari potuisset, prae humilitate tamen semper reluctavit. Ad eius funus maximus utriusque sexus factus est concursus; omnes enim eum velut sanctum proclamabant, eiusque habitus in particulas resecabant, quae infirmis admotae, varios languores curabant.

XXII. Die IX. Iulii octogenario maior obiit in conventu s. Antonii Ulysipone provinciae Pietatis Martinus de Insoa, illustri genere natus, qui animi humilitate ductus, inter laicos cooptari voluit. Munus diu exegit in quaeritandis pro fratribus cibariis; in eo vero obeundo officio, nudis semper ibat pedibus; interim gravibus ponderibus onustus, persaepe coenobium repetebat. Nullus eum vidit unquam turbatum; sed hilari semper vultu incedebat conversabatur. Eadem die in conventu beatae Mariae de Pietate de Vidigueria eiusdem provinciae decessit Angelus de Portalegro, vir eximiae puritatis, quam tamen ieiuniis, carnis macerationibus, et austeritatibus fovebat. Nunquam vinum, carnes, ac pisces comedit. Rebus divinis ita studebat, ut vir contemplativus ab omnibus nuncuparetur. In coenobio s. Francisci Ulysipone raptus est Ioannes item laicus; coquinae ac portarii officium diu inculpate gessit. Licet instructus litteris, maluit tamen Deo inservire in humili laicorum statu. Saepe tamen divinas laudes in choro decantabat cum aliis sacerdotibus. Orationis ac contemplationis dono exornabatur. Lue Ulysiponem depopulante, in qua XXV. mille cives periere, ternideni franciscani de observantia ut infirmis succurrerent, eodem morbo affecti, obiere, inter quos, alii enim ignoti sunt, Martialis de Sosa provinciae minister, Petrus ab Ascensione sacerdos, et Petrus de Sanctis laicus.

Martinus de Insoa. *Agiologium Lusitanum ad diem 9. Iulii.*

Angelus de Portalegro. *Idem ibidem.*

Ioannes laicus. *De Esperanza tom. 1. pag. 221.*

Id. ibid. pag. 222.

XXIII. Ioannes de Guevarra sacerdos vitam commutavit cum morte in conventu s. Iacobi Velezmalaga provinciae Granatensis. Expletis consuetis religiosae familiae officiis, ferventissimae orationi diu se dabat nudatis genibus ante imagines ss. Crucifixi ac b. Virginis. Compassiva interim teneritudine ferebatur erga Iesu Christi passionem quam iugibus lacrymis recolebat; item multis lacrymis sacrum peragebat. Vitam immaculatam semper tenuisse affirmat Alphonsus de Gaz eius conscientiae moderator. Die XXXI. Decembris obdormivit in Domino in conventu Talabricae provinciae Castellae Franciscus a Regibus, concionator facundus; mira enim dicebat, et audientium animos suaviter ita movebat, ut eorumdem corda, quo ipse volebat, deflecteret. Proinde tanta penes omnes invaluerat eius sanctitatis opinio, ut ad eius funus tota videretur civitas confluere; intrantibus namque vix patebat accessus; singuli vero exoptabant vel ipsius habitus particulam vel capillos pro sacra reliquia sibi donari. Sacellum ubi eius corpus requiescit, a christifidelibus impense frequentatur, et vix aliquando vacuum reperitur.

Ioannes de Guevarra. *De Torres p. 308.*

Franciscus a Regibus. *Salazar l. 3. c. 12.*

XXIV. In coenobio s. Bernardini Matriti provinciae s. Iosephi discalceatorum e vita migravit Paulus a s. Maria, sacerdos omnimodae perfectionis et abstinentiae. In cognoscendis afflictorum ac egenorum necessitatibus liquefiebant viscera eius, et ubi non poterat ope, mitissimis verbis explebat. Morti proximus, infirmario dixit: *recedo, frater, et cedo locum. Nonne vides sanctum fratrem Didacum adstantem?* Inde hilari vultu animam Deo reddidit. Hoc eodem anno vitam absolvit in conventu s. Iosephi Toleti eiusdem provinciae Martinus a Iesu sacerdos, in saeculo sacrae theologiae doctor, ac magister in collegio vulgo *l' Escorial*, et linguae hebraicae et graecae peritus.

Paulus a s. Maria. *Monum. prov.*

Martinus a Iesu. *Ibidem.*

Anno aetatis suae XXXV. inter discalceatos fratres ingressus, mire illuxit in virtute humilitatis, ac obedientiae, et sui ipsius perfectae abnegationis. Constitutiones suae provinciae a s. Petro de Alcantara confectas summopere venerabatur, ac dicebat eas sibi videri divino assistente praesidio concinnatas. Dum autem eas in manibus gerebat, devote deosculabatur. Die V. Augusti ibidem decessit Franciscus a s. Ioseph clericus, angelicis ditatus moribus, quem anno vitae suae VIII. votum castitatis emisisse tradunt. Tenerrimo affectu ferebatur erga beatam virginem Mariam, cui has preces frequenter fundebat: *merear per te, o Domina purissima, ab unigenito Filio tuo, et Domino meo illam corporis et animae puritatem consequi, qua praesentia mea tuas oculos adeo puros et mundos non offendat.* Eius patrocinio heroicas virtutes assecutus, consummatusque in brevi, explevit tempora multa. In conventu immaculatae Conceptionis oppidi de Callosa provinciae s. Ioannis Baptistae obiit Didacus a Vireta laicus magna perfectione praeditus; patientia vero illustrior fuit potissimum in diuturna aegritudine, quae licet gravissima, nunquam tamen conquestus est, aut valetudinem a Domino petiit; sed divinae voluntati humiliter se submittens, pro eius amore eam aequo animo semper tulit. Horam mortis suae scivit, aliisque annuntiavit, quae evenit, eo velut a suavi sopore correpto, post mediam noctem.

Franciscus a s. Ioseph. *Ibidem.*

Didacus a Vireta. *Antonius Panes p.* 256.

XXV. In coenobio Plateae provinciae Siciliae inter reformatos fratres illa verba *Iesu nostra redemptio* proferens, obiit Ruphinus a Platea laicus die II. Augusti de quo Hueber ex Tognoletto scribit ipsum fuisse ditatum ardentissima charitate erga Deum, cultoremque altissimae paupertatis. Anno aetatis XXXII. Romae in coenobio SS. XII. Apostolorum decessit Philippus a Ravenna laicus minorita conventualis, omni virtutum genere excultus; continuis namque carnem suam domabat ieiuniis, obsecrationibus, flagellis, aliisque pietatis et obedientiae operibus. Egenis, carceribus detentis, mortique damnatis maximo charitatis ardore opitulabatur. Asperum sub habitu gerebat cilicium, nudisque semper pedibus incedebat. Erga b. Virginem tenerrima devotione ferebatur; singulis vero ferme missis praesto aderat in ecclesia, angelica modestia qua erat exornatus. Tandem multis cumulatus meritis, ingenti suae sanctitatis fama occubuit, ad cuius funus honestandum multi utriusque sexus christifideles accesserunt.

Ruphinus a Platea. *Tognoletto p.* 588.

Philippus a Ravenna. *Barrelius p.* 1270.

XXVI. Aliquot sorores cum eis coelestia petiere et hoc anno. In monasterio Montensi provinciae Germaniae Inferioris pie obiit Catharina Malhatten, quae ab anno MDLXXXII. una cum caeteris pulsa a furentibus haereticis e collegio virginum Delphiense, hinc illinc inter vitae pericula discurrebat, donec anno MDLXXXI. in hoc monasterio recepta, vitam duxit virtutibus cumulatissimam. Cum summe coleret s. Ursulam V. et M., ante sui mortem, quae evenit die XXI. Octobris eidem s. Virgini sacro, meruit coelesti sua visione recreari. Monachii in provincia Bavariae in monasterio Ridleriano decessit die X. Iulii soror virgo tertiaria Catharina Trostberger, variis virtutibus, patientia praesertim ac mansuetudine praedita, divino lumine aliquando in diuturna aegritudine perfusa. In instituto LV. annos inculpatam vitam duxit. In monasterio s. Clarae Gienni in provincia Granatensi ad Christum sponsum evolarunt duae germanae sorores, nimirum die XXX. Martii Francisca a s. Antonio, et die VIII. Aprilis Maria a s. Francisco, poenitentia, humilitate, assidua oratione, et universa regulari observantia illustres. Amore flagrabant eximio erga puerum Iesum, quem ut accrescerent, sese per diem in genua ante sui imaginem

Catharina Malhatten. *Menum. prov.*

Catharina Trostberger. *Greiderer tom. 2. pag.* 378.

Francisca a s. Antonio, Maria a s. Francisco. *De Torres p.* 318.

Digitized by Google

super altarisium positam prosulutae, ferventissimos amoris actus eliciebant. Diu infirmarum sororum curam, omni humanitatis sensu ex obedientia gessérunt. Francisca autem a s. Antonio quinquennio ante sui mortem visu orbata, magis insignia edebat suae sanctitatis indicia, praesertim in recolenda passione Christi Iesu. Die XII. Augusti rapuit Deus in monasterio s. Clarae de Loxa laudatae provinciae Mariam de Aranda, quae tempore sui tyrocinii Deum exorabat, ut si post emissa vota infidelis in sui promissione evasura esset, dignaretur, ea nuncupata, e medio tollere. Desideriis suis cessit misericors Deus; nam pauco post tempore, a valida infirmitate correpta, innocentem animam Deo reddidit. Cum preces funderet, igneus globus super eius caput non semel apparuit. In eodem monasterio die XXV. Novembris quam praedixerat, obiit Petronilla de Castilla, orationi coelestibusque meditationibus per diem, ac a media nocte usque mane vacans. Insuper membra domabat ieiuniis, aliisque pochalitatibus. Die XXVI. Maii vitam commutavit cum morte in monasterio Matritensi Antonia a Iesu, quae portariae munus explevit triginta octo annis, cunctis praebens suae charitatis et humilitatis exemplum. Plurimis in vita et post mortem Deus miraculis eius sanctitatem declaravit. Elapsis XIX. a sua dormitione annis integra ac rubicunda reperta fuit eius lingua, viventi similis. Sacra huius virginis acta descripsit in libro de fundatione huius monasterii Francisca Ioanna Corillo monialis.

Maria de Aranda. *Idem pag.* 630.

Petronilla de Castilla. *Idem ibidem.*

Antonia a Iesu. *Agiologium Lusitan. ad diem* 26. *Maii.*

XXVII. Nursiae in provincia Umbriae iustorum mortem oppetiit die IV. Decembris Virginia Baozzi ibidem nata, et in monasterio s. Mariae de Pace eiusdem civitatis professa. Ut Christo sponso fideliter deserviret, spiritualem vitam quam arripuerat, corporis afflictationibus assiduisque precibus alebat. Brevi somno contenta, post matutinum in choro usque mane vigilabat, ubi Christi agonem alta mente recolens, ecstatica et in sublime elevata ante crucifixi imaginem saepe inveniebatur a monialibus, ore eius ad crucifixi latus admoto. Terrena fastidiens, frequenter cum Apostolo aiebat: *cupio dissolvi et esse cum Christo.* Virginiae meritis, Deus a manuum attractione illico liberavit Dorothaeam Baldeschi Perusinam ex eodem instituto, ad eius feretrum pro valetudine recuperanda orantem.

Virginia Baozzi. *Antonius ab Urbeveteri in chr. prov. pag.* 715.

XXVIII. Hoc anno decessisse Leonoram de la Puebla, sive de Sotomaior librariorum forsan incuria, scribit Andreas de Guadalupe in chronica provinciae Angelorum, cuius acta praetermissa ab annalium continuatoribus compendiose notamus. Ea fuit germana Ioannis de la Puebla, Belalcazarensium comitis, qui, valedicto amplissimo suo principatu, nomen dedit seraphico minorum observantium ordini in quo sancto fine decessit anno MCDXCV. Leonora etsi tenellae esset aetatis, ac nobilium more vitam duceret, sensuum tamen mortificationi ieiuniis, precibus, et meditationibus coelestibus iugiter vacabat. Compassiva miseratione in pauperes a Deo ditata, pueros inopes obvians, domum suam adducebat, obsonioque sibi parato reficiebat. Mortua parente Elvira matrona spectatissima inter aulicas catholicae reginae Isabellae, licet reluctans, cooptari meruit; attamen illud vitae genus, quod arripuerat, haud unquam dimisit. Verum prae corporis macerationc viribus extenuata, exoravit reginam, ut ei veniam daret domum suam repetendi infirmitatis gratia. Domum reversa maioribus austeritatibus corpus affligebat. Hinc consilio fratris sui Ioannis explorato, in collegio s. Clarae de la Columna Belalcazarii una cum Elvira et Isabella germanis religiosam habitum induit, ubi omnium charismatum spectaculum facta, sancto fine decessit die ultima Iunii anno MCDXCVIII. Quae cum testamento

Leonora de la Puebla. *De Guadalupe pag.* 509.

Ann min. ad ann. 1493. *num.* 1.

Digitized by Google

antea cavisset, ut defuncta prope tumulum fratris sui Ioannis humaretur in sacello ss. Quinque mm. conventus fratrum Belalcazarii, eo tandem licet monialibus reclamantibus, eius corpus delatum fuit.

Mon. Mexici duo.

XXIX. In provincia s. Evangelii obvenit monialibus clarissis monasterium ss. Annuntiationis Mexici, probante pontifice: *Superna dispositione* nonis Aprilis; item in eadem civitate concedit idem pontifex: *Piis fidelium* xxviii. Aprilis Ludovico a Villanova laico eiusdem urbis licentiam aedificandi suis impensis aliud pro eis monasterium, Immaculatae Conceptionis titulo. Subest tamen ordinario loci. Initum fuit similiter Lugduni in provincia s. Bonaventurae monasterium clarissarum, studio d. Villars praesidis curiae Lugdunensis, qui moderando iam advenerant septem moniales e monasterio Fori Sebusiani eiusdem instituti. Antea sorores hospitium incolebant pro eis accommodatum a Guidone Lucensi. Laudatus d. Villars fundationis huiusmodi titulum ambiens, quingentas supra mille argenti libras in fundi coemendi pretium insumendum concessit. Etiam d. Bardet pius sacerdos monialibus domum exiguam cum sacello s. Mariae Magdalenae, cuius erat rector, suppeditavit. Ecclesia quae s. Clarae titulum praesefert, anno mdcxxii. consacrata fuit. Leviniaci monasterium, positum in dioecesi Tolosana accepit omnium primam Franciscam Maigneult de Montegut abbatissam, ab Enrico iv. nominatam, ac a pontifice confirmatam.

Monast. Lugdunen. *Gallia christ. tom. 4. pag. 314.*

Monast. Leviniaci. *Ibid. tom. 13. pag. 148.*

Monast. Orduniae. *Monum. proc.*

XXX. Extra moenia Orduniae in provincia Conceptionis perfectionem accepit monasterium monialium tertii ordinis in loco s. *Marina* nuncupato pro xxxiv. sororibus. Subest gubernio ministri provinciae minorum de observantia. Propter aeris inclementiam indulget pontifex: *Ex debito* die x. Aprilis, ut moniales clarissae s. Hieronymi Cathaniae quae extra moenia eiusdem civitatis degebant, intra civitatem transferantur. Haec translatio peracta fuit hoc eodem anno, sicut monumenta provinciae Siciliae testantur. Moniales monasterii s. Scholasticae Steinertobeli, oppidi Turgoviae in Helvetia, de tertio Ordine anno mdcxxx. erecti, ad arctiorem vivendi formam adductae fuerunt, opera Helenae Lindenmann monialis monasterii Pfannereggensis eo missae a d. Bernardo abbate s. Gallesii.

Monast. Cathaniae. *Monum. proc. Ann. min. ad ann. 1596. n. 55.*

Greiderer tom. 2. pag. 662. n. 152.

XXXI. Instrumento Leibnitii die iii. Iunii confecto, monasterium assumptionis b. Virginis Iudemburgensis in provincia Austriae restitutum fuit iurisdictioni ministri provinciae, ex mandato Wolfangi Theodorici archiepiscopi Salisburgensis; non vi, neque aliquo summi pontificis mandato sublata fuerat fratribus cura monialium, sed quia lutheranorum perfidia iidem pulsi a coenobio Iudemburgensi, necesse fuit, ut moniales ab ordinario moderarentur. Hoc eodem anno Ferdinandus ii. quascumque gratias his sororibus a Maximiliano imperatore, a Ferdinando archiduce Austriae, et a Carolo item archiduce concessas confirmavit. Monasterium s. Mariae de Laureto Almeidae Lamego antea ab ordinario mederatum, transiit ad regimen ministri provinciae Portugalliae. Curam illius suscepit Marcus a Trinitate.

Greiderer tom. 1. pag. 582. n. 189.

Apologium Lusit. ad diem 17. Iunii.

XXXII. Varia summus pontifex clarissarum monasteria locorum ordinariis subiicit; nimirum monasterium s. Clarae Dertusen. *Nuper ad nos* die xvii. Augusti; s. Clarae Spalaten. *Cupientes* die xv. Octobris; Corporis Christi Bononiae, et s. Bernardini eiusdem civitatis: *Cupientes* sub eadem die. Ratio cur haec bina monasteria archiepiscopo Bononiae subiecerit, adsignat, hisce verbis pontifex: *ob dictorum fratrum*, idest ss. Annuntiationis, *conventus extra civitatem praedictam consistentis ab ipsis monasteriis monialium intra civitatem existentibus distantium.*

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1598.	an. 6. et 7.	anno 22.	anno 394.

XXXIII. Motae quorumdam consilio turbae contra fratres de observantia, ab anno MCCCX. moderatores conscientiarum virginum regii monasterii s. Clarae Neapolis, summus pontifex edita constitutione: *Ex iustis* die VI. Septembris anno MDXCVI., eas a regimine observantium eximens, archiepiscopo Neapolitano Alphonso Gesualdo subiicit. Vulgato pontificis diplomate, suas mox per epistolam detuleruut moniales ad Philippum II. Hispaniarum regem querimonias, ut velut loci dominus patrocinium earumdem susciperet, ac ne praedicti fratres e monasterio amoveri paterelur. Epistolam ex archivo eiusdem monasterii excriptam vulgamus. *Ann. min. ad ann. 1310. num. 19.*

Signor

L' Abbatessa, et Monache del monasterio de s. Clara de Napoli devotissime oratrice et humilissime serve, et vassalle de V. M. dicono che sono circa 270. anni che il Serenissimo Rè Roberto predecessore de v. m. essendo devotissimo del glorioso serafico s. Francisco fondò, et dotò il detto monasterio dentata conveniente, donde potessero vivere sotto de la Regola di detto glorioso Sancto, con una grande lungha, et belissima Chiesa sotto il titolo de la Vergen gloriosa Sancta Clara, et gionto con detto Monasterio ...: indo un quarto dove potessero viver tanti Frati insigni de detta Religione per celebrar li divini officii, et administrar li sanctissimi Sacramenti a le monache, et donne de servicio di detto monasterio, et havendo continuato il culto divino li detti Padri de Sanct Francisco conforme allo ordine del Serenissimo Rè Institutore, ancorchè alcune volte siano mutati li Frati da conventuali in observanti, tutta volta sempre sono stati celebrati li divini officii, et administrati li Sanctissimi Sacramenti dalli frati di detta Religione del glorioso Sanct Francisco: al presente, potentissimo Signore, male informado sua Santità dall' Arcivescovo de Sorrento odiosissimo de detto Monasterio et Monache, ha ordinato all' Arcivescovo di Napoli che leve li frati dal culto divino, et administractione de Sanctissimi Sacramenti alle Monache, et ce ponga preti; et perciò recordano a V. M. che nostro Signore Iesuchristo hebbe dudici Apostoli, et giuda uno dessi le fu traditor, et se appicò perdesperato; et il glorioso Sanct Francisco imitando nostro Signore tene dudici discepoli, et uno dessi chiamato fra Iuan Capela lo tradio et se appicò como a Giuda; si algun frate o monacha hanno facto o comesso cosa indegna, il che non se crede, V. M. comanda siano castigati con ogni rigore, et non permeta che sia desonorata una Religione così grande et un monasterio tanto principale, dove sonno trecento monache professe, et sagrate, con altre tante donne de servicio, tra le quale vi sono molte figlie et sorelle delli principali Signori del Regno, oltre de algune Signore de molta qualità poste in deto Monasterio dali Vicerrè di Napoli per buon governo; et per questo con ogni humiltà ricorreno a suoi realissimi Pedi; et La supplicano humilissimamente resta servita comandar al Conte de Olivares non faccia proceder de facto a levar tutti detti frati, ma che proceda conforme ala cominciato per ....so Conte de Olivares, che ben che V. M. defenderà la giurisdictione de sua Capella Reale, una religione così antigua et la honore de tante Signore Vassalle, et Oratrice lo receverano a gracia singularissima de V. M. che nostro Signore guarda molti ani come la christianità lo ha de bisogno.

XXXIV. Epistolam ut Philippus rex accepit, die VIII. Februarii anno MDXCVII. mandavit comiti de Olivares Neapolis pro-regi, ut motum, in eo monasterio excitatum sua prudentia compoueret, iuspatronatum regium ac monialium vota pro viribus tueretur. Regiae voluntati obsecundavit pro-rex. Quare pontifex, revocato priori mandato, monjales illius monasterii exemit a iurisdictione archiepiscopi Neapolitani, ac cardinali ordinis protectori, velut loci ordinario subiecit, eidem potestate facta, pro ecclesiae servitio et monialium cura nonnullos ex reformatis fratres assumendi. Vulgatam damus constitutionem.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto filio nostro Hieronymo tituli s. Pancratii s. r. e. presbytero cardinali Matthaeo nuncupato, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia apud nos et apostolicam sedem protectori, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex reg. secr. brev. in manus Iulio pag. 128.

Ex dignis et rationabilibus causis animum nostrum moventibus, circumspectioni tuae, tamquam totius ordinis minorum protectori per praesentes iniungimus, ut remotis a monasterio et ecclesiae monasterii monialium s. Clarae civitatis Neapolitan. fratribus ordinis minorum de observantia s. Francisci qui nunc sunt, eorum loco et vice pro huiusmodi ecclesiae servitio, ac monialium cura spirituali, nonnullos religiosos professores dicti ordinis ex reformatis nuncupatis provinciarum Romanae, Siciliae ultra Pharum, et Mediolanen. provectae aetatis, exemplaris vitae, bonae famae atque etiam doctrinae quotquot necessarii erunt, Neapolim proficisci, et ibi permanere iubeas, eisque seu aliquibus ex ipsis singulo saltem triennio mutandis, postquam ab ordinario pro tempore examinati et approbati fuerint, et non aliter, auctoritate nostra mandes, ut regimen spirituale, curamque animarum earumdem monialium s. Clarae suscipiant, et deinceps, sicut speramus, laudabiliter exerceant, eisdemque monialibus, ut ipsis fratribus pareant et obediant, districte praecipias sub censuris et poenis arbitrio tuo infligendis, quod a te diligenter fieri cupimus ita, ut diligentiam et pietatem tuam in hoc merito collaudare possimus. Volumus tamen, ut venerabili fratri archiepiscopo Neapolitano nunc et pro tempore existenti, salvum et reservatum sit ius omne tam ex iuris communis dispositione, quam ex sacris concilii Tridentini decretis, et summorum pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus locorum ordinariis super huiusmodi monialium monasteriis, regularium curae commissis, praesertim in iis quae ad clausurae custodiam pertinent, competens ita ut facultas concedendi litteras quibuscumque personis cuiusvis status, conditionis et ordinis etiam regularibus, praeterquam supradictis religiosis praefatarum monialium spirituali curae, ut supra, deputatis, tam ingrediendi monasterii clausuram, etiam ex quacumque causa urgenti et necessaria, quam accedendi ad loca colloquutionum, ad eumdem ordinarium spectet, quibus sane licentiis antequam executioni demandentur, superioris regularis praedictorum fratrum reformatorum eiusdem monasterii consensus accedat. Contrariis quibuscumque non obstantibus etc.

Datum Ferrariae sub annulo piscatoris die VIII. Iulii anno VII.

M. Barbianus.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1598.	an. 6. et 7.	anno 22.	anno 301.

XXXV. Minoritae capucini recipiunt a Gofrido de la Marthenie episcopo Ambianensi coenobium in eadem civitate positum; in provincia Tolosana coenobium in civitate Castronaudari dioecesis s. Populensis; in provincia s. Ludovici coenobium in oppido Primatii dioecesis Aquensis. Iacta pro eisdem fuerunt fundamenta coenobii in civitate Caesaraugustana, de quo haec memoria prostat: *Ad Dei gloriam omnipotentis et b. Virginis sub invocatione del Pilar, sub praesidio praecursoris Dei Ioannis Baptistae, regnante in Hispania catholico rege Philippo III. domino nostro, et apostolicam sedem possidente sanctissimo patre nostro Clemente VIII. septimo sui pontificatus anno, praesidente d. d. Idelphonso Gregorio archiepiscopo Caesaraugustano, lapide eius benedicente, etiam r. patre fratre Ludovico de Valentia coenobii praesidente, sumptibus d. Ioannis Morales Infanzonis. Anno Domini* MDXCVIII. *fuit lapis iste benedictus, et in fundamentis iactus.* Porro laudatus Ioannes postquam cuncta pro novo moliendo coenobio contulisset, factus capucinus, inter eos obiit quatriennio post in senectute bona, et in conventu a se fundato tumulatus. In provincia Panormitana recipiunt coenobium in oppido Ennae Cathanensis dioecesis, et in oppido Calataphimi dioecesis Mazariensis, s. Salvatoris titulo, opera et impensis Salvi Amoris nobilis viri qui, ut scribit Pirrus, habuit filium eiusdem instituti fratrem Paulum sacerdotem, doctrina ac moribus notum. Incolitur a XIV. fratribus; in eadem provincia eis obvenit coenobium in oppido Partannae dioecesis Mazariensis, et in provincia Reghiensi in Calabria conventum in civitate Catacensi.

Ex Gallia christ. tom 4. pag. 1209., Boverio ac Turgii.

Boverius ad hunc ann. pag. 601

Pirrus not. G eccl. Mazarien tom 2. pag. 897.

XXXVI. Tertii ordinis fratres claustrales sui iuris fecerunt aedem et ecclesiam, s. Antonii abbatis titulo, in civitate Burgi s. Dominici Bononiensis provinciae, oblatam a civibus Bonaventurae Masae, et Laurentio Glorierio. Eam tamen, quia parum ad habitandum idonea, paullo post dimiserunt. In provincia Bohemiae recuperarunt minores conventuales coenobium s. Iacobi maioris Pragensis haereticorum furore religiosis vacuum, ope pientissimae familiae de Lanioribus. In cuius memoriam iidem fratres hoc monumentum posuerunt in inferiori parte ecclesiae qua itur ad conventum.

Conv. Burgi s. Dominici. *Bordonius p. 367.*

Conv. Pragensis. *Monum. prov.*

VIRTVTI ET BENEVOLENTIAE
LANIORVM NATIQVE VRBIS
SACRI HVIVS TEMPLI ET CONVENTVS INTEGRITATEM
A SACRILEGO IOANNE FISSA
ET SOCIIS DIREPTI
MANV STRENVE TVENTIVM CONSERVANTIVMQ.
FRATRES MM. CONVENTVALES
ANIMI STVDIO PONI CVRARVNT
ANNO MDXCVIII.

XXXVII. Pro minoritis de observantia extitit in provincia Algarbiorum conventus s. Antonii de Padua in oppido maritimo, dicto Laurinhiana. VIII leucis ab Ulysipone, illius universitatis eleemosynis instructus. Leonardus a Ribus provinciae minister coenobii praesidem omnium primum designavit Andream de Oliva, Maria Pereira coniux Ludovici del Castillo pro eo excitando quingentos denarios contulit. Ecclesiae fabrica incepit esse anno MCCXV., ad quam perficiendam Beatrix Bromdos multas impensas contulit. Incolitur a XV. fratribus recollectis. In provincia Cantabriae iidem fratres receperunt conven-

Conven. de Laurinhiana. *Monum. prov*

Conv. de Bilbao. *Monum. prov.* tum s. Mames de Bilbao, incolarum pietate aedificatum; alterum etiam obtinuerunt in provincia s. Michaelis in oppido de Fuentes, titulo s. Didaci, dioecesis Pacensis; in provincia Siciliae eis obvenit coenobium s. Mariae de Iesu intra moenia oppidi Ricalmuti dioecesis Agrigentinae, instructum piorum liberalitate. Prope oppidum Castilenti in provincia s. Bernardini inchoatum fuit in veteri et parva ecclesia s. Mariae Lauretanae pro eisdem fratribus coenobium, sub invocatione tamen s. Mariae de Monte Oliveto, impensis familiae Sterlic oppidi patronae, confecto fundationis instrumento die XXX. Maii. Possessionem accepit Ioannes de Castro Montis, vir eruditus, de quo traditur, oblatum ei episcopale munus summa humilitate resignasse. In coenobium oppidi Nieswitii provinciae Poloniae, quod anno transacto, vulgato pontificis diplomate, aedificari coeperat pro observantibus expensis ducis Olicae, immittuntur hoc anno, licet fabrica incompleta aliquot fratres, ut idem pontifex voluConv. in oppido de Fuentes. *Monum. prov.* Conv. Ricalmuti. Conv. Castilenti *Monum prov.*

Ann. min. ad ann. 1590. *num.* 21. tati ducis satisfaceret: *Alias* die XXVIII. Martii. Conventus satis religiosis accommodus in comitatu Regis et dioecesis Darensis in patria d. Fallighe Baroniae de Gessil, extructus opibus d. Cnoghabbair Fallighe, bello Hiberniam depopulante, solo penitus aequatus fuit.

Conv. Lectorens. *Ann. min. ad ann.* 1400. *num.* 17. XXXVIII. Item Lectorensis conventus provinciae Aquitaniae Antiquioris piorum eleemosynis resarciri coepit, et a fratribus observantibus inhabitari. Solo aequatus fuerat ab Henrico IV. Bearnentium principe, tunc haereticis favente.

Conv. de Villacastin. *Ioan. a s. Maria tom.* 2. *pag.* 342. XXXIX. In oppido de Villacastin dioecesis Segobiensis in provincia discalceata s. Pauli in Hispania erectum fuit titulo s. Francisci satis amplum coenobium, opibus germanorum fratrum Bartholomaei et Alphonsi Mexia, qui iuspatronatum et ius sepeliendi sibi reservarunt. Eis etiam accessit coenobium Dominae nostrae de Antiqua in oppido de Graial, fundatum eleemosynis comitum illius loci. Cum nova haec aedes ad coenobii formam aptaretur, fortuito inventum fuit corpus integrum ac viventi simile fratris Ioannis a Cruce sacerdotis qui mortalitatis exuvias ibidem deposuit, cum obedientiae merito e coenobio de Alacios mitteretur a suis in alterum s. Floriani Legionensis. Traditur ipsum fuisse virum spectatissimae vitae, et mortis suae tempus praedixisse, antequam e laudato coenobio discederet.

Conv. de Graial. *Idem ibid. pag.* 340.

Ioannes a Cruce. *Idem ibidem.*

De Gubernatis tom. 2. *pag.* 388. *num.* 216. *et* 217. XL. Reformati fratres suffulti constitutione summi pontificis: *Pro iniuncti* die XXI. Octobris anno MDXCVI. §. 4. qua mandabatur ministris provinciarum de observantia, ut in comitiis provincialibus aliquot coenobia ipsorum observantium eis concederentur, cum haec capitula, ob munus ministro generali ordinis in Galliis a pontifice commissum differri viderent, non raro cum tumultu fratrum observantium coenobia occupabant. Communi tamen concordia provisum mox fuit, supplici libello exhibito a generali ordinis procuratore ad visitationis apostolicae congregationem, quae sic opportune statuit: *Quo autem ad faciendam assignationem aliquorum conventuum observantium de familia fratribus reformatis, in singulis casibus recurratur ad sacram congregationem, quae habita ratione numeri fratrum ad reformationem transeuntium, et omnibus accurate perpensis, deliberabit prout in Domino expedire videbitur.* Aliud autem decretum ab eademet sacra congregatione latum fuit anno MDCIV., de quo suo loco. Lubenti tamen animo non pauca observantes eis cesserunt coenobia diversis in provinciis. In provincia Tusciae primo custode Francisco a Menabio, obtinuerunt coenobium s. Francisci Sarthiani, coenobium s. Mariae Fontis Castelli prope Montempolitianum, coenobium ss. Trinitatis s. Florae, coenobium s. Francisci Burgi Lucensis, et coe-

Ex monum. prov.

Digitized by Google

nobium s. Mariae virginis Fesularum; in provincia Brixiae coenobium s. Mariae Coronatae Martinegii; in provincia s. Nicolai coenobium s. Antonii de Padua Tarauti, et s. Mariae Angelorum Cassani. Tentarunt apud pontificem sui iuris etiam facere coenobium s. Mariae Angelorum Licii in eadem provincia, anno MDLXIV. pro clarissis instructum, ac inde observantibus a Pio V. *Inter caetera* die VI. Decembris eodem anno traditum, at frustra; nam Clemens VIII. edita constitutione: *Quae a romanis* die II. Aprilis ratam habuit Pii V. pontificis voluntatem. Utramque constitutionem in regesto apponimus, quarum prima desideratur in annalibus nostris. *Ann. min. ad ann. 1566. num. 76.*

XLI. In provincia Marchiae obvenit eis coenobium s. Angeli in Vado, quod anno insequenti dimiserunt. Hoc eodem anno approbat pontifex: *Exigit pietas* die III. Iulii fundationem conventus pro eisdem fratribus perficiendam in civitate Ceneten. provinciae s. Antonii Venetiarum in ecclesia confraternitatis s. Mariae *del Mischio* nuncupatae. Titulum tamen praesefert s. Francisci. Item facultatem tribuit episcopo Feretrano: *Exigit pietas* die XXIII. Novembris excitandi etiam pro eis coenobium in Burgo Vallisluganae dioecesis Feretranae, expensis Sigismundi Baronis de Welispergg, syndici, ac universitatis loci. *Conv. Ceneten.* *Convent. Vallisluganae.*

XLII. Cum autem ob coenobiorum ac reformatorum numerum eorumdem negotia ab uno ordinis generali procuratore expediri haud posse crederetur; ideo pontifex vivae vocis oraculo, Hieronymo cardinali Matthaeio protectore usus, cavit, ut guardianus s. Francisci Transtyberim de Urbe procuratoris munus pro tempore assumeret, ac causas ad eos spectantes apud curiam romanam expleret. Res ita se gessit usque ad annum MDC. *De Gubernatis tom. 1. pag. 417. num. 67. et tom. 2. pag. 361. num. 158.*

XLIII. Item Hieronymus cardinalis ordinis patronus aliqua statuit circa fratrum defunctorum libros, quibus, dum viverent, utebantur.

Hieronymus Matthaeius miseratione divina s. r. ecclesiae tituli s. Pancratii presbyter cardinalis ac totius ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia protector, corrector et gubernator.

Attenta mentis acie perpendentes multa, et antiqua ordinis fratrum minorum de observantia circa librorum eorumdem fratrum defunctorum dispositionem, statuta laudabilia quidem ac maturo patrum consilio edita fuisse, parum tamen aut minime aliquibus saltem in provinciis ea observari; et cupientes summopere, ut quae, experientia docente, expedire cognoscimus, a praedictis fratribus ubique consistentibus exequutioni demandentur, firmiter statuimus et decernimus, ut posthac dictorum fratrum ex hac vita discedentium libri ad proprias spectent provincias, quae secundum eiusdem religionis statuta dicantur illa in quibus praedicti fratres professionem emiserunt, vel sunt incorporati, si ad alias ex nativis fuerint legitime translati. Volumus autem, ut ille semper praeferatur conventus, qui tunc ipsis ad habitandum fuerit a proprio ministro assignatus, sive fratres in illo sive in alio eiusdem vel alterius provinciae obierint. Vel ut si obitus ipsorum tempore nullus fuerit in illis assignatus conventus in quo abirent, tum iuxta necessitatem conventuum et fratrum propriae provinciae erunt libri distribuendi ad arbitrium ministri provincialis, qui libros istos applicandos curet, ubi provinciae, definitorum iudicio, magis expedire cognoverit: ita tamen, ut in bibliothecis semper reponantur libri maiores, ut biblia cum expositionibus, ius pontificum, glossa ordinaria, ac libri Augustini, Chrysostomi, Hieronymi, Basilii, Bernardi et alii huiusmodi, sive expositivi, sive scholastici, et historici omnes, atque etiam casuum conscientiae, *Ex bull. Francisci Matriten. tom. 3. pag. 187.*

Digitized by Google

summae praecipue quae a gravioribus sunt auctoribus editae. Quos vero ad bibliotheeas haud expedire iudicaverit, fratribus secundum uniuscuiusque indigentiam distribuat ad usum tantum. Atque ut hoc nostrum decretum inviolabiliter, ubique et ab omnibus praedictis fratribus observetur, illud sub poena privationis officiorum, ac vocis tam activae quam passivae ipso facto protinus incurrenda observari praecipimus et mandamus.

Datis Romae in aedibus nostris die xiv. Aprilis anno mdxcviii.

Hieronymus card. Matthaeius protector.

Loco ✠ Sigilli

Sbaral. tit. M. XLIV. Episcopalem dignitatem assequutus est unus dumtaxat inter franciscales conventuales die vii. Augusti Modestus Gavazzi Ferrariensis, ad ecclesiam Aliphanam destinatus, cum pontifex Ferrariam degeret. Idem pontifex xv. calendas Iunii in eorum fratrum s. Francisci coenobio pernoctavit, ac sequenti mane sacrum in ecclesia celebravit.

XLV. Hoc eodem anno obiisse Ambrosium Capitium franciscanum de observantia archiepiscopum Antibarensem, et administratorem ecclesiae Buduensis tradit Daniel Farlatus in suo Illyrico sacro. Quae de eo scripsit, vulgamus. Is natalem habuit in civitate Chersi, sive Absorii in insula Sinus Flanatici in Dalmatia ex gente Capitia, qui florenti in aetate minoritis de observantia adscriptus, inde concionatoris munus summa cum laude obivit. Mortuo Ioanne Bruno archiepiscopo Antibarensi, ex Gregorii xiii. pontificis mandato die ix. Ianuarii anno mdlxxix. illius ac Buduensis ecclesiae cura eidem Ambrosio demandata fuit, annos numerans quinquaginta. In suam adveniens dioecesim, cum archiepiscopalem aedem occupatam a Turcis reperiisset, Buduae domicilium sibi delegit; nam haec civitas post initam cum Selimo pacem, anno mdlxxiii. a Turcis deserta, a Venetis occupata fuit et instaurata. Non tamen Ambrosio ad metropolitanam ecclesiam suam aditus interclusus erat; siquidem praeter copias praesidiarias et magistratus turcicos, paucissimae extabant familiae turcarum, et Antibarenses adhuc avitam fidem profitebantur. Praeterea cathedralis s. Georgii cum canonicorum collegio, templa s. Petri et s. Eliae in civitate, ac s. Mariae in Suburbio, unaquaeque cum suis, ut vocant, collegiatis, et singulae quinis vel senis presbyteris extabant. Quotidianae in iis erant psalmodiae, nemoque prohibebat, quominus christifideles, publici aeris campani sonitu evocati, ad sacras functiones publicas convenirent. Saepe ipsemet archiepiscopus, praesertim festivis diebus, ac solemnibus ad urbem accedens, divinis officiis in cathedrali praesto aderat, sacrificium ritu episcopali peragebat, gregem interim suum adhortans ad christianam religionem constantissime servandam.

Farlati tom. 7. p. 106.

Ann. min. ad ann. 1579. num. 146.

XLVI. At turcae proximis post deditionem annis, licet parcerent christianis, eorum templis et sacris, bono tamen ecclesiarum inhiantes, alias furtim, alias aperte in patrimonium ecclesiasticorum avidas manus inferebant. Quare illorum rapacitas quotidie cum aliquid decerperet, eo res devenit, ut brevi tempore archiepiscopalis et capitularis, aliorumque sacerdotum mensa ad extremam inopiam redigenda videretur. Ut huic malo occurreret Ambrosius, Venetias se contulit, ut ab Senatu litteras ad Venetum apud turcas oratorem impetraret, quarum ope, ne quidquam ex bonis ecclesiae ipsi amplius decerperent, et quae ablata fuerant, restituerentur. At Senatus Venetus vel offensionem vel repulsam regis turcici veritus, tanti esse non censuit, suam suique legati auctoritatem interponere, vel ipse legatus petere haud est ausus, quod consequi se posse diffidebat.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1598.	an. 6. et 7.	anno 22.	anno 391.

XLVII. Venetiis anno MDLXXXII. dum erat, die XIV. Novembris solemniter consecravit ecclesiam, cui a s. Sepulcro titulus est. Anno insequenti in eadem urbe moram adhuc agebat; nam ex eius litteris constat, sacros ordines ab se Torcelli quibusdam clericis permissu episcopi Torcellani contulisse. Romam inde petiit ut sibi suaeque ecclesiae aliquod subsidium ab apostolica sede impetraret. Anno MDLXXXV. Romae diversabatur; nam ut habetur *in cod. eleemosynar. apost. sedis in archivo Castri s. Angeli* « anno MDLXXXV. « Ambros. archiep. Romae degebat; ubi menstruam eleemosynam recipiebat « a Sixto V. »

XLVIII. Buduam reversus, non sine ingenti labore ac periculo dioecesim suam impigre lustravit. Quanto ipse in odio fuerit apud Turcas, nemo non credet; tum quia eis non latebat id illum conari, ut ecclesiasticorum bona iniquis raptorum manibus eriperet; tum quia nimio studio zelique ardore catholicam religionem tueretur, summisque eam extolleret laudibus, nec vero se abstineret a turcarum secta ferventius impugnanda, publico ac privato colloquio. Quocirca ut eorum in eum rabiem exprimerent, multa ei mala intulerunt, et vitam praeripere tentarunt. Misso Octavio Spader episcopo Assisiensi minorita de observantia qui plura de eo habet, ita rem iam expositam confirmat Franciscus Gonzaga auctor coevus. *Cum inquit, fr. Ambrosius Absorensis franciscani ordinis alumnus atque Antibarensis archiepiscopus, qui frequentius Buduae residet, Antibarim visitandarum ovium sibi creditarum gratia petiisset, inibique sacram pro suggestu concionem haberet, a truculentissimis turcis captus, carceribus mancipatus, flagellis caesus extitit; parumque abfuit, quod in mahometem eorum legis auctorem inventus esset, eiusque satanicam doctrinam damnaret, quin ignibus comburendus traderetur.* De origine seraph. relig. part. 2. pag. 457. conv. 19.

XLIX. Non in ea tamen sumus opinione, ut dicamus eum laudato Fariati Ambrosium obiisse laboribus atque aerumnis confectum hoc anno; nam ex actis consistorialibus sequenti anno proferendis novimus, ecclesiae Antibarensi iamdiu vacanti per eius obitum, datum fuisse Thomam Ursinum ex eodem instituto; si ergo ea ecclesia iamdiu suo pastore viduata fuit, Ambrosii obitum haud hoc anno evenisse censemus. Praeterea si eidem ecclesiae praefectus fuit anno aetatis suae quinquagesimo, tunc foret dicendum mortalitatis exuvias deposuisse annes numerans XCVIII. Incertus est igitur mortis suae annus.

L. Varia per ordinis ecclesias illustrium virorum, ac mulierum inscripta vulgamus monumenta. In ecclesia s. Francisci fratrum minorum conventualium Pisauri in provincia Marchiae obviat inscriptio Isabellae Vitelliae.

D. O. M.

ISABELLAE VITELLIAE IAC. FR. GENERIS NOBILITATE INSIGNIS RELIGIONE MORVM INTEGRITATE CORPORIS FORMA MVLIEBRIVM VIRTVTVM PRAESTANTIA INCOMPARABILI HIPPOLYTVS RVVERIVS MARCHIO TANTA CONIVGE ORBATVS SIBI MOESTISSIMVS HOC SOLATIVM ILLIC INNOCENTISS. VITAE TRANSACTAE AETERNVM STATVIT MONVMENTVM. VIXIT AN. XXXII. MENS. IV. DIES VIII. IN CONIVGATO ANN. XIII. DIES XII. OBIIT ANNO MDXCVIII. IDIBVS IVLII.

In eius funere die XV. Iulii habuit de ea orationem Nicolaus Caesareus a Serra s. Quirici Picenus minorita conventualis, hoc anno Pisauri edita. Sbaral. tit. N.

Digitized by Google

LI. Sequens epithaphium legitur penes altare societatis chordigerorum in ecclesia conventus s. Mariae de Populo Foripompilii provinciae Bononiensis fratrum de tertio ordine.

D. O. M.

FRANCISCVS SABELLVS BERNARDINI DVCIS FILIVS SCIENS FRANCISCANAM RELIGIONEM AB HONORIO III. SABELLAE FAMILIAE P. M. CONFIRMATAM ET D. FRANCISCUM EIVSDEM FAMILIAE ESSE TVTELAREM VIVVS TANTA IPSVM PROSEQVVTVS EST REVERENTIA VT MORTVVS ET FRANCISCANAE HVIVS RELIGIONIS HABITV INDVTVS HOC IN TEMPLO SEPELIRI VOLVIT. VIXIT ANNOS XVIII. OBIIT DIE VII. MENSIS DECEMBRIS ANNO MDIC. PAVLVS SABELLVS ALBANI PRINCEPS ET BONONIAE FERRARIAE ROMANDIOLAE CAIETANVS GENERALIS PP.

LII. Memoria Magdalenae Borgia habetur in coenobio minorum observantium Pacis Mediolani prope portam, qua ad claustrum itur.

MAGDALENAE BORGIA FRANCISCI GANDIAE DVCIS FILIAE ET CORPORIS ET ANIMI NOBILITATE VERE PRINCIPI CVI CVM PARTVM PRIMUM EDERET EXTREMVM SPIRITVM REDDI IVSTI MORES PRAESTANSQVE DISCIPLINA DVCES IN CORLO FVERE IVNICVS VELASCVS COMES HARO IO. FER. COMESTABILIS CASTELLAE SECVRII DVCIS ET MEDIOLANI GVBERNATORIS FIL. POST ORTVM ETIAM MARIAE FRANCISCAE DVLCISSIMAE FILIOLAE QVA IN SOLATIVM AVCTVS FVERAT MONVMENTVM MORTVAE VXORIS MORTVAE INFANTI MORTIS QVOQVE MEMORIAE MORTALIS POSVIT MORTALEQVE QVOD AMARVM ERAT IN HOC TEMPLO SERVARI DONEC IN HISPANIAM DEFERRETVR IVSSIT ANNO CIↃ. IↃ. XCVIII.

Alterum monumentum positum fuit in secundo illius coenobii claustro ecclesiae proximo, egregiis picturis vitae et actorum seraphici patris s. Francisci ornato ab eodem Iunico Velasco, praedictae Borgiae coniuge.

NVMINI SANCTITATIQVE DIVI FRANCISCI DEVOTISSIMVS IVNICVS VELASCHVS COMES HARO IO. FERDINAN. COMESTABILIS CASTELLAE SECVRII DVCIS ET MEDIOLANI GVBERNATORIS FIL. PIETATIS STVDIO INCENSVS QVOD IN COENOBII HVIVS SACERDOTIBVS FLAGRANTISSIMVM ESSE COGNOVIT DVM SVMMA ASSIDVITATE DEVM PRECATI SVNT PRO AETERNA SALVTE ET GLORIA AMANTISS. ET PIENTISS. CONIVGIS MAGDALENAE BORGIAE FRANCISCI GANDIAE DVCIS FIL. CVIVS CADAVER IN PROXIMA AEDE REPOSITVM FVIT DONEC PATRIO CONDERETVR SEPVLCRO PORTICVM HANC POSTA VITA ET MIRACVLIS EIVSDEM SANCTISSIMI VIRI EXORNANDUM MANDAVIT ANNO CIↃ. IↃ. XCVIII.

LIII. Maiori in sacello ecclesiae s. Mariae Gratiarum Coneliani in provincia s. Antonii minoritarum de observantia incisa spectatur memoria Marci de Cello, cuius acta notantur.

MARCO DE CELLO SVMMI INGENII ANIMIQVE INTEGERRIMO VIRO ET VERE DIGNO FILIO FRANCISCI OLIM EQVESTRIS DIGNITATIS LAVDE INSIGNIS QVI PRAECLARA ORTVS FAMILIA. CELEBERRIMO IVRECONS. PHILOSOPH. MEDIC. ATQVE THEOLOG. OMNI TEMPORE ORNATISS. MAXIMILIANI I. CAES. AVGVSTI AD BASILIVM MAGNVM MOSCOV. DVCEM ET AD SIGISMVNDVM POLON. REGEM PRO PACE INTER IPSOS INEVNDA ANNO M.D.XXIII. LEGATVS DEINDE FERDINANDI ROMAN. REGIS ALIORVMQVE SVMMORVM PRINICIPVM CONSILIARIVS EXTITIT LAUDATISSIMVS. LATINVS IVRE CONS. ET EQ. ALPHONSVSQVE FRATRES DE CELLO PATRVEL. AC HAEREDVM PP. OBIIT ANNO SALVTIS M.D.LXXXXVIII. AETATIS ANNORVM LXXXIV.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1598.	an. 6. et 7.	anno 22.	anno 391.

LIV. Tumulum nactus est in ecclesia s. Spiritus Ferrariae minorum de observantia Franciscus Gerinius e s. Geminiano Hetruriae oppido eiusdem loci praepositus, et abbas ss. Abundii et Abundantii num. Aretinae dioecesis, ordinis s. Benedicti, anno MDXC. electus episcopus Balneoregiensis, qui Ferrariae fatis cesserat die VI. Septembris. Lucretia Urbini ducissa, germana Alphonsi II. Estensis die XII. Februarii Ferrariae item defuncta, dormitionis requiem accepit intus ecclesiam clarissarum Corporis Christi eiusdem civitatis in loco Ercolis II. parentis sui. Ughelli tom. 7. col. 514. Flaminius Parus tom. 1. pag. 492.

LV. Cum Ticinensium civitas plurimo in Bernardinum a Feltrio, in beatorum numerum ab Innocentio X. relatum, devoto pietatis affectu devinceretur, hoc anno publicam decoriones ad eius tumulum annuam oblationem faciendam decreverunt. Igitur die XXIX. Aprilis congregato consilio, omnes in haec convenerunt. *Item ut b. Bernardinus de Feltro, qui dum in humanis agebat frequentibus eius concionibus et adhortationibus, atque aliis charitatis pietatisque officiis multum profuit huic Ticinensi populo, opem suam apud altissimum omnium opificem Deum et Dominum nostrum Iesum Christum incessanter interponere valeat, pro incolumitate et conservatione huius urbis, quatenus eius memoria aliquo gratitudinis officio recolatur, inhaerendo requisitioni et precibus, quatenus opus sit, omnium fere officialium paraticorum huius civitatis, de quo in actis, factum est partitum an expediat, vel nè? Videlicet quod a modo in antea perpetuis futuris temporibus fiat oblatio solemnis et generalis iuxta consuetudinem publicam in ecclesia divi Iacobi apostoli extra et prope muros huius civitatis, ubi asservatur conditum corpus praelibati beati Bernardini de Feltro, adhuc integrum et incorruptum post centesimum depositionis annum, et hoc in calendis mensis Maii, et ibidem iuxta solitum aliarum oblationum afferantur faces consuetae tam per civitatem, quam per artes, et paraticos, ac pecuniae quae nomine civitatis erogari solent in dictis aliis oblationibus. Et praesens partitum, quantum opus sit, approbetur per consilium generale ad pleniorem illius observationem. Subscriptum. Bonetus abbas. Et datis balotis numptisque suffragiis obtentum fuit partitum, quod fiat, prout supra. Subdit ibidem Innocentius, unus ex consiliaribus, collegium mercatorum eodem anno et die in istam oblationem annuam consensisse, hac addita ratione: et hoc pro gratia speciali obtenta ab omnipotenti Deo, mediante intercessione dicti b. Bernardini pro expulsione hebraeorum a presenti civitate Papiae.* Acta ss. ad diem 19. Septembris.

LVI. Gemina prodigia evenere hoc anno apud beatam Virginem in ecclesia fratrum minorum Trajecti ad Mosam. Margarita filia nobilis viri Waltorii Hoensbroeckii, Guelne domini, ad annum usque undecimum adeo erat cruribus dissoluta, ut in modum lori et fasciae pedes de coxendine dependere viderentur. At Catharina Hemkens pietate mota, puellam deportavit ad Mariae virginis imaginem, ubi fusis pro ea precibus, puella domum parentis sui pedibus repetiit. Alterum accidit in Petro Carkensi Trajectensi, puero quadrienni, utroque pede claudo, qui nisi fulcris uteretur, sine ullo erat incessu. Ida mater vovit pro eius salute, continuis novenis dominicis cum in beatae Virginis sacello praesentare, atque ad eius altare singulisque quibusque dominicis sacrificia offerre. Postrema dominica mater cum filio sub sero ad Virginis aram precabatur; et Petrus firmis pedibus surgens, depositis fulcris, ad matrem accurrit, omni pedum vitio profligato. Sedulius pag. 169. et 170.

Digitized by Google

Cimarelli IV. part. chron. pag. 1154.

LVII. Cum ad tumulum pii viri Candidi Ranzi Vercellensis, anno MDXV defuncti cum ingenti sanctitatis fama in coenobio observantium s. Mariae de Gratiis oppidi s. Georgii provinciae Mediolanensis, multa ederentur miracula, ex eadem familia Franciscus Ranzus, e consiliis serenissimi Sabaudiae ducis, rogavit Franciscum cardinalem oppidi comitem, in Piceno pontificis legatum, ut agnati sui corpus e veteri sepulcro in sacello s. Bernardini gentilitio suo repositum, removere alioque expensis suis nobiliori in loco reponere posset. Interim ut eius acta ad eum mittere dignaretur, expostulavit. Cui ita laudatus cardinalis.

Molto illustre signore come fratello.

Non posso se non lodare infinitamente la pietà che V. S. mostra nel promovere di fare un deposito onorevole al corpo del B. F. Candido Ranzo; ma perchè sono in animo di volerlo porre sotto l' altare della nostra cappella con le spese che potrà convenire a quel santo corpo, credo che V. S. si compiacerà di lasciarmi questo carico. Quanto poi alla informazione della sua santa vita non le posso mandare alcuna, che non sia molto più facilmente nota a V. S. di cui dal Signore prego ogni felicità.

Di Macerata alli XI. Aprile MDXCVIII.

Di V. S. molto illustre come fratello
Francesco cardinale s. Clemente.

LVIII. Exundans die XXIII Decembris praeter modum Tyberis flumen, magnam Urbis partem labefactavit ita, ut plerasque aedes in ipsius Urbis meditullio ad medietatem usque eluerit, et illorum fundamenta ita concusserit, ut nulla ferme Urbis, alias amplissimae, pars reperta fuerit, quam tignis ac tibicinibus suffulcire et sustentari non oportuerit, multis aedibus iam collapsis, reliquis ruinam in horam minantibus. In hac eluvione quae ingentem metum civitati attulerat, praeter magnam animalium in campis hinc inde suffocatam multitudinem, mille et quingenti homines periere; damnum vero Urbi illatum, multis aureorum miriadibus aestimatur; plus vero damni dedisset, nisi tempestiva summi pontificis cura et providentia praesto adstitisset. Tamen idem pontifex depulit, immissis per Urbem equis ac naviculis pro cunctorum inopia consulenda. Fluminis infesti aestum divina bonitas quinto post die compescuit, reductis pristinum in locum aquis. Quare pontifex vulgata constitutione: *Manus Domini* x. calendas Februarii publicam supplicationem indixit ad divinam misericordiam implorandam. Qua in eluvione illud mirandum, quod licet aquarum copia basilicam s. Bartholomaei apostoli in insula Lycaonia, ubi eius exuviae quiescunt, oppleverit, ab eius tamen sarcophago aliquot palmorum distabat. Facti memoriam publico instrumento comprobatam fuisse tradit Panciroli testis oculatus.

Panciroli tesori nascosti di Roma pag. 620. Severiani memorie storiche delle 7. chiese di Roma pag. 325.

Acta ss. ad diem 8. Sept. pag. 324.

LIX. Pisauri duo evenere miracula, bb. Seraphinae Viduae ac Felicis Medae patrocinio. Pauper namque coementarius, qui saepius monasterio corporis Christi clarissarum eiusdem civitatis, ubi beatae tumulatae erant, operam suam praestabat, per civitatem incedens, in terram prolapsus est, ac illico curru tam onusto oppressus fuit, ut omnes crederent eum iam mortuum. At ille invocata beatarum ope, incolumis evasit, in pedes se erexit, iter suum prosequutus. Eodem hoc anno cum thecae novae construerentur ex ligno, recondendis beatarum corporibus, unus ex fabrilignarii famulis ob continuum, quo non parum afflictabatur, capitis dolorem, imparem se sensit eo ire ad laborandum;

Digitized by Google

attamen ivit, ac operi manus admovens, earum auxilium imploravit, pollicens eis in eleemosynam se daturum medium laboris pretium. Quo dicto, capitis dolor ab eo evanuit, et quod promiserat, solicite adimplevit. Mariartus O Heco sacerdos praestantissimae virtutis, incola conventus Teigmolagii in comitatu Corcagiensi dioecesis Rossensis in provincia minorum de observantia Hiberniae, aqua in lac dulcissimum conversa, virum infirmitate afflictum illico sanavit. *Annal. min. ad an. 1389. num. 8.*

LX. Huius anni initio, iubente pontifice, coacta fuit apud aedem vaticanam celebris de auxiliis divinae gratiae congregatio pro gravissima illa controversia circa eiusdem efficaciam, quae inter fratres praedicatores, et societatis Iesu professores versabatur in Hispania ab anno MDLXXXI. Plures ab ipso pontifice delecti fuere consultores. Inter minoritas conventuales delegit pontifex Propertium Resta episcopum Geruntinensem et Cariatensem, qui caeteris eius nomine praesedit, et Iulium Santucci s. Agathae Gothorum episcopum; ex minoritis de observantia Franciscum Bursum primo, ac inde Ioannem Rada hispanum ab eodem pontifice Romam vocatum. Anno MDCIII. et sequentibus consultoris munus obivit inter fratres capucinos Anselmus de Monopoli ex provincia Apuliae, inde s. r. e. cardinalis. Haec ex Augustino le Blanc ac ab aliis novimus.

LXI. Varias in provincias hoc anno, datis a pontifice sub una eademque die ac iisdem litteris, mittuntur commissarii apostolici ex reformatorum instituto. In provinciam Marchiae: *Cupientes* die XII. Ianuarii mittitur Vincentius a Sunsino; in provinciam s. Didaci Antonius de Montefranco; in provinciam s. Francisci Franciscus hispanus; in provincias Bononiae et Genuae Hieronymus de Finario; in provincias Florentiae ac Senarum Ioannes Baptista de Ferno; in provincias s. Angeli et s. Bernardini Angelus de Rota Castello; in provincias s. Nicolai et Basilicatae Ioannes Maria a Panormo; in provincias Calabriae Citerioris et Ulterioris Petrus de Agrigento; in provinciam Terrae Laboris Gervasius a Perusio; in provinciam Principatus Antonius Peruinus de Patto. Item et minister generalis fratrum conventualium, iubente pontifice, misit signatis litteris die V. Augusti, in provincias Galliae, Burgundiae, s Ludovici etc. Iosephum de Melphio. *Ex archivo n. XII. apost. de Urbe.*

LXII. Plura interim statuit ac concedit summus idem pontifex. Iubet archiepiscopo Viennen. ut fratres conventuales et ordinis s. Dominici in provincia Burgundiae a sua professione devios, in rectum vivendi tramitem reducat: *Religionis honestatem* die II. Ianuarii; ut moniales monasterii s. Marthae Iesu Ulyssiponen. regulam s. Clarae profiteantur iuxta moderationem Urbani papae IV. *Circa spatium* die XXIII. Ianuarii; iubet, ne extrahantur ss. reliquiae ex sacello s. Ursulae ecclesiae fratrum discalceatorum Genevae: *Sacrarum reliquiarum* die IX. Ianuarii; iubet monialibus civitatis Zamoren. ne per totam octavam corporis Christi ss. eucharistiae sacramentum publicae adorationi exponant, quia idipsum eodem tempore in cathedrali templo peragitur: *Exposuerunt nobis* die XIV. Martii; ut Ioanna ab Austria redeat ad monasterium s. Clarae Neapolis, unde valetudinis causa discesserat: *Cum sicut* die XVI. Octobris; ut nemo audeat extrahere ss. reliquias ex ecclesiis provinciae s. Gabrielis fratrum discalceatorum: *Cum nuper* die XXIII. Novembris.

LXIII. Indulget, ut Laurentius Mangioius minorita de observantia, episcopus Minerbinen. secum retineat aliquot sacrae Scripturae libros ex diversis orbis partibus sua industria acquisitos; ea tamen lege, ut post sui mortem tradantur conventui s. Petri Galatini eiusdem ordinis in provincia Barensi: *Exponi nobis* die XII. Martii; ut moniales conceptionistae Mexici semel in hebdomada

Digitized by Google

recitare valeant officium immaculatae conceptionis b. Mariae virginis: *Piis et devotis* die xxvi. Martii, et semel in hebdomada decantare missam in earum ecclesia de Virgine immaculata: *Votis* die xxi. Iunii; fratribus vero totius ordinis ac sororibus generali ministro subiectis tribuit facultatem recitandi officium ss. nominis Iesu die xiv. Ianuarii, indulgentiis interim concessis: *Sacratissimi* die xi. Aprilis; concedit Ioanni de Viadana minoritae de observantia, ut ad se convalescendum transeat inter canonicos regulares s. Spiritus in Saxia de Urbe: *Nuper* die vi. Augusti; ut Lucas Turisich ad aliud triennium fruatur privilegiis anno mdxcv. eidem concessis pro christifidelibus Hungariae: *Cum sicut* die xiv. Septembris; ut Franciscus de Montilia extrahere possit ab Urbe ss. reliquias pro ecclesiis ordinis insularum Philippinarum et Iaponiae: *Cum sicut* die xviii. Maii; et indulgentias eisdem ecclesiis, ubi reponerentur, largitur: *Cum nuper* die xxiii. Maii; item eidem indulget ut aliquot ss. reliquias largiatur ecclesiis provinciae s. Ioannis Baptistae: *Piis ac devotis* die v. Iunii; hortatur christifideles pro redimendo Francisco Serra minorita conventuali a turcis in servitutem adducto: *Ex omnibus* x. calendas Aprilis; confirmat privilegia concessa provinciae s. Gabrielis fratrum discalceatorum: *Quaecumque* die xiii. Martii.

LXIV. Concedit confraternitati mercatorum erectae in ecclesia s. Francisci Mexici altare privilegiatum, immaculatae Conceptionis titulo: *Omnium saluti* die xiv. Martii; altare sub invocatione Quintae Angustiae erectum in eadem ecclesia: *Omnium saluti* die x. Aprilis, et indulgentiam plenariam visitantibus idem sacellum: *Ad augendum* die x. Martii; altare s. Mariae Aegyptiacae ecclesiae monasterii s. Clarae Alagunae in insulis Canariis: *Omnium saluti* die xii. Iunii; largitur indulgentiam plenariam ecclesiae discalceatorum beatae Mariae virginis de la Esperanza Villaenovae de el Fresno provinciae s. Gabrielis: *Ad augendam* die xvii. Martii; confraternitati s. Georgii erectae in ecclesia s. Francisci Maioricen. *Cum sicut* die xxx. Ianuarii; confraternitati conceptionis erectae in ecclesia eiusdem nominis in civitatae Spoletan. *Cum sicut* die viii. Ianuarii; confraternitati conceptionis erectae in ecclesia s. Spiritus Ferrariae: *Cum sicut* die xxiv. Iulii; confraternitati sub invocatione nominis Iesu erectae in ecclesia b. Mariae de Bromo Massanen. *Cum sicut* die....; confraternitati vulgo *del Cristo morto* erectae in ecclesia observantium s. Francisci Compluti, quam hoc anno pontifex aggregavit archiconfraternitati s. Ioannis de Laterano Urbis; confraternitati tertii ordinis s. Francisci: *Salvatoris* die viii. Martii, quam erigendam in Burgundia, aliisque Galliarum partibus sub eadem die potestatem acceperat a pontifice Trebatius della Penna magister ordinis conventualium: *Ea quae* die vii. Martii.

De Torres in prov. Granaten. p. 129.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1599.	an. 7. et 8.	anno 23.	anno 392.

ARGUMENTUM.

Aliquot viri Dei vitae sanctitate florent; pie alii decedunt. Elevantur plurium venerabilium fratrum corpora. Bonaventura Secusius minister generalis ordinis patriarcha Constantinopolitanus renunciatur et canonicatum consequitur in basilica vaticana de Urbe. Componit dissidium inter Henricum IV. Galliarum regem et Carolum Emmanuelem Sabaudiae ducem. Capucini et conventuales habent generale comitium. Conventus fratrum et monialium monasteria numerantur. Eliguntur episcopi. Inclarent viri docti et occumbunt. Summi pontificis iussa et indulta notantur.

A sui infantia ad senectam usque cum eximiis virtutibus inclaruisset b. Sebastianus ab Apparitio, de quo plura in commentariis nostris, illum Deus, ut eius sanctimoniam hominibus palam ostenderet, coelestibus adhuc viventem donis cumulatissime locupletavit. In primis prophetiae dono; aderat Beatus in domo Ioannis Nugnez, et Ioannae Duran coniugum, cum extemplo eis dixit: *quid statis hic otiosi? vestra neptis, quae in carne humana spiritibus angelicis proxime accesserat, iam Deo animam reddidit, et illico inter beatorum choros recepta est.* Dicterum domus cum una ferme leuca abesset ab illa in qua puella defuncta erat, id novisse ex divina revelatione Beatum adstantes conclamarunt. *Annal. min. ad an. 1575. num. 135. ann. 1585. n. 106.*

II. Mulier vetula, at pia extremo in agone constituta, renuntiari iusserat Beato in coenobio Angelopolitano degenti, ut suis precibus animam suam Deo commendaret. Longe tunc aderat a coenobio Dei servus, et nuncius nondum ad eum advenerat; attamen ipse velut praesens fuisset, subridens narravit Blasio de Hernandez et Francisco Iagnez adstantibus ipsius vetulae obitum, qui media nocte evenerat. *Ex summ. de probationibus pag. 27. et seq.*

III. Marchionis Villamanriquez Novae Hispaniae pro-regis filiam eodem quo obiit, momento, retulit Beatus Ioannae Duran et Ioanni Nugnez coniugibus, eamque angelicis spiritibus stipatam paradisi portas ingredi se vidisse testatus est. Dicti coniuges inde certiores facti de tempore obitus puellae, iuramento adfirmarunt, eodem momento quo Dei servus manifestavit, evenisse puellae mortem.

IV. Maria Mendez post emissam virginitatis votum, ut parentum voluntati morem gereret, nupsit; at dictum votum post nuptias matri dumtaxat secreto communicaverat. Cum autem dicta Maria graviter aegrotaret, parentes se commendaverunt Beato, ut pro filiae salute oraret; quibus dum ipse respondit, filiam indubie morituram, eos etiam monuit de emisso virginitatis voto. Hinc ex eodem morbo Maria occubuit, et emissi voti veritatem confirmavit mater cui secreto filia post nuptias revelaverat.

V. Ioannes Guttierez in quodam eremitorio incidit in Beatum, et cum nox iam esset, ibi simul quievere. Dum Beatus somnum capiebat, clam Ioannes ab ipso discedit, et Angelopolim pergit, ut suis concupiscentiis indulgeret; attamen crimen, quo se statuerat inquinare, consummare nequivit; quin imo non sine vitae discrimine ab aliquorum insidiis evasit. Caute inde regressus, cuncta prout ipsi evenerant, a Dei servo, velut praesens fuisset, audivit non sine monitis salutaribus, quibus devium ad meliorem frugem adduxit.

Digitized by Google

VI. Ioannes Riaz dedit Beato nova sandalia; cum autem idem Ioannes illa vetusta, et inter se difformia proiecisset, vir Dei ea asservari mandavit, asserens stato tempore plura beneficia ex eis fore oritura. Non caruit effectu praedictio; sequuto enim Beati obitu, plura cum iisdem sandaliis mira inde evenerunt.

VII. Summo mane cum Beatus orationi vacaret, expostulatus a quodam incola populi s. Mariae, cur tam diluculo oraret; respondit preces se fundere pro religioso sibi coniunctissimo, qui eodem temporis momento animam agebat in coenobio Tlaxcallensi. Idem incola non multo post ad eamdem civitatem perveniens, intellexit laudatum religiosum iam defunctum, sepulturae mandari.

VIII. Aegrotabat gravi ulcere in mamilla Isabella Padilla, et a medicis pro derelicta habebatur, cum carcinomatis ulcus usque ad viscera irrepsisset. Eius mater ad Beati preces confugiens, eidem dixit vir Dei, ut bono esset animo, quoniam filia a morbo convalesceret; ut eventus postea revera docuit.

IX. Praedixit Beatus Constantiae Ruiz filiae non habituram, et iuxta sui praesagium evenit. Imminenti praecipiti pluvia dixit Ioanni Perez agricolae Angelopolitano, quod in eius agris iam ad messem albescentibus imber ac grando non decederent. Uti praedixit, accidit; nam pluvia ac grando finitimos agros vastantes, cuncta sua innocua fuere. Nocte intempesta postquam Beati equus in praeceps flumen prolapsus fuerat, domum advenit laudati Ioannis, eique candelam accensam praebens, dixit, ut ad certum fluminis locum accederet, ubi equum reperiret. Licet saevirent venti, ac largus imber effluerel, candela tamen nunquam extincta fuit, sed lumen emittebat ad instar vigiati intortitiorum. In ea fluminis parte, quam Beatus eidem indicaverat, equum natantem incolumemque invenit, et a flumine facillime eduxit. Candela interim consumpta non fuit, sed qua prius longitudine apparuit.

X. Interno moerore fractus erat animus Catharinae Padillae ob meditatum viri sui discessum ad Peruvianas provincias. Mulierem obviam habens Beatus, absque praevia cognitione sui interioris doloris eamdem solatur, spondens coniugem nullo modo Peruvianum regnum petiturum.

XI. Dominicus Duartes, absente Beato, ex eius vehiculis corrigiam rapuerat, ut fraena componeret; motus deinde conscientiae scrupulo, furtum peractum eidem Beato fateri cogitat. Sed antequam furtum Beato aperiat, ei dicit vir sanctus: *statim ac corrigiam ex meis vehiculis eripuisti, condonavi, quoniam tuam necessitatem pro fraenis aptandis iam praenoveram.*

XII. Supernis etiam visionibus exornabatur a Deo. Quieverat Beatus cum plaustris in loco campestri duabus vel tribus leucis a civitate Angelopolitana, et albescente die sic socios alloquutus est: *hac nocte*, inquit, *hora undecima p. Ambrosius e vita migravit, et dum ad sempiternae gloriae coelestis thronum ingenti angelorum comitatu ascendit, me salutatum dimisit.* Dubitantibus de hac re sociis, advenit quidam religiosus qui quaestorum munus gerebat in eodem coenobio, et omnem dubitationem sustulit, asserens laudati patris obitum nocte praecedenti hora undecima contigisse.

XIII. Deserto in monte obscura nocte oppressus Beatus, nudo in solo somnum quaerebat, saxumque pro cervicali capiti supponens. Sic quiescenti subita et clara lux effulsit, et ex luce voces suaviter canentium auditae fuerunt, quibus iucundatus, omne praecedentis lassitudinis fastidium expulit.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1599.	an. 7. et 8.	anno 23.	anno 392.

XIV. Inserviebat vir Dei in suo coenobio cuidam religioso morienti, qui bonis operibus dives, statim ac spiritum emisit, inter angelorum choros ad aeterna gaudia conscendit. Eumdem sic ascendentem Beatus inspexit et sancta spiritus ebrietate affectus, consodalium cellas excurrit, cunctos festinanter invitans ad ostia coeli aperta contemplanda.

XV. Idem Beatus duplicem habitam visionem narravit p. Alphonso de Zepeda sui coenobii guardiano, nimirum quod cum semel a moestitia correptus, sub plaustris se a pluvia tegeret, suavissimo citharae sonitu extemplo recreatus fuerit; dum autem iuvenem sonantem assequi curabat, ille paulatim evanescebat. Altera die pariter eidem adseruit, beatae Virginis visione, angelico pane iam refectum, oblectatum fuisse; et dum intensiori oculorum acie in eius pulchritudinem ferebatur, extra se factus, et in scamno quo sacerdos in sacrorum celebratione consederat, non sine adstantium stupore quievisse.

XVI. In religiosi equitantis dorso qui a suo ordine iam defecerat, insidentem daemonem intuitus est Beatus, et eumdem serio admonuit, ut ad claustra, aliter lacrymali exitu periturum, rediret. Infaustus eventus vera Dei servum praenunciasse comprobavit; quoniam periurum desertorem venationi vacantem, rupe e superiori loco improviso dissoluta, sub ruina vivum obruit. Saepe animas christifidelium defunctorum ad coelum ascendentes, ibique quas illis sedes Dei bonitas destinaverat inspexisse, testatus est ipsemet Beatus Ioanni Guerrero.

XVII. Mirum super irrationabilia animalia exercuit Beatus dominium ab ipsa etiam infantia. Nam cum ea in aetate pestilenti morbo laboraret, et ab hominum consortio seiunctus, in rustica domo quadam die dormiret, lupus in eum irruit, et dum puerilibus carnibus saturari tentat, dentibus venenatum tumorem bubonesque ex inguinibus evellit, et ita a bellua quae mortem venerat illatura, vitam sanitatemque recepit.

XVIII. Boves indomitos et in ipsos dominos vel custodes saevientes tam mites efficiebat vir Dei, ut ratione pene humana exornati viderentur. Eius enim voci illico parebant, iugum sponte subibant, non secus ac si mutato dominio, mutata etiam esset eorum natura. Septem ac viginti testes, fere omnes de visu factoque proprio numerantur qui mutationes adeo instantaneas in belluis inspicientes, in nullam aliam causam quam in servi Dei sanctitatem referre putaverunt. Boum obedientia tanta erat, ut a iugo soluti in pascua vagantes, etsi in limitibus segetum dimitterentur, exacte parebant Beati praecepto, nec ullum quidem virgultum dictarum segetum violabant. Saepe interim evenit, quod agricolae videntes inter eorum sata dicta animalia vagari, Dei servum monebant, ut ea revocaret. At ipse spondebat, longe periculum abesse, cum eisdem praescripserat, quomodo se continere deberent. Nec sponsio unquam irrita fuit, prout ipsi agricolae facta diligenti exploratione, cognoverunt. Haec universim; unus autem vel alter proprie singularis casus eorumdem boum praeteriri non debet. Devehens Beatus plaustris lapides pro aedificiis sui coenobii, unus ex ipsis sub labore defecit; quare Beatus necessitate ductus, foetam buculam nunquam subiugatam plaustro iunxit et vitulum lactantem suamque matrem sequi contendentem, a loco sibi praescripto iussit non amoveri. Paruit vitulus, et quamvis matrem euntem ac redeuntem pluries inspexisset, immobilis tamen stetit, donec Dei servus post quatuor vecturas veniam dedit, ut matris ubera sugeret; ac inde revocato imperio, donec vesperasceret, in eodem loco perstitit. Subnectimus et alterum. Adveniente nocte, solvebat Bea-

Digitized by Google

tus a vehiculis boves, ut per campos pascerent; et ne aliquid damni satis vicinioribus committerent, seniorem ex ipsis ad se vocabat, eidemque quasi humano ratiocinio polleret, curam caeterorum imponebat, ut suos consocios observaret, eosque diluculo ad se reduceret; et iuxta impositam legem, cum dies albesceret, duce bove seniori, ad locum iisdem indictum praesto erant.

Ibidem pag. 21. XIX. Interim miris eventibus Deus Beati fiduciam pluries illustravit. De plaustrorum vectura agentes, habemus quod eadem modo disrupta ex profunda valle noctis tempore, absque humano prorsus auxilio mirabiliter educta fuere; modo ex inviis saltibus, per quos vix equitans homo transire potuisset, non sine spectantium stupore, cum suis plaustris feliciter effugiit; modo ex angusto et aspero aditu, eoque ab aliis plaustris impedito, pari spectantium admiratione, veluti ex strata via cum suis velocissime emersit; modo plaustri rota, eiusque axi penitus confractis per locum declivem ac palustrem iter unius leucae spatio cum dimidia confecit, neque dubitavit, reiecta ope carpentarii, qui axem et rotam aptaret, per aliam leucam ad suum coenobium reliquum itineris peragere; quin etiam prodigia prodigiis cumulans, iussus a guardiano, ut plaustro ita fracto novam capesseret vecturam, sine mora paruit, et impositum adimplevit festinanter onus.

XX. Calidum panem e manica eduxit Beatus, licet nullus in vicinia clibanus adesset. Cum idem Beatus rusticam domum aliquando adiisset, et absque panis mica integram familiam invenisset, de mane ante ianuam canistrum panis plenum repertum fuit, ex quibus omnes ad saturitatem comedentes, ingentem odoris suavitatem ac sapidam iucunditatem admirati sunt. Lignandi causa sylvam cum petiisset, nullis secum advectis dapibus, fame urgente, prope arborem pane ac lactuca miraculose inventis, refectus est. Ferdinandus Alvarez de Molo a Beato interrogatus, an panem quo se reficeret, haberet, respondit, unicum panem quem servabat pro canibus, mucidum deferre; quem dum Dei servo ipse exhibuit, calidum non secus ac e clibano recenter fuisse extractum, invenit. Didacus Barrera testatus est Dei servum fassum fuisse, quod in magna sua necessitate Iudus extemplo ei apparuit, panem ac gemina ova afferens.

XXI. Didacus de Ayala incola Tlaxcallensis eius socius affirmavit, Beato itineranti in viridi prato super mantili panem ac pisces angelum pueri religiosi speciem ferentem praeparasse, eumdemque fuisse Beato proximum. Ex eo autem id cognovisse idem socius dixit, quia servus Dei nec manticam secum habebat, nec in manica panem ac pisces deferre poterat, quin alteruter corrumperetur. Prodigii novitate commotus testis, admonitus fuit a Beato, ne alicui factum revelaret. Dum ducendis vehiculis operam dabat, licet pluviae decidерent, nec ipse nec plaustra ullatenus ab aquis laedebantur Si quietem super humum capiebat, aquae eius corpori accedentes, in rivos scindebantur, ut ab earum eluvie praeservaretur. Quoties regio nivibus undique albesceret, locus in quo Beatus decumbebat, a nivibus immunis remanebat. Contigit etiam aliquando, ut dum sub clivo eius quadrigae extabant, et praeceps pluvia ruebat, ipsemet aquarum cursus retrorsum ibat.

Annal. min. ad an. 1575. num. 141. XXII. Apud Hispanos in provincia s. Ioannis Baptistae fratrum discalceatorum eximia vitae sanctitate etiam florebat b. Andreas Hibernon item laicus de quo aliqua protulimus in annalibus nostris. Praeter orationis studium cui ut praesto esset, unius horae spatio de nocte somno indulgebat, ac austeritatibus multis corpus edomabat. Lecto nunquam usus est, sed vel super nudam

Mondini in vita ejus pag. 86.

Digitized by Google

tabulam, vel super stoream, vel supra humum quiescebat. Post exactas stipes cum quadam die ad coenobium remearet, haberetque nudatos pedes a tribulis, spinis atque ab asperis viis saucialos, sanguineque conspersos, occurrit ei unus ex sodalibus, stramineum saccum praebens, ut in eo aliquantulum quiesceret. Cui dixit Beatus: *frater, quoniam nunc tempus habemus, agamus poenitentiam, ne aliquando nobis displiceat, occasionem ac tempus nostri profectus perdidisse.*

XXIII. Mira item fuit in potu ac cibo abstinentia. Singulo namque die modico pane ac aqua reficiebatur. Nunquam vero nisi obedientiae merito, carnes, pisces ac ova comedit. Variis licet infirmitatibus, stomachi praesertim ob vitae asperitatem laborisve assiduitatem debilitate correptus, medicorum consilio iusculum sumebat, in quod tamen vel aquam frigidam, vel fervescentem, ut palatum exureretur, infundebat. Ad nudam carnem laminam ferream acute perforatam assidue portabat, ac nunquam dimisit hac illac interim discurrens ac gestans per diem in humeris eleemosynas a piis fidelibus collectas. Non semel etiam accidit, ut ingruentibus procellis ac grandine decedente diceret socio eum exoranti, ut caputium quo nec per nives, nec per pluvias, nec per aestivos calores se tegebat, suo capiti imponeret: *frater, quomodo possum caputio cooperire caput coram coelorum rege, qui vilior sum inter omnes suae familiae servus?*

XXIV. In instituto minoritarum de observantia praeclaris virtutum meritis et emicabat b. Iulianus a s. Augustino laicus. His quae de eo scripsimus, haec adiicimus, nimirum quod cum extra coenobium pro petenda eleemosyna versaretur, modis omnibus spiritualem aliorum salutem procurabat. Litterarum pene rudis, saepe tamen colloquia, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illi, habebat ad peccatores convertendos, et ad scandala removenda, praecipue vero ad perditas mulieres a turpi quaestu avocandas. Quae ut felicius praestaret, posthabitis contumeliis sibi illatis, aliquando penes consertum populum, lusibus ac choreis profanis occupatum, aliquando per vias, aliquando vero apud aliquam crucem extra oppida positam ferventer concionabatur, cunctis comminando metum poenarum infernalium. Hinc dispersis extemplo choreis, ad poenitentiam quamplurimi revocabantur tum viri tum mulieres. Qui vero eiusdem monitis corda indurabant, mala comminabatur futura. Unus prae caeteris fuit ex incolis oppidi de Arganda, Francisci Sagredo nomine, qui Beati suasiones, ut a publicis cum mulieribus ducendis choreis abstineret, parvipendens, verbis asperis Beato respondit: *sinat nos*, inquiens, *in quiete, et restituat nobis tympanum.* Cui Beatus: *vade infelix; mala enim morte tibi erit moriendum*; quod revera evenit; nam cum in desperationem paullo post incidisset, sese de nocte in amnem proximum proiiciens, obiit submersus.

Ann. min. ad ann. 1575. num. 137. et ad ann. 1585. num. 110.

Ex summ. proces. pag. 33. et seq.

Ibidem in responsionibus ad promotorem fidei p. 58.

XXV. Impense sitiebat infidelium conversiones, pro quibus etiam libenter sanguinem profundere, si opus esset, cupiebat. Quadam die incedens cum Ioanne Vasquez agricola ad locum de Paralcada pro maiori parte a Mauris inhabitatum, media leuca ab oppido de Terrezon de Ardoz, docebat filios, filiasque eorumdem Maurorum. Haec illi audientes, furore incensi, manus in eum iniecerunt, et in malo tractarunt, ut ipse Ioannes eum suasit, ut e loco discederet, ne eum interficerent, dicens ei: *pater discedamus, relinquamus eos, ne nos perimat.* At Beatus: *quid ipse desidero, nisi ut me interficiant in terra Maurorum ob praedicationem verbi Dei?* Suis interim adhortationibus ad fidei veritatem tandem adduxit quemdam mancipium Maurum

Ibidem pag. 41.

Ali vocatum, licet dum operam dabat eius conversioni, lapidibus aliquando absque sui nocumento, obrutus; at facti poenitens, proiecit se ad pedes Beati, ab eo veniam, quod in illum lapides coniecisset, et baptisma petens.

Apud Bened. XIV. in compendio eius vitae tom. 7. p. 62.

XXVI. In Umbria fratrum capucinorum s. Francisci provincia, ingentem animarum fructum referebat s. Ioseph a Leonissa sacerdos. Nam « cum tantis laboribus pro fidelium utilitate susceptis congruum foret, ut fructus amplissimus responderet, mirum esse non debet, quod Iosepho in vinea Domini strenue adeo laborante, plantante, rigante, Deus maximum dederit incrementum. Certum enim est quod homines flagitiosissimi ad sanam frugem revocati fructus poenitentiae dignissimos ediderunt; quod mulieres libidinis coeno sepultae a peccandi consuetudine feliciter emerserunt; quod et privatae personae et familiae quamplures, et integri pene populi cum odiis acerbissimis inter se multo tempore dimicassent, iis extinctis in gratiam fide optima rediverunt; quod blasphemiis ad infernum detrusis omnium ora Dei laudibus resonarunt; quod templa in pluribus locis aut reparata, aut sacra supellectili decenter ornata, aut etiam a fundamentis extructa sunt; quod alcae vitium eliminatum; quod chorearum licentia; quod bacchanaliorum consuetudines extirpatae. »

XXVII. « Interea cum tot tantasque quotidianas clades acciperet infensissimus humani generis hostis, et tanta ipsi inferretur, uno Iosepho auctore, pernicies, incredibile dictu est, quanta in eum indignatione excandesceret, quantas ipsi moliretur insidias, quantas contra illum excitaret tempestates. Quoniam vero collectam diu rabiem ipse per se in Iosephum effundere prohibebatur, effecit, ut et hoc ipsum per improbos quosdam homines ministros suos, quorum vitia moresque corruptos apostolica libertate reprehendebat, abundantissime consequeretur. Itaque cum innumeris fuisset ab iis lacessitus iniuriis, maximisque contumeliis affectus, eo tandem furoris infamiaeque deventum est, ut in publico omnium conspectu, medioque oppidi foro barba ipsi per summam iniuriam avelleretur, verberibus ac colaphis immaniter caederetur, et parum abfuerit, quin a scelestissimo quodam, arrepto utraque manu caputio, eoque collo arcte perstricto, elisisque faucibus praefocaretur. Quae tamen omnia tam aequabili invictoque animo vir vere christianus toleravit, ut charitatis, patientiae, humilitatis exemplar evaserit admirandum. Gaudio siquidem in tribulatione pro Christo superabundans cum malediceretur, benedicebat, cum persecutionem pateretur, sustinebat, cum blasphemaretur, obsecrabat, et Christi Iesu mortificationem in corpore suo circumferens, eiusque consilium peragens, percutienti maxillam, alteram protinus offerebat. »

XXVIII. « Neque vero constanti adeo voluntate aeternam tantum animarum salutem Iosephus operabatur, sed dici vix potest quantam susceperit etiam corporum curam, quanto amore inopes omnes complecteretur. Hinc non solum eos cibos qui sibi contingebant, maiori ex parte cum pauperibus communicabat, et omnes communis mensae reliquias diligentissime colligebat egenis impertiendas, sed non exiguam insuper horti aream de superiorum licentia suis ipse manibus colens, quidquid inde aut fructuum accipiebat aut olerum, id omne amantissime pauperibus elargiebatur. Guardianus porro cum fuit, etsi nunquam domo diverteret, quin secum adferret aliquid, quo obvios in via pauperes solaretur, quandoque tamen cum nihil sibi praeterea reliquum foret, eo usque voluit esse misericors, ut suis ipse vestibus trementes ex frigore pauperes operiret. Si vero quandoque apostolico muneri incumbens in aliquo extra conventum hospitio degeret (quod saepissime contingebat) tum in illud

Digitized by Google

pauperes turmatim compellere, ubi eos a capitis vestiumque sordibus purgare, pedes eorum tergere, plagas curare et osculari gaudebat; tum lautioribus quibus poterat, esculentis reficere, somnoque opportuno in praeparatis lectibus recreare. Quin etiam in ipsas se insinuans secretorum carcerum obscuritates, confectos ibi squallore ac fame homines, omni quocumque modo poterat, relevare satagebat; si quem vero eorum vel innocentem deprehenderet, vel morti destinatum intelligeret, illius causam apud iudices agere; tunc vero omni quo posset, officii genere apud Deum iuvare et consolari studebat. Cum autem vehementissime optaret, ut, qua ipse aestuabat, singularis charitas in omnium animos diffunderetur, et ad futuras etiam aetates transmitteretur, a ditioribus quibuscumque, qua precibus, qua minis, qua pollicitationibus impetravit, ut suam in sublevandis pauperibus operam collocarent. Quo factum est, ut ex eleemosynis collata pecunia, plura in diversis oppidis vel instauraverit, vel extiterit pauperum et peregrinantium hospitia, et certos perpetuosque Pietatis, ut vocant, Montes solertissime stabiliverit, quorum fructus in egenorum beneficium erogarentur. »

XXIX. Hi qui sequuntur, inter minoritas de observantia pie consummarunt vitae cursum. In primis martyres. In Cilensi regno provinciae ss. Trinitatis die XIV. Mail, mota ibidem contra franciscanos persecutione, strenue decertavit pro Christi fide defendenda quidam Anonymus laicus, inedia ab impiis necatus. Apud Platam Fluvium in India occidentali gloriosum martyrium subiit Ioannes Bernardi, sive a s. Bernardo item laicus, qui licet in arbore suspensus, ex ipso tamen patibulo velut ex cathedra triduo die ac nocte concionatus est tanto spiritus fervore, ut Indi in eum irruentes, e ligno deposuerint, ac eius corde a corpore avulso, praecordia proiecerint. Haec ex actibus authenticis habuisse narrat Antonius Daça. In Insula Florida dum infidelibus monita salutis e suggestu daret Petrus de Casanova, oppido Toletanae dioecesis in provincia Castellae, sacerdos, sagitta ab eisdem confossus, martyrii gloriam consummavit. Die XIV. Februarii martyr occubuit Hieronymus a Spiritu sancto Bercellensis ex provincia Arrabidorum, anno MDXCIII. praeses custodiae Brasiliensis, eo missus a Philippo II. Hispaniarum rege, ut Christi fidem disseminaret. Summo omnium solatio ibidem mansit per plures annos. Cum navim transmigraturus Ulysiponem patriam suam conscendisset, cuiusdam Mauri iussu in odium fidei simul cum aliis duobus stipiti affixus, sagittisque confossus, animam Deo reddidit. Collegii s. Petri Conimbriae, ubi litteris operam adhuc saecularis navaverat, in oratorio hoc monumentum apposuerunt ad eius effigiem: *fr. Hieronymus a Spiritu sancto collegii d. Petri quondam, deinde seraphici ordinis alumnus pro fide catholica stipiti affixus, illustre Iesu Christi testimonium dedit, martyrio coronatus.*

Anonymus m. *Arturus ad diem 15. Mail.*

Ioannes Bernardi m. *Daça part. 4. chron. lib. 2. cap. 60.*

Petrus de Casanova m. *Monum. prov.*

Hieronymus a Spiritu sancto, ac socii mm.

XXX. Quae de Cosma a s. Damiano hispano, ex urbe Malacitana oriundus, professione laicus, ac incola coenobii s. Mariae de Consolatione Algayarum provinciae Granatensis acta notantur, promimus ex p. Francisco Quaresmio in historia Terrae Sanctae tom. II. pag. 53. « Sciendum, inquit, anno MDXCIX. cum regimen locorum sanctorum teneret Evangelista a Gabiano provincine Mediolani..., fuisse Ierosolymis fratrem quemdam professione laicum, natione hispanum Granatensem, nomine Cosmam, virum boni nominis, et suae perfectionis studiosissimum, qui nullum peculiare habebat cubiculum, sed vel in ecclesia, vel ubi eum somnus urgebat, illum capiebat. Hic de superiorum licentia venerat Ierosolymam, non desiderio venerandi loca sancta, quam pro-

Cosmas a s. Damiano.

Digitized by Google

prium fundendi sanguinem pro illius amore, qui pro eo suum cum spiritu fuderat in cruce, quamvis desiderio eius martyrium omnino defuerit. Et quamvis ea vice spe sua frustratus domum redierit, divini tamen amoris igniculus in eo extinctus minime fuit, sed in dies maiora accepit incrementa, adeo ut secunda vice Ierosolymam redierit, ut suo desiderio, quod antea negatum fuerat, vel iam fieret satis. Quamvis vero saepe illum spiritus ad martyrium excitaret, mortis tamen timor subinde retrahebat; quo factum, ut non statim, sed post aliquod temporis, voti sui compos factus fuerit. Interea temporis, ut de chordato hoc ac pio viro pium est credere, se bonis sanctisque occupabatur exercitiis, ad tam heroicum opus se disponebat, suumque agonem Domino continuis commendabat orationibus, ne optata martyrii corona fraudaretur. »

XXXI. « Elapsis itaque annis quatuordecim (tot enim in Terra Sancta haeserat cum illo pro Christo patiendi desiderio) quadam sexta feria contigit, ut panis deesset fratribus in ss. d. n. Iesu Christi sepulcro degentibus. Illorum ergo praeses cum pro pane misisset ad conventum s. Salvatoris, eiusque loci guardianus quem cum pane mitteret, cogitaret, idque bonus Cosmas qui tunc praesto aderat, advenisset, se ad deferendum panem promptum exhibuit. Annuit pater. Tunc ille accepta benedictione, et pera cum pane abiit ad Domini sepulcri templum, ibique de more breves Deo preces obtulit. Postea ad conventum se conferens, fratribus illis panem tradidit, paucaque cum illis locutus, inter alia dixit, statim se ibi adfuturum, et ab ipsis videndum esse. Sed quid his verbis indicaret frater Cosmas, fratres illi tunc non intellexerunt. Vale igitur illis dicto, seque pro gravi opere Deo et fratrum orationi se commendans, discessit et abiit ad templum Salomonis; ubi quia erat meridianum tempus, et dies veneris Turcis festivus et tota civitate pro more ad orandum congregati erant Turcae. Qui cum illum vidissent, mirati sunt, quod scirent sub poena mortis interdictum esse omnibus christianis ingredi templum Salomonis, nisi forte velint abnegare fidem Christi, et mahometicam suscipere, quod de eo suspicabantur: alii insanire eum arbitrati, ut fatuum contempserunt. Ille vero cruce, ad quam pendebat crucifixus ex aurichaloo, et quam semper ad pectus suum deferebat, sublata, manu extensa, voce excelsa magnoque spiritus fervore coepit impiam mahometis sectam damnare, et Christi fidem ad salutem esse necessariam depraedicare; longa enim assuetudine et studio non pauca arabice loqui didicerat, quod erat necessarium in illo opere. »

XXXII. « Hoc videns quidam sarasenus, velut fatuum et delirum irrisit, et ut ocyus discederet, iussit. Non obtemperat servus Dei, sed maiori spiritus fervore concepto, iterum mahometem damnat; Christum vero esse Dei Filium, et unicum mundi servatorem constantissime proclamat. Quare Saraceni in furorem acti, strictis gladiis in eum irruerunt, multisque vulneribus confossum occiderunt; tum caput eius a corpore resectum perticae perlongae affixum, vestes ex alia dependentes sublime detulerunt; corpus vero magno cum ludibrio ad templum ss. Sepulcri pertractum, allatis undique multis lignorum fasciculis combusserunt. Hoc videntes fratres dominici sepulcri recordati sunt, quod paulo antea dixisset, se brevi ibi videndum esse. »

XXXIII. « Ex hoc facto omnis commota et turbata fuit civitas, delatusque est etiam rumor ad franciscanos in conventu ss. Salvatoris habitantes, qui sibi proinde et locis sanctis timentes confugerunt ad unicum asylum et consolatorem in tribulationibus Deum, ingressique ecclesiam, et ss. sacramento exposito, non sine spiritu et lacrymis precabantur, ut ab imminenti eos strage et

Digitized by Google

sancta loca a ruina liberaret. Exaudivit Deus illorum orationes: quamvis enim multi turcae conventum et sacram aedem, velut furentes et famelici lupi ingressi essent, ut omnes eos disperderent, nullum tamen ex eis senserunt incommodum, nec unus capillus, ut ita loquar, de capite illorum periit. Adveniebant interim turcae quidam primae auctoritatis, qui ut fratres neci et furori populi eriperent, et tumultuantem plebem compescerent, atque dicebant, inclusos illos fratres innoxios esse, nec illius facinoris conscios; istum vero fuisse fatuum. Hoc pacto sedatus est populus, et furor ita resedit, ut quilibet in domum suam abierit. Guardianus nihilominus et nonnulli alii fratres funibus constricti, ducti fuerunt ad iudicem civitatis a quo tamen dimissi fuerunt, Deo adiuvante, et uno ex memoratis turcis favente. Alii etiam turcae collectos cineres combusti corporis (Cosmae) clam vendiderunt fidelibus cum habitu et chorda ipsius, qui ea velut pretiosas reliquias in Hispaniam transmiserunt. Quae hic scripsi, *ita laudatus auctor*, accepi ab eodem p. Guardiano, viro cui ob illius doctrinam, vitae integritatem et auctoritatem merito fides adhibenda est, et ab aliis qui tûnc temporis Ierosolymis fuerunt, et qui in mesquita turcarum acta fuerunt, ab ipsis turcis intellexerunt, longa item consuetudine eiusdem fratris Cosmae integritatem perspectam habuerunt. »

XXXIV. Aliud etiam hoc anno subiere grave discrimen iidem fratres Ierosolymis incolentes. Rem sic narrat Spondanus. « Relatum, *inquit*, reperimus hoc anno hominem mahometanae superstitionis ex Hispania Baetica Constantinopolim pervenisse, qui, ut mos levissimae ac crudelis gentis est, cum ad suos a iugo Hispanorum eximendos auxilia a turcis facile impetrari posse sibi suasisset, ac Bassarum et aliorum turcicae gentis procerum animos ad id variis rationibus incitaret, atque in primis, quod Mauri christianis sacris per vim addicerentur, libenter initio auditus, mox vel rei difficultate, vel hominis levitate cognita, neglectus; crebris sermonibus summa asseveratione iactare coeperit, nisi Iesu Christi sepulcrum christianis adimeretur, franciscanaeque religionis viri, quorum custodiae concreditum erat, pellerentur, nunquam de christianis turcas victoriam relaturos; neque ob aliam causam Rodulphum Caesarem vincere, nisi quod crebra donaria ad eum locum deferri curaret, nuper argenteis candelabris summa arte ex argento elaboratis eo transmissis. Id cum Mahometi turcarum imperatori renunciatum fuisset, eum christianorum dona inde asportari, et franciscanos amoveri iussisse. At legatos regis Francorum et reipublicae Venetae graviter conquestos, quod alias ne in mentem quidem superiorum imperatorum turcarum venisset, nunc haud exigua cum Mahometis regnantis dignitatis iactura tentari, quod neque sine veteris turcarum ac venetarum cum Ottomanis imperatoribus amicitiae detrimento fieri posset, nec sine gravissima caeterorum omnium principum christianorum, quibus summo semper honoris ac veneration is loco sacrum illud monumentum extitisset, offensione, qui in Ottomanos exarsuri essent. Hisque auditis, Mahometem ne quid innovaretur, prohibuisse.

Spondanus ad an. 1599. num. 6.

XXXV. Dormitionis requiem die XIV. Martii accepit in conventu observantium s. Francisci Mexici in provincia s. Evangelii Petrus Vasquez de Vega, nobilibus parentibus ortus in oppido s. Martini de Val Iglesias. Aetatis anno LX. assensu coniugis suae quae clarissarum habitum sumpsit in monasterio s. Luciae eiusdem civitatis, inter observantes in statu laicali adscriptus, viliora coenobii munia summa animi alacritate semper obivit. Lectulum nunquam ha-

Petrus Vasquez. *Torquemada tom. 3. pag.* 393.

buit, sed brevi sopori indulgebat super nudam terram, ut coelestibus meditationibus vacaret. Inge silentium servabat; cunctosque vero, si quos obvios haberet, ad amandum Deum verborum suavitate alliciebat. Erga alios benignus; in se tamen austerus erat. Ob suarum virtutum eminentiam, angeli nomine meruit ab omnibus nuncupari. Tlaxcallae in coenobio assumptionis b. Mariae decessit die XII. Septembris Michael de Estivales natione Vizcainus item laicus, qui relicta militari vita, in partem laboris adscitus fuit a fratre Francisco Laurenço in evangelizandis regionibus de Xalisco. Oratione divinisque contemplationibus quammaxime delectabatur. Assiduis poenalitatibus membra domabat. Nunquam vinum potavit, nisi postremis suae vitae annis, idque nonnisi obedientiae merito.

Michael de Estivales. *Idem ibidem pag.* 391.

XXXVI. Inter discalceatos fratres provinciae s. Gregorii insularum Philippinarum superna petivit in locis de Camarines Ioannes de Vandela, praedivitibus nobilibusque parentibus apud Belgas natus, qui a suis in universitatem Parisiensem missus utramque iuris lauream obtinuit. Salamanticae dum esset, facta super eum manu Domini, habitum eorumdem assumpsit in coenobio Calvarii eiusdem civitatis. Inde dilatandi evangelii causa ad laudatas insulas se conferens, mirum dictu est, quot infideles ad Christi fidem adduxerit. Quae, ut facilius assequeretur, omnibus omnia factus, saepe inter incolas tum in serendis expurgandisque agris, tum in aedificiis construendis versabatur, verba aeternae vitae in eorumdem animos infundens. Manilae in eadem provincia mortalitatis sarcinam deposuit Franciscus Cordubensis laicus, charitate Dei adeo cumulatus, ut eximii amoris sui signa foris, vultu saepe irradiato, erumperent. Interim membra caedebat sanguineis flagellationibus, ciliciis, catena ferrea, ac ieiuniis. In eisdem insulis sancte occubuit Gonzalvus del Castillo hispanus Burgensis, vir apprime doctus, ut iam metropolitanae ecclesiae Manilensis canonicus, ad eam urbem antea missus pro explendis quibusdam negotiis ei commissis a pro-rege Mexicano. Anno aetatis suae L. iam expleto a b. Petro Baptista proto-martyre Iaponensi inter suos adscriptus, omnimodae perfectionis iter mox arripuit. Nudatis pedibus iugiter incedebat, cilicio velut veste tegebatur, constringebatque corpus catena ferrea, quibus addens perpetuum ferme ieiunium, ac brevem somnum quem capiebat super nudam tabulam, Domino inserviebat in spiritus hilaritate. Lacrymarum dono exornabatur in meditandis coelestibus, in decantandis divinis, ac in legendis obedientiae merito piis libris in communi fratrum mensa. Sepulcrum accepit in mari, dum, mota procella, se conferebat in provinciam de Camarines, ut illius incolas sua praedicatione ecclesiae Christi adunaret.

Ioannes de Vandela. *Martinez lib.* 1. *pag.* 74.

Franciscus Cordubensis. *Idem ibid. pag.* 75.

Gonzalvus del Castillo. *Idem ibid. pag.* 88.

XXXVII. In conventu Dominae nostrae de Castanar provinciae Castellae superna petivit Ioannes de Naba sacerdos intemeratae vitae, in cogitandis divinis miris a Deo ecstasibus decoratus. Obitus sui diem praedixit fratri Toribio illius coenobii incolae, viro eximiae perfectionis. Die XVI. Octobris Guadalfagiarae in eadem provincia dies explevit suos Didacus Dux item sacerdos, paupertate vitaque exemplari exornatus. Nullum de proximo malum cogitavit, et obliqua eidem facta in meliorem partem semper accepit. Die ac nocte, licet infirmitate gravatus, divinis continuo interfuit officiis sexaginta annorum spatio, quibus in instituto vixit. Prae suarum virtutum opinione non solum apud sodales ac christifideles, sed et apud viros nobiles ac principes sancte audiebat.

Ioannes de Naba. *Monum. prov.*

Didacus Dux. *Salazar chr. prov. Castellae lib.* 4. *c.* 2.

XXXVIII. Pestifera lue quae hoc tempore inficiebat regiones Portugalliae ac Hispaniarum, decessit in oppido de Villacastin Ioannes Maria Italus, inter

Digitized by Google

ANNO CHRISTI 1599. CLEMENTIS VIII. AN. 7. ET 8. RODULPHI II. ANNO 23. RELIGIONIS MINORUM ANNO 392.

discalceatos fratres provinciae s. Pauli professus, eo missus, ut opem suam infirmis conferret. Defuncto parocho, hac illac discurrens, eisdem infirmis sacramenta, ac cibaria ministrabat; defunctos suis humeris asportabat, curamque interim parvulorum qui parentibus erant destituti, gerebat. In parochiali ecclesia tumulum solemni funere nactus est. Aliis in locis eadem contagione decesserunt novem alii sacerdotes eiusdem instituti, quorum nomina desiderantur, eo in munere iugiter occupati. Simili morbo obiit die x. Maii in conventu s. Antonii de Auerio in provincia Pietatis Gaspar Portuensis laicus, qui precibus ut lacrymis praesidem, invitum ob sui longaevam aetatem, exoraverat, ut infirmis deserviret in publicis valetudinariis. Commendabatur vitae perfectione, sui ipsius abnegationis corporisve maceratione. Die vi. Aprilis in valetudinario de Salute prope Conimbricam delecto pro eodem morbo laborantibus, martyr charitatis occubuit Franciscus a Villavitiosa sacerdos; ibidem die xi. Martii rapti fuerant, omnibus charitatis officiis expletis, Ioannes Cabreira, Christophorus Freixino, et Lucas a s. Antonio laici, humilitate, oratione ac obedientia eximia commendati. Postremo item peste consumptus, vitam commutavit cum morte die xi. Aprilis in coenobio Conimbricae Didacus ab Hitta sacerdos, de quo vulgatum est, quod nunquam vinum, aut pisces degustaverit totius vitae suae tempore, sed unice reficeretur herbis silvestribus ac fructibus. Silentii cultor, consortia etiam sodalium fugiebat. In oratione tanto charitatis igne exardescebat, ut saepe ecclesia ipsa in flammas abire videretur; unde ad reparandum incendium accurrentes vicini, eum flexis genibus luce profusum, coram ss. eucharistiae sacramento orantem inveniebant. Tot tantisque virtutibus cumulatus, verbum Dei per oppida, ac civitates magno animarum fructu disseminabat, Domino cooperante sequentibus signis.

Ioannes Maria Italus.
Ioannes a s. Antonio in chr. prov. pag. 585.

Gaspar Portuensis.
Ap. Regium Lusitan. ad diem 10 Maii.

Franciscus a Villavitiosa
Ibid ad diem 16. April.
Ioannes Cabreira, Christophorus Freixino, et Lucas a s. Antonio.
Ibid ad diem 11. et ad diem 28. Martii.
Didacus ab Hitta.
Ibid. ad diem 11. Aprilis.

XXXIX. Cum sanctitatis opinione ad Deum abiit in conventu s. Francisci de Coulhan in provincia Portugalliae Emmanuel de Azevedo, cuius corpus post annos lxx. integrum ac flexibile viventi simile repertum fuit. Lovanii annos numerans xcvii. animam Deo reddidit die xii. Iunii Ioannes Richel sacerdos, ab Anglia Elisabeth reginae iussu ob fidem catholicam tuendam pulsus. Sui exilii aerumnas summa animi firmitate tulit, ac humilitate. In coenobio minorum observantium ss. Annuntiationis Fabriani die xxii. Maii sublatus est Sanctes de Albacina Cumerinensis dioecesis laicus, sui instituti zelantissimus, bonus vulgo appellatus; inter observantes reformatos in eadem provincia obiit in conventu Civitatisnovae Hieronymus a Murrovallium sacerdos, qui tanta poenalitate corpus macerabat, ut ad sanguinis usque effusionem diro se caederet.

Emmanuel de Azevedo.
De Esperanza tom. 1. pag. 430.
Ioannes Richel.
Certamen seraph. pag. 14.

Sanctes de Albacina.
Hieronymus a Murrovallium
Monum. prov.

XL. Obiit in conventu s. Iosephi Toleti in provincia Toletana Franciscus a s. Lucia clericus, innocentia vitae, animique sinceritate ita decoratus, ut Deus divinis ac coelestibus charismatibus cumulatum redidderit. Phthisi morbo, quo a prima aetate afflictabatur, eximia sustinuit patientia ad mortem usque, quae evenit die xiii. Decembris in festo s. Luciae virginis et martyris, quam impense venerabatur. Instante morte eius vultus vivida luce perfusus fuit. In coenobio s. Angeli Custodis Compluti eiusdem provinciae die xxvi. Decembris raptus est Petrus a Turribus laicus in humilitate praecipuus, in laboribus assiduus, infractus, ac in meditandis divinis rebus prope singularis. Ob orationis assiduitatem, apostemate in genibus affectus, totum eius et latus gangraena plenum habebat, humore putrido ac corrupto interim ex eis erumpente. Brachiis in crucis modum expansis ac oculis in crucifixi imaginem defixis expiravit. Cingulo sui tecto, quamplures infirmitates euanuere.

Franciscus a s. Lucia.
Monum. prov.

Petrus a Turribus
Ioannes a s. Maria 2. part chron. c. 23.

Digitized by Google

Ioannes de Moya. *Ioannes Ximenez in vita s. Paschalis cap. 9.*

XLI. Sexagenario maior obiit die x. Aprilis in conventu s. Iacobi Almanzae in provincia s. Ioannis Baptistae Ioannes de Moya sacerdos eximiae perfectionis, altissimae paupertatis, et mirae abstinentiae. Pluries diversa ordinis officia inculpate obivit. Pacifica bonitate exornabatur; humilis, obediens ac hilaris penes omnes sese ostendebat. Paucorum verborum vir; at bonorum operum factor mirificus.

Sebastianus de Montalvan. *Joannes a s. Antonio Chron. prov. pag. 328.*

XLII. Provinciam s. Pauli beatorum morte in primis illustravit Sebastianus de Montalvan clericus, die x. Martii defunctus in conventu de Pennarada, nondum expleto sui novitiatus anno. Angelica puritate erat ditatus, ferventique amore Deiparam virginem prosequebatur. Nuntium mortis ab ipsa Virgine accepit, cui dum in choro eidem preces fundebat, benignissime apparuit. Ibidem eodem anno die xxx. Iulii ad Dominum obiit Ioannes de Sanctis laicus, in

Ioannes de Sanctis. *Idem ibidem.*

dioecesi Palentina natus, qui licet in ordine tyro, poenitentiae et mortificationi operam dederat, cilicioque asperrimo induebatur. Ad orationem quasi ad epulas invitatus, solicite se conferebat, in qua multis fruebatur divinis consolationibus: Christi Iesu passionem sic intense recolebat, ut, corpore cruentis disciplinis lacerato, sentiret in se quod et in Christo Iesu.

Bernardinus de Obigones. *Riccardi anno franciscano tom. 2. p. 75.*

XLIII. Meritis cumulatus coelestia petivit die ix. Augusti Bernardinus de Obigones hispanus, anno MDLXVI. die x. Maii omnium plausu fundator congregationis pauperum infirmorum, probatae ab apostolico Hispaniarum nuntio. Is nobilibus parentibus natus, militiaeque equitum s. Iacobi adscriptus, cum quadam die obvium haberet homunculum vias civitatis mundantem, ira subite succensus, gravi alapa percussit. At ille cum id facinus aequo animo tulisset quinimo pro sibi illatis ei gratias velut pro accepto beneficio egisset, tanto mox Bernardinus rubore suffusus, tantaque divinae gratiae illustratione perculsus fuit, ut equitum s. Iacobi insignibus depositis, habitum tertii ordinis s. Francisci de poenitentia assumpsit, et in valetudinario Matriti, quod de Aula dicitur, professionem emisit. Aliis subinde nobilibus consodalibus sibi adiunctis Villaevitiosae primum, et inde in Lusitaniam se conferens, alterum titulo de Mercedibus, vel de Gratiis Ulysipone valetudinarium erexit, in quibus summa charitate infirmis deserviebat, praeclaris interim virtutibus spectaculum factus.

Trebatius Mareotti. *Sbaral. in suppl. ad script. lib. 1.*

XLIV. Inter minoritas conventuales pie obiit Assisii die iii. Augusti Trebatius Mareotti ex Picena provincia, apud Sabaudiae duces magno in pretio habitus. De eo sequens monumentum prostrat Assisii in eius imagine: *V. P. Trebatius Mareotti a Pinna s. Ioannis Picenae provinciae minorum convent. s. t. magister, qui apostolico zelo plenus, asperrimo cilicio indutus, soloque pane et aqua contentus, nudis pedibus per civitates et castella discurrens, verbum Dei praedicans, plurimos ad poenitentiam peccatores reduxit. Fama sanctitatis eius permotus Clemens papa VIII. ad erigendas sodalitates poenitentium tertii ordinis s. Francisci in Burgundiam, Galliam, et Germaniam eum ablegavit. In Italiam reversus, Assisii die tertia Augusti* MDXCIX. *virtutibus et miraculis coruscans obiit.*

Idem Wadd.

Doctrina praestans fuit. Eius sunt *tractatus de emptione ac venditione cum pacto retrovendendi ad Petrum Brancham* extatque mss. Hispali. *Pontelogium in aliquot Averroistas de forma nocissima, et specifica hominis* lucem aspexit anno MDLXXVII. Patavii. Taurini anno MDCIII. editae fuerunt eius *doctrinae necessariae cuilibet christiano* italico idiomate. Item italice anno MDXC. in eadem civitate typis commissi fuere eius *sermones* XII. *super*

Digitized by Google

Pater noster, una cum expositione eiusdem orationis a Seraphico p. n. frequenter decantata. Hoc eodem anno item Taurini vulgati fuerunt italice eius *sermones spirituales ad animarum directionem*. Forsan hoc opus idem est ac illud *doctrinae necessariae* etc.

XLV. Occubuit inter fratres capucinos in Catalauniae provincia Antonius a Barrera laicus. De eo tradunt bovem ingenti trabe attritum, et agricolae febricitantem filium suis precibus incolumes reddidisse; in Parisiensi provincia obiit Onuphrius Pintizarensis novitius, tanto animi candore vitaeque probitate ditatus, ut in eius morte vividus splendor inspectus fuerit in suo cubiculo. Taurini in provincia Genuensi occubuit Ioannes Maria Genuensis clericus, mira vitae innocentia clarus, qui antequam migraret e vita, candida in eius fenestra insedit columba. In Corsica insula obiit post trigesimum suae probationis diem Michael Angelus Genuensis, nobili Nigrorum familia ortus. Exarsit filiali amore in beatam virginem Mariam. Raptus est Brixiae Obitius Brixianus sacerdos, antea canonicus regularis s. Laurentii Iustiniani. Ad praestantioria pietatis studia excitatus, inter capucinos voluit cooptari. Tanta in eo erat charitatis flamma, ut cum in Vertuae sui ordinis coenobio ipsa nativitatis Domini nocte missam celebraret, ac diceret angelorum hymnum: *Gloria in excelsis Deo* protinus mente excedens, immotus aliquanto persisteret. Praelo Brixiae tradidit *vitas et gesta sanctorum ecclesiae Brixiensis figuris plurimis exornata.* In eadem provincia raptus est Iuniperus a Gussaco laicus, summa charitate praeditus erga ss. eucharistiae sacramentum. Pactum inierat cum sacrista, perpetuo se scopis mundaturum ecclesiam, dummodo sacerdotibus mysteria celebrantibus solus exhiberet ministerium. Quod et devote praestabat, coelesti voluptate perfusus. Nursiae in provincia Umbriae ad Dominum convolavit Moricus a Visso laicus, in obedientia praestans. Nam cum in hoc coenobio ei iniunctum fuisset a guardiano, ut duas turtures ad ipsum adferret, silvam petens, praeter sui expectationem statim turtures detulit.

Antonius a Barrera. *De Aremberg pag.* 707.

Onuphrius Pintizarcn. *Idem pag* 806

Ioannes Maria Genuensis *Idem ibidem.*

Michael Angelus Genuensis *Idem ibidem.*

Obitius Brixianus. *Idem pag.* 468.

Sbaralea in suppl. ad script lit O. Iuniperus a Gussaco. *De Aremberg pag.* 705.

Moricus a Visso. *Idem ibidem.*

XLVI. Maceratae in Piceno aetatis suae anno LXXX. obiit Onuphrius a Sorbano laicus, animi candore, simplicitate, abstinentia, paupertate, humilitate orationisque studio commendabilis. Nemo iratum, nec animi turbatum unquam eum vidit. Beatam Virginem eximia prosequebatur devotione, et quoties de ea sermonem edicebat, toties in lacrymas sese diffluebat. Simili erat pietate erga Iesu Christi passionem ac mortem. In provincia Cosentiae sublatus est Michael a Moromanno laicus, spiritu prophetico clarus. Vinum acescens, sua oratione generosum reddidit; item Anselmus a Serra etiam laicus, in morte b. Mariae virginis praesentia recreatus. In Histonii conventu provinciae s. Angelii vitae cursum complevit Franciscus a Vico, viginliquinque annorum spatio in educatione novitiorum diversatus, cuius solicitudine provinciam illam eximia virorum virtute praestantium sobole exornavit. Nullum interim unquam vitii carnalis labe pollutum fuisse, fama erat.

Onuphrius a Sorbano. *Idem pag.* 706.

Michael a Moromanno, et Anselmus a Serra. *Idem pag.* 707.

Franciscum a Vico. *Idem pag.* 150.

XLVII. Casertae in provincia Neapolitana migravit ad Dominum Mathias a Concha sacerdos, qui anno aetatis suae vigesimo domo aufugit, ne oblatam sibi a parentibus sponsam duceret. Inter capucinos cooptatus, vitam arripuit austeritatis plenam. Dies perpetuo ferme ieiunio in pane et aqua transegit; quotidianae fuere eius flagellationes cruore redundantes; super nudas tabulas cubabat; prolixae erant vigiliae; quae quidem austeritates sic eius carnes exsiccaverant, ut sola cutis ossibus adhaereret. Iuges erant lacrymae in recolenda Christi Domini passione. In ecclesia orante, velut accensae faces super tectum

Mathias a Concha. *Idem pag.* 332.

Digitized by Google

aliquando ardere conspectae fuerunt. Institutioni novitiorum destinatus, eos fovebat exemplo virtutum et nutantes in religionis proposito verbis suavissimis confirmabat. Plura praedixit, eventu deinde confirmata, et sola nominis Iesu invocatione aegrotos sanabat. Multa de eo etiam notantur miracula, quae evenerunt post sui mortem, potissimum tactu pallii, ac cilicii quod ad nudam carnem gerebat.

Anna de s. Paulo. *Lopes in chronac. provin. pag. 618. Ann. min ad ann. 1596. num 34.*

XLVIII. Quamplures sacrae virgines eis adhaeserunt. In monasterio ss. Conceptionis Meridae in provincia s. Iosephi de Iucatan, sanctitatis suae opinionem penes omnes reliquens, obiit Anna de s. Paulo Mexici nata, ac in monasterio clarissarum eiusdem civitatis anno MDLXIII. professa. Anno MDXCVI. missa fuit ad moderandum novum Meridae monasterium, in quo eluxit trium annorum spatio multis religiosis virtutibus. Ad nudam carnem asperrimo cilicio utebatur, hydropisis morbo afflicta, quem patientia summa tolerabat, inter sororum lacrymas decessit. Die XII. Martii in monasterio Dominae nostrae de Pace Malachae in provincia Granatensi in crucifixi amplexu, dum verba illa proferebat: *Iesu nostra redemptio* expiravit Lucretia Mauriquez, sanctis operibus cumulata. Fervebat ardore eximio erga Christi Domini passionem. In monasterio s. Clarae de Loxa eiusdem provinciae die XIII. Decembris, quem praedixerat, rapta est Maria de Ortega. Pectus saepe tundebat lapide, quiescebatque vel in choro, vel supra tabulam. Nudis pedibus incesserat XXVIII. annis.

Lucretia Mauriquez. *De Torres pag. 655.*

Maria de Ortega. *Idem pag. 631.*

Maria a s. Hieronymo. *Monum. prov.*

XLIX. In monasterio de los Flores de Almagro dioecesis Toletanae in provincia Castellae rapta est Maria a s. Hieronymo, orationi divinisque contemplationibus assidua. Obedientiae merito somnum capiebat in cella super nudam tabulam; antea enim brevi sopori se dabat de nocte in monasterii choro. Nunquam carnes comedit, nisi in gravi infirmitate. Antequam dies lucesceret, corona spinarum in capite, onustaque gravi cruce, sacras viae-crucis stationes quotidie per claustrum visitabat. Divinae gratiae praesidio, daemonis astutias semper devincebat. Ibidem etiam decessit Magdalena a Trinitate, inter amoris et contritionis acta tenens crucifixi imaginem, et lapide pectus percutiens.

Magdalena a Trinitate. *Monum. prov.*

L. Quievit III. Decembris in monasterio s. Clarae de Constantina in provincia Angelorum, quod anno MDLXXIX. suis impensis fundaverat, Constantia Velasquez, vidua Christophori Martinez nobilissimi viri, quae saeculo valedicens illuc ingressa, floruit eximiis virtutibus, abstinentia praesertim, castimonia, assiduaque oratione. Frequenti apparitione beatae Virginis dignata fuit, maxime postremis novem diebus vitae suae. Vix defuncta, ejus corpus clara luce circumfusum, suavem odorem effavit. In monasterio s Ioannis Baptistae de poenitentia Belvisii in territorio Placentino eiusdem provinciae decessit die XXXI. Iulii Ioanna a Praesentatione, dives humilitatis et patientiae donis. Cilicium semper detulit ad nudam carnem; panis et aqua iugis eius refectio. Cum quadam die sacrum in ecclesia audiret, et concioni interesse avide peroptaret, abbatissae iussio eam compulit coquinam se conferre, ubi licet loci distantia, et murorum interpedine disiuncta, concionem tamen audire meruit. Ulysipone in monasterio Dominae nostrae de Quietudine mortalitatis debitum solvit die XVIII. Ianuarii Ioanna a s. Michaele, Bruxellis in Flandria nata, et professa in monasterio s. Clarae de Alckemar, quae ob haereticorum incursum una cum aliis novem monialibus fugam arrepta, Ulysiponem advenions, eunctis assequendis in laudato monasterio virtutibus operam iugiter navavit. Post sui mortem, vultus a macerationibus pene confectus, floreos viventique similis apparuit.

Constantia Velasquez. *Ann. min. ad ann. 1579. num. 55 Daza lib. 3. c. 50.*

Ioanna a Praesentatione. *Idem ibidem.*

Ioanna a s. Michaele. *Agiologium Lusitan. ad diem 18. Ianuarii.*

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1599.	an. 7. et 8.	anno 23.	anno 392.

LI. Plateae in Sicilia die VIII. Februarii iuxta Benedictum Mazzara, praenuntiato sui obitus die, obdormivit in Domino Archangela Tardera, tertii ordinis soror, coniugibus Petro Tardero medicinae doctore, ac Vincentia Martini, sive Altini spectatissimae vitae. Aetatis suae anno XVII. tertio ordini adscripta, germanam et matrem suam ad idem Christi servitium allexit; ipsa vero Archangela ingentibus poenalitatibus vacans, caeterarum magistra in excolendis virtutibus praelucebat. Moribus casta et verecunda, vilioribus continuo gaudebat, cilicio ac flagellis constringens innocentula membra. Ferventi amore angelorum pane saepe reficiebatur, et erga egenos tanta pietate erat, ut orphanorum mater merito adpellaretur, quibus vel auxilio vel consilio praesto erat. In dissidiis componendis mire etiam effulsit. Variis interim assiduisque infirmitatibus a Deo probata, et quatuor vel quinque ante sui obitum annis caecitate perculso, postremoque clauda et manca quin e loco moveri valuisset, cuncta tamen invicta animi constantia pro amore dilecti sui sustinebat, gloriabaturque cum Apostolo in infirmitatibus suis. Archangela Tardera. *Mazzara tom. 2. pag. 158.*

LII. Varia hoc anno elevantur venerabilium fratrum corpora; ac primo quidem b. Bartholomaei ab Anglario, anno MCDX. die VIII. Martii defuncti in conventu s. Mariae Empolae provinciae Tusciae, cuius praetermissa in annalibus nostris acta breviter notamus. Nobili Magium familia in oppido Anglarii anno MCCCLXII. natus, in sacri Alverniae Montis recessu minoritarum habitum sumpsit, aetatis suae annum XIX. numerans. Florenti in aetate novitiorum curae destinatus, iuvenes sibi commissos virtutum exemplo magis quam verbo nutriebat. Ostiatim stipem pro fratribus, oculis semper in terram defixis, quaeritabat. Hectica febri per plures annos licet exagitatus, ieiunia tamen, suique instituti poenalitates accurate explebat. In rerum divinarum contemplationem assiduus, saepe meruit a Deo coelestibus charismatibus cumulari; nam crebro a terra mirantibus consodalibus, elevabatur. In laudato Montis Alverniae coenobio commorans singulis de more noctibus, ut solitarius orationi instaret, se recipiebat in sacellum b. Ioannis de Alvernia, sive a Firmo. Cum autem quadam nocte cuncta densis tenebris perfunderentur ita, ut absque praesentissimo vitae periculo eo advenire non posset, illi extemplo adfuere bini Angeli faces accensas deferentes, sibique in viam se comites dantes. Quare cum ab omnibus coelestis potius quam terrenus homo haberetur, eo mox defuncto, ad eius habitum corpusque osculandum cuncti accedebant. Tumulum nactus est in ara maiori ecclesiae s. Mariae Empoliae, imposita super eius arcam corona floribus contexta, quae anno insequenti virentia folia, recentesque flores germinavit. *Idem tom. 3 pag. 113.*

LIII. At metuentes fratres eiusdem coenobii, ne tam pretiosum pignus forte auferretur, illud e loco emotum, in sacrarium detulerunt. Mutato subinde consilio, illud iterum reponendum sub ara maiori curarunt. Impetrata ad id operis facultate, hoc anno die XVIII. Martii indicta supplicatione solemni, festivum diem serenissimus Hetruriae dux Ferdinandus aliique principes ac magnates sua praesentia cohonestarunt, coram quibus ibidem repositum, praeter naturam odorem suavissimum spiravit, subsecutis quoque ad communis laetitiae incrementum miraculis, de quibus Franciscus Redi in vita eiusdem Beati sic inscripta: *Translatio corporis b. Bartholomaei et miracula post eam patrata.* Aliqua ponimus. Coelum quod multis diebus nebulosum fuerat, eoipso, quo instituta fuit supplicatio, temporis momento, serenum tranquillumque adparuit. Michael Zerini de Empolia pluriuni dierum spatio gravi vexabatur ce- *Acta ss. ad diem 18 Martii.*

Digitized by Google

phalalgia, quae nullum ei quietis locum relinquebat. Ut Beato se commendavit, levamen illico expertus est.

LIV. Catharina Michaelis del Biancone de Empolia duodennis puella, quartana febri laborans, matrem rogavit, ut ad supplicationem eam adduceret. Reluctabatur mater propter incumbentem filiae gravem morbum; vicit tamen fiducia filiae. A matre eo adducta, vix filia thecam sacri illius corporis tetigit, laeta voce exclamavit, dixitque se vere esse sanatam. Effusis Beato precibus, libera eadem die a daemonis vexatione evasit Magdalena Silvestri Bononiensis, Empoliae commorans, a qua afflictabatur pluribus ab hinc annis. Ab epileptico morbo immunis reddita fuit eadem die Elisabeth Antonii Tognetti ex Bassa, loco sub Empoliae ditione. Voto a quodam parente Beato edito, cephalalgiae remedium consequuta est eius filia, puella annorum senorum. Inter Beati miracula adnumerari etiam potest ingens dilatandae fidei ardor Hieronymi Magi in republica Veneta nobilis equitis, belli pacisque artibus ornatissimi, qui exemplo sanctissimae vitae agnatis sui Batholomaei excitatus, coniuge tenellisque liberis dimissis, in Cyprum se suasque militares copias contulerit, turcas ibidem prohibiturus accessus, ubi prope Famagustam in catholicae fidei defensione memorabilem infidelium caedem edidisse, ac tandem ab eisdem comprehensum, post varia tormenta, detractamque viventi cutem, capitali supplicio martyrii lauream traditur consequutum.

Annal. min. ad an. 1471. num. 13. Monum. prov.

LV. Corpus b. Antonii a Stronconio laici anno MCDLXXI. cum ingenti sanctitate defuncti in conventu s. Damiani Assisii, et anno insequenti e communi fratrum tumulo eductum, collocatumque ad latus evangelii in ara maiori, hoc anno die XXVIII. Iunii integrum et incorruptum suavemque spirans odorem illatum fuit super altare collaterale eiusdem ecclesiae, intra capsam ligneam occlusum. In eius translatione auctoritate Clementis VIII. peracta, adstiterunt Marcellus Crescentini episcopus Assisias, civitatis optimates, cunctique coenobii religiosi. Horum omnium acta rogavit Claudius Corno notarius et cancellarius episcopalis. Sancti viri immemorabilem cultum ratum habuit anno MDCLXXXVII. die XIV. Iunii Innocentius XI. Eius vero officium ac missam Innocentius XII. ad ordinem extendit.

Benedict. XIV. lib. 2. pag. 111.

Annal. min. ad an. 1491. num. 42.

LVI. Vitalis a Bastia insula haud longe ab Assisio, tertiarii corpus ob eximiam sui sanctitatem lapideo sepulcro ab anno MCDXCI. quo decessit, in eadem insula reconditum, propter crebra miracula, quae praestabat supplicibus, hoc eodem anno magna solemnitate translatum fuit Assisium, et honorifice conditum in cathedrali templo.

Ibidem ad an. 1450. num. 55.

LVII. In vetusta ecclesia monasterii s. Hieronymi Nursiae in Umbriae provincia reseratum fuit venerabilis sororis Luciae a Valcaldara, a Nursia dictae, tumulum, in quo eius exuviae ab anno MCDXXX. quo obierat, ob suam eximiam sanctitatem fuerant occlusae. Licet CLXIX. a sua morte delapsis annis, corpus tamen integrum, habitu quidem incorrupto, apparuit. Inspecto interim corpore, scissoque corde, visus est Christus cruci affixus, propter vehementem assiduamque Christi passi contemplationem, mirabiliter in ipso corde delineatus. Ad alium locum postea humentem illatum, computruit; at ossa loco decentiori collocata, magna nunc in veneratione habentur.

Marcarelli tom. 9. p. 501.

Ann. min. ad ann. 1300. num. 59.

LVIII. In ecclesia s. Fortunati Montisflasconis in provincia Romana, hoc eodem anno inspectum fuit ad laevam eiusdem ecclesiae, suavissimum odorem spirans corpus Ludovici Teutonici, sive ab Effordia, ibidem cum sanctitatis opinione defuncti die XXIV. Septembris anno MCDLXIV. De eo pauca scribit

Digitized by Google

Waddingus. Praestat igitur aliqua subnectere, ne manca sit rerum nostrarum historia. Effordiae in Turingia natus, inter fratres de observantia ibidem adscriptus fuit, sacerdotalique dignitate initiatus. In Italiam adveniens, laudatum s. Fortunati coenobium inhabitavit, vitam ducens asperitatibus plenam; ieiuniis enim, vigiliis, cilicio ac flagellis corpus in spiritus servitutem redigebat. Lecto nullo unquam tempore usus est. Egentibus, afflictis, ac infirmis praesto aderat consilio, auxilio, ac levamine. Miraculorum gloria vivus ac mortuus inclaruit, et prophetiae spiritu dotatus, multa praedixerat, eventu probata.

LIX. Hoc anno summus pontifex, ut gratum benevolumque se exhiberet Bonaventurae Secusio generali ordinis administro, qui multo labore magnisque itineribus operam feliciter expleverat in componendis dissidiis inter Philippum II. Hispaniarum et Henricum IV. Francorum reges, in consistorio Romae die X. Martii habito, ad patriarchalem Constantinopolitanam sedem promovit, pallioque die XXI. eiusdem mensis decoravit, ac insuper datis litteris: *Personam tuam* idibus Martii inter canonicos basilicae s. Petri in Vaticano cooptavit, retento tamen totius ordinis magisterio. Die XXIII. Octobris Romam post haec adveniens, manus protinus admovit ad promovendum fratrum reformatorum incrementum, quosdam visitatores in eorumdem totius Italiae custodias amandans, nimirum Iacobum a Gandino Mediolanensem in superiores Italiae custodias, in pontificiam et hetruscam ditionem Aloisium a Roma; in caeteras vero Franciscum de Rupe Aspidis ex Principatus provincia, et postremo Antonium de Pactis Siculum. Singuli hisce litteris instructi fuere.

Ann. min. ad ann. 1598. num. 3.

De Gubernatis tom. 2. pag. 383.

F. Bonaventura Dei et apostolicae sedis gratia patriarcha constantinopolitanus, et totius ordinis generalis minister.

Quia dierum crescente malitia, videmus religionem nostram, quod dolenter et non absque maximo animi nostri sensu referimus, in deteriora iugiter prolabi, regimini eiusdem Deo ac ipsa religione favente, licet meritis imparibus praesidentes, nostri officii partes esse putamus, in eam curam semper incumbere, ut quantum possibile sit, Deo favente, reformatio in ordine promoveatur; id vero, etsi in omnibus locis, qui franciscana religione censentur, nobis efficiendum esse sciamus, haec tamen solicitudo in locis reformatorum nobis propensius imminet, quod ipsi in sortem dominicam specialius evocati ad observantiam mandatorum Dei, ac patris nostri Francisci fortius obligati noscantur. Cum igitur diu desideraverimus non modo ordinem universum, sed praesertim, uti charissimos filios nostros reformatos ipsos praesentialiter visitare, nec unquam negotiorum gravissimorum causa id nobis licuerit; tandem decrevimus per pios religiosos, ut suae professionis zelantes id executioni mandare, quatenus visitatione salutari collapsa restaurentur, debilia roborentur, et pristinus ille decor in ordine restituatur. Propterea plurimum confidentes de tuae mentis sinceritate, integritate, iustitia, et zelo, et indubiam spem gerentes, quod ea, quae tibi duxerimus committenda, prudenter et studiose exequaris, virtute praesentium in infrascriptis nostris reformatorum custodiis n. n. n. nostrum generalem visitatorem, cum plenaria nostra auctoritate visitandi, monendi, reformandi, corrigendi, absolvendi, et omnia alia faciendi, quae vel usu huiusmodi generales visitatores facere consueverunt seu potuerunt, et nos ipsi, si personaliter adessemus facere, mandare, aut exequi possemus, te instituimus, creamus, et deputamus. Monemus autem, ut inviolabiliter observes, et observare facias,

quae in ipsorum reformatorum bulla statuta esse dignoveris. Si vero contigerit, sive pro corrigendis defectibus, sive pro fratrum consolatione, aut ipsis ad studium destinandis, vel alia quacumque pia et iusta causa fratres aliquos non modo de loco ad locum, sed de custodia in custodiam, prout in Domino expedire iudicaveris, mutare, id etiam nostra auctoritate efficere poteris, cum sanctissimus dominus noster vivae vocis oraculo die XXVI. *huius mensis benigne nobis hoc concesserit. Praecipimus autem omnibus, et singulis dictorum fratrum reformatorum patribus custodibus, guardianis et vicariis in virtute sanctae obedientiae, et sub gravissimis poenis nostro arbitrio infligendis, ut tibi tamquam eorum legitimo praelato prompte et reverenter in omnibus sicuti nobis pareant et obediant, ut pro eorum instituto, etc. Tu vero expeditis dictarum custodiarum visitationibus, et audito nostro in Italiam, et ad hanc Urbem reditu, una cum patribus qui profecturi sunt ad capitulum generale, huc et ad nostram praesentium venire curabis, ut nos opportune doceas de iis, quae digna scitu iudicaveris, et ipse capitulo generali interesse possis, et valeas. In quorum fide etc.*

Datum Romae ex conventu Aracoeli die XXI. *Martii* MDXCIX.

Loco ✠ Sigilli

Fr. Bonaventura patriarcha constantinopolitanus et minister generalis

Spondanus ad ann. 1599. num. 12.

LX. Cum haec ageret, eiusdem summi pontificis mandatum accepit, ut Parisios se conferret, suoque nomine controversiam de Salutiarum principatu inter Henricum IV. Galliarum regem, et Carolum Emmanuelem Sabaudiae ducem componeret, de qua uterque in ipsum pontificem compromiserat. Verum subortis quibusdam difficultatibus belloque inter principes exorso, tandem anno

Idem ad ann. 1599. num. 9.

insequenti totum rei negotium feliciter confectum fuit, conventione per ducis delegatos mense Ianuario subscripta, et ab ipsomet duce in Martio confirmata.

Ann. min. ad ann. 1595. num. 49.

LXI. Angelus, antea Henricus Ioyoseus Bocagii comes, qui ab anno MDXCV. summi pontificis venia, capucinorum habitu dimisso, in Occitaniam diuturno bellorum turbine quassatam haeresique foedatam, pro-regis ac marescalli honore ab Henrico IV. insignitus advenerat, hoc tempore ibidem per eum pace reddita,

Spondanus ad ann. 1599. num. 9.

ac haereticis fraeno iniecto, denuo ad suos convolavit, Martio mense Lutetiae Parisiorum eorumdem habitum indutus. Concionatoris munus, ut antea suscipiens, magnam penes omnes sibi admirationem conciliavit.

Bouvius tom. 2. pag. 618.

LXII. In generali ordinis capucinorum comitio in Urbe coacto, cui praesidendi facultas collata fuit a pontifice: *Cum sicut* die XXI. Maii Antonio cardinali s. Severinae ordinis patrono, delectus est eorumdem administer Hieronymus a Castroferrettorum dioecesis Anconitanae in provincia Marchiae, et procurator generalis Anselmus Monopolitanus. In eo b. Laurentius a Brundusio insignis verbi Dei praeco sanctitatisque fama eximius, definitoris generalis munus obtinuit. Is unus ex illis fuit, qui postulante archiepiscopo Pragensi, a suis velut commissarius missus in Bohemiae regiones, multa pro Christi gloria ab haereticis mala sustinuit, multaque alia in praelio apud Albam Regalem inter christianos et turcas inito, verbo, exhortatione, divinoque crucis signo gloriose egit. Verum de hac re suo loco.

Idem ibid. pag. 843.

LXIII. Hoc eodem anno eiusdem instituti Benedictus, antea Guilielmus a Consfeldo, urbe provinciae Essenxianae in Anglia, ex illustri familia Felchia natus, martyrii desiderio cum aestuaret, e Lutetia ubi eorumdem habitum

induerat, in Angliam profectus est, comite Ioanne Chrysostomo Scoto sodali suo, ut fidem catholicam patriae suae restitueret. Verum deprehensus, et in vincula iussu Elisabethae reginae inclusus, ibidem summa animi constantia in fame, siti, nuditate ac aerumnis integro triennio perseveravit. Ad preces Henrici IV. Francorum regis libertate donatus, Lutetiam reversus est ubi novitiorum curam diu exegit. Puritanorum sectae se addixerat aetatis suae anno XXIV. Eius acta ipsemet descripsit, retulitque Boverius ad annum MDCX.

LXIV. Apud Allogobres, Carolo Emmanuele Sabaudiae duce agente, incepit esse pro eis domus in oppido Tononii, titulo b. Mariae de Compassione, cuius fundationem ratam habuit summus pontifex: *Redemptoris* idibus Septembris. Alia etiam loca obtinuere, nimirum in provincia Insulensi conventum Ariae Audomarensis dioecesis; in provincia Lotharingiae conventum Baugi dioecesis Audegavensis; in provincia Flandro-Belgica conventum Mechliniae; in provincia Lotharingiae conventum in civitate Tullorum Leucorum; in provincia Austriae conventum Friburgi Constantiensis dioecesis; in provincia Turonensi conventum Andegavi; in provincia Normandiae conventum Sottevillae Rothomagensis dioecesis; in provincia s. Ludovici conventum Draguiniani dioecesis Foroiuliensis, et Brinoti dioecesis Aquensis; in provincia Aprutina conventum in oppido Guardiagrelis dioecesis Theatinae, et conventum Galatulae dioecesis Neritonensis. *Ex eodem Boverio, et Tugio.*

LXV. Mandat summus pontifex Philippo Gesualdi supremo administro fratrum conventualium, ut praesideat eorumdem generali capitulo, Assisii die pentecostes habendo: *Cum generale capitulum* die I. Ianuarii. Hortatur pontifex electores ad promovendam ordinis reformationem: *Inter graves* die XVIII. Maii. Eidem generali sub eadem die facultatem tribuit promovendi ad ordinis magisterium quatuor iuvenes in singulis Italiae provinciis: *Cupientes*. Eiusdem Philippi eo in munere confirmationem a patribus peractam idem pontifex adprobat: *Religionis zelus* die XXI. Iunii. Postremo eidem indulget, ut per octavam festivitatis b. Mariae de Portiuncula decem ex suis doctoris lauream conferat: *Ut debitus* die XXIX. Iulii. Procuratoris generalis officium consequutus est Ioseph Pisculli Amalphitanus ex s. Nicolai provincia.

LXVI. In custodia Montis Regalis provinciae Taurinensis, ecclesiam parochialem s. Bernardi aedemque sibi adnexam intra moenia civitatis Salutiarum eis concessam a canonicis illius civitatis recipiunt iidem fratres pro inibi aptando coenobio. Rem procuravit Stephanus Alemanni ex eadem civitate oriundus, eiusdemque instituti. Hanc cessionem ratam habuit pontifex: *Superna dispositione* idibus Ianuarii. Ministro provinciae s. Ludovici eiusdem instituti iubet Philippus Gesualdi, ut in civitate Avenionensi collegium pro tyronibus illius provinciae quantocius instituat. Similiter Thomas a Carpineo sacrae theologiae magister, incolarum et suorum commodo, relicto coenobio annuntiationis b. Mariae virginis, posito inter quosdam saltus ad D. P. ab oppido Carpinei dioecesis Feretranae in provincia Marchiae, aliud erexit prope idem oppidum, consentientibus Horatio Comite et Francisco Sornano episcopo. Conv. Salutiarum. Collegium Avenionense. *Ex arch. ss. XII. apost. de Urbe.* Conv. Carpinei. *Mscr. prov.*

LXVII. Fratribus claustralibus tertii ordinis obvenit aedes valetudinarii s. Mariae de Misericordia, sive s. Nevolonі, posita prope Imolam, eis concessa a confratribus eiusdem loci, aedificata ab eis sub Alexandro VI. summo pontifice. Hoc coenobium nomen praeseferi *s. Maria del Paradiso*. Iidem fratres provinciae Lusitaniae sui iuris fecerunt conventum Domini nostri de Iesu Ulysipone, erectum in loco de Cardaes a comitibus de Artaleia, cuius dominium sibi reservarunt. Conven. Insulen. *Bordonius in arch. bullarii pag. 331.* Conv. Ulyssipon. *Agiologium Lusitan. ad diem 8. Ianuar.*

Digitized by Google

Conv. Sokaliensis. *Monum. prov.*

LXVIII. In provincia immaculatae conceptionis Galicianae paratum fuit pro observantibus coenobium s. Mariae consolationis in urbe Sokaliensi, studio et opibus Stanislai Gomulinski episcopi Chelmensis, et d. Ioannis comitis in Ostrorog, palatini Posnaniensis.

Com. Samboriensis. *Monum. prov.*

Coenobium Samboriense titulo Deiparae Assumptae solo a Turcis aequatum, iterum aedificatum fuit munificentia d. Georgii Minischek, Sandomiriensis palatini.

Conv. Tuscanae. *Ann. min. ad ann. 1579. num. 29.*

LXIX. Redierunt hoc anno fratres de observantia provinciae Romanae in coenobium s. Mariae de Quiete, sive *del Riposo* civitatis Tuscaniae sive Tuscanellae, a quo propter aeris gravitatem abierant anno MDLXXIX. Post id temporis occupatum a fratribus Augustinianis congregationis s. Mariae de Consolatione, hoc anno et ipsi dimiserunt. Autographum habetur de illorum novo huius loci incolatu. *Cum sit quod retroactis annis, tempore ministeriatus r. p. Francisci de Terranova, relictus fuerit locus et conventus s. Mariae de Quiete prope et extra civitatem Tuscanellae, quia fratres ibi pro tempore degentes ut plurimum infirmabantur propter aeris intemperiem; cumque civitas, et populus ille pluries fratres nostros et religionem petierint et conventum ipsum construxerint aeris pestilentiam reparando: et ultimo loco illustrissimus et reverendissimus dd. Hieronymus Mattheuccius, episcopus Tuscaniensis et Viterbiensis illustrissimum et reverendissimum dominum d. s. r. e. cardinalem Matthaeium protectorem nomine proprio et civitatis praedictae adiecerit et institerit pro praedicto loco de novo recipiendo, iuxta formam constitutionis Iulii papae II., Bonifaciana non obstante: et idem illustrissimus protector huiusmodi precibus inclinatus consenserit locum et conventum praedictum posse recipi, et in eodem fratres habitare et commorari, servatis servandis, accedente quoque consensu illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium sacrae congregationis super regular. de communi et unanimi consensu omnium definitorum pariter et voto, locus et conventus praedictus receptus est hac die XIV. Augusti MDIC., atque in eodem admodum venerabilis pater frater Alexander de Roma guardianus electus est.*

Conv. Bolsense. *Casimirus a Roma pag. 31.*

LXX. Actum est etiam ab incolis insulae lacus Bolsenae eiusdem provinciae de revocandis fratribus de observantia in eamdem insulam, a qua initio saeculi XVII. ob aeris inclementiam ac eleemosynarum penuriam abierant. Rem penes eos etiam procuravit Paulus Bruni Aquilanus, dum Dei verbum ibidem disseminabat. At eo dimisso, quem pontificis voluntate: *Cum sicut* die VII. Iulii occuparunt hoc anno capucini, novus oblatus est eisdem observantibus locus prope ecclesiam s. Mariae *del Giglio*, ad D. P. ab insula, a quodam fratre Francisco eremita instructus ac inhabitatus. Cuncta rata fuerunt die XXVI. Martii anno MDCII. inter optimates, ac fratrem Pacificum ab Urbe.

Conv. Alfarae.

LXXI. Ex monumentis minoritarum de observantia provinciae Valentiae novimus unicum instructum fuisse coenobium in dioecesi Valentina, s. Didaci titulo, in oppido de Alfara, impensis nobilissimi viri Gasparis Xaca. Subest in amoenissimo loco, incolitur que a XXV. fratribus. Iidem fratres apud insulam Floridam inter ingentes labores custodiam erexerunt, s. Helenae titulo, praeside Petro Ruiz ibidem constituto. Ab anno MDLXXIV. eo se contulerunt evangelii praedicandi causa, pluresque incolas baptismatis lavacro regenerarunt.

Turiquemada mss. 3. pag. 399. Ann. min. ad ann. 1588. num. 25.

Conv. Burgensis. *Gratianus tom. 2. pag. 407.*

LXXII. S. Antonii Venetiarum reformatorum custodia aucta fuit coenobio sub invocatione s. Francisci in oppido Burgensi Vallis Ausagii dioecesis Feltriensis, probante anno mox elapso summo pontifice: *Exigit pietas* die XIII.

Digitized by Google

Novembris. In provincia s. Nicolai iidem reformati obtinuerunt ab observantibus coenobia s. Francisci Gallipolis, et s. Stephani Martinae.

LXXIII. Concessa a pontifice facultate: *Ex iniuncto* die XIX. Novembris fratribus discalceatis provinciae s. Ioannis Baptistae excitandi coenobia in regno Murciae; hoc eodem anno pro eis initus fuit conventus in civitate Murciae sub invocatione s. Didaci, praedio eis largito a d. Ioanne Drozico cathedralis ecclesiae canonico. Eumdem ferme suis manibus absolvit b. Andreas Hibernon in arte peritus. Pro eis etiam extitit in eadem provincia conventus s. Francisci de Iumilla dioecesis Murciensis, diversus ab altero anno MDLXXXI. excitatus ad unum milliare ab ipso oppido. Huius fundationis ratio fuit, ut fratres incolis opitularentur in sacrorum administratione, divinique verbi pabulo. Pie ibidem quievere anno MDCVI. Didacus de Campo clericus, et anno MDCXIV. Antonius Vernos laicus.

Conv. Murciae. *Pamo tom. 1. pag.* 247.

Conv. Iumillae. *Idem ibid. p.* 258. *Ann. min. ad ann.* 1561. *num.* 114.

LXXIV. In geminis aedibus eis oblatis a ducibus de Lerma, et a dominis de Castro aptarunt sibi iidem fratres provinciae s. Pauli coenobium s. Francisci titulo in oppido de Ampudia dioecesis Palentinae, ministro provinciae Antonio a Conceptione, annuenteque in regnis Hispaniarum apostolico nuntio.

Conv. de Ampudia. *Ioannes a s. Maria tom. 2. pag.* 495.

LXXV. Eorumdem s. Didaci custodia Mexici anno MDLXXX. erecta, provinciae dignitatem obtinuit studio Petri a s. Antonio custodiae definitoris, qui Romam advenerat eo consilio, ut summus pontifex suis votis benigne satisfaceret; quod et praestitit edito diplomate: *Quae ad religionem* die XVI. Septembris. Primum praesidem accepit Gabrielem Baptistam custodem. Scribit Ioannes a s. Maria hoc tempore octo coenobiis novam provinciam instructam fuisse; in mss. quem habeo, haec notantur.

Idem ibid. p. 490. *Ann. min. ad ann.* 1580. *n.* 4.

PROVINCIAE S. DIDACI IN NOVA HISPANIA CONVENTUS.

1. S. Didaci Mexici
2. S. Francisci de Oazaca
3. S. Bernardini de Tasco
4. S. Antonii de Sultepec
5. S. Mariae Magdalenae d. Martini
6. S. Barbarae Angelopolis
7. S. Mariae Angelorum de Ocoloporco
8. S. Francisci de Pachuca
9. S. Antonii de Queretaro
10. S. Ioseph de Quantola.

Hospitium etiam habet in Acapulco iuxta Torquemadam.

Torquemada tom. 3. pag. 349.

LXXVI. In Iaponiorum regnum, a quo anno MDXCVI. spe martyrii frustratus discesserat, iterum rediit Hieronymus a Iesu fratrum discalceatorum sodalis, comite Aloisio Gomez, ut christifidelibus auxilio foret. Hoc enim tempore ob mortem Taycozamae imperatoris, catholica fides respirare coeperat, favente Daifuxama eius in imperii regimine dolo ac vi successore. Aliquando Hieronymus in montibus ac speluncis, orationi, ieiuniis, flagellisque vacans, delituit; sed inde potestate ei facta ab eodemet imperatore, in publicum prodiit, Christique evangelium praedicavit, dispersa congregans, labefactatata restituens. Apud principem civitatem Yendo regni de Quanto primus fuit, qui Christum annuntiavit. Ibidem etiam ecclesiam sub invocatione b. Mariae de Rosario instruxit, sacrumque peregit solemni pentecostes die. Bonzos idolorum sacerdotes publicis in disputationibus pluries devicit, gentilium plura millia sacro tinxit baptismate, daemones e corporibus eiecit, ac templa vero Deo consecravit. Eiusdem imperatoris iussu Manillam orator ablegatur, ut cum insularum Philippinarum gubernatore rem ageret pacis ac commercii. Caetera ad annum MDCI.

Ann. min. ad ann. 1596. *n.* 3. *Martinez lib. 3. p.* 127.

Digitized by Google

Rapineus pag. 382, et seq.

LXXVII. Fratres recollecti diversis in locis aedes suas auxere, Rapineo teste. In provincia Aragonensi eis obvenit coenobium s. Francisci in villa Montisondi dioecesis Illerdensis, s. Christophori de Alparil, et s. Mariae Angelorum de Ixar dioecesis Caesaraugustanae; in provincia s. Iacobi Compostellana coenobium s. Laurentii Compostellae, s. Antonii de la Puebla prope eamdem civitatem, s. Mariae de Iesu de Villabon, et s. Antonii Patavini de Populo dioecesis Legionensis. Coenobia haec benevole eis cesserunt minoritae de observantia.

LXXVIII. Sunt litterae summi pontificis ad Franciscum Ioyoseum s. r. ecclesiae cardinalem, quibus eidem copia conceditur recollectorum restaurationem in Aquitania, ac in caeteris Galliarum provinciis iam initam promovendi ac tuendi.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto filio nostro Francisco tituli s. Petri ad Vincula presbytero cardinali de Ioyosa nuncupato salutem et apostolicam benedictionem.

De Gubernatis tom. 2. pag. 402.

Cum dilecti filii custos, minister, et fratres provinciae Aquitaniae ordinis s. Francisci de observantia cupiant reformationem, quae apud fratres minores de observantia nuncupatos Italiae ex constitutione nostra introducta est, suscipere nobisque humiliter supplicari fecerint, ut huiusmodi constitutionem et reformationem ad eos extendere de benignitate apostolica dignaremur; nos circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut cum in Franciam perveneris diligentem informationem capias an in dicta provincia sufficiens fratrum numerus huiusmodi vere desiderio perfectioris vitae teneantur et reformari cupiant; et si in dicta provincia domus seu conventus ad huiusmodi reformationem apti iuxta praefatam institutionem nostram existant: et denique si res in eo statu repereris (super quo tuam conscientiam oneramus) tunc apud praefatos fratres, reformationem huiusmodi iuxta dictam constitutionem, cuius tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, auctoritate nostra introducas, ac unum seu duos conventus, prout tibi melius videbitur pro novitiatu in eadem provincia constituas, super quibus opportunam et amplam tibi per praesentes tribuimus facultatem.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die VIII. Septembris anno Domini MDXCIX.

M. Vestrius Barbianus.

Conv. Noisiacensis, Bellofortensis, et Montis-Argivi. Monum. prov. Gallia christ. tom. 12. pag. 3.

LXXIX. In provincia Parisiensi pro eis extitit conventus Noisiacensis dioecesis Pariensis, conventus Bellofortensis dioecesis Andegavensis, et conventus s. Mariae Angelorum Montis-Argivi, excitatus a Reginaldo de Beaune episcopo Senonensi.

Monast. Tuderti. Antonius Urbevetanus in chron. prov. pag. 255.

LXXX. Sequuntur monialium domicilia. Moniales clarissae hoc anno incoluerunt coenobium s. Marci servorum b. Mariae virginis, positum intra muros Tudertinae civitatis, eis a summo pontifice concessum. Ab hoc tempore titulum s. Francisci obtinuit; subest provinciae s. Francisci. Moniales item clarissae monasterii omnium ss. de Ripa Arni Pisanae dioecesis in provincia Tusciae translatae fuerunt ad alteram aedem titulo s. Viti eiusdem civitatis. Novissime autem se contulerunt ad ecclesiam s. Laurentii ordinis camaldu-

Monast. Pisanum.

Digitized by Google

lensium, ut navalis armentarii artificibus locum cederent. Ita scribit Grandius in notis ad monumentum VIII. in fine epist. de Pandectis pag. 157. Moniales tertiariae monasterii de Villa de Durago provinciae Conceptionis regulam s. Clarae professae sunt. In earum ecclesia Paulus papa V. sodalitium s. Antonii Pataviui erexit, ac indulgentiis cumulavit. Monasterium s. Clarae Biterrensis reformationem subivit, opera et studio Ioannis de Bonzi civitatis episcopi. Illius regimen accepit Isabella de Pradines. Monast. de Durago. *Monum. prov.* Monast. Biterrense. *Gallia christ* tom 6. pag. 571.

LXXXI. Augelae Seraphinae incolae Barcinonensis precibus indulget pontifex: *Exigit* VII. calendas Iulii, ut ea in civitate monasterium capucinarum instar illius Urbis erigeret, ac ibidem una cum aliis Domino deserviret in summa egestate. Primum subiectum fuit vicario provinciae Catalauniae capucinorum; at anno MDCI. sacrae episcoporum ac regularium congregationis mandato archiepiscopo loci paruit. Marinus Georgius episcopus Brixiensis primum lapidem posuit in aedificatione ecclesiae capucinarum eiusdem civitatis, quibus etiam proprio aere earumdem paupertatem subvenit. Die XVII. Septembris anno MDC. corpus s. Iuliae ex veteri quae solo aequanda erat, ecclesia monialium s. Benedicti, in sacrarium transtulit et una cum aliis sacris pignoribus in novo templo reposuit. Monast. Barcinonense. Monast. Brixiense. *Brixia sacra pag.* 384.

LXXXII. Episcopale munus suscepit die XXVII. Septembris pro ecclesia Litterensi Franciscus Buschius conventualis, vir doctus, in romana sapientia sacrae theologiae lector ac procurator generalis sui ordinis; Laelius Medici institutus fuit inquisitor generalis pro civitate Senensi. Praeter Bonaventuram Siculum ministrum generalem ordinis electum Constantinopolitanae ecclesiae patriarcham, Thomas Ursinus a Panorio minorita de observantia die XVII. Februarii archiepiscopus Antibarensis creatur. Datis a pontifice litteris: *Proximis* die VII. Septembris plura ei commendat. Idem praeficitur administrator ecclesiae Buduensis die XXVII. Septembris. Similiter die XXIV. Novembris assumptum fuisse ad ecclesiam Liparensem Alphonsum Vitalem hispanum ex eodem ordine scribit Ughel tom. I. col. 784.

LXXXIII. Viri docti inclarent inter observantes. Bernardinus Turaminus Senensis, anno MDCXXXI. provinciae Romanae minister, scripsit *finale iudicium* sub nomine Iacobi, quo forte in saeculo vocabatur, metro italico Mediolani hoc anno cusum. *Librum Simonis Hagenovii canonici Volboreczensis Poloni de societate s. Annae aviae maternae Christi Domini sub rege Stephano, et Anna Iagellonia* MDLXXVIII. *instituta ab episcopo Leopolitano*, e polono in latinum idioma transtulit Ioannes Mislanus Leopoliensis iussu eiusdem archiepiscopi Ioannis Demetrii Sulikovii. Andreas Davila Compostellanus ab anno MDXCIX. ad usque annum MDCX. *volumen* LXXXIX. *quaestiones canonico-regulares ac morales* complectens, scripsit. Adservatur mss. in coenobio s. Francisci eiusdem civitatis. Ferdinandus del Campo hispanus minister provinciae s. Iacobi edidit Salamanticae *doctas adnotationes in evangelia quadragesimalia. Vitam s. Ioannis a Capistrano* scripsit, vel potius e latino italicam fecit, et ad Aquilanum senatum misit hoc anno Bonaventura a Celano provinciae Aprutinae. Iacobus Suarez patria Ulyssiponensis, a s. Maria nuncupatus, antonomastice apud Gallos *le Portugais* dictus, haereticorum flagellum, Galliarum regis Henrici IV. a consiliis et a sacris confessionibus, edidit Lugduni apud Horatium Cardonem *conciones* XXIII. *in tria prima Apocalypsis capita, habitae in celeberrima ecclesia Lugdunensi, quibus accesserunt sermones* VI. *pro diebus dominicis adventus, et festis conce-* Sbaralea tit. B. Idem tit. I. Idem tit. A. Wadd. tit. F. Sbaralea tit. B. Wadd tit. I.

Digitized by Google

Wadd. et Sbaral. tit. F. *ptionis b. Virginis et nativitatis Domini.* Franciscus Fevardentius Gallus sui temporis vir inter doctos doctissimus Parisiis edidit, *commentaria in epistolam d. Pauli ad Romanos.* Vulgavit etiam ibidem *commentarium in d. Iacobi epistolam.* Plerique eius auditores calamo ex ore dictantis Parisiis

Sbaral. tit. P. Annal. min. ad an. 1588. num. 67. exceperant. Aetatis suae anno circiter xxxvii. Philippus Boscherius, Belga de quo plura in annalibus nostris, per Guilielmum Riverium Montibus vulgavit *flagellum accademicum peccatorum de prodigii eiusdem per famem virgatione,* et latine Atrebatibus *monomachia Christi et Luciferi*, seu *conciones* xl. *de tentationibus Christi in deserto.* Ioannes Bautista, non vero

Beristain in bibliot. historico-mexicana tit. B. Baptista Mexicanus edidit latine et hispanice *eruditas animadversiones*, sive *advertentias ad ministros Indiarum* apud Devalos in civitate Tluteluci. Mantuae apud Franciscum Osannam prodierunt *considerationes spirituales ad*

Wadd. et Sbaral. tit. F. *sacerdotes et parochos dioecesis Mantuanae* scriptae a Francisco Gonzaga eiusdem urbis episcopo. *Quaestiones universales Scoti* Venetiis edidit Ire-

Idem tit. I. et tit. I. naeus Brassavolus Ferrariensis. Compluti apud Ioannem Graciam Ioannes de la Cerda hispanus provinciae Castellae typis commisit opus titulo *vitae polit-*

Idem tit. A. *ties pro omnibus statibus mulierum.* Plura edidit Matriti Alphonsus de Cruce Hispanus, nobili genere natus in oppido Valdemoro regni Toletani, professus inter discalceatos fratres provinciae s. Pauli. Eius enim sunt *discursus evangelici, varii discursus,* sive *adnotationes pro festivitatibus praecipuis sanctorum totius anni*, et *discursus de puritate s. Pauli apostoli.* In eadem

Waddingus tit. M. civitate Matthaeus de Burgos item vulgavit *discursus evangelicos.*

LXXXIV. Panormi lucem aspexit *sermo italicus de vita s. p. n. Fran-*

Sbaral. tit. A. *cisci*, *adiecto dialogo* scripto ab Antonio Trigonio Narensi Siculo minorita

Idem tit. I. conventuali. Eiusdem instituti Iacobus Montanari Balneocaballensis provinciae Bononiae, Romae vulgavit opus *de divinae sapientiae triumpho iconisma*

Wadd. tit. P. *et carmina.* Propertius Resta episcopus Geruntinen. et Cariaten. Romae publici iuris fecit opus *de vera et falsa sapientia in quatuor libros* partitum. Panormi edidit Petrus Calanna Siculus *philosophiam seniorum, scilicet platonicam*, *scepticam* etc. *ad Bernardinum de Cardines Siciliae pro-*

Idem tit. H. *regem.* Florebat etiam inter eos summus verbi Dei praeco Hieronymus Rocca Genuensis, de quo ita praeclare scribit Franciscus Bocchius Florentinus in epistola sua ad Cosmum Manuccium data, et Florentiae hoc anno per Sarmatellum excusa: *unus tamen*, inquit, *qui velit et possit perfecti munus oratoris implere, in divae crucis templo quotidie spectatur. Hic est Hieronymus Rocca Genuensis, qui ingenii magnitudine notus omnibus est, iam Italiae locis summae eloquentiae laudibus insignis.... Concionem persaepe videre licet (quam innumerabilium pene hominum templum amplissimum vix capit) defixis oculis, et mentibus dicentem intueri, suique officii admonitum, quorsum res fluat, expectare, et ut se dat ipsa oratio, commoveri; quae res profecto una satis inditio est, peregrinam quamdam dicendi facultatem ad animos permovendos collegisse, atque ita naturae praesidiis adiuvari, ut nemo unquam eo melius hoc persuadendi munus tractare posse videatur. Eius oratio operosa et grandis; nihil quod usitatum sit, aggreditur.... illas quinque oratoris partes ita tenet, ita prosequitur, ut quod usu plane apparet, omnium iudicio excellat; nam ut dicere omittam, quod commode disponit; egregie exornat; memoria complectitur; singulis rebus inveniendis atque actione exprimendis omnes, qui hac dictione concionaria utuntur, omnino superat. Ac inferius: iisdem*

Digitized by Google

artificiis, eodem ex collegio, quo Rocca prodiit, Fidardus (Augustinus Cassandri a Castrofidardo in Piceno dioecesis Laureti) *duos ab hinc annos hoc eodem in templo admirabili eloquentiae laude sese extulit. His profecto duobus, ut est omnium opinio, cedit nostra aetas dicendi virtute facesque eloquentiae submittit.* Plura carmina vario metro vernacule scripta a Hieronymo Palanterio conventuali extant in collatione Gerardi Borgognoni Venetiis hoc anno impressa. *Sbaral in addenda et corrig. lit. H.*

LXXXV. Mortalitatis sarcinam deposuit vir apprime doctus humanioribusque litteris perquam eruditus Marcus Antonius Raynaldus Faventinus minorita conventualis, iam minister provinciae Bononiensis. Scripserat *commentarium in librum 1. physicorum Aristotelis*, quod vidisse mss. in bibliotheca Bononiensi testatur Hyacinthus Sbaralea. *Carmina nonnulla latina* et quidem docta in laudem Ludovici Carbonis leguntur in fronte libri *de pacificatione et dilectione inimicorum* eiusdem Carbonis anno MDLXXXV. editi. Panormi item hoc anno praedicta sui obitus die cum magna sanctitatis fama coelestia petivit ad illa litaniae verba *propitius esto* Hieronymus Riccius Drepanensis ex tertio ordine claustralium s. Francisci, sacrae theologiae doctor, concionator eximius, et suae provinciae Siciliae semel et iterum praeses. Extitit etiam sui instituti procurator generalis. In eius funere concionem habuit Neapoli Ioseph Drepanensis minorita conventualis. Reliquit post se ab eo in italicum sermonem converse *statuta seu regulam tertii ordinis s. Francisci*, Panormi anno MDC. typis commissa. *Sbaralea lit. M.* *Idem lit. H.*

LXXXVI. Ex minoritis de observantia duo e vivis excesserunt, quorum alter Servatius Myricanus Lovaniensis, die XII Februarii defunctus Bruxellis, ac in choro fratrum tumulatus. Bis summa cum laude provinciam Germaniae Inferioris administravit. Vulgavit Coloniae anno MDXC. *enchiridion fratrum minorum complectens regulam s. Francisci cum eius testamento, et alia s. apostolicae sedis et ss. patrum monumenta, regulam fratrum minorum concernentia.* Henricus Willot Leodiensis obiit Paduae, cum Romam ad capitulum generale se conferret, munere custodis custodum insignitus. Praeter ea quae suis locis diximus, scripsit *notas ad monomachiam Christi incruentam; conciones de indulgentiarum vi, natura, et antiquitate, habitas Namurci gallice in sodalitio cinguli s. Francisci; varios fidelis sponsae affectus cum XXIV. iconibus, et orationem in exequiis Helenae de Melum comitis de Barlemontio coniugis.* Eum etiam esse auctorem *commentarii super quatuor evangelia* tradit Hyacinthus Sbaralea; quin imo et ipse Waddingus, qui eum alio loco vocat Henricum Leodiensem, cum unus idemque sit. *Wadd. lit. S.* *Idem lit. H.*

LXXXVII. Dormitionis requiem accepit in sacello s. Francisci ecclesiae aracoelitanae de Urbe Silvius cardinalis Sabellius, de quo sequens monumentum patet. *Ciaconius tom. 4. col. 287.*

D. O. M.
SILVIO S. R. E. CARDINALI AMPLISS.
EX CLARISS. SABELLIORVM GENTE
CAMILLI ARICCIAE DOMINI F.
MONVMENTVM
IVXTA GENTILITIVM SVOR. SACELLVM
VBI IDEM PIA ELEEMOSYNA
EX TESTAMENTO ATTRIBVTA
ANIMAM DIVINIS SACRIFICIIS
PERPETVO EXPIANDAM RELIQVIT

Digitized by Google

FABRICIVS SABELLIVS FRATER P. C.
VIXIT ANNOS XLVIII. MEN. VI.
OBIIT DIE XX. IANVARII
MDXCIX.

Silvi perpetuum tibi sit super aethera salve:
Purpura mitra solo sint diadema polo.

LXXXVIII. Bononiae in sacello b. Mariae virginis Lauretanae ecclesiae minorum observantium ss. Annuntiationis legitur hoc epithaphium.

D. O. M.
SACELLVM HOC B. VIRGINI LAVRETANAE DICATVM
PETRVS F. ALEXANDRI NIGRIS AERE PROPRIO
EXTRVENDVM C.
ANNVO CENSV AB EO INSTITVTO
VT IVLII CAESARIS STVROLI TESSERAE TESTANTVR
ANNO SAL. M. D. XCIX.

De Regnitis p. 485. LXXXIX. Augustum insigneque prorsus hoc tempore evasit templum s. Mariae Novae Neapolis ex eleemosynis oblatis a christifidelibus ob crebra miracula quae evenebiant ad imaginem b. Mariae de Gratia, hoc anno translatam in sacellum comitum de Alife, cuius ara in qua vulgaturus XXII. annalium nostrorum opus sacrum pluries peregi, eiusque imagine laminis argenteis affabre efformatis per totum exornatur. In principe eiusdem ecclesiae ianua haec obviat inscriptio.

TEMPLVM A CAROLO V. ANDEGARENSI IN ARCE VETERI CONSTRVCTVM ILLVSTRIORI FORMA PIORVM OBLATIONIBVS IBIDEM RESTITVTVM, DIVAEQVE MARIAE ASSVMPTAE DICATVM. PHILIPPO II. AC III. AVSTRIIS REGIBVS INVICTIS. MDXCIX.

In hortis nostris omnia poma

Haec b. Virginis imago anno MDXCVI. miraculis inclarescere coepit, dum durius cum fratribus agebant Clemens VIII. et Gesualdus cardinalis et archiepiscopus civitatis. Maximum illud fuit in mense Iulio, in quo toto spectante populo claudus se commendans beatae Virgini, extemplo stetit, exiliit, rectequc ambulavit. In huius rei memoriam quolibet anno statuto die solemnia peraguntur in eodem templo.

Acta ss. ad diem 17. Septembris. XC. In sacello b. Gandulphi a Binasco Mediolanensis anno MCCLX. defuncti in oppido Politii provinciae Siciliae, vetustae aeque ac recentes tabellae appensae obviant. In earum altera inspicitur effigies Dei servi, luce et nube circumfusa, infirmo deprecanti apparens, hoc apposito distichon

Aspicis hunc aegrum, febris quem torret anhela,
Qui tenens animam iamiam diffundit in auras
Dum votum supplex Gandulpho nuncupat, ultro
Ille vocatus adest, et morbum corpore pellit.

MDXCIX.

XCI. Iubet summus pontifex in virtute sanctae obedientiae Margaritae ab Austria, dictae de Cruce professae in monasterio discalceatarum oppidi Madrid dioecesis Toletanae, ut munus abbatissae in eodem monasterio suscipiat: *Cum sicut* die XII. Augusti; iubet ne aliquid innovetur circa sacra stigmata s. Catharinae Senensis: *Cum sicut* die XXVII. Novembris; ne fratres cuiuscumque ordinis vi bullae cruciatae eligant confessarium non adprobatum: *Romani pontificis* die XXIII. Novembris; firmat concordiam et permutationem conventuum

Digitized by Google

iam peractam inter provincias discalceatorum s. Iosephi et s. Gabrielis: *Religiosorum* die xxiii. Ianuarii; quaedam statuit pro reformatione regularium tam monachorum quam mendicantium: *Nullus omnino* die xxv. Iulii; rata habet decreta s. c. episcoporum et regularium circa novitios admittendos ad habitum ac professionem religiosam: *Cum nos* die xvii. Septembris; fratres discalceatos reformatos ordinis ss. Trinitatis redemptionis captivorum submittit etiam visitationi et correptioni fratrum s. Francisci discalceatorum: *Ad militantis* die xx. Augusti; quamdam assignat eleemosynam fratribus de observantia praesidentibus poenitentiariae s. Ioannis Lateranensis de Urbe: *Cum alias* die xii. Novembris; concedit pium legatum pro reficiendis aedibus fratrum observantium s. Mariae de Iesu extra moenia Barcinonensis civitatis: *Exponi nobis* die vi. Februarii; unit bona monasterii s. Clarae Tranen. monasterio s. Ioannis eiusdem civitatis, illasque ad hoc monasterium transfert: *Sanctimonialium* die xvi. Decembris; ut moniales clarissae Zamoren. solemnia paragant per octavam ss. corporis Christi: *Exponi nobis* die vi. Martii; subiicit regimini episcopi monasterium tertii ordinis Arbensis: *Cupientes* die xvii. Septembris; concedit episcopo Verdunen. visitandi et reformandi monasterium s. Clarae eiusdem civitatis: *Cum sicut* die iii. Decembris; ut ministri provinciae minorum de observantia munus suum prosequantur usque ad celebrationem capituli generalis: *Cum nos* die xii. Iunii; ut moniales s. Clarae Neapolis recitent officium s. Catharinae Senensis in eius festivitate: *Quae ad sanctorum* die i. Iulii; ut Philippus iii. Hispaniarum rex extrahere valeat partem reliquiae s. Laurentii m. ab ecclesia s. Laurentii conventualium Neapoli: *Cum sicut* die xvii. Iunii.

XCII. Transfert summus pontifex altare privilegiatum concessum a Gregorio xiii. sacello visitationis b. Mariae ecclesiae s. Mariae de Iesu Caven. ad altare sodalitatis chordigerorum: *Alias* die vi. Februarii; largitur indulgentias in die conceptionis ecclesiae s. Mariae martyrum, vulgo *Rotonda* de Urbe: *Cum sicut* die i. Decembris; item confraternitati b. Mariae erectae in ecclesia s. Francisci Bruxellis: *Cum sicut* die iii. Martii; item confraternitati s. Rochi erectae in ecclesia parochiali s. Nicolai Bruxellis in die quo eius simulacrum in publica supplicatione defertur: *Cum sicut* die iii. Novembris; item confraternitati chordigerorum erectae in ecclesia s. Genesii della Sciarra Carthaginen. dioecesis minorum de observantia pro die xxv. Augusti: *Cum sicut* die iv. Decembris.

XCIII. Sequentia exscripsimus ex indiculo bullarii Petri de Alva. Pro monialibus tertiariis terrae Durangi Calaguritan. *Expositum nobis* die x. Ianuarii; beneficium conceptionis in ecclesia parochiali de Momblan. Tarraconen. *Dignum* v. idus Novembris; beneficium in cappellania cardinalitia s. Clarae Burgen. *Dignum* idibus Februarii; pro monasterio s. Annae ordinis conceptionis b. Mariae Mexican. *Ex debito* nonis Maii; beneficium in ecclesia s. Clarae Barcinonen. *Dignum* pridie idus Februarii; altare conceptionis et beneficium in loco de Mondeiar. Toletan. *Vitae ac morum* vi. idus Iulii; beneficium in ecclesia s. Annae monialium oppidi de Viva Bracharen. *Dignum* idibus Martii; confraternitas conceptionis in ecclesia s. Quirici Turrien. *Dignum* x. calendas Aprilis; beneficium conceptionis in ecclesia s. Iacobi super flumen mortuum Forolivien. *Litterarum* iii. calendas Maii; pro monasterio conceptionis Vallisoletan. *Suprema dispositione* iv. calendas Februarii; confraternitas in ecclesia Vulnerum oppidi de Villavitiosa Ulyssiponen. *De salute* xiii. ca-

lendas Ianuarii; confraternitas conceptionis in ecclesia minorum Terrae Zeleuciae Treviren. *Sedis apostolicae* nonis Marti; executorialis circa quamdam litem, et de guardiano oppidi de Belmonte: *Inter fideles* idibus Novembris.

Rodericus in bullario pag. 548.

XCIV. Fratres in Hispaniarum regnis extra coenobia in nosocomiis infirmi consequi possunt easdem gratias ac indulgentias quas consequuntur alii religiosi in conventibus degentes. *Nos Franciscus miseratione divina titulo s. crucis in Ierusalem sanctae romanae ecclesiae presbyter cardinalis de Avila nuncupatus universis et singulis praesentes litteras inspecturis lecturis pariter et audituris fidem facimus et attestamur, qualiter die* VII. *mensis Decembris anno ab orbe redempto* MDXCIX. *in sacro vaticano palatio, et in mei praesentia r. p. f. Ioannes Baptista Moles ordinis minorum de observantia pro ultramontana familia in hac romana curia commissarius generalis deputatus, humiliter exposuit sanctissimo in Christo patri et d. n. d. Clementi divina providentia papae* VIII. *quod dicti sui ordinis religiosi praecipueque discalceati in Hispania degentes et commorantes, quamplures habent conventus in sylvis et extra urbes constitutos, et ab eis nimium distantes et sequestratos ita, ut fratres praedicti cum aegra valetudine laborant ad urbes seu oppida conduci, et in eis xenodochia seu valetudinaria ad haec specialiter deputata habere cogantur, ubi commodius a medicis visitentur, et necessaria cuilibet possint adhiberi medicamenta, unde infirmis et eorum curam gerentibus non leve esset spirituale solamen, si inibi posset gaudere indulgentiis et gratiis quibus in sui ordinis sanctorum festivitatibus vel quocumque alio die potiori, quaerunt religiosi in conventibus commorantes; qui quidem praefatus s. d. n. papa praedicti patris commissarii humili et obnoxiae supplicationi inclinatus vivae vocis oraculo benigne annuit, concessit ac indulsit, ut omnes illi religiosi minorum de observantia, qui in praedictis xenodochiis seu valetudinariis aegroti extiterint, vel pro aegrotis curandis fuerint a praelatis deputati et assignati, eas omnes gratias et indulgentias consequi valeant et possint, quas religiosi in conventibus existentes consequi valerent et possint in sui ordinis (ut praefertur) sanctorum festivitatibus, sive quocumque alio die, dummodo in dictorum xenodochiorum, seu valetudinariorum ecclesiis cappellis seu oratoriis illa omnia exequantur, quae pro praedictis gratiis et indulgentiis consequendis tenerentur exequi, si in dictis existerent, aut degerent: similiter etiam ut religiosi praefatae religionis, qui in dictis xenodochiis, vel valetudinariis obierint, eisdem gratiis et privilegiis potiri possint et valeant quae a summis pontificibus, et a sancta sede apostolica usque adhuc concessae sunt, vel in posterum concedentur fratribus intra ordinis conventus e vita decedentibus. In quorum omnium et singulorum fidem, ac testimonium praemissorum praesentes manu nostra subscriptas per secretarium nostrum fieri et subscribi, ac sigillo quo in similibus utimur, iussimus et fecimus appensione communiri.*

Datum Romae in palatio nostrae solitae residentiae die X. *Decembris* MDXCIX.

Ita est — Ego Franciscus tituli s. crucis in Ierusalem cardinalis de Avila
De mandato illustrissimi domini mei card.
Petrus Perez de Carrion.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1599.	an. 7. et 8.	anno 23.	anno 392.

XCV. Ad annalium nostrorum integritatem, quae de quadam lilii radice, Ierosolymis reperta, Iesu Christi cruci affixi forma ad vivum exhibente, tradit P. Franciscus Quaresmius, lubenti animo ponimus. « Sciendum itaque quod fratres aliqui minoritae in Terra Sancta habitantes, cum quadam vice compellerentur discedere ex quodam loco Ierosolymis proximo (probabiliter e monasterio s. Ieremiae) Ierosolymam versus proficiscentes, in itinere in campo viderint mirae pulchritudinis lilium e terra exortum; accedentes ergo illud decerpserunt. Dum vero admirarentur illius decorem ac venustatem, suggessit Dominus, ut curiose terram, unde exortum fuerat, effoderent, ut unde originem traxisset, contemplarentur. Foderunt terram, et invenerunt radicem illius lilii formam Christi cruci affixi ad vivum mirabiliter praeseferentem. Mirati rei novitatem singularem, cum gaudio secum prodigiosam illam radicem Ierosolymam detulerunt, et tamquam rem mirabilem conservaverunt. Accidit aliquando, ex Belgio Ierosolymam pietatis ergo nobiles peregrinos appellere, qui postquam magna cum devotione loca sancta venerati fuissent, ad propria reversuri, obnixe potierunt a minoritis rem sibi quampiam memorabilem dari, quam ad perpetuam memoriam, et in suae Ierosolymitanae peregrinationis testimonium conservarent. Ut pietati illorum satisfacerent minoritae, praedictam lilii et crucifixi prodigiosam radicem eis dono dederunt. Belgae ob pretiosum munus laeti, cum illo ad propria revertebantur, cum proposito crucifixum illum collocandi in patria sua Cortraco, comitatus Flandriae civitate, ut ibidem in veneratione haberetur, essetque velut civitatis thesaurus et propugnaculum. Verum aliter Dominus rem disposuit, suamque voluntatem aliam esse prodigioso eventu comprobavit. Cum enim praedicti peregrini Donsam, eiusdem comitatus Flandriae civitatem, sitam ad fluvium Lisam, inter Gandavum et Cortracum, pervenissent, atque inde progredi ad patriam contenderent, divinitus mirabiliter retenti fuerunt. Prodigium mirati, non male suspicati fuerunt, illud ex crucifixo illo Ierosolymitano provenire, quo Deus non Cortracum, sed Donsam ditari disposuisset. Crucifixum ergo illum reliquerunt Donsae, donatum sanctimonialibus ordinis canonicorum regularium s. Augustini, quae illum cum gaudio susceptum, tamquam divinum naturae prodigium, in alia argentea cruce affabre elaborata honorifice reposuerunt, et custodierunt. Hoc sic peracto, peregrini illi residuum itineris absque impedimento feliciter perfecerunt, et ad amicos et cognatos suos laeti pervenerunt ».

XCVI. « Postea cum in Belgio patrum nostrorum memoria furere et debacchari inciperet haereticorum persecutio, et Donsa civitas ab iisdem invaderetur et occuparetur, coactae fuerunt illae moniales cum aliis inde discedere. Gandavum ergo profugerunt, et secum crucifixum illum detulerunt, ubi in suo conventu eum diligenter custodiunt, et piis et curiosis fidelibus conspiciendum exhibent. Mirabilis est virtutis et efficaciae: illo etenim aqua benedicitur, quae etiam post annum, etsi in parvo vase recondita, incorrupta ac velut recens e fonte hausta invenitur: febricitantibus feliciter propinatur, qui et sanitatis inde beneficium consequuntur. Ad eum habentur stationes et processiones, et in quibusvis afflictionum et tribulationum necessitatibus, post Deum, ad illum confluunt fideles, ut ab omni animi et corporis adversitate liberari, et necessariis bonis ditari mereantur. »

XCVII. « De illius peculiari forma, haec a me studiose observata accipe. Huius radicis, et crucifixi longitudo est septem unciarum cum dimidia, latitudo septem, adestque crassitiei debita proportio. Sculptorio opere, nec id inelegan-

ter elaboratus videtur, et velut tribus singularibus clavis cruci affixus, quorum etiam capita distincte cernuntur cum vulnere laterali. Notatur insuper in dextera faciei parte signum alapae a sacrilego ministro Salvatori impactae, et in vertice signum praecisi lilii. Crines capitis et barbae prolixiores ad usque genua protenduntur, qui et olim visi sunt crescere: castanei sunt coloris, et omnino similes aliorum virorum naturalibus capillis. Hic tamen adverto, modo in laeva capitis parte aliquos capillos deesse, quoniam nonnulli, quibus paucis ab hinc annis manibus eum contrectare concessum fuit, illos ex indiscreta devotione avulserunt. Circa coxas fasciam eiusdem radicis habet. Totus est coloris aridae radicis, ad croceum vergentes. »

XCVIII. « De tempore inventionis, vel etiam translationis nihil omnino mihi constat. Probabiliter creditur a centum circiter annis fuisse in suburbiis Ierosolymitanis inventus et Ierosolymam delatus, et paucioribus ex Ierosolymis in Belgium Donsam translatus: nam quaedam memorati conventus monialis, in ordine octogenaria, adhuc superstes, asseruit, decem annis ante suum in religionem ingressum fuisse crucifixum illum Ierosolyma a dictis peregrinis Donsam allatum, eique monasterio mirabiliter pro magno dono oblatum. Potuit vero aliquibus annis ante a fratribus s. Francisci circa Ierosolymam inveniri, et postea piis illis peregrinis tradi. Ipsemet ego haec, dum essem Gandavi, vidi, et ex impressa relatione dictarum monialium et aliorum fide dignorum traditione didici. Crucifixi illius ectypum ex ipsa naturali radice accurate exceptum, nec hactenus ab aliquo in lucem editum, ut rem valde memorabilem, in aere incidi, hicque imprimi curavi, modico addito exterius ornamento prout etiam ipsimet Crucifixo argenteum a fidelibus additum fuit decus ».

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1600.	an. 8. et 9.	anno 24.	anno 393.

ARGUMENTUM.

Commendantur fratrum labores apud infideles. Decedit beatus Sebastianus ab apparitio. Ei adiuncti sunt in coelis aliquot pii viri ac virgines. Quorumdam fratrum corpora elevantur. Celebratur comitium generale fratrum minorum de observantia. Multiplicantur aedes fratrum ac sororum. Obeunt ac florent viri docti. Instituuntur episcopi, pontificis mandata, et indulta vulgantur.

EX pontificis summi mandato Ambrosius Mediolanensis, Soncinas, ob Soncinatis marchionatus titulum quo in saeculo potiebatur, nuncupatus, Algerium se contulit, ut evangelium annunciaret, ac plenario iubilaeo evulgato, christifidelibus in captivitate detentis sacramentalis absolutionis beneficium conferret. Eo appulsus, vix dici potest, quanta captivos diligentia, solicitudine, divinisque sermonibus ad resipiscentiam, scelerum confessionem, ad tolerantiam fideique constantiam excitaret. Vacillantes confirmabat, lapsos restituebat, fortes corroborabat, omnibusque paterna viscera exhibebat, omnesque Christo lucrifacere conabatur. Nonnullos qui a fide christiana defecerant, ad bonam frugem redegit. At non multo post in carcerem actus, ab infidelibus ingentia mala sustinuit. *Bzovius tom. 2. pag. 685.*

II. Apud Ceylamum regnum hoc tempore infidelium salutem una cum Ludovico ab Ascensione, et Francisco ab Incarnatione operabatur Andreas Setuvallensis Lusitanus ex provincia s. Antonii, qui Talapinum magnam regni Insulam adveniens, et coram dynaste idolorum cultore infensoque christianorum hoste crucifixi imaginem sub pallio absconditam proferens, Christi fidem ad salutem aeternam adipiscendam necessariam esse invictis rationibus ostendebat. At ille ira exardescens, illico militibus imperavit, ut invictum Christi praeconem telis confoderent. Hinc multiplicatis lancearum ictibus, per singulas corporis partes transfigitur, ac crucifixi imaginem inter ulnas amplexatus, illustre fidei testimonium dedit die XXII. Iulii. Eo Mortuo regis imperio caput praecisum, vesteque denudatum fuit. In eius corpore demirati sunt incolae asperrimum cilicium a genibus ad collum usque productum. Ludovicus ab Ascensione sacerdos post mira in animarum conversione acta, in eisdem regionibus in Domino obdormivit; Franciscus vero ab Incarnatione postquam ibidem optatos fructus in Christi horreum induxisset, Lusitaniam repetens, dierum plenus et bonorum operum vitam commutavit cum morte. *Apologeticum Lusitan. ad diem 22. Iulii.* Andreas Setuvallensis mart. Ludovicus ab Ascensione, et Franciscus ab Incarnatione.

III. Ab anno MD. ad haec usque tempora truculenta turcarum natio fratribus de observantia tum provinciae Bosniae, quam Bosniae Croatiae ac Dalmatiae amplissimum agrum pro virtutum exercitio aperuit; nam crebro diras incursiones contra eos intentans, charitatem, fortitudinem, aliasque eorumdem virtutes alacres reddidit. In eis sane eluxit charitas Dei et proximi; prior quidem, eoquod tot mala eos a Dei amore avellere nequiverint; posterior vero, quia christifideles in fidei confessione solidaverint, sacramentis munierint, aliisque obsequiis spiritualibus beaverint. Fortitudinis radios sparserunt in contumeliis, in coenobiorum excidiis, in persecutionibus, aliisque malis innumeris sustinendis. Iidem fratres strenuam operam navarunt et in Austriae provincia, ut ab erroribus revocarent protestantes. In ea re peragenda plurimum commendantur Bonaventura Daumius, et Elzearius Kugl, qui per se et per alios sodales novis per diem erroribus succrescentibus acre bellum indixerunt. *Gretserus tom. 1. pag. 225. n. 413.* *Idem ibid. pag. 457.*

Digitized by Google

Annal. min. ad an. 1595. num. 75.

IV. Diximus anno MDXCV. misisse romanum pontificem in Bulgariam Hungaricam Petrum Salinatem eiusdem instituti pro avocandis christifidelibus a graecorum schismate, sacrisque doctrinis imbuendis, ac deviis ad virtutis tramitem adducendis. Suo munere ita per quinquennium functus est, ut ubique collapsa restitueret, depravata corrigeret, novaque institueret. Comitate eximia, morumque probitate qua pollebat et doctrina, omnium Hungarorum animos sibi conciliavit ita, ut Romam hoc anno adveniens, a summo pontifice quem benevole excepit, eum sibi in episcopum praefici multis precibus postularunt; quod et indulsit anno insequenti pontifex.

Coletti in Illyrico sacro tom. 8. p. 69.

Ex summario actuum suae canonis. p. 45. et seq.

V. Die XV. Februarii sub vesperas coenobium s. Francisci Angelopolis provinciae s. Evangelii cum plaustris repetiit b. Sebastianus ab Apparitio, annum agens XCVIII. Laboribus exantlatis defessus, duplicique herniae morbo diutius correptus, in extremam illico incidit aegritudinem. Licet intestina ex utraque parte illi prosiliissent, super nuda tamen humo extra coenobii tectum, ubi plaustra erant, more suo iacebat. Intensis proinde doloribus excruciatum, Petrus de Castagneda illius conventus guardianus in valetudinarium deferri iussit; at beatus eum fervide rogavit, non in cella sed in angulo valetudinarii, tamquam pauperculum, cubare sineret. Ibi, uti expetierat, collocatus, reliquum diem ac noctem permansit. Medicus haud permisit illum eo in loco morari, nec se opem suam dixit ei impensurum, nisi aedem valetudinarii adiret. Paruit Beatus; unde inter aegrotos fratres repositus, salutaris artis praesidia accepit; at irrito plane conatu: nam novem dies eo in statu vixit, acerbissimas lancinationes mira tolerantia hilaritateque eximia perferens.

VI. Cum de nocte maximis doloribus afflictaretur Beatus, rogavit qui aderat sodalem, ut citharam sibi afferret, eaque psalleret. Simulavit religiosus indulgere petenti; sed e cella discedens, statim angelorum concentum audivit. Subinde reversus, totum cubiculum mira fragrantia perfusum sensit, alteque stupescens: *suavem equidem*, dixit, *musicam de coelo missam audisti?* cui Beatus, ut sileret, imposuit. Crebrescente morbo, ecclesiae sacramentis eximia animi pietate munitus fuerat, ob vomitum tamen non valuit illa die sanctissimo Iesu Christi corpore refici; illud vero ei allatum, ferventissime adoravit, verba eructans amoris plena, et se pro eo millies mori desiderans. Tunc adstantes sodales ei suadebant, ut se pararet ad novissimam luctam, ut Christo Domino confideret, ac daemonem haud pertimesceret; quibus sancta qua erat exhornatus, simplicitate, respondebat; *non timeo, quia Deus mihi amicus antiquus est, et daemonem iam cognosco, qui mecum agere nihil habet.* Adveniente subinde, quam antea praedixerat, mortis hora, mente recogitans parentem suum s. Franciscum super humum obiisse, strenuus illius aemulator suppliciter petiit, ut sibi quoque liceret eo modo animam exhalare. Ubi voti compos factus est, gaudio summo repletus, et ad symbolum apostolicum quod religiosi recitabant, exultans, prae manibus Christi crucifixi imaginem tenens, invocato dulcissimo Iesu nomine, eidem spiritum reddidit die XXV. Februarii, sacro s. Mathiae apostolo, anno MDC. Mortalitatis vinculis vix solutus, quaedam in eius corpore mirabilia visa fuere. Licet enim cum viveret, rudis foret, utpote qui viginti et octo annos tractandis bobus plaustrisque ducendis impendisset, et ob id manus pedesque disruptos, ac callis obductos haberet, attamen eius corpus molle, vegetum, et tractabile, viventi simile compertum est. Suavis interim liquor ex eius corpore scatens, adstantes recreabat.

VII. Vulgata sui morte, certatim prae sanctitatis fama ad eius funus accurrerunt omnium ordinum cives, qui ad explendam erga Beatum devotionem

Digitized by Google

rosaria ac sudariola sacro ipsius corpori devote admovebant. Cum de more officium pro defunctis religiosi viri ex ordine praedicatorum, carmelitarum, redemptionis captivorum, ac societatis Iesu inchoassent, coenobii s. Francisci praeses iussu Angelopolitani episcopi illud prosequi haud permisit, sed consuetum dixit decantari ut in parvulorum exequiis. Praesens etiam aderat festivis exequiis Petrus Nunez thesaurarius cathedralis ecclesiae Tlaxcallensis, canonicalibus insignibus indutus. *Ex summario num. 40. §. 21.*

VIII. Antequam tumulo mandaretur, praecipua quae notamus, ad sacri corporis tactum evenere mirabilia. Petrus Martinez Beato summe familiaris ferventer eum rogavit, ut apud divinam maiestatem sui recordaretur; illico Beatus manum sperulit, deprecantique porrexit. Eleonora Suarez, tactis Beati pedibus, invocatoque eius patrocinio, libera statim evasit ab oculi morbo incurabili a quinquennio afflicta. Anna de Mercado uberibus suis genua Servi Dei admovens, libera remansit ab asthmate quo per longum tempus laboraverat. Isabella de s. Anna monialis in monasterio s. Clarae Angelopolis, dum in saeculo degebat, ab annis octo gravissimo capitis dolore assiduaque febri afflictabatur; at perfectae sanitati restituta fuit, accedens ad Beati feretrum, ipsiusque auxilium implorans. Mulier Mexicana infirmitatem in oculo contractam, multis medicamentis expellere volebat. At ad aram Beati accedens, et magna fiducia eius manum ad oculum morbo affectum admovens, eodem in instanti morbus recessit, clareque vidit. Triduo post eius corpus terrae mandatum, viva calce contectum fuit; verum multis accedentibus per diem signis, quatuor post menses effossum, integrum, tractabileque apparuit; caro vero naturalem retinebat colorem, suavemque odorem spirabat. *Ibidem §. 149.*

IX. His aliisque mirandis quibus Deus servi sui sanctitatem palam ostendebat, in causa fuit, ut Didacus Romanus Tlaxcallensis episcopus, cuius coenobium in sua erat dioecesi, spectatissimos ac peritos viros postridie a viri Dei obitu deligeret pro conficiendis sua auctoritate ordinaria processibus. Anno MDCIV. litteris datis die XX. Aprilis similia eidem episcopo mandavit Philippus Hispaniarum rex II. Interim idem pientissimus rex anno MDCVII. die X. Decembris scripsit marchioni d' Aitona oratori suo apud Paulum V. pontificem, ut servi Dei causam omnibus conatibus adiuvaret, ac maiestatem suam de omnibus certiorem redderet. *In summario de probationibus §. 20. et seq.*

X. Constructis hisce processibus, iisque anno MDCXXV. referente cardinali Petro Maria Burghesio, in s. r. congregatione expensis, signata extitit ab Urbano VIII. pontifice commissio introductionis causae illius beatificationis ac sanctificationis. Huius vigore die XXX. Augusti eiusdem anni expeditae fuerunt remissoriales et compulsoriales litterae ad episcopum Angelopolitanum ac ad duas dignitates, ad effectum conficiendi auctoritate apostolica tam in genere quam in specie super virtutibus et miraculis servi Dei processum. Confectus sub annis MDCXXVIII. ac MDCXXIX. idem processus, diu ob superveniens decretum eiusdem Urbani VIII. siluit. Anno vero MDCXLII. relatore cardinali Iulio Sacchetti, causa reassumpta fuit, eodem Urbano VIII. indulgente.

XI. Nos, quae de eius eximiis virtutibus relata fuerunt in utroque processu, fideliter excribimus. Ac primo de theologicis suis virtutibus. Fides venerabilis servi Dei plenissime effulsit, quoties occasio ferebat, eamque omni loco ac tempore magno fervore confitebatur. Sedulam interim navabat operam meditationi mysteriorum fidei; in alios vero eamdem fidem suavissimis verbis excitabat. Quare a quodam religioso viro rogatus, ut sibi aliquod monitum circa oratio- *Ex summario §. 17. et seq.*

Digitized by Google

nem daret: *serva*, dixit, *fidem firmam uti chalybem, et nunquam oculos a Deo averte*. Ferventi fide, ingenti charitate formata, conscientiam confessione sacramentali emundabat; pari fide, ac dilectione accedebat ad eucharisticum panem suscipiendum. Diu noctuque orationi addictus erat, precatoriam coronam semper in manibus gestans, ac devotissime recitans. Tenerrimo cordis affectu prosequebatur Deiparam virginem, ante cuius aram provolutus, ferventes fundebat preces. Porro iuxta s. Augustini dictum de verb. Domin. serm. xxxvi. *si fides deficit, oratio perit*; et s. Cyrilli Alexandrini sententiam homil. contra Nestorium beata Virgo *sceptrum orthodoxae fidei* nuncupatur, inde ergo servi Dei orationis studium a vera fide prodibat.

XII. Spem etiam, quae a fide radicem habet, quaeque tendit ad coelestem beatitudinem, divinae gratiae merito bonisque operibus consequendam habuit firmissimam. Aeternam enim gloriam anhelans, mundum eiusque illecebras ac divitias despexit deditque pauperibus, seraphicum institutum, divitiis dumtaxat coelestibus opulentissimum amplexatus. Inter caeteras vitae asperitates, ad omnem aeris inclementiam sub aperto coelo dormiebat; nunquam lectum aut tectum admittebat, licet plures tantam asperitatem demirantes et commiserantes, aedem ac cubile ei obtulerint; oculos semper intentos habebat ad supernam patriam, eamdemque aspirabat. Interrogatus cur sub tecto noctis tempore quiescere nollet, respondebat: *quia coelum gaudeo suspicere, ad quod ascendere ex Dei bonitate confido. Cernite, quam pulchrum est, quanto splendore sidera micant*, et his similia. Duras corporis afflictationes magna animi iucunditate et laetitia sustinebat, sibique inferebat liberius; eamdem animi hilaritem ostendebat, conviciis ac iniuriis ob animi sui simplicitatem licet aggressus.

XIII. Heroica etiam erga Deum charitate exornabatur Beatus. Cum aliquando importunis amicorum precibus sub tecto cubare coactus esset, videbatur prae amoris Dei magnitudine velut ab igne comburi, vel in frusta discerpi, quasi a leonibus dilaniari, vel altis clamoribus edere instar morientis. Interni aestus vehementia persaepe agitatus, refrigerii causa sese in aquas, vel in nives immergebat. Aliquando extra se inter orandum factus, etiamsi vulneraretur, nihil sentiebat. Praestans itidem eius zelus fuit, ne divina bonitas dictis vel factis offenderetur. Verba eius, quamvis essent simplicia, tantam Spiritus sancti unctionem praeseferebant, ut audientium corda, licet duriora, ad amandum Deum provocarent. Longaeva infirmitate confectus, ab austeritatibus non se temperabat, etsi ab amicis pluries persuasus, quibus dicebat, ob divinum amorem se membratim caedi libentissime. Divinis placitis proprium velle semper subiecit; et in rebus asperis animum a quacumque perturbatione liberum semper servavit, nullum aliud verbum in ore usitatum habens, nisi quod Dei voluntas fieret.

XIV. Charitatem erga proximum quodammodo desponsatam fuisse a Beato optime novimus. Patrimonium magnis laboribus in saeculo partum, antequam franciscano instituto nomen daret, voluit pauperum esse dotem. Id minime contentus, annos sex et viginti quibus inter eos militavit, in quaeritando pro eis stipem insumpsit. In egenos etiam exteros suam charitatem extendit; modo propriis vestibus se denudabat, modo cibum sibi subtrahebat, quibus nudos ac famelicos confoveret, et adeo in eo increverat charitatis ardor in proximos, ut flagris caedi mallet, quam indigentes in necessitatibus deserere. Adversus improbos ac scelestos palam insurgebat, et tam vehemens erat in animadver-

Digitized by Google

siones, ut eos perterrefaceret, etiam posthabito propriae vitae discrimine. Omnes exemplo non minus quam verbo iuxta sui status conditionem ad pietatem et christianae disciplinae perfectionem toto corde sectandam cohortabatur. Aegros consortio suo levabat, spiritualique gaudio ad mala sustinenda replebat. Pacis praecipuus cultor, non solum eam cum omnibus servavit, sed omne studium posuit, ut animorum adversiones inter suos praesertim componeret.

XV. Enituit virtute prudentiae ad proficiscendum in via spirituali. Quaecumque vel levissima a se Beatus removebat. Consueverat ipse in domo Ioannis Guttierez cymbali sonitu recreari. At una die cum obvium haberet eumdem Ioannem, ei familiariter dixit, quod a suis aedibus in posterum abstinuisset, quia Deus sibi praeceperat, ne musicis instrumentis iucundaretur. Prudentiae dono a Deo imbutus, divinarum rerum scientiam obtinuit, qua sublimia comprehendebat, et spirituales magistros doctrinae praestantia superabat. Non deerant inter religiosos viri docti, qui collationibus spiritualibus cum eo habitis in perfectionis via erudirentur. Homo licet rudis ac simplex, suae conscientiae discussionem exactam faciebat ita, ut confessarius suus fassus sit neminem noxarum rationem accuratius reddere potuisse, quamvis in theologicis studiis apprime versatum. Macerationes quibus magna hominum pars in admirationem rapitur, cum occultare minus liceret, sub simulatione stultitiae contegebat. Deprehensus aliquando cum nudus hyemali tempore e lacu prodiret, incohaerentibus responsis suum exploratorem fallere studebat. Cum brumali et aestivo tempore aperto in aere quiesceret, interrogatus, cur strato non uteretur, respondebat: *non vides quod hoc stratum periculis ac nephritide laborat?* Itidem cum in aquas se mergeret vestibus indutus, monitus ne suam vitam tam facile perderet, dicebat cunctas suas aegritudines hac medicina curari.

XVI. Iustitiae virtus in viro religioso cum contineatur in observantia votorum, Beatus haec vota inculpate ad mortem usque custodivit. Ac primo quidem altissimam paupertatem; a pecuniae enim contactu tamquam quid venenosum semper abhorruit, neque cellae usum sibi proprium esse voluit. Lagunculam vini ad sui commodum recipere unquam voluit, ac etiam quae ad sui victum necessaria erant, non semel refugiebat. In vitae exitu interrogatus a conscientiae suae moderatore, an aliquid de his quae ad institutum spectabant alienasse, asseveranter testatus est, nec minima frumenti spica se eidem ordini obstrictum teneri. Nudis insuper incedebat pedibus, tunicamque gestabat obsoletam ac consarcinatam.

XVII. Non minus accurate obedientiae votum adimplevit, non maiorum dumtaxat, sed quorumcumque etiam sodalium infirmioris gradus obsequendo mandatis; et quidem tanta animi alacritate, ut cum aliquando multus depluere imber, ac ad proximum sacellum confugere posset, potius pluviae cadentis impetum sustinebat, quam plaustrorum curam dimittere; dicebat enim eorumdem custodiam demandatam sibi fuisse. Id onus sibi impositum, licet laboriosissimum, non solum patienter, sed et cum gaudio et voluptate prosequebatur. Non minus aetate, quam religiosa professione grandaevus, alacriter superiori praecipienti paruit, ut ad novitiatum denuo rediret, ibique velut puellulus memoriae mandaret, quae sacerdoti sacrum litanti deserviunt quamvis praecepti duritiem agnosceret. Quid enim durius imponi poterat homini nonagenario, ignaro penitus elementis linguae latinae, quam memoria prorsus labefactata, ritum inserviendi missam addiscere?

XVIII. Miro in gradu castitatis donum possedit in saeculo equidem, ac in statu religioso, et virginitatem quam a Deo ab incunabulis acceperat, Deo illibatam reddidit. In saeculo degens, a mulierum frequentia abstinebat, earum aedes, nisi quas bene perspectas habebat, minime ingrediebatur, neque in suis morbis ad eisdem mederi patiebatur, quamvis aegritudo mortalis esset, vitaequo periculum immineret. In ipsis ecclesiis orans. si forte advertisset aliquam mulierem sibi proxime adstantem, raptans genua ab ea recedebat. Adolescens plura certamina sustinuit, ut illibatum virginitatis florem custodiret. Salamanticae famulatui cuiusdam matronae se addixerat, quae erga illum libidinis aestu succensa, excogitavit impudicum ardorem factis potius quam verbis aperire. Iussit itaque, ut ei ad cubandum eunti Beatus candelabro praeiret. Cum autem ambo essent in cubiculo, et ipse lumen teneret, mulier inverecunda se vestibus exuere coepit. Quo viso castus adolescens, nulla interposita mora discessit. Altera puella nobilis impudico amore percita, Dei servum domi suae commorantem ad virgineum pudorem perdendum allicere studuit tum per liberiores blanditias, tum per nuptiarum sponsionem. Ab illa domo illico se subtraxit Beatus, et ad portum de San Lucar agrorum culturae se dedit. Etiam in agris pro labefactanda eius puritate paratae fuerunt insidiae. Etenim raptor cuiusdam virginis, quae a paterna domo se eripi annuerat, ad tugurium eius casu perveniens, illum exoravit, ut in sui custodiam reciperet, usquequo ille rediisset. Vir simplex nil mali cogitans, sub sua tutela illam admisit, propriumque stratum, prae foribus ipse decubans, eidem destinavit. Raptor reditum distulit, et puella fornicationis spiritu abrepta, specie balnea ingrediendi, coram eo se denudavit, cuius impudentiam cum Beatus acerrime exprobraret, eadem, ut se in uxorem duceret, pluries expetivit; at nunquam flecti eiusdem lenociniis vir castitatis amator passus est. Inde habita notitia de raptu, domui paternae illam restituit, petita et impetrata ob sui probitatis famam ab eiusdem fratribus venia. Eius castitas mirandum in modum effulsit in matrimonio, quo semel et iterum contraxit. Suas namque sponsas virgines, prout duxerat, relinquere pro suae conscientiae exoneratione declaravit in testamento, quod adhuc saecularis, gravissima urgente infirmitate, confecerat; idemque consodalibus suis contestatus est, glorians duas columbas lacte candidiores ad coelum praemisisse. Ex his profecto elucet, quanta eum fuisse puritate exornatum in instituto post sui professionem.

XIX. Fortitudinis virtute et refulsit Beatus, qua labores vitaeque pericula constanter aggrediuntur, et viriliter perferuntur. Hac virtute munitus, nullis unquam precibus moveri potuit in gravi etiam senectute, ac rigescente hyeme ut austeritates minueret, ac somnum sub tecto caperet. Hinc apud omnes opinio invaluerat, hominem humana carne vestitum, non absque Dei singulari praesidio, eas austeritates perferre valuisse ad mortem usque. Cum ipsis daemonibus colluctationes maxima cum fortitudine gessit. Statim enim ipse deliberavit de se minorum ordini mancipando, rebelles spiritus nihil de suis artibus omiserunt, ut cum a proposito removerent. Easdem artes summo conatu instaurarunt in suo tyrocinio. Omnibus tamen infernalium machinis superatis, fortis ad eam animi celsitudinem devenit, ut eorum exercitus velut *culices*, ut aiebat, contemneret; imo morti proximus, cum praesertim mali angeli omni triariorum robore congrediantur, ipse de promissa fortiter praeliantibus corona confisus, eos habuit tamquam in contemptu. Unde praesentibus dicebat: *nolite timere; daemon manet extra fores huius cellulae: huc ingredi non audet.*

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1600.	an. 8. et 9.	anno 24.	anno 393.

XX. Per singulos fortitudinis gradus processisse eumdem Beatum liquet ex eiusdem actis. In primis contemptibilem se intime cognoscebat, aliisque idipsum confitebatur, et persuadere studebat, ac aequo animo patientiaque summa sustinebat se ab aliis male tractari. Interim non solum cupiebat a suis sodalibus exprobrari, sed vestibus incompositis ac actibus fatuitatem pene redolentibus eosdem ad hoc commovebat. Pro eiusdem simulatae ineptitudinis confirmatione novimus, quod introductus apud Mexici pro-regem, cui sanctitatis fama innotuerat, eumdem quidem hilari vultu salutavit, sed veluti principis dignitatem minus agnoscens, nimium pusillum esse dixit, parentemque autem suum altiorem eo fuisse. Die altera cum obvium habuisset episcopum Tlaxcallensem, et ab eodem esset interrogatus, an aliquid ipsi opus esset, lagunculam quam ad latus deferebat, protulit, inquiens, ut vino impleret. Et cum episcopus iussisset eam dari uni ex ephebis suis, rustice institit, ut ipse suis manibus acciperet, quoniam cum illis agere nolebat. Illius voluntati cessit episcopus, agnoscens in contemptu rerum mundanarum perfectae suae humilitatis spiritum. Ex hac ineptae indolis specie invaluit apud sodales opinio, virum Dei sanae mentis non fuisse, ac ideo nullius pretii ab aliquibus habebatur.

XXI. Causa sui ludibrii etiam fuit summa simplicitas ac veracitas, qua alios metiens, tamquam unus ex parvulis, omnium dictis fidem praestabat. Suae simplicitati illudentes nonnulli ex innioribus religiosis, aliquando Dei servum uti defunctum in feretro aptabant, et supplicatione indicta cum maestu cantu deferebant ad propinquum hortum, et in parata fovea ad instar sepulcri efformata inhumabant. Ad haec cum obviam forte incidisset guardianus, iussit illum dimitti. Beatus autem vir simplex potius quam illos mendaces, se vivum sepulturae dandum credidit, Angelici doctoris exemplo, qui cum quidam sui ordinis frater dixisset, quod boves volabant, ad fenestram accessit, rem prorsus inusitatam inspecturus. Verum de nimia facilitate per socium irrisus, dixit ei s. Doctor: *frater credendum est potius boves volare, quam religiosum mentiri.* Qui vero religiosi de Beati virtutibus, Deo permittente, ad maiorem servi sui gloriam, non recto iudicaverant, visis signis ac prodigiis quibus post obitum inclaruit, incredulitatem poenitentiae lacrymis diluere. Guardianus vero coenobii qui ad novitiatum eum amandaverat, eumque non solum asperrimis verbis, sed et verberibus affixerat, videns eadem prodigia, toto corpore tremiscere incepit, ac timens iustam Dei iram futurumque iudicium, se ad poenitentiam agendam reclusit, brevique tempore ex hac vita discessit; imo in una ex suis concionibus palam veniam petiit de asperitatibus in Sebastianum immerito inflictis.

XXII. Mira itidem fuit eius abstinentia ac sobrietas. Quamvis enim extremis annis continuis laboribus fatigatus, nonnisi parce admodum cibum sumebat ac potum, utplurimum panis frusta et exiguo vini haustu se in diem reficiebat; caetera sibi a piis oblata recusans. Eius ieiunium, praeter illa ab instituto praescripta, perpetuum fuit. Silentii amantissimus, verba facere consuevit necessitate tantum compulsus, et omnia optimi exempli, et ad Dei amorem audientium animos excitantia. Quare gestus et verba, eo adstante ad honestatem componebant omnes

XXIII. Hinc cum tot tantisque virtutibus excultus esset Beatus, meruit a Deo specialibus suae gratiae donis cumulari. Ac primo quidem prophetiae spiritu; 2. scrutatione cordium; 3. miraculorum gloria; et in animantibus dominio, de quibus suo loco egimus. *Annal. min. ad an. 1599. n. 1. et seq.*

Digitized by Google

XXIV. Maximis etiam post sui obitum inclaruit miraculis. Missis quae eveneruut insepulto corpore, caetera potiora deinceps patrata notamus.

VARIAE MORBORUM CORPORISVE AFFECTIONES DEPULSAE.

Ex summario num. 46.

XXV. Anna Vives gravem morbum patiens, quae resecanda erat, in mammilla, sana efficitur reliquiarum tactu Beati viri — Eodem morbo libera evasit, admoto Beati capucio, quaedam Inda nomine Anna — Apollonia de Peralta aridas prorsus mammillas habens, nec lactis guttulam praebere valebat infanti; at pectori admotis reliquiis Beati, paulo post lactis copia ex illius uberibus promanavit — Isabella Sotomaior a plaga per quatuor menses in mammilla vexata, earum reliquiarum tactu confestim sana se habuit — Bartholomaeus de Espina sacerdos contracto in oculis morbo, unde visum amiserat, ut sibi admovit Beati digitum, lumen illico recuperavit, propulso penitus morbo — Eleonora Rodriquez ob morbum in cerebro stupida effecta, eius cingulo tacta, statim sanitatem acquisivit — Ad tactum rosarii, quod corpus viri Dei contigerat, repente sanatur Beatrix de Carvaial gravi stomachi morbo afflicta — Franciscа de Medina a tribus mensibus morbosam habebat aurem, a qua putrida materia effluebat, cui ut adhibuit modicum terrae sepulcri venerabilis servi Dei, statim putredo cessavit et morbus recessit — Quaedam puella Fabiana nomine a peticularum morbo illico sanatur, ipsius Beati cingulo tactu — Filiola Mariae Rodriquez gravi morbo stomachi afflictabatur; at exiguo haustu aquae terrae sepulcri Beati immixtae, sanitati restituitur — Franciscus Rodriquez a sex mensibus graviter item stomacho laborans, eadem terra repente sanatur.

FEBRES EXPELLUNTUR.

XXVI. Maria Rodriquez ob malignam febrem a medico derelicta, Beati apparitione sanitatem nanciscitur — Famulus eiusdem Mariae febri cum peticulis graviter praessus, adhibita terra sepulcri servi Dei subitam sanitatem adeptus est — Eadem terra, iisdem morbis afflicta, sana extitit Ioanna Rodriquez — Item implorata ope Beati, a febri et peticulis immunis fuit Ioannes Baptista Garzia — Anna puellula Inda febri maligna laborans, sanitatem recipit, se Beato commendans — Terra sepulcri eiusdem Beati sibi admota Christophorus de Vignellas sanus expertus est ex febri ac peticulis, in confinio vitae ferme constitutus — Didacus Thomas iisdem morbis aegrotans, servi Dei reliquiarum tactu incolumis evasit, copiosum sudorem emittens — Similia evenit Ludovicae a Maura Alba, febri et peticulis laborans — Sudariolo, quod admotum fuerat corpori Beati in feretro manenti tactu, a vehementi febre liber evasit Philippus de Arellano in magno vitae discrimine positus — Plures etiam sanationes consequutae sunt Beati caputio variis infirmis adhibito.

VULNERATI INTEGRANTUR, ATTRACTI RECTIFICANTUR.

XXVII. Ioannes Baptista Garzia vulnus adeo latum e pugione in gutture acceperat, ut halitus ex eo prosiliens, candelam accensam extingueret. Vix autem eius uxor admovit vestis frustum Beati, statim febris qua gravabatur cessavit, et brevi successit valetudo — Martinus Indus ex gravi vulnere in capite accepto, quod cerebrum conspiciebatur, Beati auxilio incolumis redditur — Maria Rodriquez brachium dextrum habebat attractum; at spe concepta in Beati intercessione, ad eius sepulcrum maximo sui incommodo accedens, eo tactu illum statim expeditum novit — Mirabili adparitione Beati, illico pedes rectos obtinuit Didacus Mendez puer annorum septem, cui erant horrende distorti, implorato a domesticis eius patrocinio.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1600.	an. 8. et 9.	anno 24.	anno 393.

APOSTEMATA CURANTUR.

XXVIII. Ursula vidua Simonis de Herrera per sex annos apostemate in utero afflicta, et iam morti proxima, sana efficitur, admota terra sepulcri Beati — Maria Prieta de Spinosa a decem annis similem morbum habebat in pectore, medicorum iudicio incurabilem; vix autem ipsa pulverem e terra sepulcri Beati apostemati posuit, repentino somno quievit, primoque mane incolumis evigilavit — Isabella de Sotomaior canceraticum tumorem gerens in ubere, ut infanti lac praebere nequiret, frustulum vestis Sebastiani super ubera apponens, sana penitus evasit — Andreana de s. Petro monialis monasterii sa. conceptionis Angelopolis in hepate durum tumorem habens, a medicis deplorata fuit; sed Beatum invocans, somno corripitur, et inter somnum interrogatur, ubinam dolorem patiatur; mox experrecta sanam se perfecte invenit.

MULIERES A PARTUS DIFFICULTATE EXIMUNTUR.

XXIX. Inda quaedam Maria nomine, in partu periculis pleno, iam loquela expers, morteque proxima erat: ad tactum vero reliquiarum Beati illico feliciter parit, et perfectam nanciscitur sanitatem — Agnes Bernal in partu periclitans per plures dies, invocato servi Dei auxilio, feliciter edit foetum quatriduo mortuum, et sana redditur.

HERNIOSI LIBERANTUR.

XXX. Franciscus filius Ioannis Minguez quadriennis puer, hernia ita vexatus, ut intestina prodirent; deductus a parentibus ad altare s. Didaci ecclesiae s. Francisci Angelopolis, ubi conspicitur imago Beati instar genibus flexis orantis, invocare coepit Beatum, ut ventrale ab eo auferret. Eo inde sublato sanus repertus est — Aetate sex mensium Alphonsus de Avila utraque via infeliciter herniosus, intestinis prodeuntibus, et stercore ex umbelico promanante, statim a matre Agnete tactus frustulo vestis Servi Dei, extemplo incolumis evasit — Duo filii Antonii Gomez dire eodem morbo vexati sanantur; alteri admota terra sepulcri, postremus invocata ope Beati — Plures alii simili infirmitate afflicti, mox sanati fuerunt, vel tactu eius vestis, vel reliquiarum, vel voto visitandi sepulcrum, vel novendiale instituendi.

AFFLICTI COMITIALI AC APOPLEXIA MORBIS REDDUNTUR INCOLUMES.

XXXI. A comitiali morbo statim sanatur terra sepulcri Beati Alphonsus de Nava — Francisca de Espindosa aetatis annorum LX. graviter eodem morbo oppressa, quo toto quatebatur corpore, tactu reliquiae Beati statim quievit, dictumque malorem, quoad vixit, nunquam experta fuit — Anna de Mercada uxor Ioannis de Arelano valida apoplexia correpta, ad tactum sudarioli eiusdem Beati statim et perfecte sanatur — Agnes Rodriquez eadem infirmitate afflicta, os in alterum latus habebat extortum; voto autem novenae in eius honorem a matre edito, nona die incolumis absque ullo pharmaco reddita est.

CAECIS VISUS, SURDIS AUDITUS, MUTIS LOQUELA RESTITUITUR.

XXXII. Maria maura ancilla Isabellae de Amerique a morbo in oculo, qui putrefieri videbatur, ad tactum cinguli laudati Beati liberatur — Reliquiis eisdem sanus evasit Petrus Gonzalez de Palacios, oculum habens ingenti catharro laesum — Maria de Figueros morbosam habens aurem, iisdem reliquiis illico liberatur — Eodem modo Augustinus Melendez, qui e dolore in aure surdus evaserat, auditum obtinuit — Ioseph filius Annae Pacheco Leonis, puer trium annorum a nativitate mutus, et aridam tibiam habens, novenae voto ab altero ex domesticis emisso, nona die libere loquutus est, et expedite ambulavit.

HYDROPISIM EXSICCAT.

XXXIII. Mariana de Auzueres gravi hydropisia laborans, a medicis deplorata fuit; sed terra sepulcri Beati adhibita cruribus turgidis, statim somnum coepit, et inde experrecta incolumem se omnino sensit.

ALIQUI AD VITAM REVOCANTUR ET MORS AB ALIIS PROPINQVA PELLITUR.

XXXIV. Reliquiarum Beati tactu iam mortuus ad vitam revocatur Nicolaus filius Sebastiani Arias, ex alta fenestra super saxorum congerie prolapsus. — Puer calce equi in temporibus percussus, et ad terram mortuus prostratus, implorato ob adstantibus Beati auxilio, surrexit repente sanus ac validus — Filiola Ioannis de Naxara tertium aetatis annum attingens, rigore hyemis madefacta, stuporem contraxit, ac e vita discessit. Mortuali linteo cum involveretur, alter ex praesentibus pro ea fundens Beato preces, illico ad vitam revocatur — Trabe percussus iam obierat Ioannes filius Iosephi Ortiz; revocatur autem ad vitam Beati reliquiis — Maria Enriquez ex infelici duorum infantium partu sanguinis fluxum patiens, loquela iam carebat, omniaque signa mortis edebat; sed admotis ipsius Benti reliquiis, recreataque suimet visione, statim incolumis evasit — Soror Catharina ab Ascensione monialis clarissa peticularum morbo in extremis laborans, et medici iussu extrema unctione munita, eripitur ab infirmitate, tum Beati cucullo, tum mira sui adparitione. Alia plura id generis evenisse ad reliquiarum suarum tactum novimus ex actis pro eius canonizatione confectis.

TEMPESTATES FUGANTUR, ET PLUVIAE IMPETRANTUR.

XXXV. Ioannes de Herrera segetem ab imminenti turbine devastari tumens, eius uxor scapularium Beati in agro apposuit. Aqua super agrum tantum decedit; segetes vero propinquae a grandine vastatae fuerunt. Idem insuper scapulare madefactum non fuit — Segetes Andreae Martin innocuae fuere a copioso grandinis imbre, efformato super eas crucis signo cum reliquia Beati — Item segetes Dominici Perez, ostenso cucullo Beati, praeservantur a grandine, caeteris agris vastatis — Idipsum pileo Beati, expertus est in agris suis Ioannis Guerrero — Lacuna exsiccata, animalia Francisci de Zepeda agricolae Angelopolitani quaeque sibi peribant; sed ab eo fusis Deo precibus in honorem Beati, ingens mox pluvia tantae necessitati subsidium tulit.

Thomas a Miranda. *Martinez pag.* 90.

XXXVI. Occubuerunt et alii viri Dei. Manilae raptus est Thomas a Miranda Lusitanus, antea inter observantes professus in provincia s. Evangelii. Eo in sodalitio adhuc tyro, caeteris etiam grandaevis praeibat virtutis exemplo. In insulas Philippinas adveniens, devios christifideles ad pie vivendum, ac infideles quamplures ad Christi fidem adduxit suis magis virtutibus, quam verbo. Apostematis morbo in capite dire afflictus, Iesu et Mariae nomina ingeminans, pie decessit. Primus omnium apud incolas de Nagcarlang morem induxit colendi serendique agros. Eodem anno ibidem obiit Didacus a Cruce sacerdos intemeratae vitae et insignis mortificationis; quotidie enim ieiuniis, cruentis flagellationibus, ac de nocte vigiliis coelestibusque meditationibus indulgebat.

Didacus a Cruce. *Idem pag.* 87.

Bartholomaeus Ruiz. *Idem pag.* 79 *num. ad ann.* 1575. n. 4. *ann.* 1578. n. 16. *ann.* 1584. n. 7. *ann.* 1593. n. 17. *ann.* 1594. n. 10. *ann.* 1596. *num* 3.

XXXVII. Annos numerans LXXX. coelestia ibidem petivit die XXII. Decembris Bartholomaeus Ruiz, natus anno MDXX. in oppido de Cabra dioecesis Cordubensis, de quo nos plura egimus in commentariis nostris. Mexicum adhuc puer a suis delatus, minorum instituto nomen dedit in coenobio s. Francisci eiusdem civitatis. Animarum salvandarum zelo succensus, anno MDLXXVI. una cum aliis sodalibus ad insulas Philippinas transmigravit, ac Manilae degens,

Digitized by Google

cunctis assequendis virtutibus totum se dedit. Anno MDLXXXIII. primum ad Sinas, inde ad Cocincinae regnum adveniens, innumeros tulit labores, ut Christi fidem eas in regiones disseminaret. In Cocincinae regno, ubi miraculis inclaruit, cum degeret, Lusitanorum ac Hispanorum factione exagitatus, Maniliam repetere coactus fuit, a qua tamen anno MDXCIV. recessit, ac in Iaponiam una cum b. Petro Baptista protomartyre aliisque sociis, licet annis gravatus, advenit. Illum idem Beatus Nangasachum amandavit, ubi instructa pro fratribus aede, inter asperitates ac vigilias christifidelium ibidem degentium a persecutionis aestu, piis adhortationibus ad quaeque pro Christo sustinenda animum erigebat. Anno MDXCVI. cum singuli qui aderant tum Meaci tum Osacae consodales vinculis constricti et Nangasachum adducti, ac in crucem acti, gloriosi martyrii palmam accepissent, ipse Nangasachi imperatoris Taycozamae iussu exulatum abiens, Maniliam iterum rediit, spe martyrii frustratus. Conventui de Meycavayan, licet reluctans, praefectus fuit; at non multo post munus sibi datum resignans, incolatum tenuit aliquanto in conventu de Pila. Tandem Maniliam obedientiae merito tertio se conferens, praeclaris meritis ac laboribus dives in osculo Domini obdormivit.

XXXVIII. In coenobio s. Francisci Meridae in provincia Iucatanica dies complevit suos Alphonsus de Solana, oppido dioecesis Toletanae in Hispania. Adolescens cum iuri canonico Salamanticae incumberet, audito franciscano concionatore qui de periculo animae perdendae in saeculo dicebat, parentibus valedicens, minorum observantium habitum suscepit in conventu s. Ioannis de Regibus Toleti in provincia Castellae, ac inde professione emissa, ad recessum eorumdem fratrum Salcedae convolavit. Semel et iterum rogatus a Didaco de Landa franciscano omnium primo episcopo ecclesiae de Iucatan, ut ad eas regiones evangelii praedicandi causa se conferret, licet ex humilitate reluctaret, eo tandem cum fratre Laurentio de Benvenida anno MDLX. advenit. Incolarum salutem tam sanctis operibus ac concionibus, quam scriptis quadraginta annis procuravit, abstinentia, benignitate multisque aliis virtutibus interim exornatus. Plura docte scripsit ac vulgavit, nimirum *dictionarium linguae mayae, et hispanicae, sermones in lingua maya, notitias sacras et profanas, de antiquitate, et conversione Indorum de Iucatan.* In scribenda illius provinciae historia ecclesiastica eo usus est Bernardinus de Lezana eiusdem instituti, quam vulgavit Pinciae anno MDCXXXIII. Ibidem hoc anno die XXVI. Iunii magna sanctitatis suae fama raptus est Ioannes de Padilla Toleti natus, ac inter observantes cooptatus in conventu de Castanerio provinciae Castellae. Antequam in Iucatanicam provinciam advenisset, munus concionatoris summa cum laude functus fuerat. Licet Indorum idioma parum instructus, multa tamen pro eorumdem conversione egit. Anno MDLXXVI., ac iterum anno MDLXXXI. remeavit in Hispaniam, ut suos consodales ad illam Christi Domini vineam excolendam excitaret, cuius ope primo decem et octo, deinde duodecim spectatissimi viri eo advenere. Omnium primus extitit praeses conventus Conceptionis de Habana in insula Florida, ac conventus s. Francisci Meridae, ac tertio definitor provinciae de Iucatan, in quibus explendis muniis inculpate prorsus se gessit. Ut orationi iugiter vacaret, breve somnum humi de nocte carpebat. Nullum verbum otiosum a religiosis proferri patiebatur.

Alphonsus de Solana. *Lopez pag.* 510.

Bernardus in bibliot. hisp. americ.

Ioannes de Padilla. *Lopez pag.* 428.

XXXIX. Die XXI. Martii senectute confectus, ulceribus doloribusque gravissimis afflictatus, laetus obiit in coenobio Matris Dei Goae Antonius a Regibus sacerdos. Vitam duxit asperitatibus plenam, et ut cordis corporisque mundi-

Antonius a Regibus. *Agiologium Lusitan. ad diem* 21. *Martii.*

Digitized by Google

tiam quam toto vitae suae cursu intemeratam servavit, custodiret, assiduis ieiuniis ac precibus communiebat. Tradunt iter agenti, et intempesta nocte in maris ora fortuito incidenti, extemplo angelum sub specie pulcherrimi pueri apparuisse, ac cibaria ministrasse.

Franciscus de Esponesente. *Ibidem ad diem 1. Februarii.*

XL. Vivere desiit die 1. Februarii in coenobio Dominae nostrae de Bosque prope Villam de Borda provinciae Pietatis Franciscus de Esponesente, vir eximiae virtutis, et assiduae contemplationis, in quibus saepe elevabatur. Horam sui obitus fratribus praedixerat. Ulysipone in conventu Dominae nostrae de Iesu pie obiit die XIII. Februarii Dionysius de Fontearenda laicus, tertii ordinis claustralium, qui ut Deo se intimius coniungeret eumque familiariter alloqueretur, solitariis in locis utplurimum latebat. Licet nullis instructus litteris, mira et elegantia colloquia latina tamen eructavit erga ss. eucharistiae sacramentum, dum morti proximus divinum Christi corpus recepit. Die XX. eiusdem mensis raptus est in conventu s. Ioannis Scalbais Emmanuel de Britiande sacerdos, qui etsi graviter aegrotaret, pedibus tamen ecclesiam petivit sacra synaxi refecturus. Quo peracto, cubiculum repetens, elatis in coelum oculis repente occubuit. Eadem die in valetudinario coenobii Ulysiponensis decessit Bernardinus Eborensis clericus angelica puritate exornatus, qui non semel a perditis mulieribus in discrimen amittendae pudicitiae adductus, earumdem insidias delusit, Iesu Christi nomine cum lacrymarum imbre invocato. Quae cum abirent rubore suffusae, eidem dicebant: *Bernardine non hominis, sed angeli in carne mores geris.*

Dionysius de Fontearenda. *Idem ad diem 13. Februarii.*

Emmanuel de Britiande. *Ibid. ad diem 20. Februarii.*

Bernardinus Eborensis. *Ibidem.*

XLI. In Bracharensi s. Francisci coenobio provinciae Pietatis quievit die VII. Martii Thomas a Scalbais laicus, matura in aetate inter discalceatos fratres cooptatus; attamen ut gigas ad currendam perfectionis viam ita brevi processit, ut cunctis religiosis virtutibus exornaretur. Post annos quatuordecim eius cerebrum integrum ac recens repertum fuit. Apud Turres-Novas in conventu eorumdem fratrum die XXIX. eiusdem mensis occubuit Damianus a Vulneribus, Funchalii natus. Post devictas carnis et sanguinis contradictiones, habitum fratrum de observantia ibidem sumpsit. At iterum subortis quibusdam molestiis ab eis discedens, Ulysiponem advenit, et in coenobio s. Iosephi discalceatorum professionem emisit. Factus sacerdos, ibidem quadraginta annos in sanctis operibus transegit. Miris membra poenalitatibus excruciabatur. Singulis diebus solo pane et aqua, vel crudis herbis reficiebatur. Catena ferrea ad nudam carnem assidue revinctus erat, et qualibet nocte diris flagellis se cruciabatur. Nusquam lecto quiescebat, sed brevi sopori se dabat vel sedens, vel parieti inclinatus. Antonius de Conimbria sacerdos obiit in conventu s. Blasii de Monte in provincia Portugalliae, frater *structus* vulgo adpellatus, qui in sylva coenobii agones Iesu Christi in cruce passi totus in lacrymas effusus, per plures horas quotidie meditabatur. Vix expleto missae sacrificio, ad eiusdem conventus sylvam accedens, manibus extensis instar orantis positus expiravit.

Thomas a Scalbais. *Ibid. ad diem 7. Martii.*

Damianus a Vulneribus. *Ibid. ad diem 29. Martii.*

Antonius a Conimbria *De Esperanza tom. 2. pag. 451.*

XLII. Felici morte aliquot franciscani de observantia fratres Peruanum regnum illustrarunt. In conventu s. Francisci de Iesu Limae obiit Marcus Iofre, illius provinciae administer. Praestans fuit in sui ipsius contemptu, in eximia charitate erga proximum, in monastica disciplina tuenda, ac potissimum in altissima paupertate prosequenda. Huic adiunctus est Franciscus de Cabiera, aliquoties Limani coenobii praeses et provinciae definitor, qui cordis sinceritate, animique affabilitate praeditus, cunctos ad Dei amorem alliciebat. Item Franciscus de Alcozer hoc eodem anno obiit, miraculis ac praeclaris virtutum meri-

Marcus Iofre. *Corduba in vita s. Francisci Solani p. 336.*

Franciscus de Cabiera. *Idem ibidem.*

Franciscus de Alcozer. *Idem ibidem.*

Digitized by Google

fis a Deo cumulatus. Postremus fuit Ioannes de Vega, Cilensis et Limanae provinciae vigilantissimus praeses, divino amore, humilitate, patientia, caeterisque virtutibus ditatus. Morti proximus, illa s. Simeonis verba laetus decantabat: *nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Ioannes de Vega. *Idem pag. 353*

XLIII. Mortalitatis exuvias deposuit die xxii. Maii in coenobio b. Mariae de Scala Coeli, vulgo Obroio, in provincia Immaculatae Conceptionis Ioannes ex regio genere Henriquez, de quo Bollandistae inter praetermissos solum nomen recensent. Extitit vir multae orationis et austeritatum, consilii dono etiam praeditus fuit. Licet diu variis infirmitatibus vexatus, eas tamen patientia summa sustinuit. Nunquam prae sui humilitate adduci potuit, ut episcopatum Calaguritanum ultro sibi oblatum susciperet. Triduo ante eius mortem meruit coelitus audire, omnia et singula eius peccata sibi a Deo fuisse remissa. Ad eius tumulum edita fuisse miracula tradunt. Viginti post annos aperto tumulo, eius corpus, tunica aliaque indumenta integra reperta, fuerunt seposita sub ara sacelli ss. Conceptionis laudati coenobii. Item obiit in conventu s. Catharinae de Monte prope Murciam provinciae Carthaginensis Petrus Medrano laicus, eiusdem coenobii incola per annos prope quadraginta. Vir erat asperrimae vitae. Aestivo tempore post horam meridianam ad viretum in loco ab hominum conspectu valde semotum accedens, habitu exutus, solisque femoralibus relictis, in modum crucis se prosternebat, Christum ipsum facie sua cadentem et in horto orantem aemulatus; eo modo infracto prorsus animo permanebat per quatuor horas, donec a solaribus radiis ferme ureretur, ac ab aculeatis animalculis dire afflictaretur. Apud valetudinarium eiusdem coenobii item obiit Franciscus de Bollega laicus, ferreis ponderosisque catenis per totum corpus constrictus, quibus addebat cruentas flagellationes quotidie. Nudis semper pedibus incessit. Dum missae sacrificio adstabat, mire elevabatur, lacrymarum imbre prae nimio charitatis ardore interim perfusus. Sancto fine quievit die xii. Decembris in conventu s. Ioannis Regum Foleti in provincia Castellae Ioseph de Roccha sacerdos, qui spreto suae familiae splendore, nobilior virtute evasit inter minoritas de observantia, quibus adolescens adhaesit. In multis poenitentiae exercitiis praeclarus extitit, eiusdemque paupertas commendabatur tum in habitu, tum in victu, tum in caeteris ad suipsius usum rebus. Ioannes Henriques. *Dora part. 4. lib. 4 cap. 51. Acta ss. ad diem 22. Maii.* Petrus Medrano. *Antonius Navarro in chronol. provin.* Franciscus de Bollega. *Idem ibidem.* Ioseph de Roccha. *Salazar lib. 3. c. 12.*

XLIV. Abulae in conventu s. Antonii abiit ad Dominum die xxvii. Augusti Alphonsus a Palentia sacerdos. Cingulum ferreum ad nudam carnem adhibebat, sola tunica eaque pauperrima superindutus. Femoralia autem sic rudia et aspera gerebat, ut ferri naturae aequari et cilicii asperitatem superare videretur. Iis adiiciebat crebras flagellationes ac ieiunia ferme continua, s. Francisci parentis sui sequutus in septem quadragesimis servandis vestigia. Invigilabat super cordis, oris, aliorumque sensuum custodia. Si ad loquendum quandoque cogeretur, in haec verba erumpebat: *moriendum nobis est. Sursum corda. Sancti simus.* Licet sibi propinquos haberet, nusquam tamen trigintaduorum annorum spatio quibus in instituto vixit, ad eos accessit. Alphonsus a Palentia. *Joannes a s. Maria lib. 4. cap. 34.*

XLV. Apud conventum discalceatorum Villae Castinae in Castella raptus est die xxxi. Octobris Bartholomaeus Anduxarus sacerdos, conscientiae nitore animique mansuetudine eximius ita, ut sive subditus sive coenobiorum praefectus mitis in omnes esset, cunctosque aequanimiter charitatis affectu prosequeretur, maxime vero erga aegrotos, quos omni ope iuvabat. Flagrabat ferventissimo amore erga ss. eucharistiae sacramentum, et summa devotione colebat beatam Virginem immaculatae conceptionis titulo. Bartholomaeus Anduxarus *Idem ibidem.*

Digitized by Google

Petrus Caesaraugustanus. *Idem ibidem c. 30.*

XLVI. Die x. Decembris Boragiae obiit Petrus Caesaraugustanus sacerdos, mansuetudine, affabilitate, ac puritate eximius. Tradunt virginitatem perpetuo servasse, lethalique culpa nunquam inquinatum fuisse. Magistri novitiorum curam gerens, eos exemplo sui ad virtutis amorem inducebat; nam eadem mortificationis exercitia cum illis agebat. E vivis excessit in conventu Legionensi die xx. eiusdem mensis Franciscus a Sanctis Segobiensis, antea cooptatus inter fratres ordinis ss. Trinitatis. Secundo fuit suae provinciae definitor, ac quorumdam coenobiorum guardianus. Viam arripuit poenalitatibus plenam; nam asperrimum cilicium gestabat, super tabulam somno indulgebat et summae paupertatis incommoda laetus sustinebat. Concionatoris munus obivit cum ingenti laude in Hispania; etiam Neapoli ad quam urbem accesserat post capitulum generale Romae celebratum, e suggesto edixit magno civium solatio, et animarum fructu.

Franciscus a Sanctis. *Idem ibidem c. 34.*

Didacus Minor. *Idem ibidem c. 30.*

XLVII. In coenobio Dominae nostrae de Rosario obiit die xxvi. Decembris Didacus Minor sacerdos, qui asperrimis flagellationibus et cilicio usque ad genua oblongo carnem spiritui subiiciebat; catena etiam quandoque membra praecingebat. Apud coenobium ss. nominis Iesu de Cebreros die xxx. praefati mensis diem supremum egit Paulus a Iesu, antea inter clericos regulares, theologia, graecis, et hebraicis litteris instructus. Factus discalceatus frater, omnimodis virtutibus incubuit; paupertatem valde adamavit, prudentia, puritate, vigilantia ac altissimarum rerum interim cognitione exornatus. Ante ss. eucharistiae sacramentum orans, frequentius in suspiria, gemitus et lacrymas prae nimia charitate erumpebat.

Paulus a Iesu. *Idem ibidem c. 35.*

Petrus de Carrion. *Idem ibidem c. 21.*

XLVIII. Provinciam fratrum discalceatorum s. Pauli apostoli sanctitate vitae aliqui nobilitarunt. In conventu s. Iosephi Salmanticae obiit Petrus de Carrion sacerdos, qui ut virginalem pudicitiam quam angelico vultu ostendebat, coleret, eam sepivit humilitate, paupertate, abstinentia ac cilicio. Angelum sui custodem impense venerabatur, ac familiaritate eius aliquando iucundatus. Die xxiv. Decembris decessit in oppido de Tordesillas Alphonsus ibidem natus, sepulturam nactus apud sorores clarissas, cum nondum ibidem extaret eorumdem fratrum coenobium. Ex maiorum enim suorum voluntate missus fuerat in conventum de Alaeios, ut sanitatem recuperaret. Tordesillas igitur accitus, iustorum mortem ibidem oppetiit domi germanae suae. Vix animam efflavit, ex eius corpore suavissimus liquor manare coepit qui cum totam domum gratissimo odore repleret, circumstantes linteola in eo madefaciebant. Emicuit in contemptu sui, ac in ferventi oratione; saepe clausus morabatur in cella meditationi vel lectioni intentus. Tanta de oratione et rebus spiritualibus erat sui dicendi copia, ut audientes stuperent.

Alphonsus de Tordesillas. *Idem ibidem c. 20.*

XLIX. Scribit Fortunatus Hueber ex monumentis provinciae Hungariae hoc anno die xxiv. Septembris infideles Walachiae mortem in itinere dedisse ex odio catholicae fidei Francisco de Georgio, eumque pluribus suppliciis affecisse. Die vii. Iunii decessit in coenobio observantium Monachii provinciae Bavariae Christophorus, alias Ioannes Christophorus Munch, vel Mioich, antea canonicus ecclesiae Frisingensis, quem cessit Vito Adamo cognato suo, ut eidem ordini nomen daret in provincia Argentinensi. In peristylio coenobii Monacensis inhaeret parieti lapis sepulcralis prope altare sequens monumentum. *R. D. Christophorus Munch post resignationem canonicatus Frisingensis, et praeposituraе ad s. Ioannem factus franciscanus, MDC. VII. Iunii pie obiit. Vixit in nostra religione et prov. V. annis.*

Franciscus de Georgio. *Hueber ad diem 24. Sept.*

Christophorus Munch. *Gratianer tom. 2. pag. 427.*

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1600.	an. 8. et 9.	anno 24.	anno 393.

L. In conventu s. Antonii Patavini castri Rocchae de Antiquo Sabinensis dioecesis in provincia Romana vitam commutavit cum morte die **xxiv.** Iulii Iacobus de Grosseto Hetruscus, huius reformatae custodiae filius. Dum erat istius coenobii praeses, non semel maximo spiritus fervore concionabatur apud incolas, ligneam crucem baiulans, ac diris flagellis se caedens. Nudus aliquando in vepreta, manante ex corpore sanguine, se iniiciebat. A praedonibus in coenobio aggressus; fusis ad Deum precibus, cibaria quibus carebat, pro eis saturandis abunde a Deo extemplo obtinuit. Rem ratam habuerunt testes coevi dd. Constantinus Paoletti et Ioseph Selvi loci incolae. Per id temporis in eadem reformatorum custodia die **xxiii.** Novembris decessit Archangelus a Savona sacerdos ferventissimae devotionis, pluribus annis a carnis petulantia exagitatus; attamen de ea semper triumphum retulit. In conventu s. Mariae de Iesu Biabonae in Sicilia obiit Hieronymus de Castro Novo sacerdos eiusdem instituti, eximiis virtutibus coelestibusque donis exornatus.

Iacobus de Grossolo. *Monum. prov. Romen.*

Archangelus a Savona. *Ibidem.*

Hieronymus de Castro Novo. *Tognoletto p. 413.*

II. In provincia Marchiae aliquot pii viri occubuerunt. In conventu s. Angeli in Vado obiit Franciscus a Portella laicus, religiosus simplex et suae professionis observantissimus; ibidem coelestia petivit Matthaeus a Costellavia sacerdos, prae suae vitae sanctitate valde commendatus; in conventu s. Elpidii die xx. Novembris e vivis ereptus fuit Thomas a Monteluponum, cui ob inculpatam vitam quam duxerat, in mortis articulo adparuit beata Virgo confortans eum in agone; in conventu s. Ioannis Baptistae Pisauri obiit Franciscus a Montecicardo laicus strictioris observantiae, in oratione assiduus. Saepe ieiunabat in pane et aqua, et potissime pervigiliis Deiparae, aliarumque ecclesiae, et sui ordinis solemnitatum, necnon in diebus veneris Martii; ex eodem instituto abiit ad Dominum in eadem provincia Hilarius a Civitate Nova laicus, eximia charitate exornatus.

Franciscus a Portella. *Monum. prov.*

Matthaeus a Costellavia. *Ibidem.*

Thomas a Monteluponum. *Ibidem.*

Franciscus a Montecicardo. *Ibidem.*

Hilarius a Civitate Nova. *Ibidem.*

III. Diximus Iacobum de Gandino, in Veneta regione natum, qui ab observantibus ad fratres reformatos transierat, anno **mdxcvi.** a summo pontifice designatum fuisse commissarium visitatorem apostolicum in provincias Brixiae et Venetiarum, litteris ad eum datis: *Cupientes* die xv. Novembris. Quae ei Bergomi evenerit, notamus verbis p. Dominici de Gubernatis. *Cum enim*, inquit, *post translatos a Brescianis ad Bergomenses conventus reformatos, ubi facilius foret lanas emendicare, pro abdicandis ab ordine sanctimonialibus, decretum* (ipse) *expectaret, ad Mediolanensem custodiam regressus, Tervilii in conventu b. Virginis annuntiatae, Martham de Lecco ex tertio s. Francisci ordine devotissimam feminam audire debuit, quando profusis lacrymis rogavit, ne iterum rediret Bergomum, alioquin a perfidis durissime occidendus. Iacobus autem respondit intrepide, mortem sese gloriose subiturum, si pro Dei servitio, et impavida sui officii executione mori contingeret. Ubi tandem Bergomum pervenit, et monasterium monialium ab ordinis gubernio reiecit, quidam Comes ad eum alloquendum veniens, servum adduxit, qui porta eius diligenter observata, nocte sequenti una cum quatuor aliis sicariis de illius comitis mandato, per muros conventus ingressus, zelantissimum visitatorem, quasi novum Isboseth in lectulo iacentem, inaudita crudelitate interfecit. Cum autem ignorarentur homicidae, fr. Bernardinus Obicinus illius custodiae praefectus et quidam alii eiusdem coenobii fratres, de Senatus Veneti mandato in teterrimum carcerem inclusi, dirissimisque tormentis per annum examinati, et innocentes reperti, in exilium tamen fuerunt relegati, donec*

Annal. min. ad an. 1596. num. 18.

De Gubernatis tom. 2. pag. 386.

Digitized by Google

a Deo iustitiam et innocentiam protegente, unus ex illis sicariis ob alia facinora deprehensus, et in tormentis super illa examinatus, vero dolore adactus, nefandum et crudele sacrilegium, de quo non interrogabatur, cum integra rei serie, et impii comitis mandato, ad plenum confessus se idcirco a Deo iuste fuisse punitum conclamavit. Ex huius occasione complices intercepti, post sceleris confessionem interfecti sunt; comes autem interim in Mediolanense dominium diffugiens, dum noctu ad quamdam indignitatem contenderet, crudelissime et ipse interfectus occubuit. Haec ad annalium nostrorum integritatem unice posuimus.

Lucas Calaber. *De Aremberg tom. 2. pag. 708.*

LIII. Capucini fratres diversis in provinciis et pie occubuere. Barcinone vitae cursum cum sanctimoniae laude confecit Lucas Calaber laicus, ita in Deum charitate affectus, ut saepe in mentis alienationes raperetur. Austeritate vitae et abstinentia ciborum floruit. In Syracusana provincia visione recreatus b. Mariae virginis, erga quam pietate ac devotione summa ferebatur, animam efflavit Placidus a Tyraceno clericus, vitae innocentia ac morum honestate praestans; in eadem provincia anno probationis nondum exacto animam Deo reddidit Petrus Petaviensis Siculus, qui in eius morte sibi occurentem Virginem hisce verbis excepit: *o dulce bonum meum, o unica spes mea, o virgo beatissima, ter millieque benedicta, iam me in sinum tuum suscipe;* Panormi vitae cursum absolvit Bonaventura Hispanus laicus tanto virtutum decore praeditus, ut solo eius aspectu omnium animos ad pietatem incenderet. In suae puritatis testimonium aves nonnunquam inter illius manus avolare ac secum familiariter versari visae fuerunt. Prophetiae, curationum, ac miraculorum donis excultum fuisse tradunt. Multa apud suos laude clarus obiit Eusebius a Venafro laicus ex provincia s. Angeli; morti proximus, ipsius cella miro splendore illuxit. Frentani Salentinorum corporis exuvias deposuit Franciscus a Messapia, postquam triginta quinque annis summa cum laude functus esset munus novitiorum magistri, quos fovebat verbo, ac exemplo suae paupertatis, austeritatis et assiduae orationis. Crucis signo non paucos infirmos incolumes reddidit.

Placidus a Tyraceno. *Idem ibid. pag. 24.*

Petrus Petaviensis. *Idem ibid. pag. 38.*

Bonaventura Hispanus. *Idem ibid. pag. 708.*

Eusebius a Venafro *Idem ibid. p. 40.*

Franciscus a Messapia *Idem ibid. p. 361.*

LIV. In provincia Hydruntina e carnis ergastulo solutus est Petrus Alensis sacerdos, insigni quadam probatione a Deo examinatus; nam diuturno elephantiae morbo affectus, tota eius facies depasta fuerat; lingua tantum illi integra relicta, qua laudes Deo assidue persolveret. Ingens populorum accursus ad eius funus confluxit, ac plerique aegroti sanitatem, admotis eius reliquiis, recuperarunt; in eadem provincia obiit Ioannes Alexaniensis sacerdos, ita austerus, ut carnes nunquam degustaverit, quindecim annis a vino abstinuerit, binos ternosque hebdomadae dies absque cibo transegerit, et ab angelo in egestate positus panem acceperit; in conventu s. Mennae provinciae Lucaniae raptus est Ludovicus a Lacu-nigro laicus, maximis decoratus virtutibus. *Dum fratres iuxta illi mense Ianuario funebria persolvere parant, rosae rubicundae flos, qualis in vere expansis foliis spectari solet, suavissimum odorem afflans, inter illius manus divino miraculo conspicitur.* Ita de Aremberg.

Petrus Alensis. *Idem ibid. p. 470.*

Ioannes Alexaniensis. *Idem ibid. p. cod.*

Ludovicus a Lacu-nigro. *Idem ibid. p 711.*

LV. Aliquot virgines apud Lusitanos sanctis operibus cumulatae e vita migrarunt. In monasterio s. Marthae Ulysipone die IX. Februarii obiit Maria a Spiritu sancto, quae ab anno duodecimo aetatis suae illuc ingressa usque ad senectam vitam duxit in assidua sui corporis maceratione, a qua ferme consumpta fuit. Asperrimo interim cilicio instar habitus induta erat. Spiritu prophetico claruit. Morti proxima, eius cubiculum vivida luce circumfusum apparuit. Die

Maria a Spiritu sancto. *Agiologium Lusitan. ad diem 9. Februarii.*

Digitized by Google

xi. eiusdem mensis Hilaria de Silva in monasterio s. Iraenis in Villa de Thomar, dum a sororibus in eius cubiculo diceretur *Salve Regina* etc. spiritum emisit ad illa verba *post hoc exilium ostende*. Abbatissae munus ibidem inculpate gessit sex annorum spatio; nam caeteris sororibus orationis, mortificationis et regularis observantiae exemplo anteibat. In divinis recolendis saepe elevabatur. In monasterio s. Gondisalvi de Angra in insula Terzeira rapta est die xi. Iulii Birgitta de Vizitçao aetatis suae anno xxx. innocentia vitae decorata, ieiuniis dedita et in supernis meditandis versata. Cruentibus flagellationibus membra castigabat, praecipue vero die parasceves, in qua quinque millies dire se caedebat. Die xvi. eiusdem mensis obiit in monasterio s. Vincentii de Beira Maria a Spiritu sancto, pientissima virgo, cunctis vitae austeritatibus prosequendis solicita. Mortificationis causa quadam die ebibit foetidam materiam, quae ex apostemate fluebat Agnetis a s. Nicolao sororis suae, cui ea in infirmitate famulabatur. Post tres menses a sui professione decessit in monasterio s. Clarae Scalbais Antonia de Resurrectione, filia comitum de Tarouca Duartis de Menezes, et Leonorae de Silva. Ante eius mortem audire meruit angelorum concentum psalmi: *Laudate Dominum omnes gentes* etc. Post haec cum gratias Deo egisset, illico expiravit.

Hilaria de Silva. *Ibidem ad diem 11. Februarii.*

Birgitta de Vizitçao. *Ibidem ad diem 11. Iulii.*

Maria a Spirito s. *Ibid. ad diem 16. Iulii.*

Antonia de Resurrectione. *De Esperança tom. 1. pag. 548.*

LVI. In provincia Angelorum die xxviii. Iulii sancto fine in monasterio Belvisii quievit Francisca de Belen, altera ex fundatricibus huius aedis, ad quam advenerat ut vicaria. Caeteris sororibus speculum poenitentiae effecta, nusquam lecto decumbebat, cilicium iugiter ferebat, regulae ieiunia in pane et aqua servabat. In eodem monasterio die xxviii. Augusti pie obiit Isabella a s. Francisco, humilitate praestans ac abstinentia. Tanto patiendi desiderio tenebatur, ut loco tunicae, sago e foliis palmarum contexto uteretur, cuius austeritate velut scalpro sauciata, carnem ad coriem inducebat. Obsonium cinere aspergebat. In oratione multis recreabatur coelestibus revelationibus ac apparitionibus. Monasterium de Spe Antiquae Mellariae excepit corpus Ioannae a s. Stephano, defunctae die xv. Iunii, singulari humilitate exornatae. Dies noctesque in oratione insumebat, cuius auxilio quamplures daemonum visibiles illusiones exhibuit. Eius transitum festivis vocibus celebrarunt ss. angeli hymno: *Pange lingua gloriosi* etc. Die xxii. Novembris rapta est in monasterio Conceptionis eiusdem loci Francisca a Cruce abbatissa, tam addicta in Iesu Christi doloribus meditandis, ut saepe exanimis redderetur.

Francisca de Belen. *Daça lib. 4. c. 30.*

Isabella a s. Francisco. *Idem ibidem.*

Ioanna a s. Stephano. *Idem ibidem.*

Francisca a Cruce. *Idem ibidem.*

LVII. In eadem Angelorum provincia et aliae virgines obiere. In monasterio Conceptionis de Himoiosa octoginta annos numerans abiit ad Dominum Maria de Trinitate, ieiuniis assiduis pene consumpta. Nudis pedibus, etiam hyemis tempore incedebat, et saepe ex illis sanguis effluebat. In coelestibus excogitandis crebro rapiebatur. Ante sui obitus visione et colloquio beatae Virginis dignata fuit. Ibidem coelestia petiere Francisca a s. Maria, Maria de la Columna, et Maria a Iesu, virgines eximiae patientiae, humilitatis et vitae perfectionis. Clara a s. Francisco obiit in monasterio s. Ioannis de Poenitentiae Belvisii, nobilibus parentibus nata in Villa de Manqueda. Antequam inter sorores cooptaretur, largas eleemosynas pauperibus erogabat, et quamplures puellas suis impensis religiosum habitum suscepturas dotabat. Inclaruit etiam multis virtutibus. Amore ardentissimo flagrabat erga ss. eucharistiae sacramentum, de quo coram sororibus multa docte et erudite proferebat. Non semel vidisse ex eo prodire vivissimam lucem testata est. Eodem in monasterio die xii. Iunii ad astra migravit Ioanna a Baptismo. In oratione saepe elevabatur,

Maria de Trinitate. *De Guadalupe p. 578.*

Francisca a s Maria, Maria de la Columna, et Maria a Iesu. *Idem ibidem.*

Clara a s. Francisco. *Idem pag. 597.*

Ioanna a Baptismo. *Idem ibidem.*

Digitized by Google

omni sensu destituta. Miras ecstases passa fuit die XIII. Octobris cuiusdam anni; nam spatio dierum decem non valuit suis sensibus uti. Ob sanguinis copiam, quae promanabat ex corpore asperis flagellis percusso, penitus exanimis reperiebatur. Diem sui obitus praedixit. Anna ab Assumptione ad Dominum properavit in laudato monasterio die XII. Septembris; oratione, charitate, et intima humilitate exornata. Post matutinas preces e choro nusquam discedebat. In memoriam Iesu Christi passionis, quibuslibet sextis feriis pane et aqua reficiebatur: Parasceves die non semel reperta fuit supra ligneam crucem extensa, lacrymarumque imbre perfusa; unde ipsius passionis gladio transverberata, videbatur mox animam agere.

Anna ab Assumptione. *Idem pag.* 596.

LVIII. In provincia Granatensi octogenaria obiit die XXIX. Octobris in monasterio Placentino Anna Maria ibidem nata. A tenella aetate moderatorem conscientiae suae habuit s. Petrum de Alcantara, cuius hauserat spiritum tum in prosequendis precibus, tum in asperrimis ciliciis tum etiam in cruentis flagellationibus. Coelestibus visionibus ac adparitionibus dignata fuit. Meritorum ac virtutum laude florens, ab eomet sponso suo Christo ad beatorum patriam invitata, inter angelorum virginumque agmen, ac eumdem s. Petrum coelos laetanter ascendit. Constantia de Ribera pie occubuit in monasterio s. Agnetis Cordubae. Ab infantia Deum exoraverat, ut sibi ostenderet qua via ei esset famulatura. Ferunt Christum eamdem alloquutum ex quadam imagine ss. crucifixi, eidemque dixisse: *accipe religionis crucem, et sequere me.* In earumdem virginum collegium ingressa, miris fulsit austeritatibus toto vitae suae cursu, Christi crucem gerens in assiduis infirmitatibus perferendis, ac in ieiuniis prosequendis. In monasterio s. Elisabeth de Angelis Bazae die XXV. Decembris obiit Gabriela Mayno, prae suis virtutibus a daemonibus saepe lacessita, quos devincebat vel signo crucis, vel aqua lustrali, vel ss. eucharistiae sacramenti invocatione. Cordubae in monasterio s. Elisabeth de Angelis die XXVII. eiusdem mensis coelos penetravit Marina de Christo ss. eucharistiae sacramento devotissima, in cuius adoratione intensa charitate flagrabat. De ea solum nomen habent Bollandistae.

Anna Maria a Placentia *Marchese in vita s. Petri lib. 4. cap. 28.*

Constantia de Ribera. *De Torres p.* 534.

Gabriela Mayno. *Idem ibid.*

Marina de Christo. *Idem pag.* 566. *Annal. min. ad an.* 1483. *num.* 59.

LIX. In monasterio s. Clarae Castrilendii provinciae Burgensis obiit Andrea de Burgos, virgo eximiae abstinentiae, ac charitatis erga Deum. Silentio etiam commendabatur. Annos post septuaginta reserato tumulo, eius lingua inventa fuit recens ac rubicunda, viventi similis. Circa id temporis ibidem etiam decessit Hieronyma Lopez in civitate Burgensi nobilibus parentibus nata, quae defuncto viro habitum clarissarum suscepit in laudato monasterio, ubi maximis virtutibus inclaruit. Omnium sororum pauperrima erat ac humilissima, cunctis inserviens summa animi comitate. In monasterio Conceptionis de Oropesa provinciae Castellae obiit Maria a Iesu, orationi ac contemplationi dedita. In iis meruit a Deo praecipuis donis cumulari, quae confessarii iussu sua manu notavit. Asservantur haec scripta in archivo monasterii. Coelum petiit in monasterio s. Clarae Pontisveteris in Gallecia provincia s. Iacobi Leonora de Meyra, abneptis Comitis Caminae, filia Garciae Sarmienti domini Salvae-terrae, humilitate, oratione, ac gratiis coelestibus insignis, de cuius corporis maceratione dicere solebat Maria Sarmienta loci monialis spectatissimae vitae, ipsum persimilem fuisse s. Hieronymo magno ecclesiae doctore. Sanctitatis fama et ibidem obiit eadem Maria Sarmienta.

Andrea de Burgos. *Menam. prov.*

Hieronyma Lopez. *Ibidem.*

Maria a Iesu. *Menam. prov.*

Leonora de Meyra. *Annal. min. ad an.* 1510. *num.* 28.

Maria Sarmienta. *Ibidem.*

LX. Ex Xativa civitate in provincia Valentiae ortum habuit Margarita Agullonia, quae ab ineunte aetate se Deo plenius devovens, admirabili mox

Digitized by Google

virtutis luce, ubique se conferebat, circumfusa, unde qui eam inspiciebant, ipsam a Deo fore locupletandam praecinebant multiplici divinae gratiae dono. Aetatis suae anno xx. a suis ad matrimonium ineundum allecta fuit; verum eorumdem suasionibus posthabitis, ad coenobium minoritarum s. Francisci de observantia advolavit, et ante ss. eucharistiae sacramentum votum perpetuae castitatis emisit, ac die xxv. Ianuarii habitum sororum de tertio ordine impetravit. Parentis sui cupiens sequi vestigia, humilitatis fundamenta ita iecit, ut in litteris subscribendis *abominabilem peccatricem* sese profiteretur. Flexis genibus pronaque in terra pauperum pedes et ulcera osculabatur, iisque etiam necessaria ostiatim petita, sincera pietate suppeditabat. Edidit et aliud votum de altissima paupertate in cunctis rebus prosequenda; quod et inculpate coluit. Unde paupere et consarcinata tunica induta, inter consertos pauperes prodibat in vulgus, et cum eis ad ostium coenobii fratrum stabat, panis frustula expetebat, et laeta comedebat, iis ad se missis a ducissa de Lerma et a pro-rege Valentiae de Nagera reiectis. Non defuere tamen ei spirituales conflictus ac tribulationes, quibus valida patientiae arma opponebat. Multis interim maximisque daemonum molestiis ac tentationibus agitata, ad fidei, spei et charitatis praesidia confugiebat. Solatium et robur erant et illi flagellationes, ieiunia, cilicia, raptationes nudi corporis super spinas, vepres et urticas quibus membra dilacerabat.

Margarita Agallonia. *Mazzara tom. 12. pag. 185. et alii.*

LXI. Iesu Christi passionem tam alte recolebat, ut prae totius corporis tremore in exitiale deliquium saepe corrueret, et ferme exanimis redderetur. Subinde in facie, ac in corpore ulcerosas sanguineque recentes vel putridas strumas, velut saevis virgis caesa, praeseferebat. Aliquando lumbari fune, aculeis horrende complexo, arcte caput ligabat, ac inde lancinato cranio copiosus ex illo cruor stillabat. Ne autem oculorum visum deperderet, eidem interdixit conscientiae suae moderator coronam, quam in caput gerebat de cithrinis spinis implexam. Saepe in aere brachiis expansis ecstatica manebat; aliquando decem pedum extensam per civitatem baiulabat crucem, viribus lassata, integra hora immobilis haerebat. Hinc cum ardenti charitate Christo crucifixo unita esset, et suae passionis mysteria assidue recoleret, multas post preces obtinuit a Christo, ut ob eius memoriam acutissimi spineae coronae, aliarumque plagarum dolores et ipsa in suo corpore pateretur. In oratione erga Deum intensa charitate fervebat; nam non solum extra se rapiebatur, sed aliquando a terra elevata, quatriduo pendula manebat, spectantibus utriusque sexus personis, nobilibus, archiepiscopis ac episcopis. Multis maximisque donis a Deo cumulata fuit; nam et gratiam curationum habuit, et prophetiae donum obtinuit.

LXII. Temporis mortis suae praesciens, ad agonem laeta se paravit, cui obviam ierunt Christus eius sponsus, seraphicus Parens, Vincentius Ferrerius, Ludovicus Bertrandus, Elisabetha Langravia, et b. Petrus Nicolaus Factor, in quorum comitatu felix eius anima coelum scandit Valentiae die ix. Decembris, aetatis suae anno lxiv. Defunctae corpus a sacello maiori conventus Sanguinis Christi, in quod fuerat inlatum, anno mdcv. mense Februario Valentinus archiepiscopus in oratorium sui seminarii transtulit et in sepulcro affabre instructo recondidit cum hoc epithaphio: *Beata Margarita Agullonia Setabensis professionis franciscanae obiit ix. Decembris anno a nativitate Domini mdc. aetatis suae lxiv. Claruit haec virgo eximia vitae poenitentia et frequenti ecstasi, assiduos dolores in iisdem partibus accepit, in quibus Christus Dominus vulnera feria vi. in capite, coronae instar.*

Digitized by Google

Mortua est magna opinione sanctitatis, et funere pietate celeberrimo. Tam vivens, quam defuncta multis coruscavit miraculis. Confessarii sui imperio hispanice scripsit *methodum contemplandi passionem et mortem D. N. I. C.* Habetur opus in tom. 2. historiae tertii ordinis s. Francisci fr. Ioannis Cerilli fol. 244. et fol. 249.

Sbaral. lit. M.

Clara Suazi. *Mazzara tom. 4. pag.* 423.

LXIII. Nursiae in monasterio Pacis provinciae Umbriae die sacro resurrectioni Domini nostri superna petivit Clara Suazi, ibidem nata, quae viam humilitatis arrepta, semper de se dimisse sentiebat, et viliora monasterii munia alacriter obibat. Nunquam adduci potuit, ut officium abbatissae, vel vicarine gereret. In prosequenda paupertate eximia, tunica quam induebat, tota consarcinata erat omniumque obsoleta. Culpam eorum monialibus, ut moris est, edicens, etiam occultas tentationes, daemonisque fraudes ad eam exturbandam palam faciebat, unaque cum novitiis in publica mensa ob aliquod mendum ab eisdem commissum, velut et ipsa culpabilis, poenas luebat. Lumen oculorum quod amiserat, patientissime sustinuit ad mortem usque. Die XI. Septembris in monasterio ss. Trinitatis Eugubii eiusdem provinciae obiit Clara Benamati ea in urbe orta, quae orationis ac silentii praesidio breve post tempus cunctis monialibus evasit perfectionis exemplar.

Clara Benamati. *Idem ibid. p.* 428

Ann. min. ad ann. 1283. num. 46.

LXIV. Quorumdam bb. fratrum corpora elevantur. Anno MCCLXXXIII. iubente Alexandro VI. pontifice, fratres de observantia abierunt a coenobio s. Petri Muralti de Camerino, ut ibidem arx pro munienda civitate excitaretur; et ad alterum s. Francisci titulo quod conventuales incolebant, se contulerunt, conventualibus translatis ad s. Angeli aedem. Omissum a Waddingo pontificis diploma ob historiae integritatem vulgamus.

ALEXANDER PAPA VI.

Dilectis filiis salutem et apostolicam benedictionem

Monum. pro.

Cum superioribus diebus disignavissemus locum istum nostrum pro ampliatione et constructione futurae arcis de voluntate nostra isthic aedificandae, scripsimus vobis ut propterea vos e loco isto ad alium locum istius civitatis per vos eligendum transferre deberetis, prout ex breci nostro in litteris dilecti filii Vicarii generalis ordinis vestri intelligere potuistis. Nuper autem communitas et homines civitatis Camerinen. nobis supplicare fecerunt, quod cum domus s. Francisci Camerin. ordinis eiusdem Sancti in loco, toti communitati utpote universaliter commodo consistat, ibique fratres dicti ordinis admodum pauci numero inhabitent, nos huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis per praesentes mandamus, ut e dicto loco nostro ad dictam domum s. Francisci cum omnibus bonis et rebus vestri conventus vos tranferre, ibique inhabitare debeatis, prout a dilecto filio Petro Perez notario nostro moderno gubernatore isthic deputato fueritis requisiti. Contrariis etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XX. *Ianuarii anno* MDIII.

Monum. pro.

LXV. Extat et altera quam praeterimus, Iulii II. pontificis constitutio qua indulget, ut legata facta ecclesiae s. Petri de Muralto, ad ecclesiam s. Francisci transferantur: *Cum sicut* die IX. Octobris MDIV.

LXVI. Anno igitur MDIII. cum e coenobio s. Petri fratres de observantia ad alterum s. Francisci se contulissent, b. Ioannis a Parma XII. generalis or-

Digitized by Google

dinis administri, die xx. Martii anno mccLxxxix. defuncti, pignus, quod secum detulerunt, in sacello ss. crucifixi reposuerunt. Hoc autem anno mdc. die xxiv. Aprilis, post annos nimirum xcvii. e sacello ss. crucifixi illatum fuit ad altare s. Antonii Patavini de novo erectum ab illustri familia illius urbis Paolucci. Inter solemnia e rostro edixit Beati laudes Sebastianus Olivieri eiusdem instituti, sacrae theologiae lectoris in coenobio Perusino. Postrema translatio peracta fuit die xv. Septembris anno mdccv. ad novum altare s. Antonio Patavino, et ipsimet Beato sacrum, novo instructo mausoleo, auro delinito chrystallisque ab anteriori parte communito, marchionis Lucidi Sparapani expensis, adstantibus d. Catani d. Bellucci Camerin. episcopi vicario generali, aliisque optimatibus, necnon innumeris christifidelibus. Huius rei extat memoria aureis litteris insculpta. *Irenaeus Affò in vita Beati pag.* 193.

DIVO. ANTONIO. PATAVINO
AC. BEATO. IOANNI. PARMENSI
CVIVS. CORPVS. HIC. INCORRVPTVM. QVIESCIT
MARCHIO. LVCIDVS. SPARAPANVS. CAMERS
DICAVIT. ANNO. DNI. MDCCV.

LXVII. De tanti viri sanctitate et doctrina eximii pauca nec satis accurata habet Waddingus. Praestat ergo sequentia subnectere, ne manca sit rerum nostrarum historia. Is circa annum mccviii. lucem aspexit Parmae in provincia Bononiensi, parentibus Petro Buralli et Antonia Bertrani generis nobilitate ac opibus praestantibus, quem, ut videbimus, Iokinum nominatum voluerunt. Ab infantia bonis moribus imbutus fuit; auxit autem eius pietatem quidam sacerdos patruus suus, qui cum praesideret nosocomio equitum s. Lazari posito prope urbem, eum secum habere voluit, ut in litteris sanctorumque scientia erudiret. Ex tunc pronum ad virtutes et studia assequenda animum habuit; maxime vero postquam in prima aetate a mortali infirmitate illico convaluit: mox enim propositum emisit in via Dei ambulare et mentem studiis intendere. Rem tradit Adam Salimbene Parmensis, Beato coaevus et sodalis, in sui temporis historia celebratissima, de qua usus est cl. Irenaeus Affò minorita de observantia in vita Beati Parmae edita anno mdcclxxvii. Scribit enim §. 20: *accidit autem, ut quodam tempore puer infirmaretur ad mortem, prout visum fuit adstantibus. Quadam autem die confortatus in Domino, dixit audientibus qui adstabant: castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Non moriam, sed vivam, et narrabo opera Domini. Post haec illico convaluit puer, et coepit studere ferventer, et in praeceptis sicut in via Domini ambulavit, quousque factus est Frater Minor.* *Wadd. ad ann.* 1247. n. 4. *et seq.*

LXVIII. Liberalibus artium studiis primum Parmensi in gymnasio, quod tunc temporis praecipue florebat, ac inde dialecticis Aristotelis disciplinis sedulo incubuit, in quibus cum mire profecisset, haud exiguam sui nominis famam penes eruditos obtinuit. Hinc factum est, ut, maiorum iudicio, tyronibus anno aetatis suae saltem vigesimo secundo ad explanandam Aristotelis dialecticam in eo gymnasio praepositus fuerit. Idipsum et tradidit Salimbene duobus in locis suae historiae, nimirum §. 24. *magister Iokinus dicebatur fr. Iohannes cum in saeculo docebat in logica.* Et §. 27: *et magister in logica in saeculo fuit.*

LXIX. Magisterii munus probabiliter ad vigesimum quintum aetatis suae annum summa cum laude obivit. Ut autem a saeculi laqueis se eriperet, mino- *Affò pag.* 12.

Digitized by Google

ritarum virtutum exemplo qui in Parmensi coenobio degebant, excitatus, forte eorum sodalitio nomen dedit anno MDCCXXXIII. aetatis suae vigesimo quinto, totius ordinis praeside fratre Helia, anno praeterito canonice haud electo in comitio romano. Eius electio notatur in perantiquo codice, cui titulus *chronicon parvum fratrum minorum*, relatum ab Irenaeo Affò in vita fratris Heliae pag. 61. hisce verbis: *anno* MCCXXII. *celebratur capitulum generale Romae, in quo absolvitur fr. Ioannes Parens a ministro generali, eique fr. Helyas, sed non canonice electus substituitur.* In quo autem coenobio vir Dei tyrocinium inchoaverit, incompertum est. Unice novimus, in instituto, Iokini nomine relicto, Ioannis nomen obtinuisse. Vix autem seraphico amictus habitu votisque Deo nuncupatis, a virtutis semita quam alacriter arripuit, nunquam deflexit.

LXX. Sacrae theologiae cathedras frater Helias generalis in ordine instituit, de quibus sic Salimbene fol. 250. col. 1: *verumtamen in ordine fratrum minorum tempore illo quo intravi, inveni vires multos magnae sanctitatis et orationis, et devotionis, et contemplationis, et magnae litteraturae; nam hoc solum habuit bonum fr. Helyas, quod ordinem fratrum minorum ad studia theologiae promovit.* Hinc putamus divinis litteris ipsius obedientiae merito incubuisse Beatum. In iis autem tantum profecit, ut brevi post tempore eximii oratoris, et doctissimi theologi nomen sibi comparaverit. An autem studiorum causa in universitatem Parisiensem missus fuerit, haud certum est; probabile tamen eo amandatum fuisse prae ingenii sui dexteritate credimus: *quum tunc*, ut scribit p. Benedictus Cavallensis in prodromo at operum s. Bonaventurae lib. 1. cap. 2. *in more esset potiora ingenia universitati Parisiensi, ceu omnium bonarum artium, ac disciplinarum magistrae destinari.*

LXXI. Sacerdotali dignitate insignitus, concionatoris officium explevit; at tanta dicendi vi, ut, Salimbene teste §. 24. audientium animos ad compunctionem et lacrymas commoveret, et eloquii sui praestantiam et puritatem commendarent cardinales, episcopi, aliique viri doctissimi. Philosophicas ac theologicas disciplinas, eodem scriptore teste §. 28. etiam tyronibus franciscanis Bononiae primum, ac inde Neapolis per aliquot annos explanavit.

LXXII. Hinc ad tantam doctrinae et sanctitatis famam devenerat Beatus, ut Crescentius ab Aesio generalis minister vocatus ab Innocentio IV. pontifice ad Lugdunense I. concilium anno MCCXLV. coactum pro instruenda expeditione in Palestinam et pro coercenda facinora Federici II. imperatoris, qui Italiae regiones incendio et caede vastabat, eum loco sui longaeva aetate confecti amandaverit. Ita Salimbene §. 3. In patrum senatu mira effulsit eius doctrina, prudentia, et in rebus agendis dexteritas. Ex eo tempore summo semper in honore eum habuit summus pontifex, et praecipua in eum dilectionis signa exhibuit. Hisce sapientiae meritis exornatus, apud Parisienses cives gratia ita florebat, ut ad divina in ea frequentissima universitate legenda ab eis expetitus, benevole eorumdem votis cesserit. *Parisiis*, ita Salimbene §. 28. *scripturas legit.* Ss. etiam patrum sententias ibidem explanasse tradit Marianus Florentinus hisce verbis: *magnus magister, lector et doctor in universitate Parisiensi*, et sic inter Italos omnium primus Parisiensem sacrae theologiae cathedram est moderatus. *Tiraboschi storia della letteratura italiana tom. 4 lib. 2 cap. 1 num.* 24.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1600.	an. 8. et 9.	anno 24.	anno 398.

LXXIII. Cum autem ab anno MCCXXXIII. fratre Helia ministro generali auctore, qui a primaeva sanctitate defecerrat, multa mala irrepsissent in ordine, Romae ab electoribus coram pontifice Gregorio IX. anno MCCXXXIX. ab officio depositus, eius locum obtinuit Albertus Pisanus. Verum Helias cum partes suscepisset Federici II. a Gregorio IX. excommunicationis poena mulctati, in dies magis magisque deterior effectus, ab eomet pontifice et ipse censura punitur. Eius plures defectus a fratre Salimbene notantur. Prae caeteris nos exscribimus quae egit anno MCCXL. *Decimus defectus*, inquit, *fratris Helyae fuit quod postquam fuit absolutus a generali officio nec humiliter nec patienter se habuit, sed imperatori Federico a Gregorio papa nono excommunicato totaliter adhaesit equitando cum ipso, et cum eo morando in habitu ordinis, cum quibusdam fratribus qui erant de familia sua, quod redundabant in scandalum papae, in scandalum ecclesiae, et in scandalum ordinis supradicti, quia imperator excommunicatus iam erat, et illis diebus obsedit Faventiam et Ravennam, et iste miser semper in exercitu imperatoris morabatur, dando imperatori consilium et favorem. Unde factum est*, sequitur Salimbene, *ut rustici et pueri et puellae quoties obviabant fratribus minoribus per vias in Tuscia, ut centies audivi, cantabant: hor attorno Frat Halia ke pres ha la mala via — idest*

Or è attorno Frat' Elia,
Che pres' ha la mala via.

Et tristabantur boni fratres, et irascebantur vere usque ad mortem dum talia audiebant. *Apud in vita fratris Heliae pag. 89.*

LXXIV. Multa egerunt Gregorius IX. et Innocentius IV. summi pontifices, ut eum in bonam frugem adducerent. At frustra. Hinc idem Innocentius in generali comitio Genuae habito anno MCCXLIV. cui praesedit, Heliae fraudes agnoscens, iterum excommunicationis poenas in eum intulit, et habitu ordinis privavit. Inde Cortonensem urbem petens, in loco sibi a Cortonensibus oblato anno MCCXLV. aedem erexit, et ibidem cum suis qui erant duodecim, incolatum tenuit. Cum autem anno MCCXLVII. datis ab Innocentio literis: *Illius dilectionis* VI. idus Iulii Lugduni fratrum comitia generalia convocasset pro novo deligendo ministro, loco Crescentii ab Aesio nimia aetate confecti, omnium electorum suffragio munus regendi ordinem contulerant Ioanni Parmensi, tunc temporis sacrae theologiae professori in universitate Parisiensi. *Idem pag. 95.*

LXXV. Vix ordinis habenas invitus suscepit, eius cura fuit fratrem Heliam ab instituto extorrem, ad religionis gremium revocare, ad eum misso Gerardo Mutinensi, viro dignissimo. Rem ita narrat Salimbene. « Cum autem, *inquit*, misisset ad eum fr. Iohannes de Parma generalis minister fratrem Gerardum de Mutina, qui erat de primioribus fratribus et familiaris sibi, rogans eum, ut amore Dei et beati Francisci, et pro bono animae suae, et pro bono exemplo dando rediret ad religionem suam, et ipse faceret ei omnem gratiam et misericordiam quam posset, respondit et dixit fratri Gerardo: tot bona audivi de illo venerabili patre Iohanne de Parma, quod non recusarem proiicere me ad pedes suos, et dicere meam culpam, confidens de benignitate ipsius; sed solicitus sum propter ministros provinciales quos offendi, ne illudant mihi ponendo me in compedibus et in carcere, et dando mihi panem arctum et aquam brevem. Insuper quia curiam romanam offendi, constat quod cardinalis qui est ordinis gubernator intromitteret se de poenitentia mihi danda. Nolo etiam perdere gratiam imperatoris quam habeo. Igitur frater Gerardus de Mu- *Idem pag. 97.*

Digitized by Google

tina fuit tota die integra in loco Celle de Cortona in familiari colloquio cum fratre Helya, et laboravit quantum potuit, ut eum attraheret et converteret cum tota familia sua, ut praeceptis ordinis obedirent.... Laboravit igitur fr. Gerardus incassum, quia noluit consentire fr. Helyas propter rationes praedictas..... Porro fr. Gerardus totam sequentem noctem ibidem duxit insomnem, et ut retulit postea, videbatur sibi quod daemones per domum et locum per totam noctem sicut vespertiliones discurrerent..... Et mane facto, et vale dicto recessit festinanter cum socio, et quae viderat et audierat, omnino per ordinem retulit generali. » Fratris Heliae durities ad annum usque MCCLIII. stetit: at facti poenitens, iuravit stare mandatis ecclesiae, et sacris subinde devote susceptis, die XXII. Aprilis e vita migravit, sepulcrum nactus in ecclesia coenobii de Celle ab eo erecta.

Idem in vita Beati pag. 35.

LXXVI. Omnium primus, praeter Aymum qui semel ivit in Angliam, Beatus noster inter decessores suos ministros generales ordinis provincias pedibus lustravit, Salimbene teste §. 29. provincialibusque capitulis praesedit. Cum in urbe Senonensi coactum ab eo fuisset provinciale comitium, Ludovicus IX. Galliarum rex iam tertio s. Francisci de poenitentia ordini adscriptus, eo se contulit cum legato pontificio, aliisque de aula sua principibus, ut salutem diceret Beato, sibi ob sui eximiam sanctitatem noto, et suis suorumque fratrum precibus se commendaret, mox profecturus pro recuperandis sacrae Palestinae locis. Eius votis cessit pientissimus generalis singulis sacerdotibus iubens, ut per quatriduum sacrum peragerent pro felici exitu tanti negotii. Interim rex cum aulicis suis communem fratrum mensam sua benignitate honestavit.

LXXVII. Lustratis Galliarum provinciis, in Angliam advenit, ubi vulgata iam erat eius sanctitatis fama penes etiam Henricum regem; cui ut innotuit eius adventum in aulam suam, e mensa desiliit, et ei per gradus occurrens, labia labiis admovit, irruitque in amplexus. Inde Beatus reversus in Galliam, Burgundiae et Galliae Narbonensis fratrum provincias visitavit, ac inde in Hispaniam adveniens, in urbe Tarraconensi incolatum tenuit. *Salimbene* §. 40. *et* 50. Hinc eius studio in filiis sibi concreditis regularis observantia refloruit et pietas.

Ann. min. ad ann. 1232. num. 34.

LXXVIII. Iis licet curis distentus, ad alteram tamen poratam sibi a Domino vineam excolendam destinatur Beatus. Ab anno MCCXXXII. quinque fratres minoritae cum incidissent in manus Turcarum, pervenerunt postea Nicaeam, ubi hospitio excepti a Germano II. patriarcha constantinopolitano cum eo egerunt de unienda ecclesia graeca cum latina, a saeculo IX. seiuncta Photii patriarchae opera. Eorumdem votum patriarchae arrisit. Quare per nuncium suum simul cum fratribus missum, unionis desiderium pontifici Gregorio IX. per litteras significavit, de quibus Waddingus. Anno insequenti pro eo negotio idem pontifex mandavit ad laudatum patriarcham Hugonem et Petrum ex ordine praedicatorum, et minoritas Aymonem Anglum postea generalem ministrum et Rodulphum, gravissimis litteris eum exhortans, ut ad unitatem ecclesiae catholicae suos velit revocare. Ex iis illectus Ioannes Duces Vatasius imperator, ut id quantocius absolveretur, ardenter exoptabat. Hinc Innocentius IV. Gregorii IX. successor, rei finiendae percupidus, pluribus munitus litteris amandavit Laurentium item minoritam legatum suum in Orientem per Graeciam, Armeniam, Iconium, Turchiam, ad graecos omnes tam in regno Cypri, quam in patriarchatibus Antiocheno et Hierosolymitano, ad Maronitas, Iacobitas, Nestorianos, ut graecos universim a latinorum gravaminibus defenderet.

Annal. min. ad an. 1235. num. 8.

Annal. min. ad an. 1247. num. 9.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1600.	an. 8. et 9.	anno 24.	anno 393.

LXXIX. Dum haec tanto studio praestabat Laurentius, ut innotuit Vatasio imperatori sanctitatis, doctrinae sedulique laboris fama Beati, delectis oratoribus ex minorum ordine Thoma lectore Constantinopolis et Salimbene ambo graecae nationis, a summo pontifice eumdem Beatum postulavit, sperans fore ab eo cuncta solicite absolvenda. *Salimbene a* §. 45. *ad* 77. Hinc monitus a pontifice Beatus, relicta visitatione provinciarum Hispaniae, Lugdunensem urbem ubi erat pontifex, advenit. Cum ab eo accepisset mandatum in Graeciam se transferendi pro unione illius ecclesiae cum romana, illico paruit Beatus. Anno igitur MCCXLIX. longo itineri se commisit una cum oratoribus ab imperatore missis et fratribus Trudone ministro Burgundiae, Bonaventura ab Isèo, et Gerardo, vitae sanctitate et doctrina conspicuis. *Salimbene a* §. 76. *ad* 81. In litteris quae desiderantur, a pontifice scriptis ad imperatorem, *angeli pacis* nomine commendatur Beatus.

Apò in vita Beati pag. 41. *et seq.*

LXXX. Constantinopolim adveniens, cunctis benevolentiae et honoris signis eum excepit Vatasius. Hinc nulla interposita mora, manus ad opus sibi commissum admovit Beatus: at tam felici exitu, ut anno MCCLI. prae sui doctrinae praestantia, morum suavitate ac sociorum concionibus, ad fidei unitatem cum ecclesia romana orientalium animos allexerit. Delectos igitur apocrisarios ad pontificem miserunt patriarcha et imperator, ut quae Beati prudentia ac studio apud orientales evenerant, eidem aperirent; at per viam opprobriis saturati et expoliati, confusi nimioque terrore perterriti Constantinopolim rediere.

LXXXI. Legationis suae munere anno MCCLI. absoluto, Lugdunensem urbem, ut cuncta summo pontifici revelaret, repetendam duxit Beatus. Antequam discederet, Vatasium et patriarcham salutatum voluit, qui eius discessum aegre tulerant. Ei multa dona obtulit; at Beatus paupertate dives, ea recipere haud passus est. Equum tamen pro longo itinere conficiendo sibi indulto a pontifice et ferulam quam pro festinando cursu equitis accepit, invitus eam postea usus est, quia ex ea magnam apud graecos sibi venerationem conciliasse noverat.

Idem pag. 48. *et seq.*

LXXXII. Quae igitur Beatus egerat pro unienda orientalium ecclesia cum latina aperuit pontifici Lugduni, a qua urbe discessit die XIX. Aprilis eiusdem anni MCCLI. idem pontifex ut in Italiam se conferret; per obitum enim Federici imperatoris, qui ecclesiam afflixerat, reddita erat tranquillitas eisdem regionibus. Beatus autem in Gallia remansit, ut suorum consuleret necessitatibus. Datis enim litteris, generale comitium hoc anno indixit in orbe Metarum, quae tunc ad Germaniam spectabat. Multa constituit ad divinum cultum pertutia et ad ordinis decorem promovendum, eaque per epistolam vulgavit non anno MCCXLIX. iuxta Waddingum, sed forte anno MCCLII. misitque ad provinciae administros. Eam habet Waddingus ad ann. MCCXLIX. n. 1.

LXXXIII. Cum versaretur Beatus in Germania et quaedam inter academicos parisienses et fratres mendicantes dissidia audivisset, nimio dolore perculsus, eo statim, ut tanto malo occurreret, continuo advolare decrevit. Controversia exordium accepit ob quaedam statuta a magistris universitatis edita et suspensionem lecturae propter irrogatas anno MCCLII. aliquot iniurias quibusdam scholaribus. Constitutionibus iniustis dum noluerunt subscribere duo magistri ordinis praedicatorum, Bonus-Homo et Helias dicti, facti sunt extra scholas. Conquerentes apud sanctam sedem exaudiuntur ab Innocentio IV., at iubentur in pristinum statum restitui. Magistri vero dum plures turbas excitant, et mandata multis ambagibus eludere volunt apostolica, Romam causa evocatur. Moritur interim pontifex, recrudescitque vulnus sub Alexandro IV.

Digitized by Google

successore. Anno MCCLVI. idem pontifex negotium hoc commisit Alberto legato apostolico, qui cum decretum tulisset in favorem fratrum praedicatorum, magis magisque contra eosdem fratres praedicatores magistri insurrexere. Verum non in eos dumtaxat, sed et in franciscanos mala quaeque et ordinibus indecora vulgabant, praesertim Guilielmus a Sancto Amore canonicus Parisiensis, qui edito opere mendicantium vitam evangelio et fidei catholicae adversam insimulabat. Dum summus pontifex multis vulgatis litteris eos ad concordiam revocare studet, praestanti Beati eloquio eximiaque sui humanitate, sui ordinis gravamina tollit, et dissidentium animos componit. *Salimbene a* §. **34.** *ad* **37.**

LXXXIV. Verum cum haec controversia in universitate Parisiensi adhuc vigeret, in aliquorum manus devenit opusculum cui titulus *Introductorius in evangelium aeternum*, seu *in quosdam libros abbatis Ioachim* vigintiseptem erroribus scatens, quorum fundamentum erat ut Christi evangelium ab apostolis secundum litteram promulgatum, anno MCCLX. deficeret, locoque eius alterum secundum spiritum, et a Spirito sancto vocatum, totamque salvandorum perfectionem eidem attribuens, inciperet. Non fuit tamen huius introductionis auctor Ioachim abbas monasterii Florae in Calabria, sed alius certe, qui commentarios in aliquot libros eiusdem abbatis instituens, putidas in eo fabellas, errores et insulsas haereses ab Alexandro IV. damnatas inseruit. Nos pauca de huius introductionis auctore dicimus; plura de eo habet Irenaeus Affò pag. **76.** et seq. Bernardus de Guidone ordinis praedicatorum circa annum MCCLX. natus, iam Galliarum episcopus, qui obiit anno MCCCXXI. in vita Alexandri IV. pontificis sic scribit de auctore evangelii aeterni: *huius libri confector et auctor fuisse asseritur Ioannes de Prima cognomine et origine. Prima* locus est in insula Porquerola in Gallia Narbonensi. Elapsis quatringentis annis, Caesar Egassus du Boulay *in historia universitatis Parisiensis* tom. **3.** pag. **394**, defunctus anno MDCLXXVIII., omnium primus scripsit *libellum, qui inscribebatur evangelium aeternum ex erroribus abbatis Ioachimi per m. Ioannem a Parma (quem Antoninus ait fuisse septimum generalem praepositum ordinis fratrum minorum) consarcinatum.* Est hic obiter observandum, quod s. Antoninus non dicit Ionnnem a Parma fuisse auctorem evangelii aeterni, sed unice munus egisse generalis ministri fratrum minorum. Incassum secuti sunt Fleury *hist. ecclesiast. lib.* **83.** *num.* **54.** *et lib.* **84.** *num.* **30**, Maurini *gallia christiana tom.* **7.** *col.* **103**, Berti *breviarium historic. part.* **2.** *saeculo XIII. cap.* **3.** *pag.* **97.** *in notis* aliique, eximiae sanctitatis vitae et inculpatae doctrinae virum sanctissimum, haeresi lacobe maculatum criminantes. De eo vindicias habet et Waddingus ad ann. MCCLVI. n. **13.**

LXXXV. At nec alius ex minorum ordine auctor fuit evangelii aeterni; siquidem summus pontifex Alexander IV. de eo agens ab eodem damnato in epistola ad Reginaldum episcopum Parisiensem sub die IV. Novembris anno MCCLV. missa, eidem mandat, ut illaesam semper et integram famam tueatur fratrum minorum, ut ipsi ex operis damnatione nullam infamiam incurrere valeant: nam cum incederent discalceati, periculum erat, ut penes aemulos ipsi soli idonei, iuxta septimum errorem notatum in evangelio aeterno ab Almarico Angerio part. **2.** quaest. **9.** num. **4.** ad instituendos homines in rebus spiritualibus censerentur. Summi pontificis mandatum proferimus.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1600.	an. 8. et 9.	anno 24.	anno 393.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus servorum Dei

Venerabili fratri episcopo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem

Libellum quendam, qui in evangelium aeternum, seu quosdam libros abbatis Ioachim introductorius dicebatur, et quem fel. record. Innocentio papae praedecessori nostro misisti, postquam illud per venerabiles fratres Tusculanum et Praenestinum episcopos, et dilectum filium nostrum H. tituli s. Sabinae presbyterum cardinalem examinari fecimus, de fratrum nostrorum consilio decrevimus abolendum. Et quia quaedam schedulae plerisque fuerunt exhibitae, in quarum nonnullis multa quae in libello non continebantur eodem nequiter sibi adscripta dicerentur, censuimus de ipsis schedulis illud idem. Cum itaque nostris tibi demus litteris in mandatis, ut libellum ipsum et omnes schedulas supra dictas auctoritate nostra facias aboleri, generalem excommunicationis sententiam proferens in omnes eumdem libellum et schedulas ipsas habentes, nisi infra certum terminum, quem ad hoc praefixeris, illa duxerint penitus abolenda. Faciendo eamdem sententiam locis in quibus expedire videris solemniter publicari, volumus et fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus quod tibi per easdem iniungimus litteras exequi studeas diligenter. Verum quia illorum Christi pauperum, videlicet dilectorum filiorum fratrum ordinis minorum nomen et famam illaesam semper et integram cupimus observari, quos sicut intelleximus affectione paterna et benevolentia prosequens speciali, super quo dignis te in Domino laudibus commendamus, praesentium tenore praecipimus, quod sic prudenter, sic provide in apostolici super hoc mandati executione procedas, quod dicti fratres nullum ex hoc opprobrium, nullamque infamiam incurrere valeant sive notam, et obloquutores et aemuli non possint exinde sumere contra ipsos materiam detrahendi. Ap. pag. 18.

Datum Anagniae II. Novembris pontif. nostri anno I.

LXXXVI. Postquam multa, de quibus Waddingus tom. XII. annalium, ad ordinis decorem promovendum et ad instaurandam regularem observantiam contulisset Beatus, anno sui regiminis decimo vix expleto, supremum magisterium resignare statuit. Licet autem relucteretur pontifex una cum fratribus, attamen iuxta ea quae scribit Salimbene §. 60. *ultimum generale capitulum* (Beatus) *accelleravit, quia penitus nolebat esse minister.* Anno igitur MCCXVI. in die purificationis Deiparae indictum fuit generale comitium in coenobio s. Mariae de Aracoeli de Urbe, ubi praesedit pontifex. *Ut*, eodem Salimbene teste, *steterunt per unum diem ministri, et custodes, et discreti quod in negotiis capituli processum non est, quia penitus nolebant ipsum absolvere.* Tandem post multas Beati preces, eius votis, licet negre, a patribus satisfactum fuit. Singula comitii acta notamus ex chronico XXIV. generalium ordinis. *Hic frater Ioannes generalis convocato Romae capitulo generali anno ab incarnatione Domini computando* MCCXVI.; *secundum illos vero, qui a nativitate computant* MCCXVII. *in festo purificationis beatae Mariae, in praesentia vero Alexandri papae* IV. *qui regimen ordinis et protectionem, quam existens episcopus Ostiensis prius habuerit, noluit alteri committere, sed sibi retinere, cum omnimoda importunitatis instantia, impotentia allegata, a ministerio se absolvi obtinuit, et de resumendo ipsum officium nec capitulo generali vehementer instanti, nec ullis et summi pontificis vel ali-*

Digitized by Google

quorum cardinalium suasionibus acquiescere voluit. Unde capitulum quod biduo ex hoc vacans, compulsum est recedere ad alterius electionem ministri. Ipse quidem non contemptui sed impotentiae ad officium exequendum causam designans, humillime cessit, fuitque ad tractus capituli reverenter admissus. Quae vero addita sunt his opposita, inter fabulas amandamus. In ipso comitio electores rogaverunt eum, ut sibi idoneum successorem designaret; et fratrem Bonaventuram a Balneoregio magistrum in universitate Parisiensi totius ordinis praesidem nominavit. Ita Salimbene §. 62. *Quamvis male libenter dixerunt ei: pater, vos qui visitatis ordinem et cognoscitis mores et conditiones fratrum, assignetis nobis unum idoneum fratrem, quem constituamus super hoc opus et vobis succedat. Et statim assignavit fr. Bonaventuram de Bagnoreto, et dixit, quod in ordine actiorem eo non agnoscebat* etc.

LXXXVII. Vix a totius ordinis curis solicitus, sponte, exempla seraphici Patris sequutus, se recepit in eremitorium Graecii in valle Reatina positum, ut coelestia meditaretur. *Post*, ita Salimbene §. 63. *absolutionem suam fr. Iohannes ivit et habitavit in eremitorio Graetii, ubi b. Franciscus in nativitate Domini fecit repraesentationem praesepii.* Hinc a veritate alienum est quod tradit de Beato Franciscus Gonzaga *de origine seraph. relig.* tom. 1. part. 2. in prov. romana de conventu Graecii, qui scribit eo loci adhuc extare carcerem, in quo mandato s. Bonaventurae ministri generalis inclusum fuit. Nam idem Salimbene §. 84. dicit quod *voluntarie et consolatorie morabatur in eremitorio Graetii.*

LXXXVIII. Beatum *angelicam vitam*, ut habet coaevus scriptor Ubertinus Casalensis in arbore vitae crucifixi lib. 3. cap. 3. *ducentem in eremitorio Graecii multi in dignitate ecclesiastica constituti visitarunt, inter quos quidam episcopus, qui demiratus viri Dei cum avibus familiaritatem, unum ex enatis in nidulo inferioris zotheculae scriptoriae suae filium ab eo donum accepit.* Ex Salimbene §. 63. Eumdem etiam Beatum praesentia sua honestavit, teste eodem Salimbene §. 84. Iacobus cardinalis Columna neptis Nicolai III. summi pontificis.

LXXXIX. Magni habitus fuit a summis pontificibus Ioanne XXI. et Nicolao III. qui enim prae sua sanctimoniae et doctrinae praestantia ad aulam pontificiam, eo reluctante, vocarunt, et ut cardinalitia dignitate exornaretur. De altero pontifice ita scribit Salimbene §. 43. « Magister Petrus Hispanus, qui factus cardinalis, et postea ipse idem factus papa Ioannes XXI. cum esset magnus sophista, logicus et disputator, atque theologus, nisi per fr. Iohannem de Parma qui similia in se habebat... Voluit ergo papa quod semper esset in curia, et cogitabat eum facere cardinalem, sed morte praeventus non potuit facere quod mente conceperat; nam camera cecidit super papam, et mortuus est. »

XC. Anno insequenti loco eius clavum catholicae ecclesiae cum accepisset Ioannes cardinalis Caietanus, Nicolai III. assumpto nomine, ipsius pontificis iussu, relicto eremitorio Graecii, ad aulam pontificiam iterum advenit. Cum autem Beatus Ioachimi abbatis de prophetiis ab ipso scriptis prope complendis partes suscepisset, ideo Salimbene teste §. 73. multos habuit mordaces occasione eiusdem doctrinae, licet haberet multos qui eum diligebant. Quae vero acta sunt coram pontifice, notat hisce verbis idem Salimbene §. 48. « Unde post longum tempus dominus Ioannes Caietanus, qui erat papa Ni-

Digitized by Google

colaus III., accepit eum per manum et familiariter ducebat eum per palatium dicendo sibi: cum sis homo magni consilii, nonne melius esset tibi et ordini tuo, quod tu esses hic nobiscum cardinalis in curia, quam sequi verba stultorum, qui de corde suo prophetant? Respondit frater Iohannes et dixit papae: de dignitatibus vestris non curo, quia de hoc commendatur quilibet sanctus, ad cuius laudem cantatur; nec terrenae dignitatis gloriam quaesivit, sed ad coelestia regna pervenit. De consilio autem dando, dico vobis, quod bene sanum darem consilium, si essent, si qui me vellent audire; sed in romana curia his diebus parum aliud tractatur nisi de guerris, et de triumphis, et non de animarum salute. Audiens haec papa ingemuit et dixit; si sumus talibus consueti, quod omnia quae dicimus et facimus, utilia fore credamus. Cui frater Iohannes respondit: et beatus Gregorius sicut in dialogo legitur, de talibus suspirasset. Post hoc dimissus, frater Iohannes reversus est ad eremum Graecii, ubi habitare solitus erat. »

XCI. Miris non solum in Graecii eremitorio, verum etiam in totius vitae suae cursu inclaruit virtutibus, de quibus multa, a quo mutuamus, habet Salimbene. Universim de eo sic scribit §. 26. « vultum habebat angelicum, et semper iucundum. Largus, liberalis, curialis, charitativus, humilis, mansuetus, benignus, et patiens, homo Dei devotus, et magnae orationis, pariter clemens et compassivus. » Et §. 28. « speculum et exemplum erat omnibus intuentibus, quia tota vita sua honestate et sanctitate plena erat, et moribus bonis atque perfectis; Deo enim et hominibus gratiosus erat. » In primis autem temperantiae virtute quae in coercendis sedandisque cupiditatibus versatur, praestans fuit Beatus: carnem enim asperitatibus multis, vigiliis et precibus edomabat. In munere obeundo generalis administri nullum singulare obsonium aut potum admittebat; quae ei parata erant aequaliter in omnes partiri volebat. « Curialis, *ita Salimbene* §. 55. et liberalis fuit valde in mensa usque adeo, quod si diversitates boni vini ante se in mensa habebat, faciebat omnibus aequaliter propinari, aut in crateres poni, ut communiter omnes biberent. » Neque delectum fratrum in mensa patiebatur, sed cum vilioribus magis comedebat. « Volebat etiam, *prosequitur idem Salimbene* §. 55. fr. Iohannes de Parma generalis minister quando noviter ibat ad aliquam domum fratrum minorum, quod pauperes fratres cum eo comederent etc. »

XCII. Humilitatis spiritu et cupiditates coercebat. « Minister generalis existens, *sic Salimbene* §. 75. quando pulsabatur campanella pro leguminibus vel herbis mundandis veniebat ad factiones conventus, et laborabat cum aliis fratribus, ut vidi pluries oculis meis. » *Item eo teste* §. 59. « manibus suis volebat scribere, ut ex suo labore haberet unde se posset induere, etiam generalis existens; sed fratres non permittebant, quia videbant eum in servitiis ordinis occupatum, et ideo ei libenter necessaria tribuebant. » In iis autem persagendis « nunquam vidi, *inquit Salimbene* §. 28. ita velocem scriptorem, et ita pulchrum atque veracem in littera de valde intelligibili nota. »

XCIII. « Vir, *scribit Salimbene* §. 22. consilii erat Beatus, et semper habebat in promptu meditatum consilium. » Hinc quae ab eo operabatur, cum a summa agendi ratione prodirent, singulari prorsus prudentiae virtute exornabatur. Eam cumulatam praecipue exhibuit tum in universo ordine moderando, tum apud orientales pro uniendа ecclesia graeca cum latina, tum denique in pacandis dissidiis in universitate Parisiensi inter magistros, et regulares enatis.

XCIV. Iustitiae virtutem, qua unicuique tribuitur quod suum est, et habuit Beatus: Summo amore se ferebat in Deum, et cuncta quae agebat, ad sui gloriam referebat. « Quotidie, *ita Salimbene* §. 27. celebrabat et ita devote, quod aliquam gratiam inde sentiebant adstantes. Ecclesiasticum officium, *sequitur Salimbene* §. 58. continuabat die ac nocte, maxime matutinum et vespertinum et missam conventualem. » *Item idem scriptor ibidem*: « quidquid imponebat ei cantor statim faciebat, et antiphonas inchoando, et lectiones et responsoria canendo, et missas conventuales dicendo.... In sabbato sancto cantor imposuit ei ultimam prophetiam, statim ivit, et eam cantavit. » In perlustrandis ordinis provinciis suorum salutem ac aliorum christifidelium concionibus suis procurabat; at tanta verborum suavitate, ut audientes ad lacrymas provocaret. « Ita ferventer, *sic Salimbene* §. 27. et bene praedicabat tam clero quam fratribus, quod multos ex auditoribus, ut pluries vidi, provocabat ad lacrymas. » Antequam alicui concionandi munus conferret, eius per se scientiam expendebat; et aliquando duobus sodalibus suis postulantibus ne eorum doctrinae periculum faceret, respondit: « in veritate si essetis ambo fratres mei germani non haberetis aliter, nisi per gladium examinis habentis » *Salimbene* §. 23. Postremo omnium primus, quod postea in more fuit, gratum se reddidit devotis ac benefactoribus ordinis eisdem, datis litteris anno MCCLXV. participationem omnium bonorum spiritualium totius seraphicae religionis concedens, de quibus Affò pag. 162.

XCV. Fortitudinis virtute et inclaruit Beatus in sustinendis pro Dei gloria laboribus et pro exaltatione sanctae matris ecclesiae catholicae; in abdicandis sibi oblatis amplissimis dignitatibus, in administratione totius ordinis, in austeritatibus postremo, vigiliis, precibus, quibus corpus maceravit triginta ferme annorum curriculo in eremitorio Graecii. Unde merito de eo sic scribit auctor coaevus Ubertinus Casalensis in libro *arbor. vitae crucif.* lib. 5. cap. 3. « Nec est negligendum testimonium Dei devoti sancti et maioris perfectionis viri, qui in diebus nostris extiterit, quantum in exterioribus colligi potest signis sanctissimi fratris Ioannis de Parma, qui generalis istius ordinis fuit et clarissimus doctor, et virtuosissimus praedicator, et tantae perfectionis in austeritate et humilitate, et charitate, contemplationis sublimitate et solitudine et fuga omnis vanitatis mundanae et totius zelo Dei corrosus. »

XCVI. Excultus etiam fuit Beatus praestanti fide, spe et charitate. Alta mente divina mysteria recolebat, et captivabat intellectum suum in fidei obsequium. Divinam legem ferventibus concionibus populo enunciabat, et eo fructu, ut multorum deviorum corda emolliret, et ad lacrymas excitaret. Divina interim et ordinis mandata inculpate servabat, ut fidem perpetuo aleret, quae sine operibus mortua est. Habuit etiam firmam in Deo spem consequendi vitam aeternam, merito bonorum operum divinae gratiae auxilio, quibus impigre ab infantia operam dederat. Cuncta postremo contempsit mundana, ut coelestem patriam consequeretur. Summo amore Deum diligebat, eiusque gloriam omni studio procurabat. Exardescebat insuper charitate prorsus singulari in ss. eucharistiae sacramentum; multis namque precibus se dabat antequam sacrum ageret. Hinc meruit aliquando, ut ei angelus ministraret in sacrificio missae. *Salimbene* §. 64., *Chronaca* 24. *generalium ordinis*.

XCVII. Devenerat Beatus ad annum octogesimum primum aetatis annum cum intellexit, Gregorio a Cypro patriarcha et Andronico imperatore Constantinopolitano agentibus, fidei unitatis cum romana ecclesia vinculum iam a Beato initum felici exitu, fuisse solutum, carceres interim inclusis vel exilio mul-

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1600.	an. 8. et 9.	anno 24.	anno 393.

etatis catholicis praelatis. Quare Beatus, Matthaei de Aquasparta cardinalis opera usus, a Nicolao IV. pontifice olim franciscalium generali ministro, veniam impetravit iterum Constantinopolim se conferendi, ut tot gravissimis malis solicitam medelam afferret. Igitur itineri se lectus committens, ut coenobium Camerinense accessit, aetate laboribusque gravatus in haec verba prorupit: *haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo quoniam elegi eam.* Mox sanctis ecclesiae sacramentis munitus, die XIX. vel XX. Martii anno MCCLXXXIX. sanctam Deo effavit animam. Quarto anno ante sui felicem transitum expressum verbum ab eo audivit Ubertinus a Casali, qui etiam miracula recenset ad eius invocationem patrata, hisce verbis loco citato: *cuius glorificationis in coelis tam multiplicia miraculorum testimonia glorificatorum suorum humilium Iesus reddidit mundo, quod raro memini me legisse alicuius sancti magis multiplicata miracula a multis diebus. Nam et mortuos plures suscitavit, et a periculo mortis aperto quamplures eripuit, caecis, mutis, surdis, fractis, contractis, aridis, et omnium infirmitatum necessitatibus in tanta copia subvenit, quod quando minus a carnali ecclesia quam urgebat fortissime extitit approbatus, tanto magis videtur in coelesti ecclesia numerosa miraculorum operatione dotatus.* Et post pauca: *et dum ego in remotis agerem.... frater Salomon minister Marchiae venit ad locum asserens sanctum Dei Ioannem decessisse, et innumeris miraculis coruscare.* Similia tradit s. Bernardinus Senensis tom. 4. serm. 16 pag 88.

XCVIII. Institutis pro eius cultus adprobatione ab anno MDCCIV. actis, opera et studio Francisci Viviani Camertium episcopi, multisque difficultatibus ob eius scripta, potissime de opere *Evangelii aeterni* eidem falso attributo, superatis, tandem prodiit die XVI. Iulii anno MDCCLXXIV. primum s. r. c. decretum pro signanda introductione causae eiusdem Beati. Alterum etiam decretum latum fuit ab eamet s. c. sub die XXV. Februarii anno MDCCLXXVII. super validitate processuum ab episcopo Camerinen. actorum de immemorabili cultu Beato praestito. Postremum vulgatum fuit die XXIV. Martii eiusdem anni ab eadem s. r. c., quo indulgetur, ut quotannis, die a ministro generali ordinis adsignanda, recitari possit divinum officium, et missa celebrari ad Beati honorem.

Ex actis mss canonizationis.

XCIX. Hoc eodem anno corpus b. Petri a Moleano, qui die XXV. Iulii decesserat in laudato coenobio s. Petri Camerini anno MCDXC. iuxta ea, quae scripsit b. Baptista Varana in epistola quam typis commisimus anno MDCCCLVII. data ad ducissam Urbini, e sacello immaculatae Conceptionis ecclesiae s Francisci, ubi ab anno MDIII. sepositum fuerat, solemni pompa translatum fuit die VIII. Maii subtus altare in sui honorem erectum, ante aram b. Ioannis. De eo etiam institutis processibus pro immemorabilis cultus probatione, subsequens prodiit s. r. c. decretum.

Ad supplices instantias f. Iosephi Amadei a Taurino sacerdotis professi ordinis minorum de observantia s. Francisci, et causarum beatificationis, et canonizationis servorum Dei praedicti sui ordinis postulatoris, proposito in s. r. congregatione ordinaria ab eminentissimo et reverendissimo d. card. Cavalchino ponente dubio — An sententia lata a rmo episcopo Camerinen. super casu excepto a decretis san. mem. Urbani pp. VIII., sive super cultu ab immemorabili tempore praedicto Beato exhibito, sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur? — Sac. congregatio, audito prius r. p. d. fidei promotore, qui scripto, et voce suam sententiam exposuit, rescribendum censuit, affirmative, si sanctissimo

Digitized by Google

d. nostro videbitur. Die IX. *Augusti* MDCCLX. *Factaque deinde per me secretarium de praedictis eidem sanctissimo d. nostro relatione, sanctitas sua benigne annuit die* XVIII. *eiusdem mensis et anni* MDCCLX.

D. F. card. Tamburinus praefectus.

Loco ✠ Sigilli

I. M. de Lerma s. r. c. secretarius.

C. Eadem subinde s. r. c. indulsit divini officii ac missae ad sui honorem celebrationem, XIII. Augusti adsignato die a generali ordinis ministro, cum die XXV. Iulii solemnia ab universali ecclesia s. Iacobi apostoli peragantur.

Ann. min. ad ann. 1489. num. 3.

CI. Pauca de tanto viro scribit Waddingus; nos aliqua subiicimus ex adnotationibus positis in libello scripto a beata Baptista ex Camertum ducibus Varanae gentis in morte Beati, a nobis, ut paullo ante diximus, edito. Natalem habuit Beatus anno MCDXI. Moleani dioecesis Firmanae ex nobili vetustaque familia de Corradinis. Adolescentiam inculpatam egit, et humanioribus litteris operam dedit tum in patria tum in urbe Firmana. Cum esset annorum tredecim, mirabili visione ad ordinem fratrum observantium vocatur. Verum a saeculi vanitatibus illectus, divinum consilium modis omnibus reluctabatur. Anno aetatis suae vigesimo secundo in universitatem Perusinam, ut caesareo iuri incumberet a maioribus missus, prae ingenii dexteritate penes omnes gratia florebat et doctrina. Exacto ibidem triennali tempore, Perusium advenit b. Dominicus a Lionissa, Septempedae in Piceno natus, ex minoritis de observantia concionator fervidus, quem cum audisset Petrus, tanto divinae gratiae lumine illustratus fuit, ut facti poenitens, inter suos adscribi summis precibus impetravit. Tyrocinium inchoavit in coenobio Carcerum prope Assisium, annos numerans viginti quinque.

CII. Vix divinis litteris instructus ac sacerdotali inauguratus dignitate, munus concionatoris sibi commissum, magno animarum fructu et ardenti zelo explevit. Eum in divino verbo disseminando socium habere voluit s. Iacobus Picenus, cum quo varias Italiae urbes perlustravit. Fabriani e nostris dicens Bartholomaeum ibidem natum, utroque iure exultum qui ad conciones suas, ut eum ludibrio haberet, advenerat, Christo lucrifecit, et minoritis postea adscriptus sanctam vitam duxit, et in osculo Domini occubuit. Cum Fabriani praedicaret, solo crucis signo adolescentem ab annis quinque attractum viribusque pene destitutum sanavit. Eodem crucis signo incolumem reddidit puellam Camertem, quemdam caecum, et iuvenem Urbinatem toto corpore ulceratum. Alibi etiam, praecipue vero in Urbe Asculana et Firmana multis inclaruisse miraculis tradit b. Baptista in epistola missa ad ducissam Urbini.

CIII. Romanam provinciam anno MCDLXXII. et Picenam anno MCDLXXVII. administravit. Camerinum anno MCDLXXX. pro visitanda sibi commissa familia adveniens, hortatu episcopi et Iulii Caesaris Camertium ducis concionem habuit, in qua cum praesto esset Camilla eius filia spectatissima virgo, proposuit in corde suo vitam cum Christo absconditam in claustro ducere, quod primo Urbini praestitit, postea Camerini in monasterio s. Mariae Novae a parente suo excitato. Ex tunc Camilla, in instituto Baptista, semper prae caeteris habuit Beatum suae conscientiae moderatorem.

CIV. Idem Beatus anno MCDLXXX., et interim anno MCCXC. administri provinciae picenae munus obtinuit. Cum hoc anno die veneris et visitationis Deiparae Camerini coenobium et monasterium visitaturus, equo insidens, appropinquasset, ante fores urbis pausliper substitit, oculos in coelum levavit,

visusque est quidpiam inde laetus percipere. Dominica sequenti correptus ardenti febre, stomachi et capitis dolore per tres hebdomadas decubuit, laetanter tamen et hilariter omnes excipiens, etsi omnibus suum praedicaret discessum. Comertum princeps Iulius Caesar cum filiis cum paullo ante mortem invisens, laetitiam mox morituri admiratus est. Ille, vocato h. Iacobi Piceni Francisco nepote, quaedam secreta ei revelavit. et per dies tres confessione generali conscientiam aperuit; sanctissimum recepturus eucharistiae sacramentum ad ecclesiam inter fratrum brachia deferri voluit, ubi multis lacrymis, singultibus et suspiriis rogans Dominum, ut ab ergastulo carnis ad suum vellet evocare consortium, devotissime suum suscepit creatorem.

CV. Mortis diem non semel praedixit, et in agone positus totis duobus diebus satanam tentatorem vanas formas induentem, et qua terrorem incutientem, et qua a fide christiana abducere conantem aspexit; at per divinam gratiam vicit profligavitque, maxime quando fratribus adstantibus insinuavit, ut passionis dominicae historiam secundum Matthaeum perlegerent. Ex eius fere singulis sententiis incarnationis, vitae, mortis et resurrectionis Christi mysteria de quibus tentabatur, veterateri demonstravit, eoque effugato, sacro unctus oleo laetus ad coelum migravit die xxv. Iulii anno mdxc. s. Iacobi apostoli natalitiis sacro, eo tempore quo fratres in matutinis precibus hymnum *te Deum laudamus* concinebant, aetatis suae anno quinquagesimo. Corpus undecim mensium spatio subtus terram in coenobio ecclesiae s. Petri del Muralto iacuit, postmodum super terram arcae occlusum elevatum opera Guidobaldi Urbini ducis. Antequam elevaretur, plura ad eius tumulum evenerunt prodigia. Quatuordecim numerabantur vota ibidem appensa. Maiora tamen inspiciebantur postquam omnium oculis patuit, de quibus Beata in laudata epistola ad ducissam Urbini missa.

CVI. Hoc anno Comes de Elda pro-rex insulae Sardiniae ob crebra prodigia, quae in dies evenirent ad sepulcrum, ac ad invocationem Salvatoris ab Horta in ecclesia s. Mariae de Iesu fratrum minorum de observantia Caloris, impensis suis perpulchrum sacellum ac sarcophagum, ut sacrum viri Dei corpus integrum viventique simile reconderet, instruendum curavit. Hinc consilio habito cum Alphonso Lasso de Ledeno archiepiscopo Calaritano, solemni pompa illud intra arcam praedictam occlusum, repositum fuit in s. Petri sacello. Eodem hoc tempore ad eamdem Insulam in causa omnium regularium advenientes visitatores apostolici, laudatum corpus et ipsi inspexerunt, qui virtutum et miraculorum eius fama commoti, p. Dimae Serpi olim administro provinciae eiusdem instituti mandavit, ut cuncta tam in Sardinia, tam in Catalaunia de iis expenderet, Romamque ad summum pontificem mitteret, ut quantocius h. Salvator inter coelites adscriberetur. Litteris eorumdem visitatorum et archiepiscopi Calaritani instructus, in Hispaniam advenit, ac cum Idelphonso a Coloma episcopo Barcinonensi agens, rem brevi tempore confecit. *Acta ss. ad diem 18. Martii tom. 2. pag. 691. et seq.*

CVII. Philippus iii. Hispaniarum rex sequentes litteras subinde ad summum pontificem Clementem viii. misit pro festinanda viri Dei canonizatione. *Ibidem pag. 206.*

SANCTISSIME PATER

Duci de Escalona consiliario et legato meo scripsi, ut cum sanctitate tua loquatur de canonizatione, quam franciscani fratres et coronae Aragoniae ministri naturales deberi dicunt fr. Salvatori ab Horta fratri laico eiusdem religionis ex meo principatu Catalaunico oriundo, cuius corpus hodie invenitur in templo monasterii de Jesu civitatis Calaritanae

Digitized by Google

in meo regno Sardiniae. Precor sanctitatem vestram, ut plenam fidem adhibere dignetur omnibus circa negotium hoc tibi meo nomine referendis a duce praedicto, eique necessarium omnem favorem et gratiam ad hoc opportunam praestare. Nam praeterquamquod ea res tendat in servitium et gloriam Dei, ac Domini nostri, sanctorumque eius, ego quoque ex eadem laetitia fructum capiam singularem, et gratiam a vestra beatitudine mihi factam agnoscam, cuius sanctissimam personam Dominus noster custodiat, felicemque reddat ad regimen suae universalis ecclesiae.

Datum die XVII. *Ianuarii anno* MDCIV.

Sanctitatis Vestrae

Humillimus et devotissimus filius

D. Philippus Dei gratia rex Castellae, Aragoniae, etc.

CVIII. Defuncto Clemente VIII. pontifice, s. r. congregatio, mandante eius successore Paulo V. hoc tulit responsum in causa laudati Salvatoris. *Differatur canonizatio, quia alii priores et antiquiores sunt in congregatione praesentati, pro quorum canonizatione facti fuere processus, informationes, diligentiae, testificationes, et alia plura. Verum quod interim Beatus Salvator ab Horta cum hoc titulo et miraculis imprimatur, publiceque portetur ad maiorem fidelium consolationem. Die* V. *mensis Februarii* MDCVI.

Benedict. XIV. de serv. Dei beat. et canoniz. lib. 3. c. 24. §. 32. n. 117.

CIX. Anno insequenti cautum fuit a s. r. c. ne deinceps Beati corpus ab arca, in qua repositum fuit, amoveretur, et clavibus reseratum diligenter custodiretur. Ea s. r. c. verba: *in ecclesia s. Mariae Iesu Calaritanae civitatis corpus s. Salvatoris de Horta ordinis minorum magna cum populi devotione et veneratione quiescere et asservari, sacrae rituum congregationi pro parte archiepiscopi, et promotoris curiae dictae civitatis narratum est, quod licet inclusum sit in capsa, et clavibus reseratum diligenter custodiatur, tamen ad instantiam nonnullorum nobilium dictae civitatis virorum inde asportatur, et in privatorum domibus super corpora infirmorum ponitur: unde fit, quod corpus ipsum deturpetur, et manuum pedumque eius ossa a diversis fidelibus indiscreta devotione furtive ablata sint, Quare archiepiscopus, et promotor praedictus s. domino nostro supplicaverunt, ut sub censuris et aliis poenis per litteras suas in forma brevis expediendas provideat, ne in futurum corpus praedictum a capsa in qua conservatur, quavis de causa vel occasione amoveatur. Et cum negotium hoc a sanctitate sua sacrae rituum congregationi remissum fuerit, eadem sacra rituum congregatio censuit gratiam petitam esse iustam et posse concedi: et ita declaravit die* I. *Septembris* MDCVII.

Idem ibid. n. 119. et seq.

CX. Mense Augusto anno MDCXXXIII. rati fuerunt processus apostolici ex pontificis mandato confecti, menseque Novembri eiusdem anni, lato altero decreto, Beati virtutes rigoroso examine expensae, adprobatae. Mense interim Martio anno MDCXXXV. primum ex propositis miraculis velut indubium recognitum fuit. Insequenti anno, ut Beati cultus solemnior redderetur, Urbanus VIII. *Ad augendam* die XVI. Maii anno MDCXXXVI. indulgentiam plenariam concessit Beati oratorium visitantibus.

CXI. Ut autem generalibus eiusdem Urbani VIII. decretis anno MDCXXV. super Beatorum cultum editis obsequeretur, anno MDCXCIII. ab Innocentio XII. delectus fuit pro construendis iisdem actis ad normam laudati decreti cardinalis Fabronius Urbis vicarius, qui tandem anno MDCCXI. protulit de Beati cultu decretum, a Clemente XI. die XXIX. Ianuarii probatum.

Digitized by Google

Anno Christi	Clementis VIII.	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1600.	an. 8. et 9.	anno 24.	anno 393.

CXII. Coacto in coenobio aracoelitano de Urbe generali comitio fratrum minorum de observantia, ubi summi pontificis voluntate praesedit Camillus Borghesi s. r. e. cardinalis, loco Bonaventurae Secusii, iam patriarchae Constantinopolitanae ecclesiae munus legati tunc agentis pro ineundo inter Henricum IV. Galliarum regem et Carolum Emmanuelem Sabaudiae ducem pacis foedere, delectus fuit die XX. Maii ad moderandum eumdem ordinem Franciscus de Sousa Hispanus ex s. Iacobi provincia, a pontifice eo in munere confirmatus: *Cum sicut* die V. Iunii. In eo comitio die sacro pentecostes inter ingentem christifidelium numerum ob sacri iubilaei solemnia celebrato, concionem ad fratres habuit Balthassar Pachecus Salamantinus. Commissarii generalis cismontanae familiae officium consequutus est Ioannes Franciscus Macolinus iam minister provinciae Bononiensis et definitor generalis; procurator generalis ordinis in curia romana Ioannes Rada ex provincia s. Iacobi, et commissarius eiusdem curiae Marcus ab Antiquo provinciae Marchiae pater. Pro ultramontana familia definitores generales instituti fuerunt Andreas Banonus provinciae s. Ludovici minister, Ioannes Baptista Moles iam commissarius curiae romanae, Ioannes Cepeda minister provinciae Conceptionis, Ioannes Ruffus provinciae s. Bonaventurae minister, Gaspar Cholerus provinciae Argentinae minister, et Balthassar Vincentinus provinciae inferioris Germaniae minister. Cismontanae familiae definitores electi fuerunt Franciscus a Palumbaria Romanae provinciae pater, Franciscus a Belgioioso provinciae s. Francisci ordinis iam secretarius. Vincentius a Politio minister provinciae Siciliae, Antonius Bosnas provinciae Bosniae Argentinae minister, et Paulus a Sulmone provinciae s. Bernardini custos. Moderator coenobii Ierosolymitani institutus fuit Franciscus Manerba ex provincia Brixiensi, coenobii Constantinopolitani Ioannes a Contorso ex provincia Principatus; Ioannes autem a Luca ex provincia Florentiae confirmatur guardianus s. Clarae Neapolis. *Chron. seraph. tom. 1. pag. 509.* *Sbaral. lib. 8.*

LEGES EDITAE PRO UTRAQUE FAMILIA.

CXIII. 1. « In provinciis quae ad minus decem habent conventus, non fiat electio discreti mittendi ad capitulum provinciale. »

2. « Superiores negligentes punire eos, qui impetraverint favorem extra ordinem aut habuerint recursum ad tribunalia aliena, subsint poenis ipsorum delinquentium. »

3. « Nemo etiam praesenti vel imminenti necessitate possit pecuniam expendere sibi oblatam, sine assensu ministri aut guardiani, sub nota proprietarii. »

4. « Nemo habeat aliam supellectilem, quam sibi concessam a guardiano suo. »

5. « In locum definitoris provincialis defuncti extra tempus capituli subrogetur antiquior provinciae pater, qui minister aut definitor prius fuerit; vel, si nemo sit talis, subrogetur guardianus loci principalioris. »

6. « Is si per biennium munus definitoris exercuerit, non possit eligi in definitorem in capitulo sequenti. Idem fiat, si definitoris officium quocumque modo vacaverit. »

LEGES EDITAE PRO FAMILIA CISMONTANA.

CXIV. 7. « Nemo collocari possit de familia in conventu extra propriam provinciam neque sub ratione studii, lectoris, praedicationis, neque sub aliquo quocumque respectu. »

8. « Ministri infra quindecim dies remittant in provincias suas fratres exteros quos invenerint, non incorporatos, sub poena privationis officii. »

Digitized by Google

9. « Nemo exeat a sua provincia titulo praedicationis in adventu et quadragesima; sed ad ministros pertineat praedicatores distribuire per loca. »

10. « Praedicatorum eleemosynae sint conventus in quo ipsi manent de familia, etiamsi praedicent generalis iussu in alienis provinciis. »

11. « Guardiani concedant infirmis ea omnia, quae medici ordinaverint. »

12. « Sanis fratribus sigillatim ministrentur in prandio sex unciae carnium, et aliae sex in coena cum suo iure in utraque mensa. Si vetitus sit esus carnium, dentur ipsis in prandio sex unciae piscium. Guardianus qui contrafecerit, officio absolvatur, et in eamdem poenam incidat minister, qui guardianum impune dimiserit. »

13. « Removeatur ab officio minister, qui ad unguem non servaverit decreta apostolica circa receptionem novitiorum; et guardianus qui infringi permiserit in suo conventu statutum generale de oratione. »

14. « Nemo minister vel guardianus sub poena privationis officii habeat cappellanias, exceptis locis ultramarinis, oratoriis, vel confraternitatibus, quae fundatae sunt a nostris patribus, aut a longo tempore receptae, ac praeterea locis illis in quibus princeps vel communitates volunt, ut fratres celebrent. »

15. « In solemnitatibus, atque obitu sororum, ii tantum accedant ad monasteria ad celebranda divina officia, qui mittuntur a superioribus. »

16. « Possit etiam sacerdos esse socius confessarii monialium, dummodo non audiat earum confessiones. »

17. « Nec minister extra provinciam, nec guardianus extra limites loci sui quaestores mittat. »

18. « In conventu Aracoeli sint de familia duo patres maturi ac prudentes, qui causas fratrum coram procuratore et commissario curiae audiant, eisque assistant in iudicio. »

19. « Si contravenientes constitutioni Clementis VIII. de muneribus non recipiendis puniti non fuerint, superiores in eo negligentes eisdem poenis subiaceant. »

20. « Revocantur et annullantur poenae omnes excommunicationis et suspensionis a divinis, per quaecumque statuta tam generalia quam provincialia inflictae fratribus cuiuscumque familiae commutandae in poenas alias, arbitrio superiorum. »

LEGES EDITAE PRO GALLIS ET BELGIS.

CV. 21. « Commissarii sint nationales, qui non possint condere statuta sine consensu definitorum. »

LEGES EDITAE PRO HISPANIS.

CVI. 22. « Lectores artium liberalium qui non legerint in conventibus principalioribus, non praecedant vicario conventus. »

23. « Ministri non sumantur ab alienis provinciis, nisi magna ex causa et consensu totius definitorii. »

24. « Vota pro receptione novitiorum ad habitum dentur per calculos albos et nigros. »

25. « Qui docuerit theologiam per annos duodecim gaudeat privilegio statuti Vallisoletani, hac conditione, ut anni illi continui intelligantur, et quod in saeculo vel in religione integrum prius liberalium cursum artium perlegerit. »

LEGES EDITAE PRO INDIS.

CVII. 26. « Commissarii generales Indiarum maiora coenobia visitent, praesint comitiis, nec in statutis provinciarum dispensent sine consensu ministrorum et

Digitized by Google

definitorum, nec se intromittant de receptione novitiorum ad habitum aut fratrum incorporationibus. Maneant insuper procul a curia. »

27. « Incorporatio non relicta libertati ministrorum et definitorum sit nulla. »

28. « Ministri possint mittere unum vel alterum fratrem ad curiam regiam rationem reddituros superioribus praelatis de statu provinciarum. »

29. « Venientes ab Indiis non ferant aurum, argentum, lapides pretiosos, vel aliud simile sub poena proprietarii. »

30. « Socii commissarii promoveri nequeant ad officia guardianatus et provincialatus. »

31. Commissarii non deiiciant fratrem aliquem maxime dignum ab officiis honoris, praetexta causae in iudicium adducendae. »

32. « Definitores actuales nequeant eligi in custodes pro comitiis generalibus. »

33. « In conventibus principalioribus deputentur fratres qui alios doceant indicum idioma. »

34. « Commissarii non petant litteras testimoniales a fratribus circa suorum officiorum administrationem. »

35. « Carcere includatur et in exilium mittatur quicumque, si ministrum suum pro suspecto habuerit in causis agendis. »

36. « Qui ad Indos iverit sub commissarii obedientia, et destinatam provinciam non petierit, sit apostata. Si minister aut guardianus cum ad provinciam suam non remiserint, sint officiis privati. »

37. « Vicecommissarius Indiarum in conventu s. Francisci Hispalensi certior reddatur de rebus omnibus quas fratres in Indias deferunt, ab eoque ipsi accipiant litteras testimoniales deferendas ad ministros. »

38. « Qui in tabulis capitularibus sunt approbati, ut in Indias mittantur, tales sint, nisi aliqua postea sui honoris publica nota fuerint maculati. »

39. « Ministri quaerant exactam rationem de elcemosynis quae dantur custodibus accedentibus ad capitulum generale. » Cuncta haec rata habuit pontifex: *Ex iniuncto* die v. Iunii.

CXVIII. Praeter haec, alia etiam observari mandavit sequenti vulgata epistola supremus ordinis administer.

Fr. Franciscus de Sousa totius ordinis fratrum minorum s. Francisci minister generalis et servus.

Reverendis patribus ministris caeterisque nostrarum provinciarum Italiae ac aliarum illi adiacentium religiosis salutem et pacem in Domino.

Cupientes nos, iuxta nostri muneris rationem, abusus aliquos ques temporis longitudo contra regularem disciplinam solet invehere, eradicare: post commendatum Domino negotium a spiritualibus quibus id commisimus, personis, et susceptum a viris scientia et conscientia praeditis consilium, aliqua ordinare decrevimus, quae superioribus omnibus in visceribus Iesu Christi commendantes, in virtute s. obedientiae observanda praecipimus; sub poena insuper privationis suorum officiorum ipsis mandantes, quatenus ea, rigorosam a transgressoribus poenarum impositarum exequutionem exigentes, a suis subditis observari procurent.

1. In primis ordinamus abusum extirpari residentiae ministri provincialis in uno tantum provinciae loco pro maiori sui officii tempore, neglecta visitatione caeterorum conventuum. Unde oritur fratrum defectibus non cognitis,

opportuna non adhiberi remedia, sicut adhiberentur si saepe saepius suorum officiorum tempore ministri conventus perlustrarent, in eorum quolibet per aliquot dies mansuri; ut experientia docente, quae in his casibus ab assistentia noscitur, quae ingruerint mala, perciperent.

2. Praecipimus ministris, ne litteras obedientiales de loco ad locum pergendi cuiuscumque conditionis fratri, sine determinati temporis assignatione, habito ad negotiorum qualitatem respectu, concedant: intra quod tempus sub apostasiae poena ad conventus in quibus de familia commorantur, teneantur redire. Quod si infirmitate vel alio interveniente casu, praefixum tempus excedere cogantur, de tali necessitate in suo reditu authenticam deferant cautionem: et contrafacientes, ultra apostasiae poenam, iuxta temporis dilationem puniantur, nec alias obedientiales litteras toto illius ministri triennio impetrare possint.

3. Licentiae a ministris aliter concessae nullae sint et invalidae.

4. Ministris etiam iniungimus, quod intra mensem ab harum ordinationum receptione, ex consilio definitorum modum stabiliant expedientiorem, quo generalis capituli statuta, circa indumentorum uniformitatem tam in forma quam in colore et vilitate panni exequutioni mandentur, omnimode procurantes, totum pannum in uno vel pluribus provinciae conventibus eiusdem rationis fabricari. Frater alterius formae aut diversi coloris habitum gestans, poena proprietarii puniatur: et guardianus id permittens, suo privetur officio. Declaramus tamen, quod habitibus ante harum nostrarum publicationem iam confectis uti possint, dummodo ex pretioso panno non constent, quem statim reiici omnino volumus.

5. Fratres nova indumenta suscipientes, vetera in communitate deponant, ut moris est in religione: nec ministri nisi unum habitum et unam tunicam fratres habere permittant. Qui vero indumenta mutare coguntur, ad communitates recurrant: super quibus ministros et guardianos sedulo invigilare praecipimus.

6. Ministri diligenter incumbant, ut sacrae theologiae et artium studia debita exercitatione promoveantur, et in ipsis studentes, quem cupimus, profectum adipiscantur. Ut autem id assequamur, sub poena privationis suorum officiorum ministris, guardianis, et lectoribus sequentia exequutioni tradere mandamus.

7. Litteras omnes patentes, tam generales quam provinciales, ad hoc usque tempus datas, eas, ac si nunquam datae fuissent, cassantes et annullantes penitus revocamus, earum concessionem ante hoc omnimode prohibentes. Verum ii soli qui actualiter legunt, et lectorum nomine et exemptionibus in religione solitis gaudebunt.

8. In quolibet theologiae studio duo saltem lectores legant, unus moralem alius speculativam theologiam, qui nullam nec etiam praedicationis occupationem subire possint: sed ordinate legentes, unus in mane alius in sero pro qualibet die consuetam lectionem habeant: una die disputationem, altera repetitionem praetexentes. Quolibet insuper mense generales quaestionum praelectarum tantummodo, et non aliarum conclusiones habebunt, alternatis inter speculativam et moralem vicibus, et respective alternata lectorum assistentia.

9. Studentes toto triennali theologiae cursu nec praedicent, nec praedicatores instituantur: imo patentes contra hanc dispositionem hucusque datas irritamus et annullamus; prohibentes illarum in posterum concessionem, nisi post tres integros annos in formali theologiae studio diligenter exactos, et postquam

Digitized by Google

examine praevio, examinatores cum iuramento instituendorum praedicatorum sufficientiam testificati fuerint.

10. In conventibus in quibus studiorum viget exercitium, nemo egrediendi de conventu studentibus ob particularia eorum negotia, nisi semel in mense, licentiam praebere possit: nunquam autem propter hunc egressum studentes lectionem aut repetitionem aut aliud ad studium pertinens intermittere valeant. Verum si aliquando ita urgeret necessitas exeundi, quod esset inevitabilis, tunc solus pater guardianus aut vicarius et non alius, studentem exeuntem comitetur. Poterunt tamen studentes cum tota communitate egredi ad funeralia, processiones, et similia, quando scilicet egressus et regressus fiunt a tota communitate simul iuncta.

11. Superiores omnes privilegia et exemptiones a generalibus statutis concessas studentibus permittant: si tamen superior aliquid contra praedictas exemptiones studentibus imponeret, debeant ipsi prompte obedire, nec iidem, aut eorum lectores repugnantiam aliquam sanctae opponant obedientiae: postea vero ministrum reddere poterunt certiorem de talibus occurrentiis: qui graviter localem superiorem puniat, si absque urgentissima causa contra eorum exemptiones studentes vexaverit.

12. Idem omnino servetur in studiis artium, tam quoad lectiones et alia exercitia, quam quoad vagationes extra conventum: et penitus exterminetur abusus extra formalia studia uni vel alteri iuveni particulariter legendi; sed tantum in formalibus studiis studentibus legatur, ut in constitutionibus ponitur.

13. Quod si circa praedicta dubium aliquod oriatur, standum erit declarationi reverendissimi patris commissarii generalis aut ministri: et nemo sub praetextu aut colore has ordinationes observandi, se inobedientem praebere audeat.

14. Unaquaeque provincia in conventu, definitorum iudicio, apiori archivum habeat, in quo scripturae omnes tam ad provinciam in communi pertinentes, quam ad processus, visitationes, atque sententias reponantur: fiatque earum distinctum inventarium ministro cum archivi clave consignandum, et ab ipso suo successori resignandum.

15. Confessarii sub nullo praetextu denarios a poenitentibus recipiant: et contrafacientes a confessionibus audiendis in utroque foro sint ipso facto privati: quam poenam etiam incurrant confessarii tertiariarum confessionibus non deputati, ipsas tamen temere audientes.

16. Sacrista semper sit sacerdos: et minister aut guardianus contrarium permittens, ipso facto suo sit privatus officio: necessitate tamen cogente, sacristae sacerdoti laicus adiutor concedi possit.

17. Fratrum nemo mulieres, sine superioris localis licentia, in ecclesia alloquatur. Transgressor disciplinam faciat in communitate et a conventu expellatur.

18. Quilibet frater suam habeat cellam in dormitorio: et in una duo habitare non possint.

19. Districte praecipitur, ne quis fratrum cuiuscumque sit aetatis, gradus, et conditionis, saecularem personam in suam cellam introducat, absque superioris localis facultate, sub poena confusibilis expulsionis ab eo conventu.

20. Duo sint in conventibus maioribus ianitores, unus in minoribus, et ostia conventuum perpetuo clausa remaneant: saecularibus autem advenientibus praesto sint ianitores; qui si fratrem aliquem alloqui voluerint, de guardiani licentia id fiat, dummodo saeculares ultra primum claustrum non introducantur. Guardiani vero circa haec negligentes omnino suo priventur officio.

21. In quolibet conventu praecipiant guardianis ministri, ut duas servent accommodas pro advenis fratribus cellas, in quibus charitative recipiantur. Guardiani contrafacientes inviolabiliter a suo deponantur officio.

22. Silentium adamussim iuxta generales constitutiones servetur. Tempore vero silentii nullus frater alterius cellam ingrediatur, sub poena inobedientibus imposita.

23. Fratres amicitiam aut quamlibet familiaritatem excolentes cum monialibus nobis aut aliis subiectis, a conventibus in quibus circa hoc deliquerint, omnino exulent, et ad loca, ubi nullae sint moniales, mansuri mittantur, caeterasque poenas incurrant, quae in ordinis constitutionibus registrantur. Ministri id negligentes suis priventur officiis.

24. Ut omnis eliminetur abusus, et charitatis opera exerceantur, guardiani sub poena privationis officiorum fratribus de sua necessitate testimoniales medicorum fides habentibus, camisias et calceamenta provideant, dummodo eos omnimode his videant indigere. Teneantur autem totum hoc ad ministri notitiam deferre, ut ministri praedictos fratres talia deferre a necessitate coactos, in libro provinciae, tamquam ad omnia in ordine praelaturae officia inhabiles, cum vitam nequeant servare communem, annotari faciant.

25. Provideant guardiani suis fratribus iuxta ordinis statuta, quae ad ieiunandum necessaria sunt: vigilentque, ne ab aliquo frangatur ieiunium: nec in diebus ieiunio deputatis aliquid in coquina, nisi pro advenis fratribus advenientibus, et refici indigentibus pro serotina collatione coqui aut praeparari permittant.

26. A calepodiis omnis exulet curiositas, eorumque altitudo duos digitos non excedat.

27. Advertant provinciales ministri, quod si contra transgressores statutorum ordinis poenas in iisdem taxatas infligere neglexerint, ultra suorum officiorum privationem, severissime in provincialibus capitulis puniantur.

28. Distributivam et rectam iustitiam prae oculis habentes, praecipimus commissariis qui provincialibus praesident capitulis, ut digniores in ministros, custodes, et definitores eligi procurent: et definitorio cedula praesentetur, in qua fratres illi annotati existant, qui passivam vocem ad guardianatus et alia officia retinent; praeter quos nullus alius a superioribus nominetur aut proponatur, et ex quibus digniores semper eligantur, exclusis omnino capitibus partium, et scissuras in provincias profitentibus, et similiter pro gravi delicto poenitentiatis et infamibus; litigiosis etiam et inquietis, ac communem vitam sequi nequeuntibus, iisque maxime qui ad saecularium favores recurrunt. Patres commissarii et capitulorum praesidentes, qui in generali congregatione, et nostra diligenter facienda perquisitione, erga supradicta transgressores deprehenduntur, omnibus ordinis officiis irremisibiliter privabuntur....

29. Praesentia statuta, vel eorum transumpta una cum statutis capituli generalis habeantur in quocumque conventu, semel in mense legantur atque inviolabiliter observentur.

30. Postremo praesentibus nostris ministris omnibus, custodibus, guardianis, caeterisque patribus ac fratribus nostrae curae commissis, plenam facimus et amplam fidem, qualiter sanctissimus d. Clemens papa VIII. (post illam primam moderationem constitutionis circa bibliothecas factam a Sixto V. fel. rec. vivae vocis oraculo ad instantiam illustrissimi et reverendissimi d. cardinalis Matthaei ordinis protectoris, in qua revocavit sententiam excommunicationis im-

positam fratribus observantibus, praedictae apostolicae constitutioni contravenientibus) nostris supplicationibus inclinatus, saecundo praedictam constitutionem moderari dignatus est, auferendo poenas omnes in ipsa expressas, quas tamen vult sanctitas sua eos tantummodo afficere et comprehendere, qui bibliothecae praedictae defraudabunt; contra quos militat etiam constitutio sanctae memoriae Pii v. non adhuc revocata. In cuius rei fidem praesentes fieri iussimus nostra manu obsignatas, et nostri officii sigillo munitas. Quarum transumptis manu ministri provinciae signatis, et sui officii sigillo apposito, in sua provincia etiam impressis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datis in nostro conventu ss. Annuntiatae Genuae die xiii. Octobris mdc.

F. Franciscus de Sousa minister generalis.

CXIX. Idem ordinis administer pontificis mandato procuratoris generalis reformatorum munus antea expletum a coenobii s. Francisci Traustyberim de Urbe guardiano, voluit ut ab altero eiusdem instituti viro, a caeteris curis absoluto, perageretur. Omnium primum delegit Ludovicum a Roma; at eo a suis reiecto, eodem anno per visitationis apostolicae praelatos institutus fuit Petrus ab Arcu de Veneta reformatorum custodia. *De Gubernatis tom. 1. pag. 417.*

CXX. Incoluere fratres minores de observantia aliquot novas aedes diversis in provinciis. Pro eis positus fuit conventus s. Antonii de Merceanna dioecesis Ulyssiponensis in provincia s. Antonii, instructus impensis d. Damiani de Aquilar, regii principatus Portugalliae cancellarii, reservato sibi suisque patronatu. Inhabitatur a xii. fratribus. In provincia Maioricarum pro eis etiam extitit conventus s. Bonaventurae apud oppidum Lucimaioris, incolarum eleemosynis instructus in domo rurali d. Ioannis Garcia, quam cesserat Guilelmo Petrant provinciae administro, ubi fratres usque ad annum mdcvii. permanserunt, inde translati ad alium locum eiusdem oppidi. Eis etiam accessit conventus assumptionis b. Mariae virginis in campo Iaskensi dioecesis Zagabriensis in provincia Croatiae Caruiolae, instauratus a d. Thoma Erdeodi de Monyorokerck Bano Croatiae, Sclavoniae, et Dalmatiae. Oppidum anno mdxcii. Turcarum incursu multa mala tulit, ac permulti christifideles vinculis onerati adducti fuere in earumdem ditiones. In provincia immaculatae conceptionis Galiciamae recipiunt coenobium Calvariense erectum a d. Nicolao Zebrzydowski palatino Cracoviensi. Evangelista de Biachief accepit mandatum a pontifice: *Pro nostri* die xiv. Septembris, ut in provinciam Terrae Novae in Macedonia se conferret una cum aliquot suis sodalibus, et prope ecclesiam s. Blasii de Sacchiti coenobium erigeret. Conv. de Merceanna *Monum. prov.* Conv. Lucimaioris. *Monum. prov.* Conv. Iaskensis. *Greiderer tom. 1. pag. 136.* Conv. Calvariensis. *Monum. prov.* Conv. de Sacchiti.

CXXI. Alphonsus Vitalis hispanus ex minoritis de observantia episcopus Liparensis in Sicilia cessit fratribus de observantia coenobium s. Francisci titulo in sua civitate erectum, antea a patribus capucinis ob loci paupertatem derelictum. Eo aedificiis aucto, ad illud incolendum efflagitavit fratres sui ordinis ex provincia Calabriae. Incoluere fratres provinciae s. Nicolai conventum s Mariae de Constantinopoli prope oppidum de Butrugno dioecesis Hydruntinae, a patribus eremitanis per tres annos inhabitatum, derelictum. Peculiaribus expensis illum excitaverat d. Tarquinius Maramontius de Lycio tunc temporis oppidi dominus. Incolitur ab vii. fratribus. Apud Fontanetum oppidulum in Pedemontio dioecesis Vercellensis recipiunt iidem fratres domum excitatam prope ecclesiam nativitatis b. Mariae virginis, expensis universitatis. Titulum etiam praeefert s. Mariae Gratiarum ob crebra miracula, quae in Conv. Liparensis. *Pirrus not. S. Liparensis ecclesiae tom. 2. pag. 693.* Conv. de Butrugno. *De Fasano p. 64.* Conv. Fontaneti. *Britius pag. 176*

Digitized by Google

dies consequuntur ab eis, qui eo confluunt, aliquo morbo vel angustia laborantibus. Praesunt quinque fratres. Ob malorum hominum incursiones hoc anno iidem fratres abierunt e coenobio s. Mariae Angelorum prope Montorium provinciae s. Bernardini, erectum anno MCCXCIV. pro Clarenis, et anno MDLXVIII. fratribus de observantia a Pio V. concessum. Patribus iesuitis concedit pontifex: *Cum sicut* die VIII. Ianuarii partem coenobii s. Francisci Onaburgensis in provincia Germaniae inferioris, a viginti annis occupatam a Laurentio Scladero laico pro construenda ibidem pro suis domo.

CXXII. Scribit Hyacinthus Sbaralea in supplemento ad annales ordinis ad annum MCDLI. num. 17. fratres minores de observantia provinciae s. Ioannis Baptistae in insula Cretae vel Candiae praeter duos ea in urbe conventus, nimirum s. Ioannis Baptistae extra ipsius moenia et alterum s. Athanasii extra muros civitatis Rhithymnae, habuisse etiam hoc anno s. Barbarae conventum prope eamdem civitatem positum.

CXXIII. Missis a pontifice: *Destinavimus* die III. Novembris Leone a Mediolano monacho congregationis Cassinensium et Antonio Marzer minorita de observantia in insulam Corsicam tamquam visitatoribus apostolicis, fratres reformati obtinuerunt ab observantibus septem coenobia ex quibus custodiam erexerunt.

Iulius de Bastia in chron. prov. pag. 60.

FRATRUM REFORMATORUM IN INSULA CORSICAE CONVENTUS.

1. S. Francisci Brandi
2. S. Francisci Casinchiae
3. S. Francisci Nebiensis
4. S. Francisci Marianae
5. S. Francisci Orezzae
6. S. Francisci Tuvani
7. S. Francisci Alzipatri

CXXIV. In provincia Romana coepit esse pro eis coenobium s. Didaci Salisani sub iurisdictione abbatis Farfensis, ad D. P. ab eodem oppido, agente Britio Gentili loci archipresbytero, ac prioribus Lactantio Garzia et Clemente cardinali Passionei, cuius erectionem probavit pontifex: *Exponi nobis* die XV. Martii. Anno MDCII. hanc domum inhabitarunt. Raphael episcopus Zacynthi et Cephaloniae anno MDCXII. die XXVII. Maii ecclesiam sacris ritibus consecravit. In provincia Genuae eis obvenit summi pontificis decreto: *Cupientes* die XII. Ianuarii conventus s. Mariae Angelorum Alassii; in provincia Marchiae concessus eisdem fuit ab observantibus conventus s. Francisci Aesii in provinciali congregatione Camerini habita hoc anno.

Conv. Salisani. *Monum. prov.*

Conv. Alassii.

Boldassini p. 268.

CXXV. Fratribus discalceatis provinciae s. Ioannis Baptistae accessit coenobium s. Barbarae de Alcudia dioecesis Valentinae ab eadem villa CCC. P. distans, in loco nuncupato s. Ioannis de la Rivera. Totius operis molitionem ad finem adduxerunt tum incolae tum d. Angela de Monteacuto. Coenobium cum valetudinario instruxit propria in domo sub invocatione s. Didaci in civitate Vallisoletana dux de Lerma pro discalceatis provinciae s. Pauli, eisque omnia mobilia suppeditavit. Anno insequenti utramque aedem incoluere.

Conv. de Alcudia. *Paues tom. 1. pag. 259.*

Conv. Vallisoleti. *Ioann. a s. Maria tom. 2. pag. 498.*

CXXVI. Franciscus card. de Ioyosa mandatum quod acceperat a pontifice anno mox elapso pro stabilienda fratrum recollectorum familia in provincia Aquitaniae Antiquioris, absolvit hoc vulgato diplomate.

Annal. min. ad an. 1599. num. 81.

Franciscus s. r. e. cardinalis de Ioyosa tituli s. Petri ad Vincula, reverendo ac venerabilibus viris custodi aliisque superioribus et fratribus ordinis s. Francisci fratrum minorum reformatorum provinciae Aquitaniae Antiquioris etc.

Nos mandatum apostolicum reverenter exequi cupientes, habita diligenti informatione comperimus, in dicta provincia sufficientem fratrum nume-

De Gubernatis tom. 2. pag. 402.

Digitized by Google

rum ad reformationem in bulla expressum existere, dictosque fratres vere desiderio perfectionis vitae moveri et reformari cupere, imo ab annis iam quindecim et ultra eam reformationem eos suscepisse, ac deinde religiose observasse; necnon in dicta provincia domos seu conventus quinque ad hujusmodi reformationem aptos ab ipsis inhabitari; quapropter reformationem in eadem bulla expressam apud praedictos fratres introducimus etc. pleniorem super his omnibus executionem, si opus fuerit, nobis reservantes etc.

Datum Tolosae die 11. *Iunii* MDC.

CXXVII. Fratribus tertii ordinis de poenitentia congregationis Gallicanae in custodia s. Dionysii obvenerunt hoc anno coenobia ss. Petri et Pauli Metis, et s. Mariae ac ss. Petri et Pauli Lauduni ex Franciae provincia minorum de observantia. *Monum. prov.*

CXXVIII. Piorum eleemosynis, opera m. Danielis a Nicosia, instructum fuit Vallettae in dioecesi Melitensi provinciae Siciliae coenobium pro instituendis in divinis litteris tyronibus fratrum conventualium. Coloniae etiam alterum collegium pro eis excitatum fuit, m. Ioanne Pelkenfio eiusdem instituti moderatore. Ob haereticorum in Germania devastationem periit hoc tempore eorumdem fratrum conventus Augustae Vindelicorum in provincia Argentina; plurimum pro eo recuperando adlaboravit anno MDCXXXII. p. m. Ioannes Ludovicus a Musis provinciae Argentinae minister; at frustra.

Conv. Vallettae. *Pirrus not. 7. ecclesiae Melitens. t. 2. pag. 926.*
Collegium Coloniae. *Ex arch. ss. XII. apostolorum de Urbe.*
Sbaralea in suppl. ad ann. ord. ad ann. 1221. n. 9.

CXXIX. Conventus s. Barnabae apostoli Gratasolii a II. m. a Mediolano extra portam Ticinensem obvenit fratribus claustralibus de tertio ordine, concessus, Basilio Gariboldo ministro provinciali, a Ioanne Baptista de Comitibus eiusdem ecclesiae abbate. Anno MDCIX. Paulus V. *Ex debito* VI. calendas Augusti hanc concessionem adprobavit. Olim spectabat ad prioratum ordinis Vallisumbrosae, quem inde occuparunt Carmelitae. In provincia Umbriae inhabitarunt ipsi coenobium s. Magni Ferentilli dioecesis Spoletanae, excitatum in praedio s. Ioannis Lateranensis de Urbe. Ante hunc annum incolebant etiam conventum s. Mariae de Sepulcro Vicovarii dioecesis Tyburtinae in provincia Romana, eis oblatum a Francisco abbate Ursino; item et conventum Laviniae, s. Mariae Gratiarum titulo. Tria haec coenobia inter suppressa numerantur. Hoc tempore extabat etiam conventus s. Luciae V. et m. Praenestae; at cardinalis Barberini eiusdem ordinis patroni iussu reditus transtulit ad conventum s. Apolloniae V. et m. Velitris.

Conv. Gratasolii. *Bordonius p. 335.*
Conv. Ferentilli. *Idem pag. 378.*
Conv. Vicovarii. *Idem pag. 391.*
Conv. Laviniae. *Idem ibidem.*
Conv. Velitris *Idem ibidem.*

CXXX. Capucini recipiunt in provincia Rhegiensi conventum in pago Cutri dioecesis s. Severinae, et in civitate Squillacensi; in provincia s. Angeli conventum in oppido Rhodii Sipontinae dioecesis; in provincia Hydruntina conventum in oppido Scorrani eiusdem dioecesis; in provincia Aprutina conventum in oppido Ophaeni Valvensis dioecesis; in provincia Neapolitana conventum Turris Octaviae dioecesis Neapolitanae: *Gregi* die XIII. Februarii, anno MDLXVIII. initum; in provincia Mediolanensi conventum in civitate Novariae: *Ex iniuncto* pridie Novembris; in provincia Leodiensi conventum in civitate Leodii; in provincia Bavariae conventum in civitate Monachii dioecesis Frisingensis; in provincia Bohemiae conventum Pragae in Hradschin; in provincia Lugdunensi conventum in civitate Montislucii Bituricensis dioecesis; in provincia Campaniae conventum in civitate Cavomontis dioecesis Lingoniensis *Ex Michaele a Tugio.*

CXXXI. Etiam moniales suas aedes multiplicarunt. Indulget pontifex: *Alias* die V. Octobris, ut nuncius apostolicus in Hispaniarum regnis facultatem con-

Digitized by Google

cedat Marianae Cetes et de Paz excitandi suis impensis monasterium sub m-

Monast. Vallisoleti. vocatione Immaculatae Conceptionis Vallisoleti sub regimine ministri provinciae

Monast. Graecii. minorum de observantia. In oppido Graecii voluit idem pontifex, datis litteris ad nuncium apostolicum apud Ferdinandum archiducem Austriae: *Dilectus in Christo* die XIII. Inlii, ut suppressis aliquibus monasteriis novum clarissarum instruere faciat, exorante pontificem Maria archiducissa Austriaca vidua. Idem pontifex indulsit: *Inter caeteras* XII. calendas Augusti Pasithoae Croci, ut in

Monast. Senense. parochiali ecclesia s. Aegidii Senis monasterium clarissarum sub invocatione s. Ioannis Baptistae erigat, sub cura archiepiscopi illius urbis. Eadem pientissima mulier ibidem professionem emisit. Interim adprobat fundationem monasterii

Monast. de Urbe. clarissarum capucinarum apud ecclesiam s. Urbani de Urbe in regione Montium: *Debitum* IX. calendas Martii pro introducendis virginibus commorantibus in domo puellarum dispersarum prope ecclesiam s. Euphemiae in Campo Carleo, si professionem religiosam ibidem emittere cupiant. Eodem hoc anno monaste-

Monast. Varsaviae. *Monum. prov.* rium s. Michaelis archangeli Varsaviae in provincia Poloniae erectum fuit piorum impensis pro monialibus de tertio ordine. Verum anno MDCCXII. suppressum, alio moniales translatae fuere.

Monast. Fulginei, Vesciae, Pergulae. *Monum. prov.* CXXXII. Fulginei in Umbria penes ecclesiam s. Sebastiani m. Paula a s. Ursula ibidem nata, congregationem virginum sub regula s. Angelae a Brixia erexit, aliquibus constitutionibus olim adiunctis a s. Carolo Borromaeo cardinali et archiepiscopo Mediolanensi. Eadem pia virgo alterum anno MDCXXI. posuit in pago Vesciae eiusdem dioecesis; et postremum Pergulae dioecesis Eugubinae in provincia Marchiae.

CXXXIII. Sorores de tertio ordine monasterii s. Elisabeth de las Montalvas, s. Elisabeth de Iesu oppidi de Arevalo dioecesis Abulensis, s. Elisabeth de la Crux, s. Elisabeth de Iesu oppidi de Olmeda laudatae dioecesis, et s. Elisabeth oppidi de Medina del Campo dioecesis Vallisoletanae vota solemnia emiserunt, et clausurae legibus sese addixerunt sub cura ministri provinciae Conceptionis. Haec rata habuit pontifex: *Cum sicut* die V. Septembris. Idem pontifex: *Exponi nobis* die XXI. Februarii immittit moniales carmelitas in monasterium s. Clarae oppidi de Manresa dioecesis Vicensis, sororibus vacuum.

CXXXIV. Capucini fratres luxerunt hoc anno Ambrosium Urbinatem, e patritia illius urbis Rodulphorum familia, Pragae defunctum; is una cum b. Laurentio a Brundusio suorum mandato eo missus fuerat, ut catholicam fidem eas in regiones haeresi utplurimum infectas disseminaret. Multa ab haereticis tulit. Vitae austeritate, piis operibus, signorumque virtute inclaruit. Aliqua in-

Sbaralea in suppl. tit. A. genii sui monumenta mss. reliquit, nimirum *tractatum dialogeticum de ss. sacramento, et compendium fidei catholicae contra lutheranos.* Mathema-

Idem ibid. tit. C. ticis disciplinis valde eruditus inter eos florebat Cherubinus Sandolinus Utinensis, qui Venetiis hoc anno apud Maiettum edidit *novam horologiorum inventionem continentem instrumenta universalia et particularia ad omnes arcus et horas germanicas, bohemicas, italicas, gallicas, et hispanicas diurnas, et nocturnas cognoscendas, et ad componenda per totum orbem horologia uniformia.* Librum etiam scripsit italice *de rebus Indicae navigationis.* Christophorus Veruchinus item capucinus scripsit et edidit Venetiis hoc

Idem ibidem. anno apud Misserinum *vitas et gesta ss. ecclesiae Veruchinae.* Apud coenobium capucinorum Portus Mauritii in provincia Genuae mss. adservantur con-

Idem ibid. tit. P. *ciones Romae habitae tempore Iubilaei anno* MDC. compositae a Paulo Caesenatensi, provinciae Bononiae ministro.

Anno Christi 1600.	Clementis VIII. an. 8. et 9.	Rodolphi II. anno 24.	Religionis Minorum anno 393.

CXXXV. Doctrinae praestantia hoc tempore florebat inter minoritas conventuales Andreas Berna Venetus, quamplurium operum auctor. Tervisii hoc anno typis mandavit *meditationes super psalmo* 6. *Domine, ne in furore tuo* etc. Lovanii Petrus Marsaeus edidit librum *de virtutibus et vitiis*. Philippus Gesualdi iam episcopus Cariatensis et Gerantinensis Vicentiae apud haeredes Perini vulgavit *plutosophiam seu artem memoriae tam naturalis quam artificialis perficiendae*. Opus commendatur a Daniele Georgio Moros, et a Paulo Aresio episcopo Dertonen. *Idem ibid. lib. X.* *Idem ibid. lib. P.*

CXXXVI. Desideratus est inter minoritas de observantia Franciscus a Tolosa, minister provinciae Cantabriae, definitor generalis, et in comitio anno MDLXXXVII. Romae habito minister generalis totius ordinis renunciatus, vir doctrina, prudentia, vitae probitate, regularisque observantiae zelo omnibus notus. Statim ab electione, studiorum profectui maximo conatu et sedulitate studuit. Puritatis amantissimus, *ita Dominicus de Gubernatis*, in vita regulari singulariter incubuit, et iuxta litteralem regulae rigorem fratres omnes vitam immaculato calle traducerent.... Expleto capitulo, ad visitandas provincias, indefesso labore, magna exemplaritate se contulit. Congregationem Neapoli (anno MDXC.) coegit. Tandem Vallisoleti (anno MDXCII.) celebrato capitulo generali onereque deposito, ad animae suae negotia totis viribus per exercitia sanctiora procuranda, ad sacram solitudinem in conventu Dominae nostrae de Aranzazu in sua Cantabriae provincia sese recepit. Inde brevi regredi coactus est, iubente Philippo II. rege catholico.... Factus episcopus Tudensis in Galitia (anno MDXCIII.) in pauperes et in ecclesias fuit adeo profusus, ut magni eleemosynarii cognomen audiverit, tempore praesertim saevissimae pestis quae anno MDC. universas afflixit Hispanias. Sicut pie vixit, ita piissime obiit. Scripsit *demonstrationes catholicas* Iuliobrigae anno MDCXXII. editas. *De Gubernatis tom. 1. pag. 240.* *Wadd. in. P.*

CXXXVII. Eiusdem instituti fuit Andreas a s. Francisco Giennensis provinciae Granatensis, qui agens guardianum coenobii Dominae nostrae de Algaydas composuit *opusculum de oratione et contemplatione* sub hispano titulo *el Baxo*. Decessit hoc anno sanctis moribus miraculisque illustratus a Deo. Fatis cessit et hoc anno doctissimus vir Hannibal Rossellius Calaber provinciae s. Francisci, de cuius scriptis nos fuse egimus Eum adprobasse in conventu Aracoelitano de Urbe degentem an. MDLXXXI. *enchiridion divinae scholasticaeque theologiae* Angeli del Pas, Genuae impressum anno MDLXXXII. tradit Waddingus. Matriti die XXIV. Iulii pie quievit in conventu s. Bernardini discalceatorum Ioannes Baptista de Madrigal provinciae s. Iosephi, de quo et Bollandistae nomen habent inter praetermissos. Eximiae vitae sanctitati adiecit animum ad studia, in quibus mire profecit. Conchae hoc anno edidit *tractatum mysteriorum missae*. Matriti MDCIII. prodiit eius liber cui titulus *homiliarum evangelicarum*. Ibidem edita fuit anno MDCIV. *introductio spiritualis et animae thesaurus*, plures tractatus complectens, in quorum primo *de confessione poenitentium*; in II. *de confessione confessariorum*; in III. *de excellentia ss. sacramenti*; in IV. *de mysteriis missae*; in V. *de meditationibus passionis Christi et utilitate de modo talis meditationis*; in VI. *de attinentibus ad perfectionem christianam*; in VII. *de amore Dei*; et in VIII. *de assumentibus nomen Dei in vanum*. Etiam sui *discursus praedicabiles* anno MDCVI. ibidem prodierunt. *Annal. min. ad an. 1585, num. 36, et seq. ann. 1590. n. 83.* *Wadd. a Sbarat. lib. I. Arturus ad diem 24. Iulii. Ant. Vr. ad hunc diem.*

CXXXVIII. Minoritae de observantia litteris florent. Dimas Serpi Sardus Barcinone hoc anno hispanice vulgavit *chronicam de sanctis Sardiniae*. Idiomate *Sbaralea lib. A.* *Wadd. in Sbarat. lib. D.*

hibernico *poemata multa sacra* quae memoriter ab Hibernis recitantur, compo-
Wadd. tit. E. suit Eugenius Odowheo, in Hibernia natus. In eis poematibus multa praedicit. Pa-
Wadd. tit. F. Idem tit. I. risiis edidit Franciscus Fevardentius *examen catechismi calvinianorum*, Ioannes Dubliulius provinciae Germaniae Inferioris minister et definitor generalis Coloniae vulgavit *Ierosolymitanae peregrinationis hodoeporicon, septem dialogorum lib. explicatum.* Item Leodici typis mandavit *orationem philippicam, qua inter luius saeculi tenebras veritatis domicilium demonstratur.* Sala-
Idem tit. I. manticae publici iuris fecit Ioannes de Ovando *librum de instructione praelatorum*, quem *Pastorale* inscripsit. Ludovicus de Rebelledo minister pro-
Wadd. et Sbaralea tit. L. vinciae Baeticae Hispali edidit apud Clementem Hidalgo *orationes funebres quinquagiuta*, et typis Francisci Perez ibidem etiam vulgavit *expositionem regulae seraphicae cum declarationibus summorum pontificum ac variis*
Sbaral. tit. B. *constitutionibus ordinis.* Circa id temporis Bernardinus Panormitanus elabo-
ravit *arborem beatorum Siciliae* a multis scriptoribus commendatum. *Mi-*
Idem tit. D. *scellanea pro sermonibus conficiendis* a festo pentecostes usque ad nativita-
Idem tit. F. tem Domini quae scripserat, hoc anno vulgavit Didacus de Arze, provinciae Carthaginensis administer. Franciscus Ortitius Lucidus Iunior nuncupavit Philippo III. Hispaniarum regi *tractatum de iusto pretio frumenti et hordei*, quem vulgavit Matriti sub titulo *respublica christiana*. Venetiis et edidit a se recognitas *homilias Francisci Panigarolae in evangelia dominicarum post pentecosten usque ad adventum Domini, Romae anno MDLXXX. habitas.* Michael de Agia Valentinus lector sacrae theologiae in conventu Guatemalae
Beristain in bibliot. hisp. americ. tit. A. in America edidit Matriti iussu pro-regis Mexici latine opus *de exhibendis auxiliis, sive de invocatione utriusque brachii tractatum ad licentiatum Paulum de Laguna, supremum Indiarum senatus praesidem amplissimum.*
Sbaralea tit. R. Raphael Argentinus Bonoujensis, suae provinciae minister, ac in mathematicis disciplinis excultus scripsit *tractatum de anno iubilaei seu de anno sancto cum quaestionibus ad eam materiam attinentibus.* Mss. adservari dicitur in
Idem tit. S. coenobio ss. Annuntiationis Bononiae. Patrio sermone Stephanus de Burellas Catalaunus scripsit et Barcinone edidit *centuriam aut historiam de comitibus Barcinonensibus d. Bernardo Barcina et d. Zinofro eius filio.*
Idem tit. A. CXXXIX. Vulgavit Neapoli ex reformatorum familia Antonius Vulcanus a Padula Lucaniae oppido, ex vetusta nobilique familia Neapolitana, a qua non pauci s. r. e. cardinales prodiere, opus *gemma celeste, e prezioso tesoro delle sante indulgenze, e del santo giubileo dell' anno santo.* Ioannes a
Idem et Wadd. tit. L. Cruce, qui forte idem est ac Alphonsus a Cruce discalceatus, praeses coenobii
Idem tit. K. s. Angeli Abulae in Hispania edidit Barcinone *discursus evangelicos et spirituales in praecipua festa b. Virginis.* Bergomi typis mandavit Hieronymus Acettus, vel Acceptus ex Urceis Novis Brixiani agri oppido ex stricliori observantia *elaboratum expositionem quaestionum Scoti in praedicamenta Aristotelis.* An autem idem sit ac Hieronymus Accetti dominicanus, non definimus. Florentius Graius Hibernus, Lovanii primum ad s. Antonii collegium,
Idem tit. F. deinde Dublini theologiae lector, scripsit *grammaticam hibernicam.* Thobias
Sbaralea tit. T. Hendschelius Germanus ex Tyrolensi provincia e latino in theutonicum idioma transtulit *bibliam veteris et novi testamenti*, ab episcopis Germaniae probatam. Cuius est Ulyssipone *triumphus gloriosae virginis Mariae* compositus
Idem tit. A. ab Antonio Angelorum Lusitano tertii ordinis s. Francisci, admodum pio, et
Idem tit. M. studioso erga beatam Virginem. Eiusdem instituti Marcus Ioannes Postcalenus Belga Antuerpiae typis commisit *de republica christiana novissimorum temporum libros tres.*

Anno Christi	Clementis VIII,	Rodulphi II.	Religionis Minorum
1600.	an. 8. et 9.	anno 24.	anno 393.

CXL. Promotus est hoc anno ad metropolitanam ecclesiam Dublineu. in Hibernia die v. Maii Matthaeus Ovetensis Hispanus; die xxv. eiusdem mensis ad ecclesiam Pampelonensem Matthaeus de Burgos; die xxiii. Octobris ad ecclesiam Niciensem Franciscus Martinengus, Caroli Emmanuelis Sabaudiae ducis confessarius; die xii. Maii ad ecclesiam s. Iacobi de Cile in America Ioannes de Espinosa; ad ecclesiam Caracensem in Corona Luzonia una ex Philippinis Insulis Franciscus de Ortega. Haec novimus ex Torrubia, qui scribit hoc anno eamdem episcopalem sedem dimisisse Aloisium Maldonatum iam electum ab anno mdxcv., et Petrum de Pila commissarium generalem Novae Hispaniae eidem suffectum dignitatem reiecisset. Iacobus Blassaeus Brugensis ab episcopatu Namurcensi transfertur hoc anno voluntate archiducum Belgi ad Audomarensem ecclesiam. Singuli fuerunt ex minorum de observantia instituto. Plura tribuit pontifex Thomae archiepiscopo Antibarensi eiusdem instituti, Serviae primati, pro consulendis christifidelium necessitatibus sub turcarum tyrannide degentium: *Cum sicut* die xv. Octobris;

Torrubia pag. IX.

Ex Gallia christ. tom. 3. pag. 476.

CXLI. Aliqua mandat et concedit summus pontifex. Mandat, ne recipiantur in monasterio b. Mariae de Martyribus Sacaven. dioecesis Ulyssiponen. puellae, nisi in aetate legitima pro inchoando novitiatu: *Exponi nobis* die xiii. Ianuarii; ut in partibus Indiarum non possint assumi ad munus provincialatus et aliquorum officiorum, nisi filii aut incorporati in illis provinciis: *His quae* die iv. Martii; revocat statuta super perpetuitate definitorum et patrum ordinis; *Seraphicum ordinem* die x. Aprilis; confirmat peracta a cardinali ordinis patrono quoad monasteria monialium in regno Lusitaniae: *Romanum pontificem* die xxiv. Aprilis; item et ab eo statuta circa habitum fratrum de tertio ordine eodem in regno degentium: *Ut ea* die xxvii. Aprilis; interdicit, ne aliquis concionaturus accedat ad monasteria monialium in eodem regno subiecta fratribus minoribus de observantia, nisi missus a superioribus dicti ordinis: *Cum sicut* die x. Maii; vetat, ne vasa aut paramenta sacra ecclesiae s. Francisci Salmanticae min. de observantia aliis mutuentur: *Inhis* die xxxi. Maii; absolvit ab apostasiae nota Michaelem Correardo Gratinopolitanum sacerdotem, et Othonem Cadocensem laicum capucinos, qui per quinderim menses adhaeserunt Henrico iv. regi verbo ac scriptis, vigentibus in eodem regno civilibus discordiis: *Clementissimi Dei* die xviii. Iunii; innovat constitutionem Sixti v. circa facultates concessas ministro ac fratribus provinciae Albaniae: *Religionis zelus* die xiii. Septembris; constituit Ioannem Franciscum Maculianum commissarium generalem super omnes fratres reformatos: *Cupientes* die ii. Octobris; quaedam statuit pro felici regimine provinciae Pietatis fratrum discalceatorum: *Militantis ecclesiae* die viii. Novembris; sub eadem die statuit, ut fratres in regno Peruano episcoporum iurisdictioni subsint quoad animarum curam: *Religiosorum*: ut archiepiscopus Calaritanus edita a visitatoribus apostolicis decreta executioni demandet: *Ex iniuncto* die ix. Novembris; tribuit facultatem regularibus praedicandi et sacramenta administrandi in regno Iaponico: *Onerosa* die xii. Decembris; ut fratres minores de observantia in ludis degentes non teneantur aliquid praestare seminariis puerorum ecclesiasticorum: *Religiosorum* die xx. Decembris; mittit Ioannem de s. Maria commissarium visitatorem in provinciam Angelorum: *Decet* ii. Martii; deputat fratres reformatos ordinis praedicatorum congregationis s. Mariae Semitatis pro confessionibus audiendis in monasterio s. Mariae Magdalenae Neapoli: *Ex aliquis* die xxx. Septembris.

CXLII. Subiicit ordinario loci monasterium s. Clarae Castri Ioannis dioecesis Fesulanae: *Cupientes* die viii. Ianuarii; monasterium s. Clarae Comensis: *Cum*

Digitized by Google

sicut die v. eiusdem mensis; monasterium s. Annae Suessae: *Cupientes* die x. Martii; monasterium Portus Mauritii dioecesis Albinganen. *Cupientes* die xx. Martii; monasterium s. Mariae Magdalenae Casalensis: *Cupientes* die xxm. Martii; monasterium Petrioli Firman. dioecesis: *Cupientes* die xi. Aprilis; monasterium s. Clarae Dertusan. *Cum sicut* die xiv. Octobris; item sub eadem die subiecta fuere ordinariis loci monasteria Tridenti, Feltriae, Papiae, ac monasterium s. Clarae Vercellis: *Cupientes* die xv. Martii. Pro monasterio tertii ordinis Durangi: *Expositum nobis* die x. Ianuarii, et pro monasterio s. Clarae oppidi Fanani: *Cum nos* die xvii. Septembris; ut episcopus Marsicanus componat discordiam inter capitulum canonicorum Avellani et fratres conventuales circa iura sepeliendi: *Exponi nobis* die i. Februarii; ut Eleonora Valasquez, et Isabella Pentosa fundatrices monasterii clarissarum Panamae redeant ad monasterium, a quo excesserant, Civitatis Regum: *Expositum* die xiv. Aprilis; erigit novitiatum in conventu observantium Urbevetano: *Ordinis vestri* die iv. Septembris; in conventu s. Francisci Assisii conventualium: *Ordinis vestri* die xxviii. Septembris; in conventu Bononiae: *Ordinis vestri* die vii. Octobris, et in conventu s. Francisci Florentiae: *Ordinis vestri* die vii. Novembris; et Panormi in ss. Annuntiationis conventu fratrum tertii ordinis: *Ordinis vestri* die iv. Novembris.

CXLIII. Idem summus pontifex privilegiatum declarat altare maius ecclesiae s. Ludovici episcopi ecclesiae fratrum *minorum* de observantia Massilien. *Omnium saluti* die iii. Februarii, precibus Henrici iv. Galliarum regis; altare s. Francisci in monasterio monialium s. Clarae oppido Nesvezii Vilnen. dioecesis in provincia Poloniae: *Omnium saluti* die xix. Iulii; et altare ss. Conceptionis de Meldula provinciae Bononien.

Flaminius a Parma tom. 1. pag. 619.

CXLIV. Quaedam prodigia notantur. Anna filiola unius anni et sex mensium, utroque pede ita clauda erat, ut non sine fulcris ire vel stare posset. At parentes eius Damianus Praessen et Maria Boermans Traiectenses, ut eam detulerunt ad beatam Virginem Traiecti ad Mosam feria secunda paschatis, qua celebratur supplicatio, et vix tertio sacerdos rem divinam pro ea celebravit, visa est repente in ipso sacello sana, fulcra ibidem relinquens.

Sedulius pag. 171.

CXLV. Narrat Franciscus Solerus e societate Iesu in historia ecclesiastica Iaponiae quosdam parentes christianos amisisse filium, nec per plures dies requisitum inveniri potuisse. Dolentibus parentibus prae filii iactura dixit unus ex societate, ut praevia peccatorum confessione, Deiparae, angelo suo custodi, s. Antonio Patavino rerum deperditarum patrono, se commendarent. Iis peractis, puerulus inventus fuit bene valens sub quodam dumeto densissimo, cunctis impervio.

Solerus lib. 12. c. 15.

CXLVI. Christophorus Velasquez Roanos comes Hispanus, incurabili laborabat in Villa Roae infirmitate, ut a medicis pro derelicto haberetur. Isabella de Vargas eius coniux mox destinavit aulicum suum, qui guardiano coenobii Aquilerae narraret summum vitae discrimen viri sui, religiosorum precibus eum commendaret, et s. Petri Regalati reliquiam adferret. Eas allatas marito admovit, ac ille statim melius se habuit. In accepti beneficii gratiam voluit quotannis sepulcrum sancti venerari, et cum fratribus sacras maioris hebdomadae ferias transigere.

Acta ss. ad diem 9. Martii num. 184.

CXLVII. Ioannes Hieronymus, filius equitis Guidonis Vaini nobilis Imolensis, febri molesta ob ulcus contractum post octodecim, aut quindecim aetatis suae menses correptus, ad extremum vitae terminum advenerat. Medicamentis frustra

Ann. min. ad ann. 1456. num. 216.

Digitized by Google

adhibitis, d. Hippolyta Condrochi, puero sanguinis vinculo coniuncta s. Catharinae Bononiensi coepit magna cum fiducia infantulum commendare, addito voto si convalesceret. Puer subito prae se tulit evidentia sanitatis signa, et intra breve tempus perfecte convaluit. Admota de nocte semel et iterum reliquia eiusdem s. Catharinae plagae incurabili quam a septem vel octo annis in talo circumtulerat, et pedem exulceratum habebat, Raphael Bernardi Bononiensis sacerdos capucinus, mane facto invenit melius constitutum vulnus, et mane sequenti ne cicatricem quidem superesse vidit. Effusis ad eamdem virginem precibus a p. Ioanne Baptista Lambertini confessario d. marchionissae Annae Turchi Gualonghi, acerbissimis doloribus affectae in puerperio, quia foetus inversus esset in utero, et foetum ipsa edit in lucem, et baptizari potuit, illaesa matre. *Ibidem num. 185.* *Ibidem num. 186.*

CXLVIII. In ecclesia ss. Cosmae et Damiani de Urbe prostrat sequens monumentum post altare s. Mariae Maioris.

D. O. M.

GILIBERTVS ISFAR ET CRVILLAS PANORMITANVS SPLENDIDIS NATALIBVS ET SPECTATA RELIGIONE CLARVS PHILIPPI II. CATHOLICI REGIS A SACRIS EPISCOPVS SYRACVSANVS POST PACTENSIS OPTIMVS ANTISTES. OBIT ANNO IVBILAEI MDC. AETATIS LXXII. DIE XV. APRILIS.

CXLIX. Vitellianae dioecesis Cremonensis in ecclesia s. Francisci provinciae Bononiensis obviat haec inscriptio.

FRATRI THIMOTHEO PENNONIO VITELLIANENSI MINORVM OBSER. THEOLOGO ET CONCIONATORI CELEBERRIMO VITAE INTEGRITATE PRAECLARO COENOBII HVIVS RESTAVRATORI PRIMARIO DIV SVBTILISSIMI IOANNIS SCOTI BONONIAE INTERPRETI MVLTIS IN RELIGIONE MVNERIBVS PERFVNCTO AC POSTREMVM PROVINCIAE BONONIAE PRO MINISTRO ORDINIS SVI FRATRES GRATI ANIMI ERGO MONIMENTVM POSVERE. OBIIT ROMAE TEMPORE GENERALIS CAPITVLI PRIDIE KALEND. IVNII M. D. C.

CL. Postrema memoria Iacobi Marchionis Malatestae legitur in ecclesia coenobii Caesenae eiusdem provinciae.

IACOBVS MALATESTA LEONIDI FILIVS RONCOFRIGIDI MONTIS GIANI MARCHIO MONTIS COGARVTII COMES ETC. FIDE RELIGIONE AC FORTITVDINE SINGVLARIS. DISCIPLINA AC VIRTVTE MILITARI INTER DVCES CLARISSIMVS. ANIMI MAGNITVDINE ET IN ECCLESIIS PIISQVE LOCIS ERIGENDIS CASTRISQVE SVAE DITIONIS AMPLIANDIS PRISCIS MALATESTIS PRINCIPIBVS MERITO COMPARANDVS PER VARIOS CASVS DISCRIMINAQVE SEMPER INVICTVS IN MVLTIS EXPEDITIONIBVS BELLICIS PRO CHRISTIANA FIDE ET IN AVXILIO MELITAE A TVRCARVM CLASSE OBSESSAE MM. PEDITVM DUX. IN REGNO CYPRI IN EPIRO ETC. GENERALIS GVBERNATOR VBI STRENVE PVGNANS FORTVNA NON VIRTVTE SVBACTA E VVLNERIBVS PENE VIVVS TVRCARVM IMPER. CONSTANTINOPOLIM CAPTIVVS DVCTVS. POST INTERCESSIONE CAROLI IX. GALLI REGIS IN LIBERTATEM RESTITVTVS VNIVERSAE MILITIAE VENETAE CLARISSIMVS IMPERATOR CREATVS ANNO IVBILAEI MDC. AETATIS SVAE LXX. HEBDOMADAE SANCTAE DIE ET HORA IN QVA SALVATOR MVNDI EXPIRAVIT PLACIDE INTREPIDEQVE DIEM CLAVSIT. A CLEMENTE VIII. P. M. OMNIBVS BENEDICTIONIBVS ABSOLVTIONIBVSQVE RECEPTIS PVLCHERRIMVM EXEMPLVM MILITARIBVS VIRIS. ANTONIVS MARIA SANCTIVS EVGVBINVS DOMINO SVO CLEMENTISSIMO BENEMERITO PARVVM HOC MONVMENTVM PONI CVRAVIT.

Digitized by Google

REGESTUM
PONTIFICIUM

GREGORII XIV.

ANNO CHRISTI 1591. PONTIFICATUS AN. 1.

I.

Ratam habet fundationem monasterii monialium in oppido de Alcaniz.
Ex reg. Secr. Br. in mense Septembri pag. 595.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus pontifex praedecessorum suorum gesta quae in divini cultus praecipue augmentum tendunt, cum ab eo petitur apostolici muniminis firmitate libenter corroborat aliasque in his opportune providet, prout in Domino salubriter conspicit expedire. Dudum siquidem sicut accepimus fel. rec. Gregorio pp. XIII. praedecessori nostro pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici tam suo quam dilectorum filiorum universitatis et hominum oppidi de Alcaniz Caesaraugustan. dioecesis nomine exposito, quod dictum oppidum insigne ac ecclesia saeculari et collegiata cum priore et duodecim canonicis aliisque beneficiatis, necnon duabus una videlicet praedicatorum, altera vero minorum de observantia nuncupat. fratrum domibus ornatum et populi frequentia refertum ac ex principalibus regni Aragonum oppidis existebat, nec in eo aliquod monasterium monialium pro virginum et aliarum piarum mulierum sub religionis iugo Altissimo famulari cupientium receptione adhuc institutum erat, et propterea universitas et homines praedicti in ipso oppido unum huiusmodi monasterium eorum propriis impensis si ad id apostolicae sedis suffragaretur auctoritas construi et aedificari facere intendebant; verum in illius extructione et aedificiis, utensilibus et rebus necessariis notabilem pecuniarum summam erogare oportebat, etsi a parochiali ecclesia loci de Muniesa dictae dioecesis quam quondam Bartholomaeus Rudilla ipsius parochialis ecclesiae, dum vixit, rector obtinebat tot ex illius proprietatibus et bonis stabilibus seu decimis et primitiis quot valorem annuum ducentorum et quinquaginta scutorum auri in auro constituerent, et non ultra ex nunc prout cum primum dictam parochialem

ecclesiam vacare contingeret, perpetuo separarentur et dismembrarentur, illaque sic separata et dismembrata monasterio sic construendo pro illius dote etiam perpetuo applicarentur et appropriarentur, ex hoc profecto ipsius monasterii construendi ac illius pro tempore existentium abbatissae et monialium subventionibus et necessitatibus plurimum consuleretur, ac rectori pro tempore existenti eiusdem parochialis ecclesiae satis congrua portio remaneret; ipsique universitas et homines donec applicatio et appropriatio huiusmodi suum sortirentur effectum, ducentorum quinquaginta ducatorum monetae illarum partium annuatim solverent, necnon eidem applicationi et appropriationi loco factae, si quid ad ipsarum abbatissae et monialium congruam sustentationem deesset, id eis subministrarent et illarum necessitatibus providerent seseque ad id efficaciter obligarent; idem Gregorius praedecessor praedicti Philippi regis supplicationibus inclinatus universitati et hominibus praefatis in aliquo decenti et honesto loco dicti oppidi unum monasterium monialium ordinis s. Clarae sub invocatione eis benevisa cum ecclesia, coemeterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortaliitis, cellis aliisque officinis necessariis construi et aedificari faciendi licentiam apostolica auctoritate concessit, ipsumque monasterium ex tunc prout postquam constructum et debita clausura munitum foret, in monasterium monialium eiusdem ordinis s. Clarae perpetuo erexit et instituit, necnon a dicta parochiali ecclesia cuius et illi forsan annexorum fructus, reditus et proventus quadragintorum quinquaginta ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asserebatur, non excedebant, cum primum illam per cessum vel decessum seu privationem vel quamvis aliam dimissionem vel amissionem dicti Bartholomaei aut alias quovis modo vacare contingeret, tot ex illius proprietatibus et bonis stabilibus seu decimis et primitiis quot valorem annuum ducentorum quinquaginta scutorum similium constituerent et non ultra, etiam perpetuo dismembravit et separavit, illaque sic dismembrata et separata eidem monasterio pro illius dote et monialium in eo pro tempore degentium sustentatione similiter perpetuo applicavit et appropriavit, necnon donec et quousque applicatio et appropriatio huiusmodi integrum et debitum sortita essent effectum, universitatem et homines praedictos ultra expensas circa ipsius monasterii constructionem necessarias abbatissae et monialibus pro tempore existentibus dicti monasterii pro eorum alimonia et sustentatione ducentos quinquaginta ducatos similes annuatim solvere et ad id se efficaciter obligare, teneri statuit et ordinavit, prout in suis literis desuper sub datis nonis Septembris pontificatus sui anno nono expeditis plenius continetur. Cum autem, sicut etiam accepimus, dicti universitas et homines ab inde citra variis eisdemque gravibus sumptibus et expensis in tuendo praedicto oppido ab exulum praedonum aliorumque facinorosorum hominum necnon Maurorum noviter conversorum iniuriis pestisque contagione gravati, fabricam dicti monasterii nondum finierint, ipsam tamen fabricam iam ab aliquo tempore inchoaverint illamque prosequantur; verum ex quo dictus Bartholomaeus etiam forsan antequam dicta fabrica incepta fuisset et sedente adhuc praedicto Gregorio praedecessore, sicut Domino placuit rebus humanis exemptus, et de supradicta ecclesia per illius huiusmodi obitum vacan. cuidam clerico moderno ipsius ecclesiae rectori provisum fuit, ne ob supervenientem obitum dicti Bartholomaei et alia praemissa ab aliquibus dubitari contingat, an dismembratio, separatio et applicatio ac appropriatio huiusmodi per nostras ac rec. me. Sixti pp. v. praedecessoris nostri et cancellariae apostolicae relatas unionem, effectum non sortitarum revocatorias non obstan. quod pro necessaria dote monasterii et augmento cultus di-

vini emanaverint seu concessae fuerint, viribus evacuatae sint aut censeri possint, cupiunt universitas et homines praefati erectionem, dismembrationem, applicationem et alia praemissa in eisdem literis contenta nostro et sedis apostolicae munimine roborari. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt iidem universitas et homines, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ad ea quae divini cultus et regularis disciplinae augmentum et propagationem concernunt libenter intendentes, ac universitatem et homines praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati literas praedictas ac in eis contentas quaecumque auct. apost. ten. praes. confirmamus et approbamus, et quatenus opus sit, innovamus et adversus quascumque nostras et praedecessorum nostrorum relatas in cancellaria apostolica publicatas in pristinum statum restituimus et plenarie reintegramus, et nihilominus erectionem et institutionem dicti monasterii, cum hoc tamen quod dicti universitas et homines loco ordinis s. Clarae alium ordinem regularem eis benevisum a dicta tamen sede approbatum eligere possint, quem moniales in praedicto monasterio introducendae profiteri et illius habitum regularem deferre debeant, necnon eisdem monasterio ac eius pro tempore existentibus abbatissae, monialibus et personis, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis et gratiis tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alia monasteria monialium ordinis, ut praefertur, eligen. huiusmodi eorumque abbatissae, moniales et personae de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, uti, frui, potiri et gaudere licite valeant indulgemus, necnon dismembrationem, separationem, applicationem et appropriationem huiusmodi aliaque omnia praemissa et in praedictis Gregorii praedecessoris literis contenta, ac inde sequuta quaecumque apost. auct. praes. ten. approbamus et confirmamus, eisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac ea omnia innovamus et quatenus opus sit, de novo concedimus, necnon per praedictum modernum et pro tempore existentem rectorem dictae ecclesiae aliosque omnes ad quos spectat et spectabit in futurum modo et forma infrascriptis inviolabiliter et inconcusse observari debere, ac ad id eos censuris ecclesiasticis aliisque poenis etc. pecuniariis executive procedendo cogi et compelli posse decernimus. Et nihilominus omnes et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum etiam substantialium defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, decernentes ac declarantes statim atque praedictum monasterium constructum fuerit aut quandocumque rector dictae ecclesiae etiam antequam fabrica ipsa finita sit, obierit aut alias in ecclesia praedicta per cessum vel decessum aut dimissionem vel amissionem vel etiam per resignationem ex causa permutationis etiam in manibus nostris vel pro tempore existentis romani pontificis aut alias quomodolibet ex moderni rectoris persona vacare contigerit dismembrationem, separationem, applicationem appropriationemque praedictas effectum suum, servata alias in reliquis dictarum literarum forma, sortiri et obtineri debere; itaque liceat iuratis praedictis, si nondum moniales ibidem introductae fuerint, at tamen eisdem postea restituant, seu abbatissae et monialibus postquam in monasterium praefatum introductae fuerint per se vel alium seu alios earum et praedicti monasterii nomine proprietates et bona per dictum Gregorium praedecessorem dismembrata ac separata necnon applicata et appropriata eorumque possessionem propria auctoritate apprehendere ac perpetuo retinere necnon fructus, reditus et proventus inde provenientes percipere, exi-

gere et levare ac in suos usus et utilitatem convertere, cuiusque licentia desuper minime requisita; praesentes quoque literas etiam ex eo quod rector praefatus aut alii interesse habentes seu praetendentes ad praemissa vocati causaeque propter quas emanarunt etiam ab ordinario loci tamquam sedis apostolicae delegato examinatae, iustificatae et verificatae non fuerint, aut ex quavis alia occasione vel causa ullo unquam tempore attentare, quod dismembratio, separatio et applicatio ac appropriatio pro necessaria dote dicti monasterii ac divini cultus augmento notorie cedit, atque ita auctoritate concilii Tridentini et ex causa ab eo permissa facta censeri debeat de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, annullari vel invalidari aut alias quomodolibet infringi seu retractari vel in ius seu controversiam revocari seu per quascumque clausulas adversus illas quodcumque juris aut facti remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus vel aliis contrariis dispositionibus etiam unionum, dismembrationum, separationum, applicationum et approbationum effectum non sortitarum revocatoriis etiam a nobis nostrisque et praedicti Gregorii XIII. successoribus rr. pp. tam in crastinum assumptionis nostrae et cuiuslibet dictorum successorum ad summi apostolatus apicem quorum alias quomodolibet ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritan. et aliis decretis pro tempore emanatis, etiamsi de eisdem praesentibus eorumque tot tenore et data specialis specifica et expressa mentio fiat minime includi, imo neque ipsis praesentibus per quasvis alias generales vel speciales literas apostolicas etiam derogatoriarum derogatorias aliasque efficaciores, efficacissimas et insolitas clausulas ac irritan. et alia decreta quaecumque in se continentes nullatenus derogari neque derogatum censeri posse, nisi eaurumdem praesentium tenor de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus ac urgens et sufficiens causa expressa ac per trinas distinctas literas earundem praesentium tenore continen. tribus distinctis vicibus universitati et hominibus praedictis legitime intimatae et iustificatae ac derogationes ipsae motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine factae fuerint, apparentque rom. pont. illis expresse derogare voluisse et alias pro tempore factas derogationes nulli prorsus suffragari, sed illis ac aliis omnibus supradictis non obstan. ipsas praesentes in suis robore et efficacia persistere et quoties illae remanebunt toties in pristinum ac validissimum statum etiam sub posteriori data per ipsos universitatem et homines eligenda plenarie reponendas, restitutas ac de novo concessas esse ac semper et perpetuo validas et efficaces existere suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum perpetuo firmiter et inviolabiliter observari debere, sicque ab omnibus censeri, ac ita per quoscumque iudices etc. Quocirca dilectis filiis curiae causarum camerae apostolicae generali auditori et archidiacono Caesaraugustan. necnon archidiacono de Belchite in ecclesia Caesaraugustan. per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios praesentes literas et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte universitatis et hominum praedictorum fuerint requisiti solemniter publicantes eisque et abbatissae ac monialibus praefatis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra praemissa omnia ab omnibus ad quos spectat inviolate observari, contradictores etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xx. Septembris pontificatus nostri anno I.

Digitized by Google

II.

Bernardus Quirinus fit episcopus ecclesiae Argentinae. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 25.

Romae apud s. Petrum die lunae VII. Ianuarii fuit consistorium, in quo

REferente card. sanctae Severinae fuit provisum ecclesiae Argentinae in provincia Valachiae iandiu vacan. de persona fratris Bernardini Quirini ordinis fratrum minorum de observantia cum condonatione iurium collegii et cancellariae, absolvens etc. et cum clausulis opportunis etc.

III.

Fit episcopus Guardiensis. Ex bullario huius anni pag. 216.

Dilecto filio Bartholomaeo electo episcopo Guardien. salutem et apostolicam benedictionem.

APostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, coadiuvante Domino, cupientes soliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendi tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere, et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium tunc vacantium, et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his, per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Postmodum vero ecclesia Guardiensis, cui bon. mem. Pompilius dum viveret, praesidebat, per obitum dicti episcopi qui extra romanam curiam debitum naturae persolvit pastoris solatio destituta. nos vacatione huiusmodi fide dignis relationibus intellecta, ad provisionem dictae ecclesiae celerem et felicem, de qua nullus praeter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum minorum s. Francisci conventualium nuncupat. et theologiae magistrum, in presbyteratus ordine constitutum, vitae munditia ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, aliisque doctrinae et virtutum donis, prout fide dignis testimoniis accepimus multipliciter insignitum, direximus oculos mentis nostrae, quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a quibusvis excommunicationis etc. censentes, praedictae ecclesiae de dictorum fratrum consilio apost. auct. providimus, teque illi in episcopum praefecimus et pastorem, curam et administrationem dictae ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia, confidentes

quod dirigente Domino actus tuos praedictam ecclesiam sub tuo felici regimine regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in iisdem spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a Domino onus regiminis et administrationis huiusmodi prompta devotione suscipiens, illa sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod dicta ecclesia gubernatori provido, et fructuoso administratori gaudeat se commissa, tuque praeter aeternae retributionis praemium, nostram et sedis apostolicae benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Quocirca dilectis filiis capitulo et vassallis dictae ecclesiae, et clero et populo civitatis et dioecesis Guardien. per apostolica scripta mandamus, quatenus capitulum tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitam, devotam, ac clerus te pro nostra et sedis praedictae reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes, et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli autem praedicti te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam, necnon consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam respective in rebelles rite tuleris seu statueris, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Rogamus quoque et hortamur attente charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum, cum ipse etiam Neapolis rex existat, ac venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Beneventanum ipsi archiepiscopo per apostolica scripta mandantes, quatenus te et praedictam ecclesiam dicti archiepiscopi suffraganeam tuae curae commissam habentes, pro nostra et dictae sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus vestris, sic vos benigni favoris prosequantur, quod tu eorum suffultus praesidio in commisso eiusdem ecclesiae regimine possis, Deo propitio, prosperari, ac eidem Philippo regi ac Deo perennis vitae praemium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum, ipseque archiepiscopus divinam misericordiam ac nostram et eiusdem sedis benedictionem et gratiam valeat uberius promereri.

Romae apud s. Petrum die veneris VI. calendas Maii MXCI.

IV.

Fit archiepiscopus Ragusinus. Ex bullario huius anni pag. 200.

Dilecto filio Aurelio archiepiscopo Ragusin. salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium etc. (num. III.) gubernare. Dudum siquidem etc. Postmodum vero ecclesia metropolitana Ragusin. cui praesidebat Albertus Alberi, per liberam resignationem dicti archiepiscopi pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi etc. demum ad te ordinis fratrum minorum conventualium nuncupat. et theologiae magistrum in presbyteratus ordine constitutum etc. de persona tua etc. te illi in archiepiscopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem etc. incrementa. Quocirca discretioni tuae etc. merearis.

Quocirca dilectis filiis capitulo, vassallis dictae ecclesiae, ac clero et populo civitatis et dioecesis Ragusin. per apostolica scripta mandamus, quatenus etc. gaudeatis. Vassalli autem praedicti te debito honore prosequentes etc. observari. Rogamus quoque et hortamur dilectum filium Rodulphum Romanorum imperatorem etc. quod tu eius suffultus praesidio in commisso eiusdem ecclesiae regimine possis Deo propitio prosperari, ac eidem Rodulpho imperatori ac Deo perennis vitae praemium etc.

Datum Romae apud s. Marcum die mercurii pridie calendas Augusti MDXCI.

V.

Immunitatem ecclesiarum statuit. Ex bullario Cocquelines tom. v. part. 1. pag. 271.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm alias nonnulli praedecessores nostri et praesertim fel. rec. Sixtus papa IV. necnon Pius etiam V. sancto zelo ducti, diversas facultates et indulta extrahendi, etiam in casibus quibusdam a iure non permissis, ex ecclesiis criminosos et delinquentes, compluribus saecularibus principibus eorumque curiis et magistratibus, sub variis modis et formis concesserint, prout in illis plenius continetur.

§. 1. Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem et differentiam huiusmodi indultorum, tum quia plerique eorundem principum ministri, ex hoc ipso illa diversimode, etiam latius quam par erat, et ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti coeperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis, libertatis et immunitatis ecclesiasticae perturbationem et confusionem; alibi vero ne ipsos quidem laicos indultis huiusmodi uti voluisse aut potuisse, quod populis, inveterata erga ecclesias reverentia, devotis et assuetis, scandali potius quam quietis occasionem praeberent. Illud etiam absurdum saepenumero secutum est, ut infimae interdum conditionis laici, non modo iuris sed etiam litterarum penitus ignari et imperiti, dum, quasi potestates aut ministri curiae saecularis in aliquo castro aut oppidulo iurisdictionem exercebant, facultatum et indultorum huiusmodi limites longe excesserint, eaque suo arbitratu in sensus minus rectos, et ab intentione concedentis omnino alienos detorserint, et illorum praetextu quicquid sibi in mentem venit, attentare praesumpserint, in grave iurisdictionis et immunitatis ecclesiasticae praeiudicium, locorum et personarum divino cultui dicatarum contemptum, ipsius divinae maiestatis offensam, et scandalum plurimorum. Quare pro commisso nobis a Domino pastoralis officii munere, praedictis absurdis et scandalis obviare ac differentias huiusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submovere, abusus tollere, et ne ecclesiastica iura plane conculcentur et negligantur, opportune providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus praedecessor noster iisdem de causis motus statuere decreverat, licet morte praeventus hoc adimplere nequiverit: ita tamen, ut quando praesens temporum calamitas, et unanis quae iam invaluit perversorum hominum malitia id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium et ad coercenda illorum facinora, ultra id quod prisca illa maiorum nostrorum disciplina, et vera sacrorum canonum norma praescripserat in quibusdam casibus congrua moderatione adhibita, permittamus.

§. 2. Hac itaque nostra perpetuo valitura constitutione, omnia et quaecumque privilegia, indulta et gratias, tam per praedictum Sixtum, ac Pium v. quam alios quoscumque nostros praedecessores aut nosmetipsos, sedemque apostolicam eiusve legatos, super abducendis vel extrahendis ab ecclesiis, sacellis, domibus regularibus et saecularibus, locisve sacris aut religiosis, aliasque in casibus a iure permissis, hominibus certorum tunc expressorum vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, et pro bono, pace, et quiete publica, et ex causis urgentissimis ac necessariis, et aequipollentibus casibus in iure expressis, atque ex paritate, identitate, aut maioritate rationis extensis, perpetuo vel ad certum nondum elapsum tempus seu ad vitam alicuius principis, aut beneplacitum seu alias quomodolibet concessa, etiam iteratis aut multiplicatis vicibus approbata et innovata ac usu recepta, litterasque apostolicas sub plumbo, aut in forma brevis seu alias quomodocumque desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis, sublata penitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimus et moderamur.

§. 3. Ut laicis, ad ecclesias locaque sacra et religiosa praedicta confugientibus, si fuerint publici latrones viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis, earumve coemeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassinii, vel haeresis, aut laesae maiestatis in personam ipsiusmet principis rei immunitas ecclesiastica non suffragetur. Sed universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis caeterisque ecclesiarum et monasteriorum praelatis, tam saecularibus quam cuiusvis ordinis regularibus districte praecipiendo mandamus et praecipimus, ut laicos in casibus praedictis delinquentes, ad eorum ecclesias, monasteria, domos et alia loca supradicta sacra seu religiosa respective confugientes, et in eis se recipientes atque morantes, qui praedicta delicta eorumve aliquod, iudicio suo commisisse videbuntur, quando a curia saeculari fuerint requisiti, et quilibet eorum fuerit requisitus, ministris et officialibus curiae saecularis absque irregularitatis nota, aut alicuius censurae ecclesiasticae incursu tradi et consignari curent et faciant, et quilibet eorum curet et faciat.

§. 4. Ne autem curiae saecularis praedictae ministri facultate illos per se et propria auctoritate extrahendi et abducendi sibi olim, ut praefertur, attributa, et per praesentes revocata abutantur, volumus dictaque auctoritate decernimus et declaramus, ut curia saecularis eiusque iudices et officiales ab ecclesiis, monasteriis locisque sacris praedictis, laicum aliquem, ut praefertur, delinquentem in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia episcopi, vel eius officialis, et cum interventu personae ecclesiasticae ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos et non alios episcopis inferiores, etiam si alii ordinarii sint, aut nullius dioecesis, aut conservatores ab hac sede specialiter, vel generaliter deputati, praedictam licentiam dandi, facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, et nullius dioecesis, tunc ad episcopum viciniorem devolvatur haec cognitio, et non ad alios capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse episcopus et dictae personae ecclesiasticae requisitae illos in delictis superius expressis culpabiles, tradere aut capturae, et carcerationi intervenire, et assistere recusaverint: tuneque reverentiae ecclesiae et locis sacris debitae memores, praedictos delinquentes, minori quo id fieri poterit, cum scandalo et tumultu extrahere curent.

Digitized by Google

§. 5. Quodque delinquentes laici praedicti, postquam, ut praefertur, ab ecclesiis locisve sacris extracti et capti fuerint, ad carceres curiae ecclesiasticae reponi, et ibi sub tuto et firmo carcere, ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per curiam saecularem, detineri debeant; nec inde extrahi, curiaeque saeculari praedictae consignari nec tradi possint, nisi cognito prius per episcopum seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint: tuncque demum de mandato episcopi per iudicem ecclesiasticum curiae saeculari, quacunque appellatione postposita, consignentur.

§. 6. De crimine vero haeresis, cognitio ad forum ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea curia saecularis se quoquomodo intromittat.

§. 7. Sicuti etiam prohibemus ne contra ecclesiasticas personas saeculares, aut cuiusvis ordinis vel militiae etiam s. Ioannis Hierosolymitani regulares quoquomodo etiam vigore praedictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum quae omnia ad terminos iuris per praesentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illasve ab ecclesiis, monasteriis, domibus locisque sacris, aut religiosis etiam in casibus in hac constitutione expressis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus, alias quam de iure, et per privilegia eisdem ordinibus aut militiae concessa permittitur, quomodolibet praesumant.

§. 8. Quod si quis quicumque dignitate et auctoritate praeditus, praemissorum, aut alio quovis praetextu, quicquam praeter aut contra huius nostrae constitutionis tenorem attentare praesumpserit, declaramus eum ipso facto censuras, et poenas easdem incurrere, quae contra libertatis, iuris et immunitatis ecclesiasticae violatores per sacros canones, et conciliorum generalium nostrorumque praedecessorum constitutiones sunt promulgatae.

§. 9. Sicque per quoscumque iudices etc.

§. 10. Non obstantibus etc.

Datum Romae in monte quirinali anno incarnationis dominicae IX. calendas Iunii pontificatus nostri anno I.

VI.

Quaedam statuit circa Indos Insularum Philippinarum ad christianam fidem conversos. Ex bullar. Cocquelines tom. V. part. 1. pag. 259.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicuti nuper accepimus in primaeva conversione Indorum insularum Philippinarum tanta vitae pericula propter ipsorum Indorum ferocitatem adeunda fuerint, ut multi contra ipsos Indos arma sumere, et in bonis damna dare coacti extiterint, ipsique Indi postea relictis falsis deorum cultibus, et verum Deum agnoscentes fidem catholicam amplexi sint, et qui haec damna in bonis ipsorum Indorum dederunt, cupiant bona ablata huiusmodi restituere, licet id faciendi facultatem non habeant.

§. 2. Nos serenitati conscientiarum dictarum personarum consulere, et periculis ac incommodis huiusmodi obviare cupientes, venerabili fratri episcopo Manilian. per praesentes committimus et mandamus, quatenus auctoritate nostra curet, ut supradictae personae et domini, quibus facienda est restitutio, inter se desuper componant, ipsisque dominis, si certi fuerint satisfiant: ubi vero certi

domini non extiterint, eadem compositio per eumdem episcopum fiat in utilitatem et subventionem pauperum Indorum, si illi qui restituere tenentur, id commode facere potuerint, si vero pauperes fuerint, satisfaciant, cum ad meliorem conditionem seu fortunam pervenerint pinguiorem.

§. 3. Et ne constitutiones et determinationes a dicto episcopo, et religiosis ac doctoribus insimul congregatis, ad felicem progressum christianorum noviter ad fidem conversorum factae ab illis pro suo libito, et re, vel affectu particulari infringantur; volumus et apostolica auctoritate decernimus, ut quae ab ipsa congregatione per suffragia maioris partis in favorem fidei christianae, vel salutem animarum pro bono ipsorum Indorum conversorum regimine ordinata et mandata fuerint, firmiter ac inviolabiliter observentur, donec et quousque ab eadem congregatione aliter ordinatum vel mandatum fuerit.

§. 4. Quodque si quando idem episcopus de consilio dictae congregationis aliquem casum sibi reservaverit, prout pro temporum, personarum, et rerum qualitate expediens visum fuerit, nullus presbyter saecularis, vel cuiusvis ordinis aut congregationis regularis praetextu cuiusvis privilegii et indulti etiam apostolici praeter ipsum episcopum, vel de eius licentia et expresso mandato, a casibus huiusmodi reservatis, durante dicta reservatione, absolvere ullo modo possit, audeat aut praesumat, sub poena suspensionis a ministerio altaris, et a fidelium confessionibus audiendis ipso facto incurrenda.

§. 5. Praeterea cum praecipuum munus episcoporum sit, proprias oves per se ipsos pascere et visitare, eidem episcopo, ut per seipsum, vel per eius vicarium in spiritualibus generalem, aut saltem per alias valde graves personas, non autem per simplices clericos inexpertos, et literarum ignaros et nullius existimationis commissum sibi gregem, ac religiosos doctrinae christianae, easdemque doctrinas visitet, iniungimus et mandamus.

§. 6. Et quia nonnulli earumdem insularum, et ordinum praedictorum rerum novarum curiosi de una ad aliam partem vagantes aut transeuntes nuper conversos et baptizatos deserunt, ac propterea sunt in causa, ut interdum, quod maxime dolendum est, ii ad idololatriam facile revertantur, et quod multi alii qui alias ad fidei agnitionem venirent, et accederent ab baptismum, ob defectum ministrorum id negligant, aut in infidelitate permaneant; et e contra ipsi religiosi etiam idiomatis illarum partium ignari, in dedecus suorum ordinum contemnantur, ac debitos fructus suae praedicationis in vinea Domini non producant, difficilioremque Indorum conversionem reddant. Nos huic malo opportunum remedium adhibere cupientes, omnibus et singulis cuiusvis ordinis religiosis, ac aliis quibuscumque circa infidelium conversionem, et doctrinae christianae eruditionem incumbentibus sub excommunicationis poena, ne de pacifica ad non pacificam terram accedere audeant, aut praesumant, nisi de eiusdem episcopi et praelatorum religionum expressa licentia et mandato in scriptis obtenta, districte interdicimus atque prohibemus.

§. 7. Postremo, cum sicut accepimus, charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus prohibuerit, quod nullus hispanus in praedictis insulis Philippinis mancipia sive servos, etiam iure belli iusti et iniusti, aut emptionis, vel quovis alio titulo, vel praetextu propter multas fraudes inibi committi solitas facere vel habere, seu retinere audeant, et nonnulli adhuc eadem mancipia, apud se contra ipsius Philippi regis edictum vel mandatum detineant. Nos, ut ipsi Indi ad doctrinas christianas, et ad proprias aedes, et bona sua libere et secure absque ullo servitutis metu ire et redire valeat, ut rationi congruit et aequitati, omnibus et singulis cuiuscumque status, gradus,

Digitized by Google

conditionis, ordinis et dignitatis existant, in eisdem Insulis existentibus personis, in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis poena praecipimus et mandamus, quatenus publicatis praesentibus, quaecumque mancipia et servos Indos, si quos habent seu apud se detinent, ac omni dolo et fraude cessante, liberos omnino dimittant, et imposterum nec captivos, nec servos ullo modo faciant aut retineant, iuxta dicti Philippi regis edictum seu mandatum.

§. 8. Caeterum quia etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xviii. Aprilis pontificatus nostri anno i.

VII.

Pro commissariis generalibus Indiarum. Ex regesto secr. brev. in mense Aprili pag. 344.

Ad perpetuam rei memoriam.

Religiosorum quorumcumque prospero regimini, ut in humilitatis spiritu debitum altissimo famulatum quiete et pacifice, ut decet, exhibeant, quantum cum Domino possumus, consulere studemus. Nuper siquidem exposuit nobis dilectus filius Franciscus de Tolosa minister generalis fratrum minorum s. Francisci de observantia, quod cum ex veteri ipsius ordinis consuetudine a ministro generali pro tempore deputari soleant commissarii generales eiusdem ordinis in Indiis occidentalibus et orientalibus, qui ordinis huiusmodi gubernium in illis partibus usque ad novorum commissariorum adventum gerant: sed quia evenit saepe, ut cum ipsi ministri officium suum compleverint, fratres illarum partium ipsis commissariis obedire recusent, allegantes ipsorum una cum ipsius ministri cessare superioritatem, unde multa quandoque scandala suboriri solent, quibus ipse Franciscus obviam ire cupiens, nobis humiliter supplicari fecit, ut nostram in praemissis auctoritatem interponere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui religiosis obedientiam quam devoverunt, violari ullo praetextu fas esse non censemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo statuimus et decernimus, commissariorum sic pro tempore in illis partibus deputatorum a generali ministro superioritatem, usque ad novorum commissariorum ad illas partes adventum perdurare, ipsarumque partium fratres et religiosos dicti ordinis quoscumque, toto eo temporis spatio obedientiam et reverentiam consuetas exhibere debere, nec ab illa quocumque praetextu exemptos esse; ipsosque commissarios illos visitare, corrigere, reformare atque ad obedientiam praestandam recusantes, poenis ecclesiasticis et aliis opportunis remediis, iuxta ordinis ipsius constitutiones coercere posse ac debere: sicque per quoscumque ministros et superiores eiusdem ordinis aliosque iudices ordinarios et delegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc.

Datum Romae die xxv. Aprilis mdxci. pontificatus nostri anno i.

Digitized by Google

VIII.

Iubet, ne fratres reformati conventuales, nec alii religiosi habitum capucinorum deferant. Ex bullar. Cocquelines tom. v. part. 1. pag. 285.

Ad perpetuam rei memoriam.

Beati Francisci confessoris sodalitas ab uno fundatore instituta et ad eumdem Dei finem ordinata, utriusque seraphicae religionis nomine nuncupata, in plures sodalitates et membra, apostolica permissione dividitur et quasi circumamicta varietate, prout pietas diversimode suadet, corde uno et anima una Deum colit, et instar agri dominici varios atque uberes fructus quotidie profert, et distinctiores et abundantiores, ut confidimus, in dies proferre non cessat.

§. 1. Sane cum ad aures nostras pervenit, alias fel. rec. Paulum papam III. praedecessorem nostrum inter alia per suas in forma brevis literas, quibusvis personis cuiuscumque conditionis existerent, sub excommunicationis latae sententiae poena eo ipso incurrenda, ne habitum per fratres ordinis minorum s. Francisci capucinorum nuncupatorum gestari solitum, nisi in eadem congregatione essent, et sub moderni et pro tempore existentis generalis eiusdem ordinis obedientia et cura permanerent, gestare quoquomodo praesumerent, districtius inhibuisse.

§. 2. Et piae mem. Pius papa IV. etiam praedecessor noster literas eiusdem Pauli praedecessoris confirmando, insuper non solum ne habitum praedictum iuxta literarum ipsius Pauli praedecessoris huiusmodi tenorem, verum etiam, nec ita consimilem, quod propter eum possent credi fratres congregationis capucinorum, gestare deberent, sub eadem excommunicationis poena eo ipso incurrenda prohibuisset.

§. 3. Et similiter fel. rec. Gregorius papa XIII. etiam praedecessor noster, literas praedecessorum huiusmodi et in eis contenta quaecumque pro expressis habendo et innovando, motu proprio et ex certa eius scientia, eosdem fratres qui tertiarii ex ordine conventualium dicuntur, non solum capucium rotundum, sed etiam habitum coloris berettini, seu subcinericii ad instar fratrum eorumdem conventualium, deferre deberent, ita ut a fratribus capucinis facile discernerentur, sub eisdem Pauli III. et Pii IV. poenis post sex menses ipso facto incurrendis statuisset et ordinasset.

§. 4. Verum quia iidem fratres qui reformati conventualium dicuntur, ita consimiles eisdem fratribus capucinis incedere praesumunt, ut passim a populo pro capucinis habeantur ac illis tanquam capucinis elemosynae et oblationes conferuntur, non sine gravi plebis offensione et scandalo, dum reputantur capucini esse. Idcirco rationabile existimantes, ut qui ex instituto regulae, atque in vitae regularis observantia uniformes non sunt, etiam habitus distinctione dignoscantur, utque praedecessorum huiusmodi literarum contemptus et contumacia, severioris disciplinae censuram inveniat, ad evitandas etiam confusiones et contentiones quae exinde oriri possent hac nostra perpetuo valitura constitutione, singulas praedecessorum huiusmodi literas et in eis contenta quaecumque pro expressis habentes, et harum serie approbantes et confirmantes, atque etiam innovantes; motu etiam simili et ex certa scientia nostra statuimus et ordinamus, quod ex nunc de caetero perpetuis futuris temporibus,

Digitized by Google

huiusmodi fratres reformati non solum in Urbe sed etiam ubique locorum per universum orbem existentes, ut vere et realiter a capucinis distinguantur et dignoscantur, praeter capucium penitus rotundum et colorem berettinum, vel subcinericium, ut praemissum est, etiam mantellum longius ad conventualium longitudinem deferre, et mozzetam latam et longam non sub mantello, sed supra gestare teneantur.

§. 5. Insuper strictiori capucinorum praedictorum vitae consulentes, ne ab eisdem reformatis ipsi capucini admitti vel recipi possint, sub eadem excommunicationis sententia ipso facto, tam ab ipsis capucinis receptis quam reformatis recipientibus incurrenda, interdicimus et prohibemus. Et nihilominus actum ipsum receptionis et transitus tanquam indebite factum ex nunc, prout ex tunc irritum et penitus nullum esse decernimus et declaramus.

§. 6. Et quoniam similiter accepimus nonnullos alios qui sub eremitarum vocabulo nominantur, vagos aut profugos ac acephalos sub nullius obedientia degentes, nec episcoporum iurisdictioni se subiicientes, sine aliqua licentia vel loci assignatione, non sine gravi fidelium scandalo huc illucque vagari, eorumdem fratrum capucinorum habitum, vel adeo consimilem gestantes, ut facile pro capucinis reputentur, motu pari, eosdem eremitas sine literis dimissoriis alicuius superioris ordinis approbati, de cuius gremio sint, vel episcopi loci illius ubi degunt, vagari, aut ex propriis locis discedere non posse, et imprimis ab habitu capucinorum eisdem saltem vel aliis notioribus differentiis distingui et dignosci debere omnino praecipimus et iubemus.

§. 7. Mandantes propterea universis et singulis fratribus reformatis praedictis eorumque superioribus, ac ipsis eremitis acephalis et sine obedientia itinerantibus, praeter poenas per praedecessores praedictos inflictas, in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae aliisque gravioribus poenis arbitrio nostro imponendis, ut praemissa omnia et singula, omni excusatione et tergiversatione postposita, infra sex mensium spatium a data praesentium computandum statim adimpleant et exequantur. Quod si facere distulerint vel neglexerint, eos per almae Urbis vicarium nostrum hic in urbe eiusque districtu, ac per locorum ordinarios ubi fratres praedicti reperiantur, per carcerationem aliaque opportuna iuris et facti remedia, prout contumacia cuiusque exegerit, cogi et compelli posse ac debere volumus et iubemus. Et nihilominus irritum et inane etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae in monte quirinali die vi. Iulii pontificatus nostri anno i.

IX.

Aliqua iubet pro bono regimine monasterii conceptionis s. Clarae Civitatis Regum. Ex regesto sec. brev. in mense Septembri pag. 5.

Ad perpetuam rei memoriam.

REgimini universalis ecclesiae licet immeriti, disponente Domino, praesidentes curis angimur assiduis, ut singularum agnum immaculatum imitantium praesertim feminei sexus personarum quae mortalis viri thoro contempto, uni sponso Iesu Christo nubere, et sub suavi religionis iugo castitatem et virginitatem servare satagunt, statui et gubernio, quantum nobis ex alto permittitur, salubriter consulatur. Hinc est quod nos supplicationibus dilectae in Christo filiae Agnetis de Ribera abbatissae eiusdemque fundatricis et dotatricis mo-

nasterii monialium conceptionis b. virginis Mariae Civitatis Regum in Indiis ordinis s. Clarae uobis humiliter porrectis inclinati, de dilectorum filiorum nostrorum s. r. e. cardinalium super negotiis regularium deputatorum consilio apost. auct. ten. praes. statuimus et ordinamus, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus moniales dicti monasterii quae de nobili genere et ex veteribus christianis procreata non sit, in illius abbatissam eligi aut alias constitui et deputari; quodque si contingat in praefato monasterio duas aut plures sorores germanas inibi professas adesse quarum una ipsius monasterii abbatissa sit vel fuerit, finito sui huiusmodi abbatiseatus officii tempore quod est trium annorum, altera ex ipsis sororibus germanis ad dictum officium immediate eligi, aut illi in eo nisi intermedio alio triennio succedere non possit neque debeat; abbatissa vero quae pro tempore fuerit rite electa ad regimen praedicti monasterii vicariam et alias officiales conventus eiusdem monasterii nominare et deputare possit et valeat ad eius libitum, ac prout fieri solet in monasteriis monialium regnorum Hispaniarum, absque eo quod vicarius praedicti monasterii aut aliquis alius in huiusmodi nominatione ac deputatione se intromittat, decernentes electiones aliter quam, ut praefertur, pro tempore factas nullas et invalidas fore et esse, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc. hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Marcum die 11. Septembris pontificatus nostri anno 1.

X.

Assignat quamdam eleemosynam monasterio s. Clarae Gerundensis. Ex regesto sec. brev. in mense Aprili pag. 339.

Venerabili fratri episcopo Gerunden. salutem et apostolicam benedictionem.

Decet interdum ea quae ad incertos pios usus sunt destinata, certo alicui pio itidem usui applicare, ut exinde certiorem institutorum voluntas consequatur effectum, et qui ex his certum suscipient sublevamen, in operum Deo placentium perseverantia valeant ipsi propitius prosperare. Nuper siquidem dilectorum filiorum consulum seu regiminis istius civitatis Gerunden. necnon abbatissae et monialium conventus et monasterii s. Clarae ordinis s. Francisci de observantia eiusdem civitatis Gerunden. nomine nobis expositum fuit, in ipsa civitate quamdam eleemosynam maiorum pietate institutam existere, quae in pane decocto inter incertas personas in domo vulgariter dicta de Lalmoyna distribuendo consistit; monasterium autem monialium s. Clarae eiusdem civitatis in quo arcta et perpetua servatur clausura pauperrimum existere, nullamque aliam, nisi ex fidelium eleemosynis certam habere subventionem, et si praedictae eleemosynae sufficiens et congrua pars eidem monasterio perpetuo applicaretur, exinde profecto monialium ipsarum subventioni in Domino valde consuleretur. Quare nobis eodem nomine fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes a praemissis institutorum mentem non esse admodum alienam, moniales ipsas specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut ex eleemosyna prae-

Digitized by Google

dicta tertium vel congruam partem seu portionem per earum subventionem, quius qualitatem, quantitatem et institutorum nomina et cognomina institutionisque tenorem praesentibus haberi volumus pro expresis, eidem monasterio monialium s. Clarae auctoritate nostra perpetuo applices, appropries et assignes, atque per eos ad quos pertinet in eiusdem monasterii et illius monialium subventionem, usus et utilitatem erogari et converti mandes et facias. Nos enim ad praemissa et alia omnia circa ea necessaria et opportuna facienda, gerenda, exequenda et mandanda opportunam et amplam per praesentes auctoritate apostolica facultatem concedimus et impartimur, et institutorum praedictorum voluntatem quoad hoc commutamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxiv. Aprilis pontificatus nostri anno i.

XI.

Moderatur constitutionem Sixti v. super receptione novitiorum illegitimorum ad instituta regularium Ex reg. secr. brev. in mense Martio pag. 252.

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumspecta romani pontificis providentia, ea quae rationabilibus causis, auctoritate apostolica sancita fuerunt, ipsa rerum experientia suadente, ex aliis interdum non minus iustis causis moderatur et immutat, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sane licet alias fel. rec. Sixtus papa v. praedecessor noster nonnulla circa qualitates, modum et formam admittendi religiosos ad quoscumque ordines salubriter statuerit, prout in duabus desuper, prima videlicet sub datum sexto calendas Decembris anno tertio, et altera sub datum duodecimo calendas Novembris anno quarto sui pontificatus editis constitutionibus latius continetur. Quia tamen usu comprobatum est, multa inventa fuisse impedimenta, propter ea quae in praemissis statuta fuerunt, executioni mandari minime potuerunt. Unde quamplures literis et pietate insignes viri a sancto proposito regularem ducendi vitam abducti ac impediti, atque etiam alii diu cum maxima eorum laude in religione versati ab illius dignitatibus, honoribus, praelaturis cum non modico religionis et ordinum huiusmodi detrimento repulsi et inhabiles penitus redditi fuerint.

Nos igitur ea quae docuit experientia salubriter fuisse constituta confirmare, quae vero moderatione aliqua indigere moderari volentes, ac dictarum constitutionum et inde sequutorum quorumcumque tenores etiam veriores, praesentibus pro expressis habentes, habita cum venerabilibus fratribus nostris sanctae romanae ecclesiae cardinalibus super negotiis et consultationibus regularium deputatis, matura deliberatione de eorumdem consilio praedictas constitutiones in ea parte qua cavetur, ne illegitimi ex certo inibi expresso damnato thoro vel complexu, ad quamcumque religionem, neque ad habitum aut professionem regulares, sed tantum ad habitum conversorum aut famulorum, in monasteriis aliisque locis regularibus servientium admittantur; et si post dictam constitutionem professionem emitterent, voluit illam nullius esse momenti. Et in altera parte, in qua illegitime genitos, etiam ante ipsas constitutiones professos vigore privilegiorum aut indultorum apostolicorum, cuivis ordini, religioni, monasterio aut congregationi eorumve superioribus in genere vel in specie concessorum, etiam ipsi per ingressum religionis, vel per eosdem superiores legitimatos seu

ad gradus, honores et dignitates habilitatos seu integratos, ab honoribus, gradibus et dignitatibus quibuscumque tam aulicais, quam aliis privilegiis literis apostolicis, indultis aut declarationibus non obstantibus, excludi ac dispensationes quascumque aut legitimationes non suffragari, neque in futurum cum his, nisi a sede apostolica, privilegiis quibuscumque non obstantibus, dispensare posse voluit, auctoritate apostolica tenore praesentium ad terminos iuris reducimus et moderamur, ac omnes dispensationes et habilitationes, vigore privilegiorum aut indultorum apostolicorum, cuivis ordini, religioni, monasterio aut congregationi, eorumve superioribus in genere vel in specie, ut praefertur, concessorum, quae tempore constitutionum huiusmodi usu recepta, et non sub ullis aliis revocationibus comprehensa erunt per quoscumque eorum superiores factas, in pristinum statum et validitatem, in quibus ante ipsas constitutiones existebant, restituimus et reintegramus. Volentes, iisdem constitutionibus non obstantibus, eos qui quovis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum et professionem regulares admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supradictae constitutiones editae non fuissent.

Ita tamen, ut cum de recipiendis quomodocumque illegitime natis ad habitum et professionem ordinum quarumcumque agetur, ii ad quos huiusmodi receptio spectat, praeter alia de quibus ex dictarum constitutionum praecepto circa quoscumque etiam legitimos disquirere debent, diligenter eorum vitam et mores inquirant, et ita demum recipiant: si tamen bonam indolem et virtutis specimen praeseferant, ac tot eis meritu suffragentur, ut natalium suppleant defectum, eorumque receptio religionis commodo et utilitati profutura videatur. Et super hoc ipso ii ad quos, ut dictum est, pertinet huiusmodi receptio, matura deliberatione habita ita censuerint et iudicaverint, dummodo tamen filius illegitimus, in religione in qua pater, sive ante sive post nativitatem dicti filii professus fuerit, ipso patre vivente non admittatur, quod expresse prohibemus. Volumus quoque ac statuimus licere generali aut provinciali singulorum ordinum aut congregationum, aut hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat iuxta tenorem privilegiorum et indultorum apostolicorum eis concessorum, quae, dummodo usu recepta nec alias sub ullis revocationibus comprehensa sint, ut praefertur, in hac parte revalidamus cum illegitimis, quos dictus generalis aut provincialis, cum generali provinciali seu intermedio capitulo et non alias, suffragantibus meritis dignos iudicaverint, ad honores, gradus et dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi pro tempore ita factas, et inde secuta quaecumque ut antea valere et tenere, perinde ac si supradictae constitutiones non emanassent. Caeterum cum acceperimus, nonnullarum religionum et ordinum, praesertim monachalium monasteria ita instituta esse, ut in eis perpetua quaedam filiatio constituatur; ideoque receptio novitiorum in unoquoque monasterio ad superiorem praelatum et capitulum eiusdem monasterii tantum pertineat, quae etiam monasteria, ut plurimum inter se longe distant, nec generalia, provincialia aut intermedia capitula nisi raro celebrare solent, ideo statuimus, ut superiores illorum monasteriorum de consensu sui capituli, praehabita simul cum his de quibus in unaquaque religione aut monasterio iuxta eius constitutiones recipiendus interrogari solet, aliqua informatione super his quae in dictis constitutionibus continentur, ad receptionem huiusmodi procedere valeant, dum tamen antequam ad professionem admittatur, plenaria et eo modo prout in dictis constitutionibus habetur, inquisitio fiat, quae postea ab his a quibus in praedictis monasteriis examinari solent, diligenter examinetur et approbetur, et demum omnia in dicto capitulo coram superiore referantur.

Digitized by Google

Volentes, quod superiores praedicti cum eorum capitulo, aut ubi consuetudo non fuerit celebrandi capitula, cum tribus aut quatuor ad id in generali congregatione per vota secreta deputatis, servatis eorum regularibus institutis ac supradictis omnibus, eamdem in recipiendis novitiis habeant auctoritatem, quae per dictas constitutiones provincialibus capitulis est attributa. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. Si quis etc.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae MDXCI. idibus Martii pontificatus nostri anno I.

XII.

Margaritae a Cruce moniali clarissae commendat nuntium suum. Ioannes de Palma in eius vita pag. 194.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Margaritae ab Austria professae in monasterio discalcentarum Matriten. salutem et apostolicam benedictionem.

Mittimus ad catholicam maiestatem nostram et sedis apostolicae specialem nuncium dilectum filium magistrum Darium Buccarinum nostrum et sedis apostolicae notarium secretariumque nostrum intimum, cuius prudentiam et fidem ab eo usque tempore dum in minoribus essemus, exploratam habuimus. Dedimus ei in mandatis, ut nobilitatem tuam nostro nomine conveniat, paterne salutet ac de rebus quae ei expedienda commisimus libenter doceat; scimus te a mundo abstractam, ea quae mundi sunt dereliquisse, et pro terrena sorte dominium accepisse, quod singulari laude dignum existimandum esse. Pro eo igitur catholico charitatis zelo quo praestas, negotia huiusmodi quae ad ecclesiae catholicae propagationem et Dei gloriam tendunt, ut adiuves et foveas, eique in omnibus fidem adhibeas, ob eadem tua pietate requirimus: apostolicam interea benedictionem tibi impertientes pro terrenarum rerum contemptu coelestem tibi gloriam a Domino deprecamur.

Datum Romae in monte quirinali die XI. Maii pontificatus nostri anno I.

XIII.

Pro fratre Francisco a s. Martino. Ex reg. sec. brev. in mense Martio pag. 44.

Dilecto filio Francisco de s. Martino ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. professori salutem et apostolicam benedictionem.

Cum in regno Sardiniae in civitate Calaritan. in ecclesia domus s. Mariae de Iesu ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. archiconfraternitas sub invocatione s. Georgii et s. Catharinae nuper per nos erecta et instituta fuerit, cuius confratres pauperes illius regni Sardiniae a Turcis et Mauris capti ex dictae archiconfraternitatis instituto liberare et redimere debent, tuque ut tam pium et necessarium opus fieret magnam hactenus adhibueris diligentiam, ac a fel. rec. Gregorio pp. XIII. et Sixto pp. V. praedecessoribus nostris missus ad partes infidelium personaliter accesseris: nos ad salutem captivorum huiusmodi paterna charitate propensi, tibi ut in dicto regno Sardiniae quamdiu ibi fueris, redemptionem captivorum huiusmodi populo christiano prae-

dicare, et ad conferendas eidem archiconfraternitati pias eleemosynas in hoc opus pro cuiusque arbitrio et voluntate hortari, necnon cum duobus sociis tui ordinis professoribus ac tibi gratis etiam absque superiorum tuorum licentia ad partes infideles huiusmodi personaliter accedere, et pauperes captivos eiusdem regni redimere et liberare libere et licite valeas, plenam et liberam licentiam et facultatem apost. auct. ten. praes. concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die VII. Martii pontificatus nostri anno I.

XIV.

Pro cathedrali ecclesia Toletana. Ex reg. secr. brev. in mense Iunio p. 440.

Ad futuram rei memoriam.

Quae ad sanctorum venerationem et memoriam recolendam pia religiosorum virorum devotione instituta sunt, ea romanus pontifex ad fidelium pietatem conservandam cum ab eo petitur, auctoritatis suae patrocinio corroborare aliasque opportune providere solet, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Nuper siquidem dilectorum filiorum decani et capituli ecclesiae Toletanae nomine nobis expositum fuit, quod dudum quondam Alphonsus de Roias archidiaconus Segobien. et canonicus Toletan. ex peculiari sua erga s. Clarum virginem devotione quosdam perpetuos annuos reditus ipsis decano et capitulo ea lege reliquit, ut quotannis festum diem ipsius s. Clarae qui in die XII. Augusti cadit, solemniter celebrarent, prout per multos annos ab eis observatum fuit; quia vero romani breviarii novissime reformati praescripto dicto die XII. Augusti officium de octava s. Laurentii cum commemoratione ipsius s. Clarae fieri debet, ipsi vero decanus et capitulum cupiant antiquum illud institutum, quod populi etiam pietatem et devotionem adaugeat, eo maxime quia eo ipso die quaedam non exigua eleemosyna inter pauperes per ipsos decanum et capitulum ex eiusdem Alphonsi instituteris dispositione distribuitur, huius sanctae sedis permissu continuare posse, nobis propterea humiliter supplicare fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium congregationis sacrorum rituum quibus hoc negotium examinandum commisimus consilio, piis eorundem decani et capituli desideriis benigne satisfacere cupientes, eisdem decano et capitulo, ut in ipsa ecclesia Toletan. die XII. mensis Augusti festum s. Clarae virginis sub officio duplici cum commemoratione de octava s. Laurentii martyris, et solemni ritu servato tamen in reliquis dicti breviarii et missalis romani ordine perpetuis futuris temporibus celebrari possint, concedimus et indulgemus. Decernentes ipsos perinde satisfacere, ac si dictum officium iuxta praescriptum dicti breviarii penitus persolvissent. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae in monte quirinali die XXIII. Iunii pontificatus nostri anno I.

Digitized by Google

XV.

Ratum habet privilegium fratribus mendicantibus a Pio v. concessum circa animarum curam apud Indos. Ex bullario Francisci Matritensis tom. v. pag. 78.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quantum animarum cura omnes exsuperant, tantum nos impensius providere necesse est, ut idem genus officii, ubique adhibita industria excolatur. Exponi siquidem nobis fecerunt dilecti filii professores ordinis fratrum praedicatorum provinciae s. Ioannis Baptistae del Perù, quod licet fel rec. Pius papa v. per suas in forma brevis ad preces charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici confectas literas, religiosis apud Indos existentibus curam animarum exercendi facultatem concesserit, nihilominus episcopi illarum partium praetendunt religiosos praedictos id facere non posse absque eorum speciali licentia et examine, pro eo quod deinde piae mem. Gregorius papa xiii. praedecessor noster, illos motus proprios qui decretis concilii Tridentini adversabantur, ad ordines reduxit, et qui animarum curam sine episcopi licentia exercent, ii decretis eiusdem concilii Tridentini adversantur; et propterea literae dictae Pii praedecessoris in hoc observari non debent contra mentem et intentionem eiusdem Pii praedecessoris. Nos ad omnem quae inde nascitur et nasci poterit in futurum controversiam componendam, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super causis episcoporum, quibus hoc negotium examinandum, et nobis referendum commisimus consilio, literis dicti Pii praedecessoris, quarum tenoribus praesentibus haberi volumus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis apostolica auctoritate tenore praesentium, robur apostolicae confirmationis adiicimus, illasque debitae executioni demandari volumus et praecipimus; inhibentes omnibus et singulis episcopis illarum partium sub interdicti ingressus ecclesiae poena, eo ipso per contrafacientes incurrenda, ne de caetero praedictos professores, praemissis seu aliis quibuscumque praetextibus quoquomodo desuper molestare aut inquietare audeant seu praesumant. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xvi. Septembris pontificatus nostri anno i.

XVI.

Indulgentias concedit ecclesiis Insularum Philippinarum. Ex reg. secr. brev. in mense Aprili pag. 106.

Universis christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Ad augendam Indorum insularum Philippinarum devotionem et salutem animarum eorum procurandam de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus dictarum insularum, in quibus, sicut accepimus, domus fratrum minorum de observantia s. Francisci discalceatorum et eremitarum s. Augustini ac presbyterorum societatis iesuitarum existunt, vere poenitentibus et confessis qui ecclesias dictarum domorum die festo patroni illarum, necnon pa-

Digitized by Google

rochialem ecclesiam cuiuslibet ex quinque civitatibus dictarum insularum primariis per ordinarium loci designandis, ac cappellam beatae semper virginis Dei genitricis Mariae Manilien. ad quam multi christifideles devotionis causa concurrunt, festis diebus conceptionis, nativitatis, annuntiationis, visitationis, purificationis et assumptionis eiusdem b. Mariae virginis a primis vesperis usque ad solis occasum diei sequentis devote visitaverint et pias inibi preces ad Deum pro s. matris ecclesiae exaltatione, Indorum conversione et in fide catholica manutentione, ac principum christianorum unione et alias, prout unicuique suggerret devotio, effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apost. auct. ten. praes. perpetuo concedimus et elargimur; qui vero diebus sabbati eandem cappellam visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, centum annos et totidem quadragenas de sibi iniunctis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Cumque sicuti etiam accepimus, domus civitatis Manilien. ligneae existentes cum ecclesia, ubi aderat altare privilegiatum, bis combustae fuerint, quod simul cum eadem ecclesia in eodem loco postea reaedificatum fuit, ac ecclesia s. Andreae patroni dictae civitatis, cui multae indulgentiae in forma iubilaei apostolica auctoritate concessae sunt, alio translata existat et a nonnullis de altaris privilegiati et indulgentiarum huiusmodi effectu dubitetur, nos omnem in praemissis dubitandi materiam amputare cupientes, harum serie decernimus et declaramus ecclesias praedictas altari privilegiato, et indulgentiis huiusmodi quibus, ut praefertur, concessa fuerunt, etiam si alio in futurum ex huiusmodi vel simili causa eas transferri contigerit frui, potiri et gaudere debere, prout antea fruebantur et gaudebant ac omnibus et singulis christifidelibus, prout antea suffragari in omnibus et per omnia perinde ac si combustae et translatae non fuissent. Non obstantibus praemissis, ac quibuscumque aliis in contrarium facientibus. Volumus etiam quod praesentium transumptis etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xviii. Aprilis pontificatus nostri anno i.

INNOCENTIUS IX.

Ut Thomas a Massa in provinciam Mediolanensem se conferat. Ex reg. secr. brev. in mense Novembri pag. 126.

Dilecto filio fratri Thomae a Massa commissario generali ordinis fratrum minorum de observantia nuncup. salutem et apostolicam benedictionem.

AD aures nostras nuper pervenit quamplures regulares utriusque sexus personas tui ordinis provinciae Mediolanen. in varios excessus atque errores prolapsos, a superioribus ipsorum tolerari ac impunitos remanere, in maximum dicti ordinis dedecus ac scandalum plurimorum. Quare nos de opportuno remedio providere volentes, de venerab. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super causis et statu regularium deputatorum quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, tibi in virtute sanctae obedientiae prae-

cipimus, quatenus statim ad dictam provinciam personaliter te conferas, omniaque et singula dicti ordinis tam virorum quam mulierum monasteria et conventus in eadem provincia consistentia tam in capita quam membra cuiuscumque gradus existant, visites, corrigas et punias, ac alia quaecumque facias et exequaris, quae tu tamquam commissarius generalis dicti ordinis tui officii commissariatus auctoritate facere potes et debes, non obstantibus quibuscumque in contrarium a quocumque praeterquam a nobis et a congregatione regularium, ad quam recurrere posse et debere volumus quoscumque, qui a te se gravatos senserint quomodocumque emanatis et emanandis; ad quam congregationem si aliquod tibi circa praedicta exequenda impedimentum illatum fuerit, auxilium impetraturum recursum habere, eamdemque de quibuscumque per te gestis successive certiorem facere: et si quid referendum erit vel aliquid dubium emanaverit, referas et consulas, eaque omnia exequaris quae tibi ab ea iniuncta fuerint volumus et mandamus. Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.

Datum Romae apud s. Petrum die xvm. Novembris pontificatus nostri anno 1.

CLEMENTIS VIII.

ANNO CHRISTI 1592. PONTIFICATUS AN. 1.

I.

Indulget erectionem provinciae Albaniae. Ex reg. secr. brev. in mense Martio pag. 368.

Dilecto filio nostro Hieronymo sancti Eustachii diacono cardinali Matthaei nuncupato ordinis fratrum minorum de observantia protectori salutem et apostolicam benedictionem.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius commissarius de curia ordinis fratrum minorum de observantia, quod in capitulo seu congregatione generali sui ordinis praedicti iudicatum fuit, quod si custodia Albaniae eiusdem ordinis, eo quod pluribus conventibus abunde referta existit, in provinciam erigeretur, eique superior provincialis sub titulo ministri, prout aliis dicti ordinis provinciis praeficeretur, ex hoc profecto eiusdem ordinis decori et augmento plurimum consuleretur. Sed cum a fel. rec. Nicolao pp. IV. praedecessore nostro cautum fuit, ne novae provinciae huiusmodi apostolica sede inconsulta et sine eius speciali licentia erigantur, et propterea id illi facere non liceat, nobis humiliter ipsius ordinis nomine supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati ac dicti Nicolai IV. literarum tenorem praesentibus pro expresso habentes, ex sententia venerab. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super rebus et statu regularium deputatorum, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut si praemissa dictae religioni decus et utilitatem allatura fore cognoveris, custodiam praedictam in provinciam, vel tu ipse iuxta constitutiones dicti ordinis auctoritate nostra erigas, vel superioribus eiusdem ordinis illam erigendi licentiam eadem auctoritate concedas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die V. Martii pontificatus nostri anno I.

II.

Erigit seminarium in conventu s. Francisci Tornacensis pro missionibus Germaniae et Flandriae. Ex bullar. Cocquelines tom. V. part. 1. pag. 382.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus pontifex circa dominici gregis curam sibi divinitus commissam sic invigilare debet, ut qui omnia ad ipsius gregis universi salutem pertinentia per seipsum, et venerab. fratres episcopos in partes suae solicitudinis vocatos gerere non valet, bonos ad id operarios religiosos nimirum viros adhibeat, utque ii in operibus non deficiant, seminaria quaedam unde quasi novae germina, novi quotidie operarii in decedentium locum succedant, defessisque opem ferant, instituant.

§. 1. Quod quidem nos ad tantae solicitudinis fastigium evocati, quantum cum Domino poterimus, exequi, et provinciis Belgicis et Germanicis, in quibus

hoc potissimum tempore similium operariorum ministerio ad reparandam et restituendam ibidem collabentem catholicam fidem et religionem maxime opus esse, non sine animi nostri dolore reminiscimur, simile aliquod subsidium quamprimum afferre cupientes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, in domo seu conventu fratrum minorum s. Francisci de observantia civitatis Tornacensis provinciae s. Andreae nuncupat. quae convicinis provinciis maxime commoda existit, unum seminarium pro fratribus earumdem provinciarum et ordinis auct. apost. tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus.

§. 2. Et ad hoc eumdem conventum a iurisdictione et superioritate ministri provincialis provinciae s. Andreae eximimus et liberamus, nobisque et apostolicae sedi, necnon protectori ac ministro generali eiusdem ordinis immediate subiicimus et supponimus.

§. 3. In eo vero conventu seu seminario religiosos ordinis praefati ex quibusvis conventibus, etiam utriusque provinciae scilicet Inferioris Germaniae et Flandriae, qui vigesimum quintum suae aetatis annum attigerint et ad sacrarum literarum studia proclives et idonei, ac in his et philosophia praesertim non omnino rudes fuerint, sed aliquos progressus fecerint, ac vitae morumque honestate praediti sint, uno vel duobus aut tribus annis, prout superiores eiusdem seminarii magis expedire iudicaverint, institui et ali posse, ut exinde ad salutem infidelium procurandam aptiores evadant, decernimus et statuimus.

§. 4. Praecipientes in virtute sanctae obedientiae ministris provincialibus et guardianis in eisdem provinciis existentibus, ut huiusmodi religiosos ex eorum conventibus et provinciis ad haec aptiores deligant, et ad dictum seminarium et conventum, ibi erudiendos transmittant, atque inibi instrui et exerceri permittant et faciant, et ad hunc effectum literas, ut vocant, obedientiales concedant.

§. 5. Postquam autem bene instructi et exercitati fuerint, in suam quemque provinciam et domum, ut in illis fructuosum et Deo gratum ministerium ad divini nominis laudem, et populorum salutem catholicaeque fidei propagationem exhibeant, remitti et reverti curent, nisi forte ob eximiae charitatis fervorem magis arduum opus aggredi voluerint; quo casu ad illud sanctum opus ab illo vel ab illis, quem vel quos eiusdem ordinis protector deputaverit, mitti volumus.

§. 6. Si autem provinciales ministri et superiores conventuum huiusmodi obedientiales huiusmodi literas concedere renuerint, illas concedendi superioribus eiusdem seminarii facultatem tribuimus.

§. 7. Insuper quia pro servitio eiusdem seminarii necessarii erunt aliquot fratres laici conversi, volumus et concedimus, ut ex provinciis praedictis aliquot fratres huiusmodi laici, non tamen ultra octo in dictum seminarium transire, et ibidem, si per superiores idonei et apti iudicati fuerint, recipi et morari possint.

§. 8. Quocirca venerabili fratri episcopo Tornacensi per praesentes committimus et mandamus, ut praesentes literas et in eis contenta quaecumque ad effectum deduci, auctoritate nostra curet et faciat: contradictores quoslibet et rebelles etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae in monte quirinali die xvi. Iunii pontificatus nostri anno i.

III.

Concedit fratribus de observantia conventum tertii ordinis in oppido de Mollid. Ex reg. secr. brev. in mense Maio pag. 161.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm sicut accepimus, in quadam fel. rec. Pii pp. v. praedecessoris nostri constitutione caveatur, quod deinceps amplius fratres ordinis s. Francisci tertii ordinis non recipiantur, simulatque tunc superstites deficerent, quodque illorum domus pro professoribus ordinis fratrum minorum de observantia servirent; reditus autem quos obtinerent monasteriis monialium ordinis s. Clarae applicarentur et applicati essent; ac in oppido de Mollid Aurien. dioecesis adsit domus dictorum fratrum tertii ordinis ubi quatuor vel quinque tantum hodie superstites sunt, nec in illo aliquod monasterium monialium erigi seu fundari conveniat propter illius angustiam, quia octoginta tantum vel circa domus continet, ac dictum oppidum in loco sterili situm sit, illiusque incolae seu habitatores soleant utplurimum esse imbuti non ita bonis moribus, nec in eo medicus reperiatur qui monialium infirmitatibus mederi possit, ac circa illum nullum alium populosum oppidum reperiatur, et ideo valde inconveniens esset monasterium monialium inibi construi et aedificari, dictaque domus iuxta constitutionem Pii praedecessoris huiusmodi professoribus ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum servire debeat, pro parte dilecti filii nobilis viri comitis de Monterei domini in temporalibus dicti oppidi de Mollid nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos dictae constitutionis tenorem perinde ac si de verbo ad verbum insereretur praesentibus pro expresso habentes, de consilio veperab. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super statu regularium deputatorum, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, ac huiusmodi supplicationibus inclinati, harum serie perpetuo statuimus et ordinamus ac indulgemus, quod simulatque omnes dictae domus fratres hodie superstites obierint seu defecerint, dicta domus pro professoribus ordinis fratrum minorum de observantia huiusmodi serviat; reditus autem et caetera eiusdem domus bona per sex annorum spatium pro reparatione dictae domus, ac provisione sacristiae et aliorum ad cultus divini ornatum opportunorum sint deputati: ex tunc autem et deinceps in perpetuum pro constructione unius monasterii monialium ordinis s. Clarae huiusmodi in oppido de Venio eiusdem dioecesis, ac pro illius manutentione monialiumque inibi recipiendarum sustentatione applicentur et applicata esse censeantur; sicque per quoscumque iudices etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae in monte quirinali die xm. Maii pontificatus nostri anno i.

Digitized by

IV.

Fit episcopus Insulae s. Thomae. Ex bullar. huius anni pag. 86.

Dilecto filio Francisco a Villanova electo episcopo s. Thomae salutem et apostolicam benedictionem.

APostolatus officium etc. (anxci. noth. m.) gubernare. Dudum siquidem ad Postmodum vero ecclesia Insulae s. Thomae in Indiis occiduis pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi etc. demum ad te ordinis fratrum minorum de observantia et theologiae professorem in presbyteratus ordine constitutum etc. de persona tua etc. te illi in episcopum praeficimus et pastorem curam et administrationem etc. incrementa. Quocirca discretioni tuae etc. mercaris. Quocirca dilectis filiis capitulo, vassallis dictae ecclesiae, ac clero et populo dioecesis Insulae s. Thomae per apostolica scripta mandamus, quatenus etc. gaudeatis. Vassalli autem praedicti te debito honore prosequentes etc. observari. Rogamus quoque et hortamur attente charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum et Lusitaniae regem catholicum ac venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Ulyssiponen. ipsi archiepiscopo per apostolica scripta mandantes, quatenus te et praedictam ecclesiam dicti archiepiscopi suffraganeam tuae curae commissam habentes, pro nostra et dictae sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus vestris, sic vos benigni favoris prosequantur, quod tu eorum suffultus praesidio in commisso eiusdem ecclesiae regimine possis Deo propitio prosperari, ac eidem Philippo regi ac Deo perennis vitae praemium, etc.

Datum Romae apud s. Petrum XIII. calendas Martii pontificatus nostri anno I.

V.

Eligitur episcopus Stephanen. Ex actibus consistorialibus pag. 21.

Romae in monte quirinali die veneris 19. Iunii fuit consistorium, in quo

REferente reverendissimo Matthaeio pro reverendissimo sanctae Severinae providit ecclesiae Stephanen. vacan. per obitum Silvestri illius ultimi episcopi de persona fratris Nicolai Necansii ordinis minorum de observantia, ipsumque illi in episcopum praefecit et pastorem, curamque etc. committendo, cum decreto quod antequam dictae ecclesiae possessionem adipiscatur alteram emittat professionem fidei, illiusque instrumentum ad curiam transmittat cum condonatione iurium camerae et collegii, et cum clausulis etc. Absolvens etc.

VI.

Episcopus Venen. instituitur. Ex actibus consistorialibus pag. 9.

Romae in monte quirin. die mercurii 8. Aprilis fuit consistorium secretum, in quo

Referente reverendissimo Veromen. providit ecclesiae Nonen. vacanti per liberam resignationem r. p. Angeli a Gradis, eius episcopi de persona fratris Horatii Bellotti Veneti ordinis minorum s. Francisci conventualium, ipsumque illi in episcopum praefecit et pastorem, curam etc. committendo cum consolatione iurium et clausulis opportunis et consuetis. Absolvens etc.

VII.

Fit episcopus Acconen. Ex actibus consistorialibus pag. 35.

Romae apud s. Petrum die veneris 27. Novembris fuit consistorium, in quo

Referente card. Spinola pro card. Madrutio, praefecit fratrem Nicolaum Anesdorfium ordinis minorum conventualium ecclesiae Acconen. in partibus infidelium vacan. per obitum Ioannis, eumque in suffraganeum deputavit ad pontificales functiones exercendas in civitate et dioecesi tantum Monasterien. cum reservatione in eius favore annuae pensionis 200. ducat. super fructibus dictae ecclesiae Monasterien. cum clausulis opportunis etc. Absolvens etc.

VIII.

Statuit aliqua in favorem fratrum mendicantium. Ex reg. secr. brev. in mense Decembri pag. 51.

Venerabili fratri Octavio episcopo Tyciarien. nostro et apostolicae sedis in Inferiori Germania nuntio salutem et apostolicam benedictionem.

Significatum fuit nobis non sine gravi animi molestia nuper in oppido Duaceni Attrebaten. dioecesis nonnullos parochos maximo cum fidelium scandalo, tum docendo et concionando, tum omnes reprehensionibus et censurarum ecclesiasticarum comminationibus perterrendo, fideles Christi avertere, ne festis diebus ad ecclesias fratrum ordinum mendicantium atque collegii societatis Iesu pro missis audiendis accedere, et ne etiam quadragesimali ac paschali tempore fratribus dictorum ordinum ac presbyteris societatis Iesu peccata sua confiteri possent ausos fuisse, affirmantes ipsis christifidelibus tam de iure quam de consuetudine prohibitum esse in aliis quam parochialibus ecclesiis, missas festis diebus audire, nec licere illis quadragesimali vel paschali tempore aliis, praeterquam propriis parochis peccata sua confiteri, unde maximam in fideli populo exortam fuisse animorum perturbationem, accepimus; contra enim fratres ordinum praedicatorum et conventualium ac presbyteri dictae societatis Iesu privilegiis apostolicis suffulti tum privatim tum publice ac in concionibus contra-

Digitized by Google

rium usum in ecclesia Dei receptum et permissum, ac a sanctis patribus et oecumenicis conciliis approbatum defendere conati fuerunt: rem autem eo protractam esse intelleximus ut graves inde dissensiones inter dictos parochos et presbyteros societatis Iesu suboriae fuerint; quod autem gravius afferit, illud in primis fuit quod venerab. fratres archiepiscopus Cameracen. et episcopus Attrebaten. inconsulta sede apostolica negotium hoc in disceptationem, tam etiam in iudicium fortassis apud saecularem curiam deduxerunt: at nos, ne graviora exinde scandala suboriantur, paterne consulere et celeri remedio prospicere volentes, causamque et causas huiusmodi si quae coram quocumque iudice introductae ac etiam instructae reperiantur, ad nos harum serie avocantes illasque penitus extinguentes, ac perpetuum desuper tum parochis, tum aliis silentium imponentes praesenti nostro decreto sancimus, licere saecularibus christifidelibus universis missas diebus dominicis et aliis maioribus festis audire in ecclesiis tam fratrum praedicatorum, quam aliorum mendicantium, necnon etiam collegii societatis Iesu iuxta illorum privilegia et antiquas consuetudines; dummodo id in contemptum parochialium ecclesiarum non faciant: et tam dictis fratribus praedicatoribus et presbyteris dictae societatis, quam aliis privilegiatis, quibus id a sede apostolica indultum est, idoneis tamen et ab ordinario approbatis peccata sua etiam quadragesimali, paschali et quovis alio tempore confiteri licite posse, dummodo tamen iidem saeculares christifideles sacramentum eucharistiae die festo paschatis resurrectionis in propria parochia ab eorum parocho sumant. Proinde tibi per praesentes committimus et mandamus, ut praesens nostrum decretum praedictis archiepiscopo Cameracen. et episcopo Attrebaten. notum facias ac eisdem auctoritate nostra apostolica mandes, ut illud in praedicto oppido Duacensi et ubicumque opus fuerit, publicari et observari faciant, utque parochos in eorum officio contineant illosque ab avocatione populi ab ecclesiis privilegiatorum, ac etiam a propositionibus quibus tollitur libertas populo audiendi missas in ecclesiis privilegiatorum supradictis diebus, ac confitendi peccata etiam in paschate ipsis privilegiatis abstinere faciant; ipsis vero privilegiatis eadem auctoritate praecipias, ut in concionibus et catechismis populum ipsum tum ad reverentiam parochorum, tum ad eorum missas, praesertim dominicis et aliis solemnibus festis diebus audiendis, tum ad decimas resque alias ecclesiasticis debitas solvendas, frequenter moneant et adhortentur; ac denique omnem huiusmodi controversiae occasionem praescindere et tollere, et christifidelium animos ad unionem et quietem traducere cures, omniaque praemissa publicari et exequi, adiectis etiam censuris ecclesiasticis et aliis tibi benevisis poenis, opportunisque omnibus iuris et facti remediis adhibitis mandes et facias, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xii. Decembris pontificatus nostri anno i.

IX.

Ne fratres minores conventuales Lavagnolae sacra solemnia peragant, et domum aedificent prope cappellam s. Sixti. Ex archivo ss. xii. apost. de Urbe.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit venerabilis frater Petrus Franciscus episcopus Saonen. quod dudum pro munienda civitate Saonen. et fortalitio inibi construendo in loco eminenti, ubi sitae erant cathedralis ecclesia illius civitatis necnon

domus et habitationes praesulis et canonicorum eiusdem, necesse fuit ecclesiam ipsam illiusque membra destruere seu alias in ipso fortalitio includere, unde fel. rec. Paulus pp. iv. praedecessor noster ecclesiam domus fratrum s. Francisci ordinis minorum conventualium tunc inibi existentem, seu in illo ac domo praefata ordinem praefatum, omnemque statum regularem pro primo suppressit, ipsaque ecclesia s. Francisci in cathedralem dictae civitatis erexit, ac sic ut praefertur cum omnibus suis reditibus, iuribus et pertinentiis tunc episcopo et dilectis filiis capitulo Saonen. assignavit. Postea tamen similis mem. Pius pp. iv. etiam praedecessor noster reditus ipsos dictis fratribus restituit, in reliquis vero concessionem seu assignationem praefatam et alia de quibus supra approbavit et confirmavit. Sed cum iidem fratres his non contentis praetenderunt, et forsan tentassent episcopum pro tempore existentem et capitulum molestare, parochialem ecclesiam s. Dalmatii extra et prope muros eiusdem civitatis, in loco ubi dicitur Lavagnola a dicta civitate per dimidium milliare vel circa distantem cum omnibus eius reditibus, et sub certis modo et forma tunc expressis a sede apostolica non contradicente episcopo, obtinuerunt quo in loco dicti fratres ecclesiam et domum suam habent. Demum vero ipsi fratres plura adhuc praetendentes, ad fel. rec. Sixtum papam itidem praedecessorem nostrum recursum habuerunt, ac tantum effecerunt, ut inita inter eos et dictum Petrum Franciscum episcopum quadam transactione cappellam s. Sixti nuncupatam, et nonnullas domunculas aliaque, de quibus in dicta transactione fit mentio, sibi concedi obtinuerunt, ob idque ipsi omnia iura et actiones eis in dicta cathedrali ecclesia et illius membris velut illa episcopo praefato cesserunt et renunciarunt, quae etiam transactio per dictum Sixtum confirmata fuit, prout in eius literis super inde confectis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem subiungebat expositio dicti fratres ipsos Petrum Franciscum episcopum et capitulum et canonicos molestare coeperunt, fabricando in dicta cappella Sixti seu prope eam campanile erigendo, et in ea conventum aliter celebrando, et confessiones poenitentium audiendo, praedicando et alia, quae in conventualibus ecclesiis fieri solent, ibi exercendo, animo et intentione, ut dicitur, eam in ecclesiam conventualem redigendi, ac domunculas ipsas, et alia praefata membra in domum eorum similiter conventualem componendam et construendam, prout coeptum est; si vero id fiat cum dicta cappella et alia praefata membra eidem cathedrali contigua seu omnia vicina existant, gravia exinde scandala, magnaque perturbatio et confusio verosimiliter provenire possint. Nos horum malorum occasionem tollere, quietique et paci tam episcopi et capituli quam etiam fratrum praedictorum consulere, ac alias in praemissis opportune providere volentes, necnon concessiones, transactionis et approbationis, ac literarum aliorumque praemissorum exinde secutorum tenores et circumstantias, causasque et occasiones, ac cappellae et membra, necnon fabricarum praefatarum situationes et qualitates pro expressis habentes, Petri Francisci episcopi supradicti precibus inclinati ac de praemissis informati, apost. auct. ten. praes. statuimus, decernimus et declaramus, dictam cappellam Sixti non posse nec debere erigi in ecclesiam conventualem, seu pro tali nominari, sed in ea serviri et celebrari debeat, prout erat solitum ante transactionem praefactam; domunculae vero, et membra adiacentia inserviant et inservire debeant pro hospitio dictorum fratrum, dum aliqui eorum ad ipsam civitatem pro negotiis eorum peragendis accedunt, et non aliter; districtius propterea inhibentes ac in virtute sanctae obedientiae praecipientes eisdem fratribus, quibus ex nunc super praemissis imponimus, ne etiam sub excommunicationis poena Petrum Franciscum episcopum et succes-

Digitized by Google

popes suos, decanum capitulum et canonicos praefatos ulterius super praemissis directe vel indirecte, aut alias quovis modo per se vel alios molestare, vel quicquam contra praesentium tenorem facere seu attentare audeant seu praesumant, ac decernentes etc. Quocirca venerab. fratribus nostris Regalis et Naulen. episcopis, seu dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus generalibus nunc et pro tempora existentibus, et cuiuslibet ipsorum in solidum per praesentes committimus et mandamus, si et quoties pro parte episcopi et capituli Saonen. seu cuiusque illorum requisiti fuerint, eis efficacis defensionis praesidio in praemissis assistentes, facientes illos praesenti declaratione ac decreto, et aliis partibus contentis pacifice frui et gaudere, non permittentes illos super praemissis per dictos fratres et quoscumque alios sub quacumque praetextu, vel colore quomodolibet molestari, perturbari vel impediri. Nos enim illis dictos fratres et alios interesse habentes, seu putantes citandi eisque etiam sub censuris, et poenis arbitrio suo imponendis et moderandis, inhibendi, et contradictores et rebelles quoscumque etc. et alia omnia necessaria et opportuna faciendi, et exequendi plenam et liberam tenore earumdem praesentium concedimus facultatem, non obstante transactione et contentis in illa, quatenus etc. quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die v. Martii pontificatus nostri anno 1.

X.

Assignat pensionem quibusdam episcopis. Ex bullar. Cocquelines tom. v. part. 1. pag. 350.

Ad futuram rei memoriam.

IN apostolicae sedis specula disponente Domino constituti, ad universorum christifidelium salutem procurandam, ita nos debitores esse agnoscimus, ut non minus longe quam iuxta positis pastoralis nostrae vigilantiae, et charitatis studium impartiri, quodque utriusque expedire censemus pro viribus exequi studeamus.

§. 1. Idcirco non immerito cupientes saluti christifidelium latinorum, et aliorum christianorum, qui in partibus infidelium, seu Turcarum tyrannidi subiectis, praesertim vero in insulis Maris Aegaei, seu Archipelagi existunt, prospicere, accepto per nos, quod eorum episcopi et pastores propter eorum et ecclesiarum inopiam et impotentiam apud ipsos manere, et in suis ecclesiis sustentari non valentes, neque continuo, ut debent, resident seu se residere non posse excusant. Ne defectu vel absentia episcoporum dicti fideles pastorali cura destituti in haereses, vel schisma, vel in infidelitatem misere labantur sive inducantur, neve alias pereant, sed eorumdem episcoporum praesentia, studio et auxilio in christianae et catholicae fidei unitate, doctrina, moribus et praeceptis contineantur et conserventur, providere volentes motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate certaque scientia nostra, perpetuo statuimus et decernimus infrascriptis episcopis, et eorum successoribus ex nostris et camerae apostolicae pecuniis, donec eis aliter opportune provisum fuerit, singulis annis in duobus terminis, uno videlicet in s. Ioannis Baptistae a proxime futura incipiendo, et alio in Domini nostri Iesu Christi nativitatum festivitatibus, infrascriptas summas integras, et immunitas in civitate Venetiarum absque cambii, vel alterius

damni, detrimenti, vel mercedis deductione seu defalcatione persolvi debere, easdemque summas praedictis episcopis et eorum singulis in dictis terminis, ut praefertur, persolvendas, loco pensionis annuae ab omni alio onere prorsus immunis et exemptae, auct. apost. ten. praes. concedimus et assignamus.

§. 2. Mandantes propterea dilectis filiis thesaurario et depositario nostris, et pro tempore existentis romani pontificis generalibus praesentibus et futuris eisdem in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio nostro poenas districte praecipientes, ut in praedictis terminis et civitate Venetiarum, dictis episcopis et eorum successoribus, aut ipsorum legitimis procuratoribus vel agentibus, donec aliter eis provisum fuerit, ut praefertur, dictas pecuniarum summas seu quantitates libere et absque aliqua mora, nullo alio a nobis seu successoribus nostris expectato mandato integras et indiminutas, ut praemittitur, persolvant seu persolvere debeant et teneantur.

§. 3. Mandantes etiam dilectis item filiis nostro et s. r. e. camerario, ac praesidentibus et clericis camerae apostolicae, commissariisque et aliis illius officialibus nunc et pro tempore existentibus, ut easdem pecuniarum summas et cambia forsan pro eis solvenda, in ipsorum thesaurarii et depositarii rationibus et computis deducant, et in debita ipsius camerae accepta et rata habeant, praesentes vero literas in eadem camera admittant, ac in illius libris describi et registrari per eos, ad quos pertinet, sine ulla contradictione curent et faciant.

§. 4. Non obstantibus etc.

§. 5. Personae autem episcoporum et summae pecuniarum, quae eis vel eorum successoribus singulis annis, donec aliter eis provisum fuerit, Venetiis persolvi volumus, sunt hae, scilicet fr. Bonaventurae de Naxo moderno et pro tempore existenti episcopo Andren. in Archipelago scuta auri in auro ducenta; fr. Antonio de Chio moderno et pro tempore existenti episcopo s. Irenos in eodem Archipelago scuta similia ducenta; fr. Francisco moderno et pro tempore existenti episcopo Bosnensi in Bosnia Argentina scuta similia centum; fr. Bernardino Quirino Cretensi moderno et pro tempore existenti episcopo Argenti in Valachia, et Moldavia scuta similia centum quinquaginta *(singuli erant franciscani)*. Fr. Augustino Gisulpo ordinis praedicatorum proxime futuro et alii pro tempore existenti episcopo Sirensi in eodem Archipelago scuta similia centum quinquaginta.

Datum Romae apud s. Petrum die xxx. Aprilis pontificatus nostri anno I.

XI.

Confirmat privilegia concessa conventui s. Antonii Patavini fratrum minorum conventualium Ex arch. ss. xii. apostolorum de Urbe.

Ad futuram rei memoriam.

Usus saepe numero docet, ea quae salubria fore putabant, minus reipsa prodesse, ut propterea nemini mirum videri debeat, si romanus pontifex gratias et privilegia quae ab apostolica sede optima ratione emanarunt, ex aliis postmodum quas ex illorum abusu provenire ipsa rerum experientia demonstrat, non minus cogentibus causis revocat et moderat, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Nuper siquidem ad aures nostras fide digna relatione

pervenit, quod postquam alias dilecti filii guardianus et fratres domus s. Antonii de Padua ordinis minorum conventualium obtinuerunt a fel. rec. Sixto pp. v. nostro praedecessore, per quasdam eius forme brevis sub datum xxvm. Martii anni Domini MDLXXXIX. expeditas litteras, complura privilegia, statuta et ordinationes, regimen et modum gubernandi eius domus conventum concernentia; ita praedicti fratres illis sunt abusi, ut plene compertum sit, non mediocra inde damna, scandala atque incommoda et hactenus secuta esse, et verendum etiam in posterum, ne graviora in dies oriantur. Nam cum inter cetera eis literis cautum sit, ut perpetuis futuris temporibus omnes et singuli dicti ordinis et illius provincie fratres, processus, ex quorum inspectione posset quispiam aliquam infamie maculam sive notam incurrere contra fratrem, aut de fratre quomodocunque aliquam mentionem facientes, debeant primo quoque tempore, dilecto filio ministro huius provincie praesentare, valde periculosum est, et fortasse hactenus non admodum . . . . . fuit, ut ex solius ministri provincialis arbitrio et nutu pendeat impunitatem cuiusvis dilecti fratribus concedere. Dum vero statuitur, ut mulierum confessiones non audiant, nisi hi qui congregatis patribus per eorum consilium fuerint admissi, atque illi qui in eodem conventu non existunt de familia collocati, nec virorum nec mulierum confessiones audire praesumant, nisi de totius concilii primum licentia speciali et ab ordinario approbati fuerint, per hoc satis manifeste apparet saepe sine ulla causa necessario exclusos remanere optimos quosque a confessionibus huiusmodi audiendis, nisi et de familia sint, et communiter dicti concilii patres in eo consentiant. Quod autem cura camerarum deputatarum ad usum generalis, provincialis et praedicatorum, ipsis generali, provinciali et praedicatoribus absentibus, demandetur uni vel pluribus fratribus, patribus nativis nuncupatis, et fratribus filiis nuncupatis aut incorporatis dictae domus, servato gradus et meritorum praerogativa; ex hoc esse quasi propria et peculiari illarum usurpatione, magnam praedicti fratres occasionem iustae querelae praebuerunt, caeteris fratribus non nativis, qui licet sint meritis et gradibus insigniores, tamen ob huiusmodi personarum acceptionem earundem camerarum usu et commodo carere coguntur, ex eo praeterea, quod electio guardiani trium locorum de comitatu Patavino ad ipsos pertineat, innumeros peperit abusus. Denique quod commissarii ad dictam domum non deputentur, nisi ad causas secundum facti contingentiam; causa vero quamprimum expedita, commissariatus huiusmodi deputatio seu officium eo ipso expiret et cesset, ac expirasse et cessasse censeatur; ipsique commissarii ex ea domo migrare ad suos conventus statim teneantur; id profecto fratribus eius domus diabolis et alienius criminis vel culpae reis, et praesertim si auctoritate aliqua praediti illa abutantur, viam effugiendi aut differendi debitas poenas, suaque crimina et delicta occultandi facillimum aperit: superiorum vero auctoritatem adeo restringit, ut quae ad bonum regimen et directionem, praecipue vero reformationem et correctionem fratrum pertinent, ea nullo modo exequi possint, prout iam ex praemissis et aliis quae in ipsis continentur, per ipsos fratres, multas corruptelas et abusus quos aliquibus de causis non hic enumerandos, neque exprimendos duximus introductos esse, et in dies introduci intelleximus. Quare cum dilecto filio nostro Augustino tituli s. Laurentii in Pane et Perna presbytero cardinali Cusano nuncupato praedicti ordinis protectore, negotio huiusmodi mature communicato et discusso de opportuno remedio ne peius aut abusius sequatur; pro nostro pastorali officio providere volentes, praedictis aliis rationabilibus de

causis animum nostrum moventibus adducti, motu proprio, non ad alicuius super hoc oblatae nobis petitionis instantiam, necnon ex mera deliberatione certaque scientia nostris, tam praedicta quam alia, quae in eisdem literis continentur, statuta, ordinationes, privilegia et facultates, atque adeo ipsas literas quarum tenores etiam veriores, praesentibus haberi volumus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis auct. apost. ten. praes. perpetuo revocamus, irritamus et annullamus, ac dictis fratribus de caetero minime suffragari, neque ipsos aut iudices, seu executores per eos deputatos illis, earumve parte aliqua uti nullo modo posse, ac prorsus irritas, nulliusque roboris aut momenti esse decernimus ac declaramus, perinde ac si nunquam emanassent. Decernentes praesentes literas, et in eis contento etc. Quocirca apost. auct. ten. praes. perpetuo statuimus et decernimus, quod guardianus et conventus dictae domus s. Antonii de Padua, aut illius particulares personae, nullo unquam tempore aliquam personam tam laicam quam ecclesiasticam, quamcunque mundana etiam ducali, marchionali aut alia maiori, vel ecclesiastica etiam episcopali, archiepiscopali et cardinalatus, vel alia dignitate, auctoritate et praeminentia fungentem recipere neque hospitari possint, idque illis in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poenam nominatim interdicimus et prohibemus. Quocirca venerabili fratri episcopo Paduano, ac nostro et apostolicae sedis in dominio Venetiarum nuntio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse vel alter eorum per se, vel alium seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit, solemniter publicantes, et in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes ac omnia et singula in eis contenta ab omnibus ad quos spectat et spectare poterit, quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, contradictores etc.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die III. Novembris pontificatus nostri anno I.

Digitized by Google

XII.

Erigit provinciam s. Didaci in regno Hispalensi. Ex bullar. Francisci Matritensis tom. 1. pag. 341.

Ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris nostri Iesu Christi vices, licet immeriti, gerentes in terris, illam curam libenter amplectimur, per quam religiosorum omnium ordines multiplicatis cultoribus, quorum assiduis precibus et fructuosis operibus, omnipotens Deus propitiatur, nostris etiam temporibus suscipiant incrementum, et ubique locorum propagentur; ut vero id optatum consequatur effectum, officii nostri partes pii patris more favorabiliter interponimus, prout fidelium vota atque devotio expostulant, et nos conspicimus in Domino expedire.

§. 1. Sane dilecti filii decuriones, communitas et homines civitatis Hispalensis nobis nuper exponi fecerunt, quod cum ipsi pro eorum singulari ac praecipua quadam devotione, quam erga ordinem fratrum minorum s. Francisci discalceatorum nuncupatorum gerunt, summopere cuperent illos ac eorum ordinem in dicta civitate introducere, unam regularem domum eiusdem ordinis sancti Didaci nuncupatam, cum ecclesia sub invocatione eiusdem s. Didaci ac omnibus aliis membris et officinis ad id necessariis prope et extra muros dictae civitatis, pro eiusdem ordinis fratribus ibidem introducendis propriis eorum sumptibus construi fecerunt, in quibus constructione, summa viginti millium scutorum in circa exposuerunt, quorum exemplo, etiam aliae eiusdem ordinis domus in provincia Hispalensi postmodum aedificatae, ac in eis nonnulli ipsius ordinis fratres ex provincia s. Ioseph eiusdem ordinis discalceatorum, de licentia suorum superiorum introducti fuerunt; cumque ob eorumdem fratrum vitae austeritatem et bonum exemplum populique erga ipsius s. Didaci, qui dictae provinciae Hispalensis originarius fuit, peculiarem quemdam devotionis affectum, in dies ipsa religio in illis partibus maiora suscipere videatur incrementa: ac ultra iam constructas domos, aliae etiam de novo construi et aedificari posse sperentur, ac provincia s. Ioseph eiusdem ordinis, in qua illius provincialis residet, ab ipsa provincia Hispalensi octoginta leucas in circa distet, et ob id fratres quos in domibus dictae provinciae Hispalensis, pro tempore introduci et morari contigerit, non ita commode per dictum provincialem s. Iosephi visitari, corrigi atque gubernari poterunt, ac propterea si domus in dicta provincia Hispalensi iam constructae, ab ipsa s. Iosephi seu alia quacumque dicti ordinis provincia separarentur, ac tam illa quam aliae in dicta provincia Hispalensi pro tempore construendae domus in provinciam separatam ab ipsa s. Ioseph erigerentur, ipsaque domus s. Didaci, ut praefertur, constructa, illius caput constitueretur, ipsiusque provinciae Hispalensis provincialis per fratres dictae provinciae Hispalensis, ad instar provincialis s. Ioseph, hac tamen prima vice excepta, eligeretur, qui ipsius provinciae Hispalensis caput existeret, ac omnia ad officium provincialis quomodolibet expectantia, et quae dictus provincialis s. Iosephi iuxta ipsius ordinis regularia instituta et seu indulta, privilegia apostolica facere solet et debet, et facere et exercere, ex hoc profecto nedum ipsorum decurionum, communitatis et hominum, sed etiam totius provinciae Hispalensis, ac spirituali consolationi, cum animarum salute et ipsius religionis incremento non modico consuleretur; quare decuriones, communitas et

homines praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos qui animarum salutem et religionis augmentum toto corde exoptamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, congregationi sanctae romanae ecclesiae cardinalium super negotiis episcoporum et regularium deputatorum, negotium huiusmodi audiendum et nobis referendum demandavimus; habita igitur ab eisdem cardinalibus desuper relatione, de illorum consilio eisdem decurionibus, communitati et hominibus ac quibusvis aliis personis tam in dicta provincia quam extra eam existentibus, cuiusque status et conditionis sint, ut quascumque dicti ordinis domus regulares in dicta provincia Hispalensi, de licentia ordinarii loci construere et aedificare seu construi et aedificari facere possint et valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur; ac tam sic construendae et aedificandae, quam s. Didaci et aliae iam constructae et aedificatae domus ab ipsa s. Iosephi, et quacumque alia dicti ordinis provincia, illiusque provincialis iurisdictione et superioritate ita, ut illi amplius minime subsint, auctoritate et tenore praesentium omnino perpetuo dividimus et separamus, ipsamque domum s. Didaci ac alias quascumque dicti ordinis in eadem provincia Hispalensi hactenus constructas ex nunc et pro tempore construendas, ex nunc, prout ex tunc, postquam constructae fuerint in ipsius ordinis regulares domus, illasque in provinciam dicti ordinis discalceatorum s. Francisci separatam ab ipsa provincia s. Iosephi et alia quacumque, cuius caput sit ipsa domus s. Didaci, ac in illa eius provincialis resideat, qui eisdem modo et forma ac iuxta ipsius ordinis regularia instituta eligi debeat, ita tamen quod hac prima vice, provincialis dictae provinciae Hispalensis, et definitores et alii officiales, qui in capitulo provinciali solent eligi, per capitulum conventuale dictae domus s. Didaci eligatur et deputetur, eisdem auctoritate et tenore etiam perpetuo erigimus et instituimus: et insuper s. Didaci ac aliis dicti ordinis regularibus domibus, in dicta provincia Hispalensi hactenus constructis et pro tempore construendis, illiusque provinciali, guardianis, superioribus, fratribus et singulis illarum personis, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, praerogativis, praeeminentiis, gratiis et concessionibus quibus dicta provincia s. Iosephi, illiusque provincialis ac singulae domus, necnon fratres et personae quaecumque utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti potiri et gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, similiter et ad eorum instar, et aeque principaliter, ac si dictae provinciae Hispalensi, necnon sancti Didaci eiusque provinciali aliisque domibus praedictis, eorumque guardianis, fratribus et personis quibuscumque concessa fuissent uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, eisdem auctoritate et tenore similiter perpetuo concedimus et indulgemus.

§. 3. Decernentes praesentes literas, etc.

§. 4. Quocirca venerabili fratri nostro archiepiscopo Hispalensi etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xxviii. Septembris pontificatus nostri anno ii.

XIII.

Ut immittat fratres discalceatos in conventum de Bornos. Ex reg. secr. brev. in mense Februario pag. 100.

Venerabili fratri archiepiscopo Hispalen. seu dilecto filio eius officiali salutem et apostolicam benedictionem.

AD ea libenter intendimus per quae religiosorum commoda augentur, et nobilium virorum pietati satisfieri dignoscitur. Dilectus siquidem filius nobilis vir Ferdinandus Henriquez de Ribera dux de Alcala nobis nuper exponi fecit, quod alias quondam Ferdinandus Henriquez de Ribera marchio Tariffae eius natus, ex peculiari devotionis affectu quem erga ordinem fratrum congregationis seu provinciae s. Iosephi ordinis s. Francisci discalceatorum nuncupat. in regnis Hispaniarum erectae gerebat, et ut votum adimpleret, in eius ultimo quod condidit testamento ordinavit, ut in oppido seu loco de Bornos Hispalen. dioecesis ex bonis ipsius testatoris unum monasterium pro fratribus dictae congregationis extrueretur, quod monasterium praedictus Ferdinandus dux ipsius testatoris procurator et testamenti executor magnis sumptibus aedificari fecit; unde cum iam absoluta fabrica nihil supersit, nisi quod in illud fratres praefati introducantur, idem Ferdinandus dux nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis auctoritatem nostram interponere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur piis huiusmodi operibus favere satagentes supplicationibus praedicti ducis inclinati, fraternitati tuae, frater archiepiscope, seu discretioni tuae fili officialis per praesentes committimus et mandamus, ut si monasterium praedictum condecenti structura, aedificiis, cellis, officinis, hortis et hortalitiis, atque cum ecclesia, campanili et aliis necessariis ad fratrum habitationem et divini cultus manutentionem sufficienter extructum et accommode ornatum esse compereris, in illo ordinem et essentiam regulares praefatae congregationis fratrum s. Francisci discalceatorum iuxta voluntatem et formam praescriptam a dicto testatore, auctoritate nostra apostolica perpetuo erigas, ac illud fratres eiusdem congregationis introducas, ipsisque fratribus monasterium et ecclesiam cum adiacentibus annexis et connexis, eadem auctoritate perpetuo concedas et assignes, aliaque circa praemissa quomodolibet necessaria et opportuna facias statuas et ut tibi magis in Domino expedire videbitur, exequaris, ita ut in ipso monasterio perpetuo inhabitare, ac iuxta eorum regularia instituta divinis laudibus vacare, atque omnibus et singulis gratiis, privilegiis, indultis, indulgentiis et donis spiritualibus et temporalibus quibus alia monasteria seu domus et conventus ipsius congregationis, ac illorum fratres et religiosi de iure, usu, consuetudine, privilegio aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui potiri et gaudere possunt ac poterunt quomodolibet in futurum, sine ulla prorsus differentia uti, frui potiri et gaudere possint et debeant, nec inde a quopiam quavis auctoritate fungente ullo tempore amoveri vel eiici, aut alias quomodocumque molestari, perturbari aut inquietari valeant; et ne dictum monasterium fratribus dicti ordinis diutius destitutum remaneat, dilectis filiis magistro generali et provinciali, seu superioribus tam ordinis s. Francisci quam praedictae congregationis discalceatorum s. Iosephi in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut cum primum per te fuerint requisiti,

vel aliquis eorum fuerit requisitus, omni tergiversatione cessante, sufficientem numerum fratrum et religiosorum dictae congregationis iuxta dicti monasterii qualitatem ad dictum locum cum effectu transmittant et introducant. Nos enim sic per quoscumque iudices etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xv. Februarii pontificatus nostri anno II.

XIV.

Praeficitur episcopus Conseranen. Ex actibus consistorialibus pag. 40.

Romae apud s. Petrum die veneris 30. *Ianuarii fuit consistorium, in quo*

REferente cardinali de Aquaviva fr. Hieronymus de Lingua ordinis minorum s. Francisci de observantia praefectus fuit ecclesiae Conseranen. vacan. per cessionem illius regiminis Francisci praefatae ecclesiae ultimi episcopi cum retentione annuae pensionis scutorum mille pro episcopo cedente de consensu promoti, cum clausulis opportunis etc. Absolvens etc.

XV.

Fit episcopus Asculanus in Apulia. Ex actibus consistorialibus pag. 47.

Romae in monte quirinali die lunae ultima Maii MDXCIII. *fuit consistorium, in quo*

REverendissimo Iustiniano referente providit ecclesiae Asculanae in provincia Apuliae regni Neapolis, vacan. per obitum Marci illius ultimi episcopi de persona fratris Francisci Bonfilii a Gualdo ordinis minorum conventualium s. Francisi ministri generalis, ipsum illi in episcopum praefecit et pastorem curam etc. committendo, cum clausulis opportunis et consuetis etc. Absolvens etc.

XVI.

Statuit ut bis in anno corpus s. Bernardini dumtaxat ostendatur. Ex reg. secr. brev. in mense Maio pag. 182.

Ad perpetuam rei memoriam.

SUpplicationibus dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus s. Bernardini Aquilan. nobis humiliter porrectis inclinati, ac ex venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium congregationis sacrorum rituum, quibus hoc negotium examinandum commisimus sententia, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus, ut posthac corpus b. Bernardini quod in ecclesia dictae domus custoditur, bis tantum quolibet anno videlicet die xx. Maii, et xxvm. Augusti iuxta veterem consuetudinem fideli populo ostendatur, nec alio quocumque tempore ad cuiusvis personae tam saecularis

quam ecclesiastico cuiuscumque status, gradus et conditionis, praeterquam alicuius regis, seu s. r. e. cardinalis, aut prorogis regni Neapolis ibidem praesentibus instantiam ostendi possit, interdicimus et prohibemus.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxvii. Maii pontificatus nostri anno ii.

XVII.

Quaedam largitur fratribus observantibus conventus Salisburgi. Ex reg. secr. brev. in mense Martio pag. 109.

Venerabili fratri Wolfango archiepiscopo Salisburgen. salutem et apostolicam benedictionem.

CUm sicut nobis nuper exponi fecisti, tu qui in cura gregis tibi commissi solerter invigilas, nihilque quod ad fidi pastoris munus obeundum pertineat, praetermittas, operam dilectorum filiorum fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia in conventu seu monasterio in tua civitate Salisburgen. ab antecessoribus tuis archiepiscopis ipsi ordini pridem constituto, et per te novissime eorumdem fratrum numero aucto, et aedificiis etiam ampliari coepto degentium, qua frequenter tum in ipsa civitate tum in dioecesi Salisburgen. in praedicatione verbi Dei et aliis divinis obsequiis uteris, ad Dei laudem et christifidelium aedificationem animarumque salutem valde utilem et fructuosam esse cognoscas, ac maiorem in dies fructum et utilitatem allaturum praesertim si fratribus ipsis liceret infirmis ecclesiastica sacramenta ministrare, esse speres; et propterea nobis humiliter supplicari feceris, ut in praemissis opportunam ipsis fratribus facultatem concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos piis tuis votis benigne annuere volentes, ac de tua virtute et prudentia plurimum in Domino confidentes tuis huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium sacri Tridentini concilii interpretum consilio, fraternitati tuae, ut ad quinquennium proximum a data praesentium numerandum, fratribus praedictis monasterii et ordinis iuxta casuum conscientiam infirmis christifidelibus tuae civitatis et dioecesis Salisburgen. ecclesiastica sacramenta, poenitentiae nimirum, eucharistiae, et extremae unctionis administrandi licentiam auctoritate nostra concedere valeas auctoritate apostolica tenore praesentium liberam facultatem impartimur.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxviii. Martii pontificatus nostri anno ii.

XVIII.

Pro fr. Matthaeo Fernandez Manrique. Ex reg. secr. brev. in mense Iulio pag. 123.

Dilecto filio fratri Matthaeo Fernandez Manrique ordinis minorum s. Francisci de observantia nuncupat. salutem et apostolicam benedictionem.

CUm sicuti nobis nuper pro parte tua significatum fuit, dilecta in Christo filia Maria Manrique gravi infirmitate detenta pioque devotionis fervore accensa, Deo voverit se aliquam personam missuram, quae ad Hierusalem et

Terrae Sanctae loca accederet, illaque suo nomine inviseret. Cumque ipse pro eiusdem voti sui executione, te qui eiusdem Mariae nepos existis, elegerit, tuque libenti animo huiusmodi peregrinationis iter arripere paratus sis, si nostra tibi desuper licentia atque auctoritas suffragetur. Idcirco nobis humiliter supplicari fecisti, quatenus tibi in praemissis facultatem et licentiam impertiri de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, tuisque supplicationibus huiusmodi inclinati, tibi ut de superiorum tuorum licentia ad praedicta Hierusalem et Terrae Sanctae loca una cum uno socio per te ex eodem ordine eligendo cum benedictione nostra accedere, ac in illis, donec eiusdem Mariae voto satisfecisse iudicaveris, una cum dicto socio tuo commorari libere et licite possis et valeas, dummodo neque tu neque socius tuus ad loca infidelium res prohibitas deferatis, nuct. apost. ten. praes. concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc. Hortamur autem omnes et singulos, ut te Matthaeum cum socio tuo tam ad dicta loca proficiscentem et in illis commorantem, quam ex illis discedentem et redeuntem per dominia, ditiones et loca ipsorum absque ullo impedimento ire, transire, ibique manere et commorari, ac domum inde redire libere permittant, tibique in omnibus faveant. In quo rem piam et nobis gratam praestabunt.

Datum Romae apud s. Marcum die xx. Iulii pontificatus nostri anno II.

Digitized by Google

XIX.

Facultatem tribuit Genuae provinciam dividendi. Ex reg. secr. brev. in mense Iunio pag. 65.

Dilecto filio Bonaventurae a Calatahierone ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia ministro generali salutem et apostolicam benedictionem.

EXponi nobis nuper fecisti, quod dudum in quodam capitulo generali istius ordinis fratrum minorum de observantia Romae de anno MDLXXXVII. celebrato decretum fuit, ut provincia Ianuen. eiusdem ordinis propter illius amplitudinem et alias iustas causas in duas provincias divideretur, quodque tu cum in ipsam provinciam personaliter accesseris, multa illius loca, conventus et domus cum a provinciali ministro commode visitari non possent, valde deteriorata fuisse, et alia in dies deteriorari comperisti, unde communi patrum eiusdem provinciae consensu deliberatum fuit, ut ad huiusmodi divisionem omnino deveniretur. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, quadam fel. rec. Nicolai pp. iv. praedecessoris nostri constitutione cavetur, ne fiant in dicto ordine provinciarum divisiones nec electiones absque romani pontificis et protectoris licentia speciali, tu nobis humiliter supplicari fecisti, ut opportunam tibi super his licentiam impertiri de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui eiusdem ordinis commoda et amplitudini, ut illius religiosi commodius divinis obsequiis quibus se dicarunt, insistere valeant, libenter prospiciunus, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi ut Ianuensem provinciam praefatam in duas provincias dividere, ac in eis duos ministros provinciales constituere ac omnia et singula in praemissis necessaria seu quomodolibet opportuna facere libere et licite valeas, auct. apost. ten. praes. licentiam et facultatem concedimus et indulgemus. Decernentes et pariter concedentes ex nunc prout ex tunc, postquam divisio et erectio duarum provinciarum earumque ministri provinciales, ac domus conventus et loca, ac eorum religiosi omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, gratiis, indultis et indulgentiis quibus aliae provinciae et illarum ministri provinciales, domus, conventus, loca et religiosi utuntur fruuntur et gaudeant, ac uti frui gaudereque possunt et poterunt quomodolibet in futurum, aeque frui et gaudere possint et debeant, sicque per quoscumque dicti ordinis superiores ac alios iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xvii. Iunii pontificatus nostri anno iii.

XX.

Urgel erectionem provinciae s. Pauli apostoli. Ex bullar. Francisci Maritensis tom. 1. pag. 547.

Ad futuram rei memoriam.

CUm sicuti charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus exponi nobis nuper fecit, in provincia s. Iosephi fratrum discalceatorum nuncupatorum, ordinis minorum observantiae regularis in partibus

Hispaniae, iam olim auctoritate apostolica erecta, instituta ac pluries per sedem apostolicam confirmata et approbata, tot conventus seu loca ex paucissimis initiis, annuente Domino, pepererit, totque sicut oliva fructifera in vinea Domini novellas ex se protulerit, quòd ex ea duae iam provinciae eius antea custodiae eiusdem instituti, una videlicet s. Ioannis Baptistae in regno Valentiae, et altera s. Gregorii in partibus Indiarum, in quibus similis regularis observantia viget, prodierunt, et nihilominus adhuc in ea triginta et octo conventus seu loca cum sanctissimo altaris sacramento, et competenti numero fratrum existant, ex quibus sexdecim in Castella, ut aiunt, Veteri, et reliqua viginti duo in regno Toletano consistunt. At cum tam propter regionum huiusmodi diversitatem et longam distantiam, quam propterea quod minister provincialis illius non eques, nisi in casu urgentis necessitatis, sed communiter pedester apostolice perambulat, non solum sit valde difficile totam ipsam provinciam eunctaque eius loca commode, ut decet, visitare, ut eorum commoditati et fratrum ipsorum spirituali consolationi subvenire possit; verum est omnino impossibile, absque quo, et loca ipsa in eorum regimine et fratres in spiritualibus commoditatibus detrimentum patiantur non modicum. Unde si sexdecim conventus seu loca supradicta in Castella Veteri consistentia, quae inter se ad visitandum commodissime, et ab aliis viginti duo, non modico itineris discrimine montibus saxosis et praeruptis, instar alpium interiectis distant, ab eadem provincia dismembrarentur et separarentur, illaque sic dismembrata et separata in provinciam erigerentur et instituerentur, reliquis viginti duo pro eadem provincia sancti Iosephi remanentibus, profecto sine aliqua dubitatione commodius visitarentur respective et gubernarentur, et eorum commoditatibus tam in spiritualibus quam temporalibus facilius provideretur et consuleretur. Quare idem rex nobis humiliter supplicari fecit, quatenus conventus et loca praedicta in Castella Veteri consistentia, ab eadem proviucia sub nomine s. Pauli apostoli erigere et instituere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 1. Nos itaque piis et honestis eiusdem regis precibus annuere volentes, conventus seu loca praedicta in Castella Veteri consistentia, ab eadem provincia s. Iosephi, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo dismembramus et separamus; eademque sic dismembrata et separata, in novam provinciam sub nomine s. Pauli apostoli erigimus et instituimus, eamque sic erectam et institutam, inter provincias ordinis minorum regularis observantiae apponere eisque aggregare et annumerare, positamque et aggregatam et annumeratam esse fore, omnibusque concessionibus, indultis, gratiis et literis apostolicis eidem provinciae s. Iosephi concessis et pro tempore concedendis, etiam perfrui et gaudere debere; perinde ac si eidem provinciae de novo erectae specialiter concessa essent. Et eisdem constitutionibus, statutis et ordinationibus, quibus eadem provincia s. Iosephi utitur et gubernatur, et pro tempore utetur et gubernabitur, perpetuo uti et gubernari debere. Et ad alia statuta quaecumque in ordine facta et pro tempore facienda, nec provincia s. Iosephi, nec de novo erecta, huiusmodi ullatenus teneri, cum strictioris observantiae fratrum discalceatorum constitutiones existant, paupertatem altissimo Domino promissam longe magis concernentes. Praeterea quod in congregatione more capituli provincialis ad hunc effectum habenda et celebranda, tempore et loco ab ipso ministro provinciali provinciae sancti Ioseph praefinito, convocatisque per ipsum definitoribus ac patribus praedictis cunctisque omnibus omnium locorum, seu conventuum ipsius provinciae guardianis; ex omnibus eius fratribus, hoc est de

Digitized by Google

toto corpore provinciae, unus illorum in ministrum provincialem, pro provincia de novo erecta, per eosdem ministrum provincialem, definitores, patres, guardianos per vota secreta iuxta decretum sancti concilii Tridentini; et deinde ex corpore congregationis dumtaxat quatuor definitores eligantur et eligi debeant respective, missa Spiritus sancti et sermone Dei verbi, ut in capitulis provincialibus moris est, praecedentibus; quos omnes ministrum provincialem scilicet et definitores, postquam electi fuerint quos idoneos viderint, idem minister provincialis s. Iosephi auctoritate apostolica confirmet.

§. 2. Si vero in electionibus ipsis defectus aliquis committatur, electi ipsi vel aliquis eorum non canonice electus aut minus idoneus fuerit, ad electionem iterum atque iterum, et quoties opus fuerit, per eosdem electores procedatur, et idoneos, ut praefertur, idem minister confirmare teneatur. Si vero quod aliquando contingit, intra viginti quatuor horas minister provincialis vel aliquis ex definitoribus, suffragiis electorum in diversa tendentibus, non eligantur, electio sive ministri sive alterius eo tempore non electi, eo ipso ad eumdem ministrum s. Iosephi devolvatur, ipsique eum sic non electum quem idoneum iudicaverit ex omnibus respective fratribus praefatis, per ipsum de consilio definitorum et patrum praedictorum dumtaxat; et ipsis intra spatium unius horae in id non concordantibus, minister ipse per se solum illum nominare et confirmare auctoritate apostolica possit et teneatur.

§. 3. Decernentes provinciam ipsam de novo erectam tamquam veram et legitimam filiam ipsius ordinis minorum, sub obedientia visitatione et correctione ministri generalis ipsius pro tempore existentis perpetuo remanere, in capitulisque generalibus sicut caeterae eiusdem ordinis provinciae locum habere debere, ipsumque ministrum generalem caeterosque ipsius ordinis praelatos, et fratres illam vultu grato accipere, amplecti et debitis favoribus prosequi debere; illamque in celebrandis capitulis provincialibus, congregationibus, electionibus et aliis pariformiter ac provinciam eamdem sancti Ioseph procedere: et ipsae ambae provinciae suis propriis tantum et non aliis constitutionibus et ordinationibus regi et gubernari perpetuo teneri.

§. 4. Quodque electionibus ministri provincialis et definitorum supradictis, ut praefertur, celebratis factis et confirmatis, dictus minister provincialis sancti Ioseph terminum quatuor mensium cunctis provinciae ipsius fratribus praefigat, intra quem possint ipsi fratres alterutrum ex ambabus provinciis ad incolendum et immorandum eligere; quo elapso nulli eorum nec locum nec provinciam amplius mutare liceat absque utriusque ministri provincialis consensu in scriptis habito. Insuper cum in regnis Hispaniae sex provinciae fratrum discalceatorum similium eiusdem instituti in quibus observantia regularis vigere dignoscitur, consistant, mandamus quod eadem provincia s. Iosephi, et s. Pauli de novo erecta, nisi per fratres alicuius ex eisdem sex provinciis, quo pediter, uno dumtaxat socio, more fratrum discalceatorum propter eorum humilitatem et regularem paupertatem, per ministrum tamen generalem in commissarios pro tempore deputandos, visitare nullatenus possint, nec alios quam huiusmodi commissarios in provincia s. Iosephi, et in alia de novo erecta ministrum et fratres earum admittere teneantur nec debeant. Decernentes, quod neque minister neque commissarius generalis, nec quivis alius praelatus aut frater ordinis minorum, aut alia quaelibet persona quacumque auctoritate fungator, in praemissis omnibus, vel in parte vel in toto contradicere quovis modo audeant et praesumant, vel quominus libere omnia fiant, ut praefertur. sub ex-

communicationis latae sententiae ac privationis quorumcumque officiorum et dignitatum poenis eo ipso absque aliqua declaratione incurrendis.

§. 5. Decernentes etc. Quocirca dilectis filiis officialibus venerabilium fratrum nostrorum archiepiscopi Toletani et episcopi Abulensis, ac decano Toletano per praesentes mandamus etc. Non obstantibus etc.

Datis Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die x. Martii pontificatus nostri anno III.

XXI.

Approbat aedificationem conventus de Verderena. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. 162.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quaecumque ad religionis propagationem et religiosorum commodum cum christifidelium aedificatione ac spirituali solatio coniunctum pie disposita esse comperimus, ea pro nostri pastoralis muneris debito cum a nobis petitur, opportuno confirmationis apostolicae robore communimus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum provincialis et fratrum provinciae b. Mariae de Rabida regni Portugalliae ordinis minorum s. Francisci de observantia ac dilectae in Christo filiae Franciscae de Zambuca mulieris nobilis Ulyssipon. expositio continebat, quod ipsa Francisca ob singularem quem erga dictum ordinem gerebat devotionis affectum, unam domum seu monasterium pro fratribus dicti ordinis in loco nuncupato de Verderena, districtus villae seu castri de Barreiro Ulyssiponen. dioecesis una cum ecclesia de propriis suis bonis extrui facere disposuit, et iam ex parte aedificium extruxit, sed pro spirituali sua consolatione nonnullas honestas conditiones ipsis provinciali et fratribus, atque ab ipsis postquam monasterium praedictum extructum fuerit, et a fratribus in ipso monasterio pro tempore commoraturis observandas proposuit, eaeque conditiones ab ipsis provinciali et fratribus provinciae examinatae et sub nostro ac sedis apostolicae beneplacito acceptatae, posteaquam a dilecto filio ministro generali eiusdem ordinis s. Francisci confirmatae extiterunt. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, tam provincialis et fratres quam Francisca praedicti cupiant conditiones seu conventiones praefatas, ut perpetua subsistant firmitate per nos apostolica auctoritate confirmari nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos honestis eorum petitionibus benigne annuere volentes, conventiones ipsas quas venerab. fratribus nostris cardinalibus consultationibus et statui episcoporum et regularium praepositis examinandas et nobis referendas commisimus, iuxta eorumdem cardinalium relationem confirmandas duximus; eosdem igitur provincialem et fratres ac Franciscam a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi eorum supplicationibus inclinati, conventiones praedictas infrascriptas, videlicet quod in eodem monasterio duodecim saltem fratres ex dicto ordine perpetuo et inviolabiliter commorentur, qui ibi divinis officiis et conventus servitiis vacare debeant; quodque cappella maior praedictae ecclesiae cum illius navi pro sepulturae ipsius Franciscae et ab ea nominandarum libera remaneat; in qua cappella et navi aliae personae praeter voluntatem eiusdem Franciscae sepeliri nequeant, et ipsi Franciscae liceat in eadem cappella seu navi tabulam marmoream vel alterius lapidis ponere et collocari facere, quae erectionem

monasterii et ecclesiae praedictae ab ea factam, ac illius et eius haeredum iuspatronatus honorificum praefati monasterii eiusque sepulturae memoriam exprimat; quod fratres dicti monasterii minusque provincialis praedictae provinciae in ipso monasterio aedificium aliquod in dicti iurispatronatus praeiudicium exstruere nequeant; et si aedificium aliquod etiam non praeiudiciale dicti iurispatronatus pro tempore faciendum sit, prius ad eiusdem Franciscae seu illius haeredum, seu descendentium qui pro tempore patroni erunt praedicti monasterii notitiam deduci debeat; sed si nullus aderit dicti monasterii patronus ab ipsa Francisca descendens, tunc ipsis fratribus in ipso monasterio ad eorum libitum fabricari liceat; prohibitum item sit fratribus praedictis quocumque tempore transferre vel quoquomodo alienare iuspatronatus praedictum; et casu quo iidem religiosi aliquo tempore ex dicto monasterio alio se transferrent, tunc aedificia praedicta libera in eodem statu in quo reperientur, patrono tunc existenti a quo aliae personae ecclesiasticae sive regulares, sive saeculares ab ordinario loci approbandae, et de eius consensu statim in locum discedentium fratrum surrogari debeant, ac omnia etiam bona mobilia quae ab ipsius monasterii patronis pro tempore acceperint, relinquere debeant et teneantur. Praeterea ubi primum ad praedictorum fratrum notitiam devenerit obitus ipsius Franciscae, aut alterius patroni pro tempore existentis ex illius descendentibus, quilibet dicti monasterii sacerdos quinquies sacrosanctum missae sacrificium celebrare; non sacerdotes vero singuli quinquies officium defunctorum; extra vero monasterium praedictum in universa provincia praefata quilibet frater sacerdos semel missae sacrificium, et non sacerdotes singuli semel officium defunctorum huiusmodi pro anima illius defuncti celebrare et recitare teneantur, auct. apost. ten. praes. perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae confirmationis robur adiicimus omnesque et singulos defectus si qui in illis intervenerint supplemus, easdemque conventiones ab omnibus ad quos spectat et in futurum spectabit, prout superius adnotatae sunt, et non alias observari debere, sicque per quoscumque iudices etc. Quocirca venerab. fratri archiepiscopo Ulyssiponen. etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xv. Septembris pontificatus nostri anno III.

XXII.

Indulget aedificationem domus. Ex authographo archiv. s. Francisci ad Altum Anconae.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

EXponi nobis nuper fecistis, quod quondam Dominicus Catillus incola dum viveret Castri Petrituli Firman. dioecesis in suo ultimo quod condidit testamento reliquit, ut si vos in quadam eius possessione extra dictum castrum, uti dicitur ad Crucem, unam domum regularem pro introducendis in ea religiosis construere velletis, ab eo tempore illius fabrica incepta foret, usque ad continuos viginti subsequentes annos fructus eiusdem possessionis percipere ac in subsidium dictae fabricae convertere libere possitis, et alia, prout in dicto testamento plenius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, situs dictae possessionis pro constructione domus regularis huiusmodi ex eo minus commodus sit, quod devius ac malorum hominum praedae ac aliis facinoribus committendis obnoxius videtur, ac prope muros dicti Castri ac in

loco pervio et longe securiori ac patenti extra ecclesiam s. Mariae Martyrum nuncupat. ad quam frequens concursus habetur, et quae in titulum beneficii ecclesiastici nondum obtenta seu erecta fuit, ac proinde illa et adiacens solum pro constructione dictae domus aptior videretur, vosque ex legato vobis ad hoc alias per quondam Censorium Martialem canonicum Firmanum facto, mille et quingenta scuta pro unius huiusmodi domus ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. fabrica habeatis seu consequi debeatis, dictamque domum in ambitu dictae ecclesiae, imo extra eam, amplato eius aedificio, sumptuoso et eleganti opere construere decreveritis, ac proinde cupiatis legatum fructuum dictae possessionis ad viginti annos, ut supra factum, cuius annuus valet quinque salmarum grani valoris et communis existimationis vigiati scutorum monetae illarum partium, vel circa esse poterit, vobis in subsidium fabricae huiusce domus a nobis concedi et assignari pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus vobis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos dictae possessionis situationes, qualitates, et quantitates et testamenti huiusmodi tenore praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super negotiis regularium deputatorum, cui hoc negotium discutiendum et nobis referendum commisimus, vobis, ut si aut postquam fabricae domus apud ecclesiam praedictam construendi inchoaveritis, fructus ex dicta possessione integro tempore viginti annorum continuorum percipiendos, ac ut supra relictos seu legatos ad hoc, ut vos ex illis, et alio legato praefatae fabricae dictae domus et illius ecclesiae incipere illamque prosequi et absolvere commodius possitis, et alias in subsidium expensarum in eadem fabrica per vos faciendarum ita, ut eosdem fructus exigere, et etiam via iuris consequi et habere libere valeatis in omnibus et per omnia, perinde ac si dictus Dominicus certum erigendae domus situm vel locum non destinasset, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxiii. Iunii pontificatus nostri anno iii.

XXIII.

Ratam habet aedificationem monasterii monialium. Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. 210.

Ad futuram rei memoriam.

Monasteriorum in quibus virgines relictis mundi illecebris perpetuam Deo vovere castitatem, ac sub regulari habitu gratum valeant exhibere famulatum erectiones, ut firmiores subsistant, apostolicae firmitatis robore libenter communimus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus. Nuper siquidem dilectorum filiorum universitas et hominum terrae Montismelonis Melitens. dioecesis nomine nobis expositum fuit, venerabilem fratrem Marcum Antonium episcopum Melitensem ad instantiam ipsorum universitatis et hominum, qui devotionis zelo ducti intus eorum terram Montismelonis praedictam, ecclesiam conceptionis b. Mariae virginis cum choro ac sacristia et aliis requisitis, necnon quamdam domum eidem ecclesiae coniunctam cum dormitorio, refectorio, habitationibus necessariis ac debita clausura propriis sumptibus construi fecerunt ad effectum, ut ibi moniales ordinis s. Clarae de observantia reciperentur et

sub perpetua clausura Altissimo famularentur, postquam victu et sustentatione annuos reditus et introitus ducatorum trecentorum illius monetae, publicis legitimis ac validis scripturis promiserunt, ultra ducatorum ducentorum eleemosynam similium, vel annui census ducatorum viginti cum supellectilibus et mobilibus necessariis a qualibet moniali in dictam domum ingressura dandam et consignandam, auctoritate eius ordinaria ecclesiam et domum praedictas cum dictis introitibus in monasterium ordinis s. Clarae de observantia pro monialibus ad minus xii. non tamen ultra numerum ab apostolica sede taxandum, ibi recipiendis, quae Domino in castitate, paupertate et obedientia, et iuxta regulam a praedicta s. sede approbatam deserviant. maneant et vivant in perpetua clausura sub cura, custodia, et iurisdictione et obedientia eiusdem episcopi eiusque successorum, etiam quoad sacramentorum susceptionem, quae nonnisi a presbyteris saecularibus per ipsum episcopum eiusque successores approbandis et eligendis suscipere possint et valeant, perpetuo erexisse et instituisse voluisseque, ut quaelibet monialis durante novitiatu ad contribuendum ex proprio proventu eius et vestitu, et demum adveniente tempore professionis ad tribuendum et realiter et cum effectu consignandum procuratoribus monasterii ducatos ducentos eiusdem monetae illarum partium, vel annuum censum ducatorum viginti cum supellectilibus et mobilibus necessariis teneantur; qui procuratores, magistri vel quomodolibet nuncupati administratores non antea administrationem incipiant exercere, quam ab eodem episcopo fuerint confirmati; cui episcopo singulis annis iuxta formam sacri concilii Tridentini rationem reddere teneantur, salvis in omnibus et singulis approbatione et confirmatione eiusdem s. sedis apostolicae, prout in patentibus ipsius episcopi literis plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, universitas et homines praedicti cupiant erectionem monasterii huiusmodi a nobis confirmari et approbari, eorum nomine nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis eorum desiderio benigne annuere dignaremur: nos igitur qui in his, quae ad Dei obsequium spectant, nostrum libenter praestamus assensum, patentium dicti episcopi literarum veriores ac tutos tenores praesentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem praedicti monasterii monialium in ecclesia et domo praefatis sub regula s. Clarae, eoraque visitatione, correctione ac gubernio ordinarii loci, ac alias sub conditionibus praenarratis factam literasque patentes praedictas cum omnibus inde secutis apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum xxvii. Octobris pontificatus nostri anno iii.

XXIV.

Georgius Benignus fit episcopus Bellunen. et suffraganeus episcopi Brixinen. Ex actibus consistorialibus pag. 80.

Romae in monte quirinali die lunae 6. *Iunii fuit consistorium, in quo*

REferente card. Gesualdo providit ecclesiae Bellunensi in partibus infidelium vacan. per obitum Ioannis, de persona fratris Georgii ord. s. Francisci minorum conventualium, eumque deputavit in suffraganeum Andreae cardinali ab Austria in ecclesia Brixinen. cum reservatione annuae pensionis ducentorum florenorum Renensium super fructibus mensae episcopalis Brixinensis pro ipso

electo, et cum decreto quod non possit exercere pontificalia nisi in civitate et dioecesi Brixinensi tantum, et de consensu ipsius Andreae cardinalis, et iuxta decretum alias editum super deputatione suffraganeorum, absolvens etc. cum clausulis opportunis etc.

XXV.

Supprimit collegium canonicorum in ecclesia ss. Cosmae et Damiani de Urbe. Ex arch. ss. xii. apost. de Urbe.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex suscepto apostolicae servitutis officio ad ea libenter intendimus, per quae regularium bonorum quorumlibet praesertim almae Urbis nostrae, ac personarum in eis sub suavi religionis iugo, studio piae vitae vacantium, statui et indemnitati opportune valeat provideri. Dudum siquidem fel. record. Sixto papa v. praedecessore nostro, pro parte dilectorum filiorum guardiani et fratrum domus ss. Cosmae et Damiani in foro boario de Urbe tertii ordinis s. Francisci de poenitentia nuncupati, exposito, quod licet olim postquam piae memoriae Paulus papa iii. etiam praedecessor noster, dum adhuc cardinalatus honore fungeretur, ac ecclesiae collegiatae ss. Cosmae et Damiani huiusmodi pro denominatione sui cardinalatus apostolicae sedis auctoritate concessae et assignatae in diaconum cardinalem praefectus esset, provide attendens, fructus, reditus et proventus sex canonicatuum et praebendarum dictae ecclesiae adeo tenues esse ad canonicorum illos tunc obtinentium congruam sustentationem nequaquam sufficerent, et ob id canonicos ipsos apud dictam ecclesiam residere, ac debitum ei obsequium in divinis praestare non posse, et exinde fidelium devotionem erga eamdem ecclesiam et cultum divinum in illa non parum diminutos esse, et in dies magis ac magis diminui. Cupiens super hoc opportune providere, ecclesiam praedictam cum domibus, hortis et aedificiis contiguis visitatori tunc et pro tempore existenti, ac universis fratribus dicti ordinis, pro eorum perpetuis usu et habitatione cum onere missas et alia divina officia in dicta ecclesia celebrandi, ac alias sub certis modo et forma tunc expressis sub sedis apostolicae beneplacito perpetuo concesserat et assignaverat, dicta ecclesia adhuc collegiata remansisset, nihilominus eiusdem ecclesiae canonici nullam in eam residentiam facientes quodam modo inutiles videbantur. Ipsique guardianus et fratres qui alioquin eidem ecclesiae in divinis deserviebant, pauperes erant, et valde inconveniens esset, ut dicta ecclesia sic alias ipsis fratribus assignata simulque collegata remaneret, praefatus Sixtus praedictorum guardiani et fratrum supplicationibus ea in parte tunc inclinatus, concessionem et assignationem ecclesiae cum domibus, aedificiis et hortis huiusmodi guardiano et fratribus praedictis, ut praefertur, factas, dicta auctoritate apostolica perpetuo confirmans et approbans, in praedicta ecclesia nomen, titulum et denominationem collegiatae extinxit; necnon sex canonicatus et praebendas praedictas, cum primum illos per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum, aut privationem, seu quamvis aliam amissionem vel dimissionem illos tunc obtinentium, seu alias quovis modo et ex illis tunc obtinentium, aut quorumcumque aliorum personis vacarent, auctoritate praedicta etiam perpetuo suppressit et extinxit, illorumque sic suppressorum et extinctorum fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta resque et bona universa eidem domui

eadem auctoritate similiter perpetuo applicavit et appropriavit Ita quod cedentibus vel decedentibus canonicatus et praebendas huiusmodi obtinentibus, liceret guardiano et fratribus dictae domus tunc et pro tempore existentibus per se vel alium seu alios corporalem possessionem canonicatuum et praebendarum iuriumque et pertinentiarum praedictarum, eorum et dictae domus nomine propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere illaque locare et amandare; necnon illorum fructus, reditus, proventus aliaque praemissa percipere, exigere et levare, necnon in suos et domus huiusmodi usus convertere cuiusvis licentia desuper minime requisita, prout in documento aliisque scripturis ipsius Pauli praedecessoris tunc diaconi cardinalis ac nostris literis, cum praedictus Sixtus praedecessor antequam eius literae desuper conficerentur, sicut Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptus, desuper confectis plenius continetur. Cum autem postmodum dicto Sixto praedecessore rebus, ut praefertur, humanis erepto post concessionem suppressionis recol. mem. Gregorius XIV. et successive Innocentius papa IX. similiter praedecessores nostri, et postremo nos divina favente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti, in crastinum assumptionis huiusmodi per quasdam eiusdem Gregorii ac Innocentii praedecessorum, et nostras constitutiones in cancellaria apostolica publicatas, omnes uniones, annexiones, incorporationes, necnon suppressiones, extinctiones, applicationes et appropriationes de quibuscumque ecclesiis, et beneficiis ecclesiasticis, eorumque reditibus, et bonis per cessum vel decessum vel quamlibet aliam dimissionem seu amissionem vacantibus tunc sive in posterum vacaturis, aliis ecclesiis vel monasteriis, ac aliis locis piis factas, quae suum sortitae non essent effectum, ac quasvis commissiones ac mandata desuper facienda revocaverint, et nos revocaverimus, et cassaverint ac irritaverint, nulliusque decreverint esse firmitatis, nec alicui clausulas in eis contentas adversus revocationem et irritationem huiusmodi voluerint, ac nos voluerimus aliquatenus suffragari. Ac propterea sicut exhibita nobis nuper pro parte guardiani et fratrum domus huiusmodi petitio continebat, ipsa suppressione, extinctione, applicatione et appropriatione praefatis, quae tempore nostrae assumptionis huiusmodi suum nondum erant sortitae effectum, frustrari verentur, pro parte eorumdem guardiani et fratrum asserentium canonicatuum, et praebendarum fructus, reditus, et proventus insimul centum et quinquaginta ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus suppressionem, extinctionem, applicationem et appropriationem praefatas revalidare, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum aestimationem praedictum, etiam beneficii cui aliud uniri peterentur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret, ad partes vocatis quorum interesset, quibuscumque confirmationibus unionum idem observaretur, ipsos guardianum et fratres, ac singulares personas domus huiusmodi a quibusvis excommunicationis etc. absolutos fore censentes, necnon fructuum, redituum et proventuum domus huiusmodi, ac illis forsan annexorum verum annuum valorem secundum aestimationem praedictam praesentibus pro expresso habentes, posterioribus supplicationibus in hac parte inclinati confirmationem, approbationem, suppressionem, extinctionem, applicationem et appropriationem, ac cum derogatione aliisque omnibus et singulis in eis contentis literis desuper confectis, processusque habitos et habendos, et eosdem, ac inde secuta et secutura in omnibus et per

omnia, perinde ac si revocatio, cassatio, decreta ac voluntas nostra, ac Gregorii et Innocentii praedecessorum praedictorum minime emanassent, apostolica auctoritate, ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine ten. praes. perpetuo revalidamus, ac illas in pristinum et eum antequam revocationes huiusmodi emanassent, quomodolibet erant, statum auctoritate et tenore praedictis restituimus reposuimus, et plenarie reintegramus, ac etiam perpetuo approbamus et confirmamus. Necnon eosdem sex canonicatus et praebendas modo et forma praemissis, quatenus opus sit, de novo similiter perpetuo supprimimus et extinguimus, illorumque sic suppressorum et extinctorum fructus reditus et proventus, ac alia omnia praemissa domui praefatae perpetuo applicamus et approprianus. Decernentes etc. Sicque per quoscumque iudices etc.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae calendis Decembris pontificatus nostri anno III.

XXVI.

Quaedam confirmat quoad ministrum convent. provinciae romanae. Teuli in apparatu minoritico prov. romanae pag. 12.

Ad perpetuam rei memoriam.

REgularium personarum quae, relicto saeculo, Dei obsequio se dedicarunt, statui et quieti consulere cupientes, ea quae ad id facta sunt, libenter approbamus et alia desuper disponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Nuper ad aures nostras pervenit, quod in capitulo generali in civitate nostra Perusin. die decima octava Maii anni Domini MDLXXXI. celebrato, decretum et declaratum fuit, ut domus seu conventus ss. XII. apostolorum de Urbe, ordinis fratrum minorum conventualium ac eius fratres ibidem pro tempore existentes iurisdictioni, visitationi et correctioni tunc et pro tempore existentis ministri provincialis provinciae Romae subiecti essent et omnino subiicerent, ita quod dictus provincialis in accessu et recessu ad Urbem et permanendo pro negotiis pertractandis ita reciperetur et tractaretur, ut provincialis; et si contingeret pro suis negotiis expediendis permanere in dicto conventu, permaneret suis sumptibus, et eo interim quo Romae foret, si quid puniendum et pertractandum foret, ut provincialis omnia sua iurisdictione puniret et procuraret; et quando contingeret generalem abesse a provincia, posset semel in anno ipsum conventum visitare; quam visitationem per triduum expedire tenetur; quodque provincialis cameram haberet suo officio competentem in dicto conventu; et quando contingeret generalem ab Urbe abesse, in camera generalis reciperetur et permaneret; quod decretum et quaecumque in eo continentur ad declarationem iurisdictionis provincialis provinciae Romae super conventum ss. apostolorum de Urbe huiusmodi spectantia, bon. mem. Philippus s. r. e. cardinalis Vastavillanus nuncupatus, dicti ordinis protector approbavit; ac postremo in capitulo generali Romae celebrato die sexta Iunii MDXCIII. minister generalis dicti ordinis (consentiente toto definitorio) iudicavit, dictum decretum fore et esse observandum. Declarans quod per triduum suae visitationis tantum, sumptibus conventus pro victu necessario fierent expensae; aliis vero temporibus, si praedictus provincialis quavis de causa Romam veniret, quandiu in eodem conventu commoraretur, eam pecuniae quantitatem pro rata in communi con-

ferret, ex qua ipsi et illis qui cum illo erunt, victus in communi mensa commode suppeditari posset. Finaliter vero dilectus filius noster Augustinus tituli s. Laurentii in Pane et Perna eiusdem s. r. e. presbyter cardinalis Cusanus nuncupatus, praedicti ordinis protector, praemissa omnia et singula ac in eis contenta quaecumque approbavit, et confirmationis suae munimine roboravit, prout in scripturis super decreto et aliis praemissis confectis plenius continetur. Quare pro parte dilecti filii Francisci Buschi Setini nuper ministri provincialis provinciae Romae, nunc vero procuratoris ordinis hujusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos decreti et scripturarum hoiusmodi tenores perinde ac si de verbo ad verbum inserentur, praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praedictum et inde sequuta quaecumque, apost. auct. ten. praes. approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus. Decernentes etc.

Datum Romae apud s. Marcum die ... Iunii pontificatus nostri anno ...

XXVII.

Quasdam facultates attribuit pro ordinis reformatione ministro generali ordinis. Ex reg. secr. brev. in mense Ianuario pag. 8.

Dilecto filio ministro generali fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

Ut antiquam regularis disciplinae observantiam in ordinem tuum restituere, ipsumque ordinem eiusque regulares personas reformare et ad primaevam ipsius ordinis institutorum normam revocare facilius possis, tibi ultra ordinarias tuas facultates, ut, cum ordo praedictus universali visitatione indigeat, eamque tu aggredi, Deo benedicente, intendas, valdeque expediat, ut in capitulis provincialibus interis, prout tibi videbitur expediens vel necessarium, temporis triennii officiorum ministrorum provincialium et guardianorum, in provinciis quas visitaveris per spatium sex mensium parum plus vel minus abbreviare, vel ultra ipsum triennium prorogare, prout vicinitas provinciarum quas visitaveris, abbreviationem seu prorogationem huiusmodi, ut commodius absoluto visitatione unius provinciae, in aliam contiguam ingredi possis, requirere tibi videbitur. — Utique quandocumque necessarium esse iudicaveris pro visitatione huiusmodi commissariorum visitatorum operi uti, ut personas zelantes et minime factiosas ad hoc assumere valeas, quoscumque a te eligendos religiosos etiam si ministri aut patres in ipso ordine non fuerint iuxta constitutiones, dummodo sint vel fuerint custodes reformatorum, aut definitores provinciarum in commissarios visitatores deputare. — Ut in ipsis capitulis provincialibus per te ipsum, vel ubi tu interesse nequeas, per commissarios tuos electiones provincialium ministrorum et definitorum ita restringere et limitare, ut ad ea munera non possint eligi, nisi personae quae in custodiis reformatis degunt, id tamen tunc facere possis, quando tu aut dicti commissarii visitatores reformationi provinciarum expedire cognoveritis, et in ipsis custodiis reformatis personae idoneae reperiantur. — Ut pro amplitudine dictae reformationis et bona

novitiorum educatione, in iis provinciis in quibus id expedire iudicaveris eorumdem novitiorum educationem inter reformatos tantum reducere, a quibus etiam post professionem egredi sine expressa ministri generalis pro tempore existentis licentia, nisi lapso triennio possint. — Ut si pro novitiorum educatione et reformatorum propagatione nova loca recipienda fuerint pro maiori ipsorum reformatorum quiete et conscientiae serenitate, tu cum custodis reformati et alterius ex magis probatis consiliis, tam in iis locis de novo reformationi applicandis, quam in antiquis iam applicatis rectum et regularibus institutis reformationique conformem vitae modum in omnibus, ac praesertim circa id quod ad retinendam paupertatem pertinet iuxta conventuum dispositionem et exigentiam praescribere, dummodo a declarationibus apostolicis super hac factis minime discedas. — Ut pro Dei servitio et prospero conventuum gubernio fratrum reformatorum qui in aliquibus officiis occupati non fuerint, et alias ad omnia idonei sint, opera in guardianorum provinciis, confessorum monialium et magistrorum novitiorum, quorum educatio intra reformatos redacta non fuerit, muneribus uti, prout expediens esse iudicaveris, libere et sine aliquo impedimento possis et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium plenam, amplam et universam facultatem, et auctoritatem concedimus; mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis dicti ordinis superioribus et religiosis, ut in praemissis omnibus et singulis tibi, prout decet, prompte pareant, obediant et assistant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctoritate Domini, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die vii. Ianuarii pontificatus nostri anno iii.

XXVIII.

Confirmat nonnullas ordinis constitutiones. Ex bullar. Cocquelines tom. I. part. 2. pag. 53.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis romani pontificis solicitudo circa religiosorum statum prospere dirigendum sedulo versari debet, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

§. 1. Sane cum nuper dilecti filii fratris Bonaventurae de Calatadierone moderni ministri generalis ordinis minorum s. Francisci de observantia nuncupati, nobis exponi fecerit, quod nonnulli fratres professores dicti ordinis, qui ab eo tempore quo ipsius ordinis reformationem coeperimus, ad eiusdem ordinis reformationem conservandam et promovendam infrascriptas declarationes et decreta maxime utilia fore.

§. 2. Nos qui ordinem praefatum in pristinam regulae observantiam restitui, eiusque professores primi illius institutoris vestigiis quam maxime inhaerere cupimus, supplicationibus eiusdem Bonaventurae ministri generalis nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, nunc apost. ten. praes. ministris provincialibus eiusdem ordinis, quoscumque domos fratrum dicti ordinis reformatorum visitandi, ac tam in capite quam in membris iuxta regularia ipsius ordinis instituta, ac ipsarum custodiarum regulas et constitutiones, in quibus inter alia disponitur quod fratres qui sunt ministri et servi aliorum fratrum visitent et moneant fratres suos et humiliter et charitative corrigant eos, reformandi, ac delinquentes corrigendi et castigandi, dummodo extra custodias ipsas, nisi pro maiori quiete ac reformationis utilitate custodum et discretorum iudicio aliud ex-

Digitized by Google

pedire visum fuerit, non mittantur, ac ut in ipsis custodiarum domibus ordinationes et statuta religionis praedictae, quae particularibus ipsarum custodiarum statutis et constitutionibus non fuerint contraria, atque etiam ipsa custodiarum statuta et constitutiones inviolabiliter observari faciendi; custodibus quoque domos et loca in eorum custodiis comprehensa pariter, ut supra, visitandi et iuxta regulas et instituta ordinis et ipsarumet custodiarum corrigendi et reformandi, necnon pro causis urgentibus et honestis ipsorum custodum arbitrio fratres suae custodiae ad alia loca provinciae suae dumtaxat extra ipsam custodiam mittendi et dimittendi, plenam et liberam facultatem tribuimus et impartimur; talemque facultatem superius explicatam eisdem ministris provincialibus et custodibus respective perpetuo competere decernimus et declaramus.

§. 3. Praeterea, ut in capitulis provincialibus a definitorio aliqui examinatores eiusdem custodiae pro examinandis fratribus reformatis ad ordines sacros promovendis, aut ad confessiones audiendas deputandis, deputentur, per ipsos vero examinatores approbatis, si episcopus a quo ad ordines promoveri, aut ad confessiones eos admitti postulabitur, intra custodiam erit, curatos; sin extra custodiam reperietur episcopus, minister provincialis licentiam concedere possit.

§. 4. Quodque veluti in capitulis a custodibus et discretis custodiarum aliqui fratres reformati idonei definitorio, a quo ipsi et non alii in guardianos locorum custodiae deputentur, praesentari solent, sic quandocumque contingat aliquem guardianum in custodia decedere, aut de consilio et consensu discretorum custodiae amoveri custodes et discreti praedicti aliam in locum domortui, aut remoti ipsi definitorio praesentare possint, a quo definitorio sic praesentatus, et non alius in guardianum huiusmodi deputari debeat.

§. 5. Quandocumque vero, sive propter custodis obitum aut aliam ob causam capitulum in custodiis celebrari oporteat, sine provincialis ministri aut alicuius a ministro generali, vel ipso provinciali deputati commissarii interventu celebrari non possit.

§. 6. Insuper ut ipsae custodiae novas domos et ecclesias ad habitandum recipere, aut aliquam ex iam habitis dimittere, nisi in capitulis, et iuxta formam constitutionis fel. rec. Clementis pp. vii. praedecessoris nostri, et quando sufficientem fratrum reformatorum numerum ad inhabitandum domos recipiendas, ita ut ad minus tres partes ex quatuor, quae antea in similibus domibus retineri consueverunt, introducere valeant, non possint.

§. 7. Utque ministri et custodes praedicti munere suo visitando, reformando, corrigendo, monendo et castigando fungi valeant, nullum fratrem ex familia ad reformatos nisi tempore celebrationis capitulorum, aut congregationum capitularium, in quibus custodes numerum fratrum quos recipere intendunt, significare teneantur, quibus provinciales licentiam concedere debeant et teneantur, neque ex reformatis ad familiam, nisi pariter in capitulis in quibus provincialibus et definitorio id significetur, transire posse. Possint tamen minister generalis et commissarius generalis, etiam extra capitula et congregationes praefatas concedere licentiam volentibus a familia ad ipsos reformatos transire.

§. 8. Quoniam vero novitii, ut per alias nostras similes in forma brevis literas eidem ministro generali concessimus, inter reformatos educandi sunt, ut melius instrui ac constantiores et firmiores in regularis disciplinae observantia evadant, eos novitios qui inter reformatos ipsos professionem emiserint, ab eis, nisi lapso triennio a die professionis, discedere non posse, nullique ad

Digitized by Google

aliquam quotidiam nisi de speciali ipsius ministri generalis licentia transire licitum esse, auctoritate et tenore praedictis perpetuo statuimus et declaramus.

§. 9. Decernentes praesentes literas etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxi. Octobris pontificatus nostri anno III.

XXIX.

Pium legatum confirmat. Ex reg. secr. brev. in mense Februario pag. 95.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio ad ea libenter intendimus, per quae utilitati monasteriorum omnium praesertim sanctimonialium consuletur, et quae propterea facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, cum a nobis petitur, approbamus. Expositum nobis nuper fuit, quod quondam Eleonora Osorio Portocarrero in suo ultimo quod condidit testamento dilectum filium Christophorum Osorio haeredem universalem bonorum suorum instituit, et ob singularem quem erga monasterium monialium nostrae Dominae de Consolatione tertii ordinis s. Francisci, prope et extra muros oppidi civitatis nuncupati de Xerez Paxen. dioecesis gerebat devotionis affectum, et dicti monasterii fructuum tenuitatem census annuos ducentorum et nonaginta novem scutorum monetae eidem monasterio in perpetuum ad effectum, ut ipsius monasterii abbatissa et conventus tunc et pro tempore existentes, reciperent et recipere deberent in dictum monasterium duas honestae vitae puellas virgines in monialem ab ipso Christophoro, et post eius obitum ab illius successoribus in suo maioratu dumtaxat nominandas absque aliqua dote, conditione, qualitate aut dilatione ac episcopi seu officialis aut praelati vel cuiusvis alterius superioris dicti monasterii licentia, illisque habitum per moniales dicti monasterii gestari solitum exhiberent, et peracto novitiatus tempore professionem per eosdem moniales emitti solitam ab eisdem duabus monialibus reciperent et recipere deberent; quas sic receptas uti alias dicti monasterii moniales tractarent et eamdem portionem exhiberent, ac singulis annis septemdecim scuta similia cum dimidio dictis duabus monialibus ad earum necessitates sublevandas et libitum expenderent, reliquit, quibus seu earum altera quoquomodo deficientibus, statim patroni alias seu alias in earum seu alicuius earum locum nominare deberent, super quibus ipsa Eleonora conscientiam dictorum patronorum onerari voluit, prout in dicto testamento seu instrumento publico desuper confecto plenius continetur. Cum autem dictus episcopus attenta utilitate dicto monasterio ex eodem proveniente, quodque ex reditibus huiusmodi legati duae puellae virgines singulae quoque triennio in moniales dicti monasterii recipi possunt, ati dicti monasterii praelatus praemissa approbaverit cum hac conditione, quod intra sex dies a die ingressus, de receptione et in fine novem mensium de professione emittenda, ab eisdem duabus monialibus seu earum altera ipsum episcopum abbatissa et conventus praedictae certiorem faciant; quare pro parte dicti Christophori nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus praemissis robur apostolicae confirmationis adiicere, aliasque opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos testamenti ac instrumenti huiusmodi, necnon singularum scripturarum desuper forsan confectarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de consilio venerab. fratrum nostrorum s. r. e.

di-

Digitized by Google

cardinalium super statu regularium deputatorum, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum committimus, donationem legati huiusmodi eidem monasterio per dictam Eleonoram factam cum conditionibus tunc expressis, necnon instrumentum et forsan alias scripturas desuper confectas, ac omnia in eis contenta et inde secuta quaecumque huc lege addita, ut quae de examine puellarum ad habitum et ad professionem religionis recipiendarum per concilium Tridentinum statuta sunt, omnino observentur; et deficientibus reditibus seu bonis in eorum locum quemcumque subrogandis monialium et monasterii obligatio omnino deficiat, apost. auct. ten. praes. perpetuo approbamus et confirmamus; omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem supplemus. Quocirca venerab. fratri episcopo Cadrien. ac dilectis filiis priori s. Marci Legionen. et vicario dicti oppidi de Xerez ordinis s. Iacobi de Spata mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios faciant auctoritate nostra praemissa omnia observari, nec permittant dictum Christopherum et successores suos in dicto maioratu desuper quomodolibet molestari, contradictores etc. Non obstant. etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xvi. Februarii pontificatus nostri anno iii.

XXX.

Ut celebrent missam ante mediam noctem in die nativitatis Domini. Et reg. secr. brev. in mense Martio pag. 197.

Dilectis filiis guardiano et conventui domus fratrum minorum conventualium sancti Francisci vulgo li frati nuncupat. *Venetiarum salutem et apostolicam benedictionem.*

Sacrosancta mater ecclesia Spiritus sancti lumine infusa in sacris redemptionis nostrae mysteriis recolendis, pias quasdam exteriores caeremonias et ritus adhiberi voluit, caeteraque tempora praescripsit, ut ex his fidelis populi in Deum pietas et devotio magis excitaretur et augeretur; licet tamen romano pontifici quem in ipsa ecclesia caput et moderatorem constituit Altissimus, cum ad eiusdem populi commoditatem quae a pietate non sit aliena, pertinere cognoscit, quodcumque istorum mutare, prout in Domino conspicit expedire. Nos igitur commoditati christifidelium istius civitatis Venetiarum paterna charitate consulere, ac vos specialibus favoribus et gratiis benigne prosequi volentes, supplicationibus vestro nomine nobis per dilectum filium Paulum Paruta patritium Venetum et equitem dilectorum filiorum nobilium virorum ducis, et reipublicae Venetorum apud nos et apostolicam sedem oratorem ac procuratorem nostrum humiliter porrectis inclinati, ac de venerab. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium congregationi sacrorum rituum praepositorum sententia, vobis ut in nocte nativitatis D. N. Iesu Christi matutinum, post pulsatam primam noctis horam, in vestra ecclesia decantare, eoque decantato missam solemnem etiam ante consuetam dimidiae noctis horam celebrare libere et licite, ac sine aliquo conscientiae scrupulo aut censurarum ecclesiasticarum incursu, positis et valentis, auct. apost. ten. praes. concedimus et indulgemus.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxviii. Februarii pontificatus nostri anno iii.

XXXI.

Committit episcopo Sulmonen. quamdam bonorum venditionem pro erigendo coenobio in terra Calassii. Ibid. in mense Februario pag. 12.

Venerabili fratri episcopo Sulmonen. salutem et apostolicam benedictionem.

CUm sicut accepimus in ecclesia s. Mariae Gratiarum terrae Calassii Sulmonen. dioecesis, conventus fratrum minorum de observantia erigi debeant, nos, ut conventus huiusmodi commodius erigi possit, opportune providere volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut si et postea erectio dicti conventus stabilita fuerit, quaecumque bona stabilia ad dictam ecclesiam s. Mariae Gratiarum spectantia, quae ad valorem centum quinquaginta ducatorum circiter ascendere accepimus, alicui vel aliquibus personis meliorem conditionem offerentibus, iusto tamen pretio vendere et alienare, et unum vel plura instrumenta cum cautelis, clausulis et decretis necessariis et opportunis, ac in similibus sic poni solitis, pro emptionum securitate celebrare; pretium vero inde redigendum in emptione situs dictae ecclesiae contigui pro hortulo dicti conventus, ac in alios dictae fabricae necessarios usus dumtaxat convertì, auctoritate nostra cures et facias, super quibus libere tibi auctoritate apostolica ten. praes. facultatem impertimur. Decernentes emptorem seu emptores dictorum bonorum ad probandum seu verificandum praemissa, quodcumque pretium dictorum bonorum in dictos usus conversum existat, nullo unquam tempore teneri, neque aliter super praemissis molestari, impediri vel perturbari posse; sicque per quoscumque iudices etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxvii. Februarii pontificatus nostri anno iv.

XXXII.

Indulget aedificationem novi coenobii. Ex reg. secr. brev. in mense Aprili pag. 17.

Dilectis filiis ministro provinciali et fratribus provinciae Principatus fratrum minorum s. Francisci de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

VEstro nomine nobis nuper fuit expositum, quod cum conventus Annuntiatae de Lazarolo nuncupat. Caputaquen. dioecesis istius provinciae vestri ordinis in litore maris situs existat, unde fratres in eo pro tempore degentes, turcarum depraedationibus sint expositi, alias a fratribus ibi degentibus, quia tuto remanere non poterant, derelictus fuit, vos modo cuperetis conventum ipsum in locum tutiorem transferre et de novo aedificare, ac propterea nobis humiliter supplicari fecistis, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ordinis vestri propagationem cupimus vestris votis benigne annuere vosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis ut novum conventum in loco tuto aedificare, et in illum fratres vestri ordinis introducere, ac omnia onera, legata pia, et sacram supellectilem et vasa item sacra ac res etiam fa-

miliares primodicti conventus transferre libere et licite valeatis, auct. apost. ten. praes. concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die VIII. Aprilis pontificatus nostri anno IV.

XXXIII.

Proponit formam eligendi praelatos aliosque officiales in sodalitio fratrum tertii ordinis. In bullar. Cocquelines tom. V. part. 2. pag. 69.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet romanum pontificem in his auctoritatis suae partes libenter interponere, per quae religiosorum statui eorumque prospero regimini opportune consulitur. Sane pro parte dilectorum filiorum visitatoris generalis et aliorum superiorum ac fratrum tertii ordinis s. Francisci de poenitentia nobis fuit expositum, quod cum alias praedictus ordo non ita propagatus esset, statutum fuit, dilectos filios priores et discretos conventuum ac domorum dicti ordinis capitalis generalibus, quae quolibet triennio pro electione novi visitatoris generalis et quatuor definitorum generalium fieri solent, interesse, et vota cum caeteris in eo habere debere. Cum autem dictus ordo in varias provincias, benedicente Domino, diffusus et auctus ad praesens existat, videatque onerosum sit et dispendiosum, ut fratres ad capitula generalia convocare, cum confusio ob congestum numerum molestias inde provenire soleat: nos cupientes his et aliis incommodis opportuna ratione occurrere, dicti visitatoris generalis supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod ex nunc de caetero perpetuis futuris temporibus in electione novi visitatoris generalis ac etiam definitorum generalium in ipsis capitulis generalibus facienda, visitator generalis praeteritus, necnon ex qualibet provincia unus provincialis ac discretus, et custos similiter provinciales, vel non alii generalibus capitulis interesse ac votum habere possint. In electione vero aeorum provincialium, custodum et definitorum provincialium in capitulis provincialibus faciendis, provinciales praeteriti, discreti provinciales, priores et discreti conventuum, necnon definitores generales actuales, ac demum procurator generalis tunc existens vota habeant ad priorum vero et discreti provincialis electionem provinciales, et quatuor definitores provinciales tantum procedant. Mandamusque ut electiones omnium et quorumcumque supradictorum per vota secreta in schedulis conscripta fiant, et statim facta electione schedulae comburantur ita, ut eligentium vota nunquam publicari possint. Ac prohibemus, ut nullo pacto in capitulis generalibus electiones provinciarum ac priorum fiant, sed tantum in qualibet provincia suus provincialis, discretus provincialis, et prior creentur; decernentes omnes, et singulas visitatoris generalis, provincialium et discretorum ac custodum, etiam provincialium, necnon priorum et definitorum praedictorum, ac quorumvis eorum electiones, quas contra hic traditam formam fieri pro tempore contigerit, eo ipso nullas et nullius momenti esse et fore, illisque non obstantibus ad alias electiones iuxta huiusmodi formam procedi posse ac debere, necnon irritum etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae die XXVI. Iulii MDXCV. pontificatus nostri anno IV.

Digitized by Google

XXXIV.

Ignatius Santibanez fit archiepiscopus Manilien. et Ludovicus Maldonatus episcopus Cacerensis. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 106.

Romae in monte quirinali die mercurii 30. augusti fuit consistorium, in quo

REferente card. Deza ss. d. n. ad praesentationem serenissimi Philippi regis catholici infrascriptis ecclesiis in Insulis Philippinis magni archipelagi Orientalis, videlicet de Manela nuper erectam in metropolitanam, et ecclesiae de Caceres in cathedralem sic a primaeva erectione vacantibus, providit de infrascriptis personis, videlicet metropolitanae ecclesiae de Manela fr. Ignatii de s. Joanne ordinis s. Francisci; et ecclesiae de Caceres fr. Ludovici de Maldonato ordinis s. Francisci curam etc. committendo, dum decreto quod antequam possessionem suarum ecclesiarum adipiscantur, omnes teneantur emittere fidei professionem, illius instrumentum ad curiam transmittere, et cum facultate erigendi dignitates, canonicatus, portiones, beneficia, et officia quae in ecclesiis metropolitanis et cathedralibus requiruntur, et cum decreto quod nuncius suae possit subdelegare personas ad dividendum limitandum et mutandum fines earum dioecesum toties quoties opus fuerit, absolvens etc. cum clausulis etc. Fuit datum pallium fratri Ignatio archiepiscopo de Manela, cum caeremoniis et facultatibus consuetis etc.

XXXV.

Ut fratres provinciarum del Perù, et de Chito in divini verbi praedicatione subeint ministris provinciae. Ex reg. sanctae brevi in mense Maio pag. 87.

Dilectis filiis provinciali et guardianis ordinis fratrum s. Francisci de observantia provinciarum del Perù et de Chito in Indiis occidentalibus salutem et apostolicam benedictionem.

QUamquam vos sicut expuni nobis fecistis, ad praedicandum sacrosanctum Dei evangelium et viam veritatis et salutis monstrandum illi diocesi vestris praelatis et superioribus deputati existatis, vobisque provinciatis sub cuius obedientia vivatis, assignatus sit, nihilominus praelati conventus ubi degitis, et christifideles istarum partium praetendunt vos extra claustra existere et ut tales adiudicandos fore in rebus a concilio Tridentino expositis in notorium vestrum gravamen; nos quieti et statui vestro hac in parte consulere cupientes, ac de praemissis ex relatione dilecti filii Hieronymi s. r. e. presbyteri cardinalis Matthaei nuncupati plene informati, harum serie decernimus vos ad praemissa obeunda a vestris praelatis deputatos et sub obedientia vestri provincialis viventes reputandos esse tanquam religiosos viventes intra claustra et sub obedientia vestrorum praelatorum ac propterea non esse ab ordinariis molestandos, nisi in casibus in dicto concilio reservatis, dummodo quolibet anno vos coram vestris superioribus praesentetis, et innovationem licentiarum obti-

neatis; sicque per quoscumque iudices et commissarios etc. Mandantes eisdem ordinariis sub indignationis nostrae poena per quemlibet contrafacientem eo ipso incurrenda, ne vos aut aliquem vestrum praemissa peragentes etc.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die IX. Maii pontificatus nostri anno IV.

XXXVI.

Firmat concordiam. Ex reg. secr. brev. in mense Iulio pag. 287.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX debito pastoralis officii etc. Sane nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii guardianus et fratres domus s. Francisci oppidi Nitiae Pallearum ordinis fratrum minorum conventualium Aquen. dioecesis provinciae Mediolanensis, ac Franciscus Rognonus vicarius perpetuus parochialis ecclesiae s. Syri eiusdem oppidi, quod alias postquam Sixtus papa V. praedecessor noster perpetuam cappellaniam ad altare s. Mariae de Quinzanis nuncupatae, sitam in ecclesia domus praedictae, cui cura nonnullorum parochianorum imminet animarum, cum primum illam per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem, aut etiam ex causa permutationis resignationem quondam Francisci de Laurentiis ad dictum altare, dum viveret, cappellam aut alias vacare contingeret, ecclesiae et domui praedictis perpetuo univerat, annexuerat et incorporaverat, prout in literis apostolicis desuper expeditis dicitur contineri; et deinde praedicto Francisco de Laurentiis extra romanam curiam vita functo, loci ordinarius eosdem guardianum et fratres in possessionem praedictae cappellaniae, illiusque altaris ac bonorum omnium et singulorum ad ipsum spectantium et pertinentium praetextu unionis, annexionis et incorporationis huiusmodi immiserat, et successive guardianus et fratres praedicti per annum et ultra in eadem possessione continuaverant, curam animarum inibi exercendo, dictos vero Franciscus Rognonus sibi ab eadem cappellania tamquam per obitum dicti Francisci de Laurentiis vacante, per nos provideri obtinuerat, orta lite et causa inter guardianum et fratres ex una, et Franciscum Rognonum praedictos praetendentes unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi tamquam tempore dicti Sixti praedecessoris sum nondum sortitum effectum, per subsequutas cancellariae apostolicae regulas (etiam de mandato nostro, sine tunc existentis romani pontificis editas) revocatorias, unionum suum effectum nondum sortitarum, revocatam existere, partibus ex altera de et super eadem cappellania, illiusque possessoris, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, et illarum occasione: primo coram loci ordinario et deinde coram dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditore, sive eius in civilibus locumtenente, illaque indecisa pendente: tandem guardianus et fratres ac Franciscus Rognonus praedicti laboribus et expensis parcere, necnon litium anfractus et involucra evitare cupientes, guardianus et fratres, videlicet per dilectum filium Franciscum Bonetum Tallorensem eorum procuratorem specialiter constitutum universi ordinis praedicti solicitatorem generalem, illiusque iurium defensorem, cum voluntate, consensu et assensu dilecti filii fratris Francisci Buschi Settini dicti ordinis procuratoris et commissarii generalis, ac Franciscus Rognonus praedicti, etiam ex voto venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super negotiis episcoporum et regula-

rium deputatorum, quibus hoc negotium examinandum commisimus, tractatu etiam et interventu dilecti filii nostri Augustini tituli s. Laurentii in Pane et Perna eiusdem s. r. e. presbyteri cardinalis Ursini nuncupat. praedicti ordinis protectoris, et verbali consensu venerabilis fratris Ioannis Francisci a s. Georgio episcopi Aquensis sub nostro et sedis apostolicae beneplacito, ad concordiam, transactionem et conventiones infrascriptas deveniunt; videlicet quod guardianus et fratres ac Franciscus Rognonus, supradictae liti et causae huiusmodi, ac omni et cuicumque iuri et actioni eis in dicta cappellania, vel ad illam quomodolibet respective competentibus cedere, illamque pure, libere et simpliciter in manibus nostris remittere deberent, ad effectum tamen, ut cura animarum parochianorum eidem cappellaniae incumbens, ad eamdem ecclesiam s. Syri, alias mensae episcopali Aquen. apostolica auctoritate unitam, annexam et incorporatam, una cum omnibus et singulis illius bonis et possessionibus transferretur; dictaque cura animarum per dilectum filium Franciscum Rognonum suosque in praedicta ecclesia s. Syri successores vicarios seu rectores exercetur, ipsaque cappellania guardiano et fratribus nunc et pro tempore existentibus ac ordini huiusmodi libera, immunis et exempta, ac absque ullo prorsus onere curae praedictae remaneret, una cum omnibus et singulis fructibus, reditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis per eosdem guardianum et fratres hucusque perceptis, necnon sacra suppellectili, omnibusque et singulis aliis rebus et bonis in dicta cappellania, illiusque altari vel alibi existentibus, etiam ad divinum cultum et ministerium necessariis, etiam cuiuscumque speciei et valoris essent aut esse possint; necnon medietate omnium et singulorum fructuum, reditum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum universorum, a data praesentium usque et per totum praesentem annum MDXCV. recolligendorum, et quomodolibet percipiendorum, dectractis prius per ipsos guardianum et fratres seminibus, et aliis, quae de iure et consuetudine detraenda essent; hac tamen conditione adiecta, quod guardianus et fratres praedicti tenerentur qualibet hebdomada in perpetuum unam missam parvam pro animabus fundatoris et benefactorum dictae cappellaniae celebrare, praedictoque Francisco Rognono tamquam praedictae ecclesiae s. Syri vicario possessionem reliquorum bonorum et rerum ad dictam cappellaniam spectantium relaxare, quodque dictus Franciscus Rognonus eiusque in dicta ecclesia s. Syri successores seu possessores res et bona, ut praefertur, transferenda quomodolibet obtinentes, possidentes, et quovis praetextu detinentes, perpetuis futuris temporibus deberent et obligati essent duodecim sexta monetae illarum partium guardiano et fratribus, et seu ordini huiusmodi illorumque superioribus vel pro eis agentibus, et ad id speciale mandatum habentibus, annuatim persolvere, libere et absque aliqua mora aut exceptione seu excusatione, incipiendo a die festivitatis s. Francisci anni Domini MDXCVI. proxime venturo, et usque in infinitum continuando atque perseverando, ac alias prout in publico desuper confecto instrumento etiam dicitur contineri. Cum autem guardianus et fratres, ac Franciscus Rognonus praedicti desiderent, praemissa omnia per nos sedemque praedictam confirmari et approbari, ac pro huiusmodi ac concordiae implemento, liti et causae omni et cuicumque iuri et actioni, eis in dicta cappellania vel ad illam quomodolibet respective competentibus, in manibus nostris sponte et libere cesserint, pro eorum parte nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum desiderio in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem aestimationem etiam beneficii, cui aliud uniri petatur, alioquin

unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret, ad partes vocati quorum interesset, guardianum et fratres ac singulas personas domus seu conventus, et Franciscum Rognonum huiusmodi a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac fructuum, redituum et proventuum cappellaniae et ecclesiae s. Syri huiusmodi, veros annuos valores, necnon litis statum ac merita causae et causarum huiusmodi, necnon unionis, annexionis et incorporationis dictique Francisci Rognoni, et quorumcumque aliorum provisiones, concessiones, ac iura et titulos, aliaque hic de necessitate exprimenda ac literarum et instrumenti praedictorum tenores, praesentibus pro expressis habentes, necnon cessionem praedictam admittentes, huiusmodi supplicationibus litem et causam huiusmodi in statu et terminis in quibus reperiuntur ad nos earum serie advocamus et extinguimus, perpetuumque silentium guardiano et fratribus, ac Francisco Rognono praedictis desuper imponimus. Praeterea concordiam et transactionem ac conditiones praedictas, omniaque et singula inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus. Insuper attendentes (sicut accepimus) quod populus parochiae praedictae cappellaniae exiguus est, qui domum habitat prope dictam parochiam s. Syri, in qua propterea cum etiam hoc modico animarum numero constet, sacramenta et alia parochialia obsequia a vicario etiam perpetuo seu rectore ipsius ecclesiae s. Syri si non commodius saltem aeque commode omnes simul suscipere poterunt, praeter quod inconveniens videtur, ut ad cappellaniam inferiorem seu ad altare minus, et per sacerdotem ex clero saeculari deligendum, munia parochialia in ipsa ecclesia s. Francisci regularium exerceantur, curam animarum huiusmodi a praedicta cappellania prorsus abdicamus, et ad ipsam ecclesiam s. Syri cum onere praedicto, ut praefertur, etiam perpetuo, auctoritate et tenore praesentis transferimus. Decernentes praesentes literas ac omnia et singula in eis contenta de subreptionis vel obreptionis vitio etc. Quocirca dilectis filiis eiusdem curiae causarum camerae apostolicae generali auditori ac venerabilium fratrum nostrorum Aquen. et Alben. episcoporum, vicariis in spiritualibus generalibus nunc et pro tempore existentibus per praesentes committimus et mandamus etc. Non obstantibus etc. Volumus autem quod propter praemissa cura animarum parochianorum non fraudetur obsequiis, sed per Franciscum Rognonum suosque in ecclesia s. Syri successores huiusmodi eius congrue supportentur onera consueta etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxix. Iulii sub annulo piscatoris pontificatus nostri anno IV.

XXXVII.

Vetat aedificationem coenobiorum fratrum recollectorum in dioecesi Palentina, nisi unum ab altero distet quinque leucas. Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. 166.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet romanum pontificem religiosorum commoditati ac regularis observantiae conservationi opportune prospicere, prout in Domino salubriter conspicit expedire etc. Cum itaque sicut accepimus, in provincia Conceptionis or-

dictis recollectorum nuncupatorum s. Francisci dioecesis Palentinae, septem monasteria seu conventus existent, in quibus regularis observantia summa cum pietate, zelo ac fidelium aedificatione custoditur, et erga quae seu quos charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus singularem gerit devotionis affectum, eumque pro regularis huiusmodi observantiae conservatione maxime expediat, ut alia eiusdem ordinis monasteria per quinque leucas circumcirca minime aedificentur, nos, in praemissis opportune providere volentes supplicationibus dicti Philippi regis nomine super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, monasteria seu conventus ordinis praedicti in eadem provincia intra terminum quinque leucarum circumcirca aedificari posse perpetuo prohibemus. Non obstantibus etc.

Datum Tusculi sub annulo piscatoris die xxx. Octobris anno v. pontificatus nostri anno iv.

XXXVIII.

Eximit ab observantia interdicti fratres totius ordinis in festivitatibus Sanctorum ordinis. Ex eodem reg. in mense Octobri pag. 85.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacrae seraphici beati Francisci religionis in sanctam romanam ecclesiam merita poscunt, ut privilegia et indulta illi per sedem apostolicam concessa non modo conserventur, sed etiam amplientur. Cum itaque sicut accepimus diversorum romanorum pontificum concessionibus religioni praefatae indultum sit, ut temporibus interdicti, quacunque etiam apostolica auctoritate apposita, festa sanctorum eiusdem ordinis s. Francisci nimirum s. Bonaventurae, sancti Antonii de Padua, sancti Ludovici, s. Bernardini, sanctae Clarae, sanctae Elisabeth, ac sanctorum Martyrum solemni ritu celebrare, perinde ac si interdictum huiusmodi minime appositum esset, libere possint; festa vero s. Didaci et Portiunculae in praedicto indulto minime comprehendantur. Nos religionem praedictam amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac indultorum huiusmodi et literarum apostolicarum desuper expeditarum tenores, praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dictae religionis per dilectum filium nostrum Hieronymum presbyterum cardinalem Matthaeum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, religioni praedictae universae ac cuicunque ipsius ordinis sive familiae et conventui, ut in eorum ecclesiis, festa etiam praedicti s. Didaci et Portiunculae temporibus interdicti solemniter, prout alia festa praedicta, ac iuxta indultorum illi concessorum seriem et tenorem celebrare libere et licite possint, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, ac indulta praedicta ad praedictas s. Didaci et Portiunculae festivitates extendimus et amplianus. Non obstantibus etc.

Datum Tusculi sub annulo piscatoris die xvii. Octobris anno v. pontificatus nostri anno iv.

Digitized by Google

XXXIX.

Quaedam iubet circa distributionem cuiusdam legati. Ex reg. sect. brev. in mense Februario pag. 224.

Dilecto filio Matthaeo Salernitano ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia professori salutem et apostolicam benedictionem.

EXponi nobis nuper fecisti, quod alias quidam Armenus qui in Indiis orientalibus decessit ab humanis, legatum septingentorum cruciatorum et ultra monetae Portugalliae ecclesiae Chaldaeorum Hierosolymis existenti reliquit, volens ut ex his prius emeretur lampas quae semper accensa ante sepulcrum dominicum detineretur, et quicquid superesset, posten dictae ecclesiae Chaldaeorum consignaretur. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, praedicta summa septigentorum et ultra cruciatorum penes hospitale Misericordiae Ulyssiponen. iamdiu depositata reperiatur, nec quisquam illam Hierosolymam deferre consueverit, tu vero qui commissarius generalis in toto christiano orbe ad recipiendum et recuperandum quascumque eleemosynas tam ordinarias quam extraordinarias ad sanctum sepulcrum dominicum et alia loca sancta ultramarina spectantes deputatus existis, summam praedictam Hierosolymam deferre, sed pro necessitatibus domus tui ordinis in dicta civitate existentis illius partem aliquam ipsi domui applicare cuperes, nobisque propterea humiliter supplicari fecisti, ut in his nostram auctoritatem interponere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi ut eleemosynam sive legatum praedictum septingentorum et ultra cruciatorum ex dicto hospitali recipere et Hierosolymam deferre, ac pro labore et executione huiusmodi quartam partem dictae pecuniae recipere, illamque praedictae domui pro illius necessitatibus applicare libere et licite valeas, dummodo tamen reliquam summam, prout a dicto testatore dispositum est, erogare cures, apost. apost. ten. praes. concedimus et indulgemus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae venerab. fratri archiepiscopo Ulyssiponen. ac dilectis filiis administratoribus vel deputatis dicto hospitali Misericordiae Ulyssiponen. aliisque ad quos spectat, ut eleemosynam vel legatum praedictum tibi consignari curent et faciant. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxiii. Februarii pontificatus nostri anno iv.

XL.

Plura largitur Lucae Iurisich pro christifidelibus regni Hungariae ad triennium. Ex eod. reg. in mense Iulio pag. 206.

Dilecto filio Lucae Iurisich de provincia Bosnae Argentinae ordinis fratrum minorum de observantia professori salutem et apostolicam benedictionem.

CUm sicut nobis exposuisti in Vallis Diacobi et Cernae et aliis finitimis regionibus et locis positis in partibus regni Hungariae et adiacentium provinciarum, turcarum tantum dominio subiectis, reperiantur etc. (vide ad ann. mdlxxxvi. n. 83).

Datum Romae apud s. Petrum die .... Iulii pontificatus nostri anno iv.

XLI.

Quaedam concedit Francisco a Palumbaria degenti in eodem regno Hungariae. Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. 137.

Dilecto filio Francisco a Palumbaria fratri ordinis minorum s. Francisci de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

AEquum est ut iis se reddat apostolica sedes gratiosa, qui pro catholicae fidei exaltatione et eiusdem apostolicae sedis dignitate tuenda, labores non detrectant et pericula non horrescunt. Cum itaque sicut luculentissimo dilecti filii nobilis viri Ioannis Francisci Aldobrandini nostri secundum carnem nepotis exercitusque nostri ecclesiastici in Hungaria contra turcas militantis capitanei generalis, ac venerabilis fratris Hieronymi Matthenucci archiepiscopi Ragusini testimonio accepimus, tu in eodem exercitu immensos labores pro fidei catholicae exaltatione et dictae sedis dignitate tuenda fideliumque animarum salute procuranda sustineas, et plurimis saepe periculis tum hostium turcarum tum haereticorum iisdem de causis subiaceas, quae tu pio ac constanti animo subire non dubitas; ac praeterea dilecti filii nostri Hieronymi presbyteri cardinalis Matthaei ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia apud nos protectoris fide digna relatione de praestanti doctrina, et in verbi Dei praedicatione excellentia in primariis Italiae civitatibus comprobata plurimum apud nos commenderis, dignum quin potius debitum reputamus, ut te his rationibus benigni favoris gratia libenter prosequamur. Motu igitur proprio et ex mera liberalitate nostris, tibi ut omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, gratiis et indultis, quibus ii qui ministerium officio functi sunt tum in electionibus, tum in aliis quibuscumque actibus et negotiis religionis in sua quilibet provincia uti et frui solent et possunt, in tua provincia tu quoque frui et gaudere possis et valeas, auct. apost. tenor praes. concedimus et indulgemus. Praecipientes in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis eiusdem ordinis superioribus et fratribus, ut te huiusmodi privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, gratiis et indultis libere frui et gaudere permittant, teque desuper nullatenus molestare vel perturbare praesumant. Non obstantibus etc.

Datum Tusculi die xxx. Octobris pontificatus nostri anno iv.

XLII.

Commendat Ferdinando archiduci Austriae Marcum Antonium Brixiensem conventualem. Ex eodem reg. secr. br. in mense Iunio pag. 181.

Dilecto filio nobili viro Ferdinando archiduci Austriae salutem et apostolicam benedictionem.

VEnit in provinciam istam dilectus filius frater Marcus Antonius Brixiensis ordinis minorum sacrae theologiae magister, a suis superioribus missus, ut negotia quaedam quae ad Dei honorem et eiusdem ordinis utilitatem pertinent, sedulo procuret. Vir est, quemadmodum de eo accepimus, non solum doctus, sed pius et prudens et regularis disciplinae amator. Itaque illum no-

bilitati tuae valde commendamus, ut ubi opus erit, tuo patrocinio adiutus, quae pro suo munere agenda suscipiet, tanto facilius exequatur. Libenter tibi, fili, materiam praestemus, in qua pietatem tuam exerceas, et de catholica religione praeclare merearis, ut tanto magis Deus dona sua in te conservet, et omni adaugeat felicitate.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xxvm. Iunii pontificatus nostri anno IV.

XLIII.

Eumdem commendat Mariae archiducissae Austriae. Ibidem pag. 182.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri Mariae archiducissae Austriae viduae salutem et apostolicam benedictionem.

Vir religiosus frater Marcus Antonius Brixiensis ex ordine minorum sacrae theologiae magister, superiorum suorum iussu in provinciam istam proficiscitur; homo est inter suos non solum doctrinae sed pietatis etiam et prudentiae laude commendatus, quemadmodum nobis gravi testimonio relatum est; ad ea vero agenda mittitur, quae ad Dei honorem et eiusdem ordinis utilitatem non mediocriter pertinent, ut plane dignus sit, qui tuae nobilitatis patrocinio, ubi opus fuerit, adiuvetur. Tuam vero, fili, ad ea omnia fovendi propensionem, quae Dei gloriam respiciunt, plane scimus, neque tu stimulis in eo indiges, quod tamen nostro intuitu impensius egeris, ut te certe, fecturam confidimus, erit in nobis pergratum.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xxvm. Iunii pontificatus nostri anno IV.

XLIV.

Eumdem commendat episcopo Gurgensi. Ibid. pag. 183.

Venerabili fratri N. . . . . episcopo Gurgensi salutem et apostolicam benedictionem.

Tuae pietatis et zeli proprium est, his negotiis et personis libenter tuo patrocinio favere, quas Dei gloriam quaerere et animarum saluti intelligis inservire. Ex eo munere est, hic religiosus vir frater Marcus Antonius Brixiensis sacrae theologiae magister, qui a suis superioribus ob spectatam, ut accepimus, doctrinam, vitae integritatem et regularis disciplinae studium in provinciam istam mittitur; ex eodem cuncta distinctius cognosces, ut tuo patrocinio, ubi opus fuerit, eius diligentia et labor in Domino sublevetur. Quod tua sponte propter Dei honorem ageres, ut illum benigne excipieres et prompte adiuvares, ut nostrae quoque commendationis intuitu propensius agas, a tua fraternitate petimus, cui coelestis gratiae copiam a Domino optamus.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xxvm. Iunii pontificatus nostri anno IV.

XLV.

Pro Francisco Gonzaga Mantuae episcopo ad Henricum IV. Galliarum regem eunte tamquam apostolicae sedis nuncio. Ex reg. secr. brev. in archivio Augusto pag. 87.

Venerabili fratri Francisco episcopo Mantuan. salutem et apostolicam benedictionem.

Postulant meritorum tuae merita, ut honestis petitionibus tuis libenter annuamus, eaque tibi libenter concedamus, per quae erga familiares tuos te gratum et liberalem exhibere valeas. Cum itaque tu in Franciam cum dilecto filio nostro Alexandro titulo s. Praxedis presbytero cardinali Florentino nuncupato, ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum Franciae regem christianissimum nostro et apostolicae sedis de latere legato, de ordine nostro profectus fueris, ut ibidem nostrae et sedis apostolicae apud eundem Henricum regem nuntii munus exercere debeas, considerans humanae vitae conditionem statum habere instabilem, et ea quae nunc sunt, tendere visibiliter ad non esse, ac ideo de familiaribus tuis qui te comitabuntur, aut alias tibi inservient, provida charitate solicitus, eorum statui, si te in hoc itinere ex humanis decedere contingat, aliqua ratione provisum fri desideres, et ideo nobis humiliter supplicari fecisti, ut super hoc opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur votis tuis, quantum cum Domino possumus opportune providere, ac te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, fraternitati tuae, ut si cum in huiusmodi itinere tam eundo quam stando et redeundo, necnon in eodem munere obeundo, quod Deus avertat, mori contingat, omnia et singula tua bona mobilia, pecunias, iocalia, vasa argentea (non tamen ad usum cappellae vel ecclesiae destinata), vestes et aliam quamcumque supellectilem ad quemcumque etiam notabilem et notabilissimum valorem ascendentia ad praedictos familiares tuos, qui tempore obitus tui, huiusmodi tuo servitio ubivis insistent, etiam quod tu de illis dihilve disponas, libere et integre pertineant, ac inter eos proportionaliter pro qualitate personarum et temporis tibi praestiti servitii distribui debeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, atque in eventum tui obitus huiusmodi, eadem bona mobilia, pecunias, iocalia, vasa argentea, vestes, et reliquam supellectilem praedictis ipsis tuis familiaribus ex nunc prout ex tunc, et e contra gratiose donamus et elargimur, ac titulo purae, perpetuae et irrevocabilis donationis, quae dicitur fieri inter vivos, libere concedimus. Decernentes eadem bona mobilia, pecunias, iocalia, vasa argentea, vestes, et reliquam huiusmodi supellectilem ad cameram nostram apostolicam tamquam spolia nullatenus pertinere, nec ipsam cameram, aut thesaurarium, et collectorem nostrum generalem, aliosve dictae camerae ministros, eosdemque familiares tuos desuper quovis praetextu molestare, perturbare vel inquietare posse nec debere, nullumque ipsis ac eidem camerae super dictis bonis mobilibus et rebus eius vel actiones competere, sicque et non aliter etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xv. Augusti pontificatus nostri anno v.

XLVI.

Ratam habet constitutionem Gregorii XIII. circa fratres reformatos. Ex bullar. Cocquelines tom. v. part. 2. pag. 194.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pro iniuncti nobis apostolici muneris ratione, de statu religiosorum quorumcumque qui sub voluntariae paupertatis habitu militantes, in habitu humilitatis et spiritu Deo voto reddere satagunt, paterna charitate solicitî constitutiones et ordinationes summorum pontificum ad eorum prosperum regimen et guberuium provide factas, nonnullis mutatis seu adiectis pro locorum et temporum qualitate libenter confirmamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Dudum siquidem a fel. rec. Gregorio papa XIII. praedecessore nostro emanarunt literae tenoris subsequentis, videlicet: Gregorius papa XIII. ad perpetuam rei memoriam. Cum illius vicem etc. (vide ad ann. MDLXXIX. in regest. pontificio n. 48.)

Cum autem novissime nos pro regimine et gubernio dictorum fratrum reformatorum nonnulla decreta seu ordinationes ediderimus, aut super his dilecto filio Bonaventurae ministro generali ordinis s. Francisci de observantia nonnullas facultates concesserimus, prout in nostris desuper in forma brevis expeditis literis sub datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die VIII. Ianuarii MDXCIV. pontificatus nostri anno II. plenius continetur. Cumque pro felici statu et gubernio dictorum fratrum reformatorum expediat, praeinsertas Gregorii praedecessoris literas et in eis contenta, exceptis infrascriptis per nos confirmari et a fratribus praedictis observari. Nos praedictarum literarum tenorem praesentibus pro expresso haberi, ac singulares fratres dicti ordinis reformatorum a quibusvis excommunicationis etc. de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium praepositorum sententia. praeinsertas Gregorii praedecessoris literas ac omnia in eis contenta, salvis limitationibus infrascriptis, auctoritate apostolica tenore praesentium, quoad fratres dicti ordinis reformatorum in Italia existentes tantum, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Et pro maiori praemissorum firmitate literis nostris praedictis, quatenus in aliquo obstent, specialiter et expresse derogamus.

Quoad caput circa receptionem novitiorum per custodem faciendam, servetur etiam forma constitutionis fel. rec. Sixti papae V. praedecessoris etiam nostri super hoc editae.

Quoad monasteria ipsis reformatis concedenda, volumus, ut sint apta ad duodecim saltem fratres recipiendos et retinendos.

Circa reservationem casuum servetur decretum a nobis super hoc editum.

Quoad statuta et ordinationes de caetero faciendas, ultra ea quae in praedictis Gregorii literis disponuntur, volumus, ut nullo modo decretis per nos in nostra visitatione Urbis editis, neque aliorum summorum pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus adversentur.

Quoad praedicatores et confessarios examinandos et approbandos volumus, ut in singulis capitulis custodialibus aliquot graves et periti viri ex fratribus cuiuscumque custodiae saltem tres deputentur, qui una cum custode ad mittendos ad praedicationem verbi Dei vel audiendas confessiones, etiam ipsorummet fratrum, ac lectores publicos simul examinent, neque antea ad huiusmodi ministeria exercenda ab aliquo approbentur aut admittantur. Horum etiam cura sit examinare et probare, tam quoad doctrinam quam quoad mores promovendos ad quoscumque ecclesiasticos ordines; qua in re servetur decretum congregationis interpretum sacri concilii Tridentini nuper editum et promulgatum. Hi vero examinatores in huiusmodi officio confirmari nequaquam possint, sed in singulis capitulis custodialibus alii semper de novo ad hoc munus obeundum eligantur.

Si quando praedictos reformatos accedere contigerit ad loca, ubi proprias habent domos seu conventus, volumus et praecipimus, ut ad conventus et domus illorum de familia, quae in eisdem locis erunt, divertere aut hospitari nullo modo possint.

Decernentes praemissa omnia et singula perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, et per praefatos fratres reformatos perpetuo observari debere; praesentes quoque literas nullo tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu notari, argui seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas censeri. Sicque per quoscumque iudices etc.

Non obstantibus etc.

Datum Tusculi sub annulo piscatoris die xii. Octobris pontificatus nostri anno v.

XLVII.

Instituit Iacobum de Gandino visitatorem reformatorum in provinciis Brixiae et Venetiarum. De Gubernatis tom. ii. pag. 362.

Dilecto filio Iacobo Gandino fratri ordinis s. Francisci reformatorum nuncupat. in provincia Brixiae et Venetiarum commissario et visitatori apostolico salutem et apostolicam benedictionem.

Cupientes ut in domibus et conventibus fratrum reformatorum nuncupat. in provincia Brixiae et Venetiarum ordinis fratrum minorum de observantia s. Francisci existentibus, debita observantia iuxta puritatem regulae ipsius s. Francisci et constitutiones nostras, ac decreta nostrae reformationis introducatur, ac de tua prudentia, fide, integritate ac religionis zelo plurimum in Domino confisi, te in dicta provincia visitatorem apostolicum, auctoritate apostolica tenore praesentium facimus et deputamus, teque ut ad dictam provinciam te conferas, ac omnes et singulos conventus et domos reformatorum huiusmodi visitare ac in eis debitam huiusmodi observantiam iuxta institutionem per dilectos filios praelatos visitationis nostrae apostolicae factam, et tibi eorum manibus subscriptam et eorum sigillis munitam tradendam, quam nos tamquam de mandato et ordine nostro factam, eius tenorem ac si ad verbum inseretur praesentibus pro expresso, et ad verbum inserto habentes auctoritate et

tenore praedictis confirmamus et approbamus, introducere auctoritate nostra cures, dantes tibi et concedentes plenam, liberam et amplam auctoritatem et facultatem domus et conventus huiusmodi visitandi, et reformationem huiusmodi in eis et in quolibet ipsorum introducendi: et ut commodius hoc facere valeas, quamcumque domum seu conventum fratrum de familia nuncupatorum eiusdem ordinis de observantia, quae seu qui tibi ad reformationem huiusmodi introducendam commodior videbitur pro fratribus reformatis, etiam absque ulla solemnitate seu forma ad hoc iuxta regularia ipsius ordinis instituta et apostolicas constitutiones, necnon privilegia per apostolicam sedem eidem ordini concessa, acquisita, dimissis inde fratribus de familia existentibus et ad alias domus etiam de familia translatis recipiendi, necnon etiam domos seu conventus, in quibus ipsi fratres reformati degunt, fratribus de familia relinquendi, dummodo secundum tam ipsam receptionem quam dimissionem domorum vel conventuum huiusmodi aliquorum patrum reformatorum ipsius provinciae maturitate, consilio, et reformationis zelo praestantium consensus accedat; capitulum pariter custodiale fratrum reformatorum convocandi ac in eo praesidendi, ac ea quae ad huiusmodi reformationem stabiliendam spectare videbuntur, in eodem capitulo statuendi et ordinandi; quoscumque fratres tam ex reformatis quam ex familia accersiri faciendi, eosque quocumque opus fuerit mittendi, ac postea ad ipsorum conventus remittendi; quoscumque contradicentes vel inobedientes, aut alias executionem tuae commissionis et visitationis perturbantes vel impedientes, auctoritate nostra praedicta per excommunicationis, suspensionis et interdicti aliasque ecclesiasticas censuras et poenas cogendi et compellendi; eosque censuris huiusmodi alligatos declarandi, ac eosdem si vellam petierint, a censuris et poenis eisdem in toto vel in parte ac iniuncta illis poenitentia salutari, prout tibi videbitur, absolvendi, caeteraque in praemissis, et ad ea quomodolibet necessaria vel opportuna faciendi et exequendi etc. Mandantes praeterea in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrii nostri poenis ministro provinciali, guardianis, patribus, et fratribus tam de familia quam reformatis praedictae provinciae, quod tibi tamquam commissario nostro apostolico in praemissis omnibus, et singulis prompte assistant, pareant et obediant: alioquin sententias seu poenas, quas in eos rite tuleris, ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xv. Novembris pontificatus nostri anno v.

XLVIII.

Confirmat erectionem duorum hospitalium pro fratribus provinciae sanctorum Septem Martyrum. Ex reg. secr. brev. in mense Maio pag. 384.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAterna nostra erga christifideles omnes religiosos praesertim, qui abiectis rerum mundanarum commodis, Dei obsequiis in spiritus humilitate, sub paupertatis, obedientiae et castitatis votis vacare student, charitas nos admonet, ut ea quae pro infirmorum cura et commodis charitative sunt ordinata, ut eo firmiora subsistant, auctoritatis nostrae munimine roboramus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque sicut dilectorum filiorum ministri

provincialis, et fratrum provinciae sanctorum Septem Martyrum in Calabria ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nomine nobis nuper expositum fuit in capitulo provinciali dictae provinciae de mense Aprilis anni praeteriti MDXCV. ordinatum fuerit, ut in eadem provincia duae infirmariae, ac duae aromatariae pro fratribus infirmis dictae provinciae charitative curandis, altera nimirum apud conventum Montisleonis, et altera apud conventum eiusdem ordinis Polistinae erigerentur et perpetuo manuteneretur. Cumque erectio et conservatio infirmariarum et aromatariarum praedictarum subscriptis de causis maxime necessariae existant, ut videlicet proprietatis occasio fratribus tollatur; ut infirmi ad eorum consanguineorum domos pro infirmitatibus curandis, ut multoties evenire consuevit, accedendi causam non habeant: ut ministri nullam habeant causam procedendi contra guardianos ob defectum charitatis erga infirmos; ut denique infirmi fratres dum, ex qua decet charitate, se curari vident, religiosius absque desperationis seu perturbationis causa, ab hac via migrare possint. Et ob eas causas minister provincialis et fratres dictae provinciae cupiant ordinationem dicti capituli provincialis auctoritate apostolica confirmari, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem ministrum et fratres spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ordinationem seu decretum praedicti capituli de dictis duabus aromatariis et infirmariis erigendis pro communi fratrum dictae provinciae commodo, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, et iuxta ordinationem seu decretum praedictum, dictas duas aromatarias et infirmarias, si nondum erectae sunt, erigi et perpetuo conservari debere; et in eam erectionem et conservationem, singulos eiusdem provinciae conventus pro rata perpetuo contribuere teneri, statuimus et ordinamus. Volumus etiam ut bona fratrum in aliquo ex dictis infirmariis decedentium, eidem infirmariae in qua decesserint, pro illius usu applicari omnino debeant, et ad illas spectent et pertineant. Et si quis praemissis aliquo modo contrafacere praesumpserit, cuiuscumque gradus, conditionis et auctoritatis existat, illum privationis officii et dignitatis, ac vocis activae et passivae poenam, eo ipso incurrere decernimus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae dilecto filio moderno et pro tempore existenti ministro provinciali dictae provinciae, ut aromatariarum et infirmariarum praedictarum erectioni et manutentioni iuxta ordinationem dicti capituli provincialis, et praesentium nostrarum dispositionem, omni cura invigilet.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XXV. Maii pontificatus nostri anno V.

XLIX.

Licentiam tribuit erigendi monasterium in Civitate s. Angeli. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. 44.

Venerabili fratri episcopo Pennen. et Adrien. seu dilecto filio eius in spiritualibus vicario generali salutem et apostolicam benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas et homines terrae Civitatis s. Angeli Pennen. dioecesis, quod cum in dicta terra nullum extet monasterium monialium, ipsi universitas et homines ibidem unum monialium

Digitized by Google

monasterium erigere cupiunt; cui monasterio pro congrua duodecim monialium sustentatione dilecti filii confratres confraternitatum SSmi Corporis Christi et s. Ioannis Baptistae eiusdem terrae reditum annuum trecentorum scutorum monetae illarum partium assignare intendunt; quare dicti universitas et homines nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportunam eis licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eorum piis votis benigne annuere volentes huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, frater episcope, seu discretioni tuae fili vicarie, per praesentes committimus et mandamus, ut si et postquam dictae confraternitates reditum annuum trecentorum scutorum huiusmodi pro sustentatione monialium duodecim in perpetuum assignaverint, ut praefertur, unum monasterium monialium ordinis s. Francisci in ecclesia s. Clarae aut alia ecclesia dictae terrae magis commoda, de consensu illius praesidentium seu rectorum, si qui sint, auctoritate nostra apostolica perpetuo erigas; et postquam monasterium huiusmodi ad convenientem clausuram redactum fuerit, in eo puellas ibi habitum suscipere et professionem regulares emittere volentes introducere, et in moniales recipere et admittere, ac pro earum regimine et gubernio ac regulari observantia ibi introducenda, ipsis novis monialibus instruendis, unam vel duas moniales provectae aetatis, et ad regimen et instructionem huiusmodi ideneas ex aliquo eiusdem ordinis monasterio tuae dioecesis de inibi christifidelium consensu et obtenta a nobis ac a sede apostolica ad hoc licentia speciali, honesto aliquarum mulierum earumque consanguinearum, et aliorum propinquorum comitatu associatas ad dictum novum monasterium transferri cures, super quibus omnibus et singulis liberam tibi per praesentes facultatem impartimur. Et nihilominus erectionem praedicti monasterii, ac inde sequenda quaecumque per te vigore praesentium facienda ex nunc prout ex tunc, et e contra postquam facta fuerint perpetuo confirmamus et approbamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die v. Septembris pontificatus nostri anno v.

I.

Fit episcopus s. Iacobi de Cile. Ex actibus consistorialibus pag. 119.

Romae apud s. Petrum die lunae 29. *Ianuarii fuit consistorium, in quo*

REferente card. Deza ad praesentationem catholici regis providit ecclesiae s. Iacobi de Cile in Indiis occidentalibus vacan. per obitum fr. Didaci de persona fr. Petri, cum decreto quod antequam munus consecrationis accipiat, et adipiscatur possessionem, teneatur emittere fidei professionem illiusque instrumentum ad curiam transmittere, absolvens etc. cum clausulis etc.

LI.

Fit episcopus ecclesiae s. Salvatoris. Ex actibus consistorialibus pag. **127.**

Romae in monte quirinali die lunae **20.** *Maii fuit consistorium, in quo*

Referente card. Ascanio Columna pro card. Gesualdo absente, sanctitas sua ad praesentationem serenissimi Philippi Hispaniarum et Portugalliae regis providit ecclesiae s. Salvatoris in cathedralem erectae, et a primaeva sua erectione vacan. de persona r. fr. Michaelis de Conimbria sacerdotis professi ordinis minorum de observantia qualitatibus a concilio Tridentino requisitis praeditis, ipsumque fidem catholicam rite professum dictae ecclesiae in episcopum praefecit et pastorem curam etc. absolvens etc. cum clausulis etc.

LII.

Fit episcopus Minerbinensis. Ex actibus consistorialibus pag. **131.**

Romae in monte quirinali die veneris **21.** *Iunii fuit consistorium, in quo*

Referente card. Montalto provisum fuit ecclesiae Minerbinensi vacan. per obitum Ioannis Vincentii de persona fr. Laurentii ordinis minorum de observantia s. Francisci cum condonatione iurium, absolvens etc. cum clausulis opportunis etc.

LIII.

Iubet fratribus ordinis b. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, ne recipiant alios fratres cuiuscumque instituti licet rigidioris vitae. Ex bullar. Cherubini tom. III. pag. **62.**

Ad perpetuam rei memoriam.

Nuper ad nos perlatum est religiosos ordinis b. Mariae de Mercede redemptionis captivorum praetextu cuiusdam indulti apostolici dicto ordini antiquitus concessi, professores ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. et alios regulae strictioris in eorum sodalitatem seu domos aut conventus recipere. Quare cum id saepius meritas poenas eludendi causa fiat, et ex hoc multa scandala in populo generentur et alia multa incommoda nascantur.

§. 1. Nos huiusmodi scandalis obviare et quieti religiosorum prospicere cupientes, tenoremque dicti indulti, perinde ac si de verbo ad verbum inserertur, praesentibus pro expressis habentes, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium sacri Tridentini concilii interpretum sententia, ne quis praelatorum seu superiorum, aut fratrum conventuum seu domorum dicti ordinis b. Mariae de Mercede redemptionis captivorum tam in regnis Hispaniarum quam alibi consistentium, quavis ille dignitate, praeeminentia, praerogativa vel munere fungatur, quemquam ordinis fratrum minorum de observantia aut ali-

Digitized by Google

cuius strictioris regulae, quam sit regula dictorum religiosorum b. Mariae de Mercede, praetextu cuiusvis indulti seu privilegii apostolici recipere audeat vel praesumat, etiam si habeant privilegium id faciendi causa quarti voti, quod ipsi professores ordinis b. Mariae de Mercede huiusmodi faciunt, apostolica auctoritate tenore praesentium districte prohibemus.

§. 2. Declarantes regulam strictiorem esse iudicandam alia ratione, quam respectu quarti voti. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus etc. Volumus autem etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xxiv. Decembris pontificatus nostri anno v.

LIV.

Aliqua statuit circa notorie delinquentes extra claustra. Ex bullar. Cherubini tom. III. pag. 53.

Ad perpetuam rei memoriam.

Suscepti muneris ratio postulat, ut ea quae in sacro Tridentino concilio provide constituta sunt, ab iis ad quos spectat, inviolate observari curemus.

§. 1. Maturo sane consilio ipsius concilii decreto provisum est, ut quicumque regularis non subditus episcopo intra claustra degens, extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante, a suo superiore intra tempus ab episcopo praefigendum severe puniatur, et superior de punitione episcopum certiorem faciat, sin minus ipse a suo item superiore officio privetur, et delinquens ab episcopo puniri possit.

§. 2. Verum quia experientia compertum est, interdum in huiusmodi decreti executione nimis remisse procedi. cum enim episcopus instat, aliquem regularem, eo quo supradictum est modo, delinquentem a suo superiore puniri, saepe fit, ut regularem delinquentem ad alia eorum ordinum loca extra episcopi dioeceesim, ex industria impunitum transmittat, atque etiam ipse aliquando ad alias provincias se conferat, nec ulterius super delinquentis excessibus inquirat, et de eius punitione episcopum certiorem reddat. Unde nec regularis delinquens tunc ab episcopo puniri potest, cum extra ipsius dioecesim existat, nec superior qui delinquentem corrigere negligit, officio privatur.

§. 3. Nos pro pastorali nostra solicitudine, praefati decreti executioni quantum cum Domino possumus, favere et praemissis malis, ut par est, opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium praedicti concilii interpretum sententia, motu proprio et ex certa scientia nostris ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, omnibus et singulis cuiuscunque ordinis et instituti regularium etiam mendicantium superioribus, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae, ac privationis dignitatum et officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis poenis, praecipimus et mandamus, ut iuxta praedictum decretum, quilibet ipsorum regularem non subditum episcopo, intra claustra degentem, et extra ea ita notorie delinquentem, ut populo scandalo sit, episcopo instante, intra tempus ab episcopo praefigendum severe puniat, ac de punitione episcopum certiorem faciat. et alias decretum ipsum in

omnibus et per omnia exequatur. Caeterum si superior in regularem delinquentem non animadverterit, quinimmo si illum impunitum ad alia suorum ordinum loca extra episcopi dioecesim, ut praefertur, transmiserit, volumus et simili motu atque decernimus, ut superior, instante episcopo, intra terminum ab episcopo praefigendum, et sub eisdem indignationis nostrae ac privationis dignitatum et officiorum obtentorum, necnon et sub inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac ulterius privationis activae et passivae vocis ad quas a nemine praeterquam a nobis et a romano pontifice pro tempore existen. restitui possit, ipso facto similiter incurrendis poenis, ipsum regularem delinquentem a loco ad quem transmissus fuit revocare, et in quo deliquit, constituere seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere praetermiserit, per praesentes similiter statuimus, ut ordinarius loci, ad quem regularis delinquens transmissus fuerit, super praemissis ab ipso ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel alias de illius delicto informatus, ut praefertur, tamquam sedis apostolicae delegatus, praedictum concilii decretum omnino exequi, et in regularem delinquentem severe animadvertere possit et debeat.

§. 4. Decernentes etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum VII. calendas Martii pontificatus nostri anno V.

LV.

Mandat reformationem monasterii monialium. Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. 377.

Dilecto filio ministro provinciali ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum provinciae Catalauniae regni Aragonum salutem et apostolicam benedictionem.

EXpositum fuit nuper coram nobis, quod licet monasterium monialium Dertusan. ordinis s. Clarae olim fuerit conventualium, ac a viginti septem annis circa illius tunc existentes abbatissa et moniales sub cura, custodia et gubernio superiorum fratrum ordinis minorum de observantia nuncupatorum se subiecerint, in ipso tamen monasterio nullae moniales aliorum monasteriorum monialium reformatarum, quae illius monialibus debitae observantiae praecepta darent, et regularem suarum vivendi normam relinquerent, introductae fuerunt, ideoque in eo congrua regularis vitae disciplina recepta non fuit; eumque praedictum monasterium iam certo modo abbatissae regimine destitutum existat, et sicut nobis innotuit, nonnullae ex dilectis in Christo filiabus illius monialibus ferventioris religionis zelo ductae, aliquam monialem eiusdem ordinis in aliquo monasterio monialium reformatarum degentem, in earum et primodicti monasterii abbatissam eligere et nominare summopere desiderent, nos singulis monasteriis de personis per quas illa circumspecte regi et salubriter dirigi valeant, provideri sinceris desiderantes affectibus, motu proprio et ex mera nostra deliberatione, discretioni tuae per praesentes mandamus, quatenus monialibus primodicti monasterii quod insuper aliquam ex monialibus reformatis eiusdem ordinis in earum et primodicti monasterii abbatissam eligere possint, earumque suffragia, etiam aliis contradicentibus, tamquam a saniori parte lata valeant, perinde ac si unanimi concordia et nemine discrepante electio celebrata fuisset, auctoritate nostra licentiam et facultatem concedas et desuper indulgeas, ipsamque electionem retractari non posse, sed validam fore et illam

Digitized by Google

sic electam, dummodo aetatem et alias qualitates a sacris canonibus et concilio Tridentino requisitas habuerit, per eos ad quos spectat confirmari debere, sicque per quoscumque iudices etc. dicta auctoritate decernas. Non obstantibus constitutionibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxx. Octobris pontificatus nostri anno v.

LVI.

Confirmat privilegia fratrum discalceatorum. Ex bullar. Francisci Matritensis tom. 1. pag. 367.

Ad perpetuam rei memoriam.

Singulare studium rerum coelestium et aeternarum, quo dilectos filios fratres discalceatos s. Francisci in Hispaniarum regnis existentes ita teneri accepimus, ut sempiterna earum fruitione quamlibet vitae austeritatem voluntarie libenterque amplectantur, respicientes, eorumque supplicationibus in hac parte inclinati, omnia et singula privilegia, indulta, indulgentias, facultates, immunitates, libertates et gratias tam per nos quam per quoscumque romanos pontifices praedecessores nostros provinciis s. Iosephi et s. Pauli regnorum Hispaniarum, ac s. Gregorii Indiarum Philippinarum, et ex eis et eorum reformatione erectis vel erigendis provinciis, custodiis, monasteriis, conventibus, locis, hospitalibus et infirmariis, ac in earum favorem concessa, approbata et innovata, necnon literas apostolicas desuper tam in forma brevis quam alias confectas quascumque, quarum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis haberi, et quandocumque et quomodocumque, nihil penitus omisso inseri posse volumus, prout illa eis concessa et approbata fuerunt, quatenus dicta privilegia sint in usu, et decretis concilii Tridentini non adversentur nec sint revocata, aut sub aliis revocationibus comprehensa, apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, perpetuo et irrevocabiliter confirmamus et innovamus. Decernentes sic etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die vi. Iunii pontificatus nostri anno v.

LVII.

Pro Henrico sive Angelo Ioyoseo olim capucino. Ex bullar. Michaelis a Tugio tom. 5. pag. 32.

Dilecto filio Henrico de Gioiosa presbytero ord. s. Ioannis Hierosolymit. salutem et apostolicam benedictionem.

Iam pridem gravissimis de causis te a religione fratrum minorum, qui capucini vocantur, in qua tunc eras, ad ordinem s. Ioannis Hierosolymitani transtulimus, tibique permisimus, ut durante bello, veste curta indui, arma gestare, exercitibus praeesse, et provinciae Occitanae regimen atque administrationem gerere posses. Deinde maioribus gratiis et favoribus prosequentes, habilitavimus te ut etiam extra belli tempora quarumcumque provinciarum administrationes, regimina seu gubernia, praefecturas et quoscumque honores ac dignitates saeculares tam militares quam civiles obtinere valeres; ac insuper,

que haec omnia decentius ac convenientius peragere, tecum dispensavimus, ut per omnem vitam cum dicta veste curta et esse publice et privatim incedere tibi liceret, prout in binis literis nostris in forma brevis desuper confectis latius fuit expressum, quarum tenores hic pro insertis haberi volumus. Quia vero frustra haec tibi concessa fuissent, nisi haberes unde te familiamque tuam pro loci et gradus dignitate alere posses, idcirco aequum ac necessarium esse duximus ei rei opportune providere. Igitur ut administrationes praedictas, honores ac dignitates honorificentius, et sanctae religioni catholicae regnóque utilius gerere queas, tecum, ut fructus omnium et singulorum bonorum tibi a parentibus, agnatis, cognatis, aut etiam extraneis quibuscumque relictos vel relinquendos ad supradictos usus et effectus capere et distribuere tamquam dispensator tantum, libere et licite possis et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium dispensamus, tibique plenam damus et concedimus facultatem, non obstantibus dicti ordinis s. Ioannis Hierosolymitani statutis, constitutionibus et ordinationibus etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon consuetudinibus, usibus et naturis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xviii. Septembris pontificatus nostri anno v.

LVIII.

Plura largitur Petro de Bosna Argentina in Serviam proficiscenti. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. 119.

Dilecto filio fratri Petro de Bosna Argentina professori salutem et apostolicam benedictionem.

CUm sicut nobis exponi fecisti, in provincia seu regno Serviae et finitimis regionibus turcarum tyrannidi subiectis reperiantur plurimae plebes et christifideles latino ritu viventes, qui inter alias ingentes calamitates quibus assidue in tyrannica infidelium servitute premuntur, carent sacerdotibus, clericis et religiosis personis, a quibus doctrinam christianam edoceantur, ecclesiastica sacramenta percipiant et Dei verbum, sacras missas et alia divina officia audiant, et propterea tu christianae fidei iuvandae et conservandae et pietatis studio permotus, atque animarum christifidelium illic commorantium salutis zelo accensus, ad eas partes cum aliquibus presbyteris et clericis saecularibus et regularibus de tuorum illorumque superiorum licentia et cum nostra benedictione te conferre desideras, ut una cum illis valeas eisdem fidelibus divinum verbum praedicare, sacramenta ministrare, divina officia et alia ecclesiastica munia praestare, et in christiana doctrina confirmare. Ideirco nos salutare hoc tuum propositum et devotionem plurimum in Domino commendantes, in primis tibi ac iisdem sociis tuis qui tecum venient, paternam nostram benedictionem damus et impartimur. Deinde piis tuis in hac parte votis libenter annuentes, ut commodius praemissa ad omnipotentis Dei gloriam et honorem adimplere et exequi possis, quo maiori faveris facultate suffultus, tibi ut aliquot religiosos viros idoneos et probatos tam tui fratrum minorum de observantia et cuiusvis alterius ordinis regulares seu professores in sacris etiam presbyteratus ordinibus institutos, ac etiam laicos, quam presbyteros et clericos saeculares, de suorum tamen licentia superiorum vel ordinariorum in socios ad huiusmodi munus

Digitized by Google

exequendum assumere et tecum adducere, quibus quidem tu tamquam guardianus seu illorum superior, quamdiu in dictis partibus vos commorari contigerit, praesis, vel alius vestrum de communi consensu deligendus praesse debeat.

1. Ac tu etc. (Vide ad ann. MDLXXXVI. n. 83.)

Datum Romae apud s. Marcum die XIV. Septembris pontificatus nostri anno V.

LIX.

Indulgentiam largitur hospitantibus fratres discalceatos. Ex bullar. Francisci Matriten. tom. V. pag. 368.

Ad perpetuam rei memoriam.

DE omnium salute paterna charitate soliciti, spiritualia de thesauro ecclesiae libenter erogamus, per quae animae fidelium defunctorum (praesertim religiosorum) Domini nostri Iesu Christi et gloriosissimae eius genitricis Mariae ac sanctorum omnium suffragia meritorum consequi, et illis adiutae ex purgatorii poenis ad aeternitatis gloriam feliciter valeant pervenire; supplicationibus igitur pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis et fratrum provinciae s. Gabrielis Hispaniarum ordinis s. Francisci discalceatorum nuncupat. nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi concedimus, ut decedente aliquo dicti ordinis religioso vel alicuius religiosi parentibus, vel altero ipsorum, aut persona quam ipsi religiosi fratrem appellant, et in quolibet loco dictae provinciae ad eorum receptaculum et subventionem paratum habent, ab aliquo seu aliquibus eius conventus, in quo religiosi parentes, vel alter ipsorum decesserit, vel persona praefata in fratrem descripta fuerit, missam defunctorum pro anima ipsius defuncti quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, celebrante seu celebrantibus, anima ipsa de thesauro ecclesiae, indulgentiam consequatur ita, ut Domini n. Iesu Christi ac beatissimae virginis Mariae, et sanctorum omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die XX. Iunii pontificatus nostri anno V.

LX.

Erigit conventum Arenae. Ex reg. secr. brev. lib. 3. divers. pag. 197.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX iniuncto nobis apostolicae servitutis officio ad ea libenter intendimus, per quae sacrarum religionum propagationi ad divini cultus augmentum et fidelium aedificationem opportune consulitur. Cum itaque sicut accepimus, extra terram Arenae Papien. dioecesis in loco la Fontana Santa vulgo nuncupata, superioribus annis ex piorum eleemosynis ecclesia in honorem b. Mariae virginis erecta fuisset, et ad illius curam nonnulli fratres ordinis minorum s. Francisci de observantia deputati fuissent, qui in divinis officiis celebrandis et sacramentis ministrandis in eadem ecclesia hactenus laudabiliter et magno cum fidelium illius loci aedificatione perstiterunt; cumque si ibidem una domus seu conventus fratrum eiusdem ordinis reformatorum perpetuo erigeretur, ibique duodecim saltem eiusdem ordinis fratres continuo degerent et divina officia celebrarent, ex hoc profecto divini cultus ac fidelium pietatis et devotionis augmento plurimum prospiceretur. Nos ad ea quae religionum propagationem divinique cultus augmentum concernunt solicite intendentes, ex venerab. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super negotiis et consultationibus episcoporum et regularium deputatorum sententia, in loco praedicto Fontana Santa nuncupato territorii Arense unam domum seu conventum fratrum ordinis s. Francisci de observantia, reformatorum, auct. apost. ten. praes. perpetuo erigimus et instituimus, ac fratribus praedicti ordinis qui ibidem duodecim saltem numero perpetuo maneant, et iuxta eorum ordinis regulam divina officia celebrare, et ecclesiastica sacramenta ministrare valeant, domum et ecclesiam praedictas cum omni tum sacra tum etiam alia ad eorum usum necessaria in eisdem ecclesia et domo existenti supellectili, eisdem auctoritate et tenore concedimus et assignamus; necnon conventui et fratribus ibidem pro tempore degentibus, et omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indultis et indulgentiis, quibus aliae domus et conventus eiusdem ordinis utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua prorsus differentia uti. frui et gaudere possint et debeant perpetuo concedimus et indulgemus. Mandantes propterea venerabili fratri episcopo Papien. ut ecclesiam praedictam cum omnibus illius aedificiis, pertinentiis, ac sacra et profana supellectili dictis fratribus auctoritate nostra assignari, eosque illis pacifice frui curet, faciat, nec illos a quoquam quavis auctoritate quomodolibet molestari permittat. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xii. Decembris pontificatus nostri anno vi.

LXI.

Indulget conventus fundationem. Ex bull. Francisci Matriten. tom. 1. p. 371.

Dilecto filio ministro provinciali provinciae s. Gabrielis ordinis fratrum minorum discalceatorum nuncupati, salutem et apost. benedictionem.

EXponi nobis nuper fecisti, quod cum alias devotus frater episcopus et dilecti filii communitas Civitatensis, propter singularem pietatem fratrum minorum discalceatorum nuncupatorum, et spiritualem consolationem quam ex

Digitized by Google

laudabili eorum vita et exemplo omnes capiunt, unam domum eorumdem fratrum in civitate Civitatensi construi et aedificari facere cuperent, et cum tu eorum pio desiderio satisfacere nimium exoptes, si id faciendi licentiam concederemus, quoniam sicut eadem expositio subiungebat, quatuor domus dictorum fratrum ab eadem civitate per septem aut octo leucarum spatium distantes, in locis asperrimis sitae sunt, atque earum fratres aegrotos ad ipsam civitatem, curandae valetudinis causa non sine incommodo transferri oportet, et si ipsi fratres in dicta civitate propriam domum haberent, huic incommodo et aliis commodius et fructuosius occurri posset, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus domum in dicta civitate aedificandi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 1. Nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut accedente ordinarii consensu, qui tamen si aliquibus fratribus discalceatis, ut ibidem monasterium aedificent suum consensum praestaturus erit, praefatae et non alterius provinciae fratribus illum praestare teneatur, in quocumque loco, sive intra sive extra muros praedictae civitatis beneviso, domum cum ecclesia, campanili, claustro, refectorio, dormitorio et aliis officinis necessariis, pro usu et habitatione fratrum discalceatorum praedictorum, construendi et aedificandi, ac in ea dictos fratres qui inibi regulari observantia Altissimo famulentur introducendi licentiam et facultatem apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus: ac eidem domui et illius fratribus, quod omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, indultis et aliis domibus et fratribus discalceatis in genere vel in specie concessis, et quibus illi de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti potiri et gaudere possint et debeant, eisdem auctoritate et tenore de speciali gratia indulgemus.

§. 2. Quocirca venerabilibus fratribus Civitatensi et Placentine provinciae Compostellanensi ac Pacensi episcopis per praesentes mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios faciant auctoritate nostra praemissa omnia observari, nec permittant eos a quocumque eiusdem vel alterius ordinis desuper impediri, molestari, perturbari aut inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris vel facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§. 3. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo piscatoris die xvii. Octobris pontificatus nostri anno vi.

LXII.

Similia indulget marchioni del Valle. Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. 216.

Ad futuram rei memoriam.

Quaecumque ad sacrarum religionum propagationem et christifidelium praesertim in remotioribus orbis terrarum partibus existentium spiritualem consolationem augendam pertinent, ea libenter concedimus, prout piorum vota exposcunt, aut alias in Domino conspicimus expedire. Cum itaque sicut dilectus filius nobilis vir marchio del Valle vulgo nuncupat. nobis nuper expetti fecit,

ipse ob singularem quem erga b. Franciscum gerit devotionis affectum, et ut piis subditis quos in partibus Indiarum Novae Hispaniae habet, spiritualem aliquam opem et consolationem afferat in aliquo eius ditionis temporalis illarum partium oppido seu loco, unum monasterium seu conventum fratrum ordinis s. Francisci de observ. discalceatorum nuncupat. erigere desideret, nobis propterea per dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Orsinam Peretti Sfortiam marchionissam Caravagii humiliter supplicari fecerit, ut super hoc licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos eiusdem marchionis pio desiderio benigne satisfacere, illumque spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tam dicto marchioni quam quibuscumque dicti ordinis superioribus et religiosis ab eo requisitis, ut unum monasterium seu conventum praefati ordinis in aliquo dicti marchionis oppido seu loco, de tuae ordinarii consensu erigere et instituere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur; ac eidem monasterio seu conventui si et postquam erectum fuerit, atque omnibus et singulis fratribus in eo pro tempore degentibus in perpetuum, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, gratiis et indulgentiis, aliis quibuslibet monasteriis, conventibus et domibus ordinis praedicti discalceatorum in genere vel in specie concessis, et quibus illi de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti potiri et gaudere possent et poterunt in futurum, sine aliqua prorsus differentia uti, frui, potiri et gaudere possint et debeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus: sicque per quascumque iudices ordinarios et delegatos, sublata eis etc.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xxv. Octobris pontificatus nostri anno VI.

LXIII.

Ut excitet coenobium in oppido Nieswitii. Ex reg. secr. brev. in mense Aprili pag. 39.

Dilecto filio provinciali ordinis fratrum minorum s. Francisci in regno Poloniae salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilectus filius nobilis vir Nicolaus Christophorus Radzivil Olicae dux monasterium ordinis s. Francisci in oppido suo Nieswitii ex voluntate bon. mem. ipsius ducis coniugis defunctae, quae ad hunc effectum certam pecuniarum summam legavit, erigere et fundare cupiat; nos illius pio desiderio satisfaciendum simulque ipsius ordinis propagationi favendum esse censentes, discretioni tuae in virtute s. obedientiae praecipimus et mandamus, ut quamprimum in monasterium praedictum tui ordinis in praefato oppido iuxta piam dicti ducis voluntatem eius sumptibus construendum erigas et fundes, ac in illud convenientem fratrum numerum (non tamen duodecim minorem) qui in eo divino cultui iuxta regularia eiusdem ordinis instituta incumbant, introducas, et ipsos etiam fratres pietate et doctrina praeditos ex locis tuae provinciae tibi benevisis deputes et in dicto monasterio constituas, ac toties quoties opus fuerit, mutes et revoces, aliosque in ipsorum locum arbitrio tuo, prout expedire iudicaveris substituas et subroges. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xv. Aprilis pontificatus nostri anno VI.

Digitized by Google

LXIV.

Pro Emmanuele Pinto rectore collegii Goan. Ex reg. secr. brev. lib. 2. divers. pag. 104.

Dilecto filio Emmanueli Pinto fratri ordinis s. Francisci de observantia rectori collegii Trium Regum civitatis Goan. in Indiis orientalibus salutem et apostolicam benedictionem.

CUm, sicut accepimus tu in propaganda catholica fide in istis partibus Indiarum orientalium magno cum labore ac pietatis zelo multos annos incubueris, et magnos fructus gentilium idola diruendo, et dum commissarii generalis tui ordinis in illis partibus munere fungereris, magnum gentilium numerum baptizando edideris, ob idque tunc existens minister generalis primum et deinde minister provincialis provinciae Portugalliae eiusdem ordinis te in rectorem perpetuum collegii Trium Regum civitatis Goan. deputaverint et seu confirmaverint, prout in patentibus eorum literis desuper expeditis plenius dicitur contineri. Nos te praemissorum meritorum tuorum intuitu specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, deputationem in rectorem perpetuum dicti collegii de persona tua, ut praefertur, factam, ac desuper confectas patentes literas praedictas, quarum tenores praesentibus ac si ad verbum inserirentur pro expressis haberi volumus, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adiicimus. Volumus tamen ut sub obedientia tuorum superiorum manere debeas, atque praesens confirmatio non impediat, quominus ab ipsis superioribus inde amoveri possis, si aliquid admiseris, propter quod amoveri debeas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxiii. Ianuarii pontificatus nostri anno vi.

LXV.

Praficitur episcopus Tudensis. Ex actibus consistorialibus in monac Innocentio pag. 142.

Romae apud s. Petrum die mercurii 8. Ianuarii fuit consistorium secretum, in quo

REferente card. Deza providit ad praesentationem regis catholici ecclesiae Tudensi vacan. per translationem Bartholomaei ad ecclesiam Vallisoletan. de persona fr. Francisci a Tolosa ordinis minorum de observantia cum decreto quod antequam possessionem adipiscatur, professionem fidei iterum emittat et instrumentum desuper ad curiam transmittat, absolvens etc. cum clausulis etc.

Digitized by Google

LXVI.

Eligitur episcopus s. Iacobi de Cuba. Ex eisdem actibus pag. 102.

Romae in monte quirinali die lunae 10. *Novembris fuit consistorium, in quo*

REferente card. Deza ad praesentationem regis catholici providit ecclesiae s. Iacobi de Cuba vacan. per translationem fr. Antonii ad ecclesiam de Niquaragua de persona fr. Bartholomaei de Plaza ordinis minorum s. Francisci, absolvens etc. cum clausulis etc.

LXVII.

Confirmat privilegia ordinis. Ex bullar. Cocquelines tom. v. part. 2. p. 175.

Ad perpetuam rei memoriam.

RAtio pastoralis officii nostri exigit atque flagitat, ut quorum religionem ac virtutem sedi apostolicae totique ecclesiae non modo illustrem et praeclaram, sed utilem etiam ac necessariam esse animadvertimus, eosdem nostris et eiusdem sedis apostolicae honoribus ac beneficiis libenter prosequamur. Cum vero ex bonis et commodis spiritualibus ordinum mendicantium ea longe lateque pateant semperque patuerint, quae a sacro ordine fratrum minorum de observantia, ab ipsis fundatae religionis initiis, in omnes christianae reipublicae provincias profluxerunt quotidieque profluunt et promanant, faciendum nobis esse statuimus, ut in eodem ordine, nostris et sedis apostolicae gratiis atque muneribus honestando, nihil romanorum pontificum praedecessorum nostrorum benignitati ac studio concedamus.

§. 1. Cum igitur pro parte dilecti filii Ioannis Baptistae Moles commissarii generalis in romana curia ultramontanae familiae praedicti ordinis de observantia nobis expositum fuerit, ex ipsius sedis benigna dignatione provenire, ut romanus pontifex quandoque praedecessorum suorum romanorum pontificum gesta innovet, ac apostolica auctoritate innovata et restaurata munitet et fulciat, et in pristinum statum reponat ac reducat, necnon propterea nonnulli romani pontifices praedecessores nostri quasdam gratias, concessiones, indulgentias et peccatorum remissiones, absolutiones etiam plenarias, libertates, praerogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates multaque alia privilegia et indulta, tam praedictis fratrum minorum quam s. Clarae ac tertio de poenitentia nuncupato ordinibus, illorumque superioribus fratribus, monialibus et sororibus, ac utriusque sexus personis et monasteriis, domibus, ecclesiis et locis quibuscumque dictorum ordinum, nunc et pro tempore existentibus in genere vel in specie, etiam per modum communicationis sive extensionis privilegiorum aliis ordinibus eorumque domibus et ecclesiis, et utriusque sexus personis ordinum mendicantium et non mendicantium existentibus concessorum, concesserunt aut iam concessa confirmarunt et approbarunt, prout in singulis concessionibus, declarationibus et literis eorumdem praedecessorum expeditis plenius dicitur contineri.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, illa quae saepius apostolica auctoritate praedicta munita existunt, maioremi obtineant roboris firmitatem, pro parte praedicti Ioannis Baptistae Moles nobis fuit humiliter supplicatum, ut praedictis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis et indultis pro illorum observantia nostrae approbationis robur adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur qui omnium votis praesertimque illorum qui sub suavi religionis lugo divinis laudibus et christianae religionis augmento incumbentium personarum tranquillitati et commoditati consulunt, libenter annuimus eoque favoribus prosequimur opportunis, huiusmodi supplicationibus inclinati quaecumque praemissa omnia et singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservatoria, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias et indulta spiritualia et temporalia, etiam per modum communicationis et extensionis inter se et cum aliis ordinibus mendicantibus et non mendicantibus eiusdem fratrum minorum regularis observantiae et sanctae Clarae, et de poenitentia tertio ordinibus, etiam in congregatione sub trium votorum substantialium professione, et eorumdem superiorum ordinis minorum regularis observantiae huiusmodi obedientia degentibus ipsorumque superiorum fratribus, monialibus, sororibus, ac utriusque sexus etiam singularibus personis, necnon monasteriis, domibus, ecclesiis et locis quibuscumque in genere et in specie etiam per solam signaturam, etiam vivae vocis oraculo, ut praefertur, aut alias per eosdem romanos pontifices praedecessores nostros, ac nos et sedem praedictam sub quacumque forma et expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon omnibus et singulis in eis formis contentis clausulis, decretis et declarationibus quibuscumque, ac singulas desuper etiam pluribus vicibus confectas literas et in eis contenta et inde secuta quaecumque, illorum omnium tenores et formas, datas, effectus et decreta in illis apposita ac si de verbo ad verbum inserentur et in his essent inserta, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, dicta auctoritate apostolica tenore praesentium ex certa scientia (in his omnibus in quibus decretis concilii Tridentini non adversentur, salvis etiam decretis a nobis in favorem fratrum reformatorum concessis) approbamus et confirmamus ac innovamus, perpetuam roboris firmitatem obtinere et firmiter observari, necnon ordinibus fratrum minorum regularis observantiae ac s. Clarae ac tertio de poenitentia nuncupato etiam in congregatione sub obedientia fratrum minorum de observantia huiusmodi degentibus, superioribus, fratribus, monialibus, etiam tertiariis nuncupatis, sororibus, personis, monasteriis, domibus, ecclesiis et locis praedictis etiam per modum communicationis et extensionis huiusmodi suffragari, illisque frui, uti et gaudere, quando et quoties opus fuerit, posse et debere in iudicio et extra ac etiam in foro conscientiae in omnibus et per omnia, ac si specialiter et expresse eisdem fratrum minorum et s. Clarae, et tertio de poenitentia ordinibus, per nos concessa fuissent, decernimus. Supplentes omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum etiam de iuris necessitate, aut alias quomodolibet requisitarum forsan omissarum, et alios quoscumque defectus si qui forsan intervenerint in eisdem.

§. 4. Quocirca venerabilibus fratribus Mantuae et Toy episcopis ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per

se vel alium seu alios faciant, auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta quaecumque, plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes quos concernunt, pacifice frui et gaudere. Non permittentes etc.

§. 5. Non obstantibus etc. Verum quia etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xx. Decembris pontificatus nostri anno vi.

LXVIII.

Mittit visitatorem apostolicum in provincias Terrae Laboris, et Principatus. Ex reg. secr. brev. in mense Maio pag. 195.

Dilecto filio Antonio Manler, alias de s. Columba fratri ordinis minorum s. Francisci de observantia magistro in theologia visitatori et commissario apostolico salutem et apostolicam benedictionem.

Pastoralis nostra solicitudo nos admonet, ut de personarum ecclesiasticarum praesertim regularium statu reformando et prospere dirigendo assidue cogitemus, ac propterea cupientes, ut in monasteriis et domibus ordinis fratrum s. Francisci provinciarum Terrae Laboris, alias Neapolitan. et Principatus regularis disciplina et divini cultus observantia illaesa conservetur, et nullo modo labefactetur, et si humani generis adversario instigante aliquo pacto labefactata fuerit, quamprimum restituatur, de tua pietate, prudentia, integritate, ac religionis zelo plurimum in Domino confisi, te qui ordinem praedictum expresse professus existis, in eisdem provinciis universi ordinis praedicti ac singulorum illius monasteriorum, domorum et conventuum visitatorem, reformatorem et commissarium apostolicum auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus, dantes tibi plenam, amplam et universam facultatem et auctoritatem omnes et singulas ecclesias, monasteria, conventus et loca regularia praedicti ordinis in praedictis provinciis consistentia tibi per dilectos visitationis nostrae apostolicae praefectos praescripta, eorumque sacraria sive sacristias visitandi, ac ea eorumque praelatos superiores et fratres, ac religiosos quoscumque tam in capite quam in membris, iuxta tamen regularia ordinis instituta reformandi et corrigendi, disciplinae regularis observantiam, sicuti excidisse compereris, modis congruis restituendi, ipsosque ad debitum et honestum vitae modum reducendi, quaecumque ad morum reformationem et divini cultus augmentum pertinere cognoveris, constituendi et ordinandi, eaque necnon concilii Tridentini decreta custodiri et observari mandantis, abusus quoscumque tollendi et abrogandi, contra quoscumque tam superiores quam subditos et etiam confessarios in aliquo delinquentes repertos, aut alias inobedientes et contumaces procedendi, eosque processandi, carcerandi, inquirendi, corrigendi ac debitis poenis iuxta eadem regularia instituta et sacrorum canonum dispositiones afficiendi, eosque perpetuo vel ad tempus suspendendi ab officiorum suorum et divinorum exercitio, ac etiam voce activa et passiva privandi. Si quae vero graviora repereris, de iis nos quamprimum certiorem facies, qui matura deliberatione praehabita, quid faciendum fuerit, statuemus; capitula provincialia semel aut pluries convocandi, ministros, custodes, provinciales, guardianos et novitiorum magistros eligendi et confirmandi et alias electiones irritas et nullas faciendi; apostatas coercendi ad religionis ingressum, eosque ad hunc effectum ab apostasiae nota et censuris ecclesiasticis incursis gratiose absolvendi, sive

Digitized by Google

eos contumaces puniendi, ac bona eorum locis piis tibi magis benevisis applicandi et tradendi; proprietarios quoscumque sub quovis praetextu nummos, pecunias aut alia per te vel per alios contra constitutiones fel. rec. Nicolai III. et Clementis V. romanorum pontificum praedecessorum nostrorum retinentes et possidentes coercendi, in carcerem conjiciendi, torquendi et puniendi, et nummos ipsos vel pecuniam et alia in piorum locorum seu pauperum usus convertendi; simoniacos processandi, arctandi, et infames declarandi, ac aliter, prout canonicae sanctiones requirunt, puniendi: annuos perpetuos reditus, legata et quasvis donationes quovis modo sacristiis vel sacellis, aut oratoriis intra et extra septa ecclesiarum et monasteriorum et conventuum praedictorum renunciandi, cassandi, et annullandi, ac aliis piis usibus arbitrio tuo applicandi; contradictores quoscumque, ac eis auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, directe seu indirecte quomodolibet praestantes per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, aliaque omnia et singula quae ad visitationem et reformationem huiusmodi necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna faciendi, mandandi et exequendi. Monialium quoque eiusdem ordinis monasteria non tantum intra civitatem Neapolitanam pariter visitandi, ac tam in capite quam in membris, ut praefertur, corrigendi, et reformandi, eorum confessarios et cappellanos removendi, et aliorum eorum loco sufficiendi; intra septa monasterii, si opus fuerit, ingrediendi, ac quaecumque pro reformatione et correctione monasteriorum et monialium praedictarum necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna, iuxta praeinsertas facultates, statuendi et ordinandi. Mandantes propterea in virtute s. obedientiae universis et singulis praelatis et fratribus ac conventibus, necnon abbatissis et monialibus monasteriorum, domorum et locorum praedictorum, ut tibi in praemissis omnibus et singulis prompte pareant et obediant, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die VI. Maii pontificatus nostri anno VI.

LXIX.

Ut annuam pensionem recipiat. Ex reg. secr. brev. in mense Februario pag. 85.

Dilecto filio Ioanni Baptistae Pisello de Montebolo fratri ordinis minorum conventualium s. Francisci in sacra theologia doctori salutem et apostolicam benedictionem.

REligionis zelus ac probitatis ac virtutum tuarum merita nobis nota atque perspecta nos inducunt, ut illa tibi libenter concedamus, quae tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Tibi igitur ut divinis obsequiis commodius vacare, ac tuis religiosis necessitatibus providere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere ac alias te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius nobis pro te super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione certaque scientia nostris tecum, ut unam vel plures pensiones annuas super quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet

Digitized by Google

qualificatorum; etiam canonicatuum et praebendarum ac dignitatum etiam maiorum et principalium fructibus, reditibus, et proventibus ac iuribus, obventionibus, emolumentis ac etiam distributionibus quotidianis si tibi vel ad tui commodum et utilitatem cuivis personae ecclesiasticae alias canonice reserventur et assignentur, usque ad summam centum ducatorum auri de camera recipere, ac quoad vixeris retinere, percipere, exigere et levare, ac in tuos usus et utilitatem convertere, ac de illis ad tui libitum ad licitos tamen usus disponere atque donare et elargiri, vel in eleemosynas aliosve pios usus erogare cuiusvis tui ordinis superioris aut alterius cuiuscumque licentia minime requisita libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium dispensamus, tibique gratiose concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die ultima Februarii pontificatus nostri anno VI.

LXX.

Pro fratribus observantibus et capucinis euntibus in exercitu contra turcas. Ex reg. secr. brev. in mense Iunio pag. 311.

Ad futuram rei memoriam.

CUm ad salutem animarum et spiritualem consolationem militum exercitus nostri ecclesiastici in Hungariam contra turcas missi procurandam piorum sacerdotum saecularium et regularium opera necessaria sit, ac inter alios quos ad huiusmodi pia exercitia in dicto exercitu facienda mittendos duximus, octo ex congregatione capucinorum, et quatuor ex ordine minorum de observantia s. Francisci fratres proficiscantur. Nos eorum necessitatibus, ut piis operibus commodius sedulo vacare possint, quantum cum Domino possumus prospicere volentes, cum dictis tam capucinorum quam de observantia fratribus, ut tam in itinere eundo ad exercitum et inde redeundo, quam in illo commorando aliquem vel aliquos, qui pecunias pro eorum usu teneat, et exponat habere, necnon etiam per loca dicti itineris equitare ac eisdem capucinis, ut si ad id approbati fuerint, militum dicti exercitus confessiones audire, eisque salutarem poenitentiam iniungere, ac absolutionis beneficium impertiri possint, et quilibet eorum possit auctoritate apostolica tenore praesentium dispensamus, ac illis gratiose concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Marcum die XX. Iunii pontificatus nostri anno VI.

LXXI.

Concedit sodalitio sacrorum stigmatum s. Francisci de Urbe ecclesiam ss. XL. martyrum. Ex bullar. Cocquelines tom. V. part. 2. pag. 151.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN his nostrae auctoritatis partes pro nostra pastorali solicitudine libenter interponimus, per quae ecclesiarum almae Urbis nostrae decori et ornamento, ac eorum parochianorum animarum curae, simulque confrater-

Digitized by Google

nitatum christifidelium pie institutarum commoditati salubriter in Domino providetur.

§. 1. Cum itaque in visitatione parochialis ecclesiae ss. quadraginta martyrum regionis Pineae de Urbe per praelatos visitationis nostrae apostolicae nuper factae, ipsis visitatoribus expedire visum fuerit, ut animarum parochianorum cura a praedicta parochiali ecclesia ex rationabilibus causis perpetuo abdicaretur, et ad vicinas ecclesias infrascriptas transferretur, ac ecclesia praedicta ss. quadraginta confraternitati stigmatum s. Francisci nuper dilectorum filiorum nostri Bartholomaei diaconi cardinalis Caesii, et nobilis viri Federici etiam Caesii ducis Aquespartae fratrum germanorum opera in Urbe praedicta pie institutae perpetuo concederetur,

§. 2. Nos in praemissis, ut par est, auctoritatem nostram interponere volentes, ex certa nostra scientia ac matura deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, curam animarum dilectorum filiorum parochianorum eiusdem ecclesiae ss. quadraginta martyrum ab eadem ecclesia perpetuo separamus, dismembramus et abdicamus atque supprimimus, atque curam animarum huiusmodi inter ecclesias etiam parochiales s. Luciae ad apotheca obscuras nuncupatae, s. Stephani *del Cacco* vulgo nuncupati, ac s. Mariae de Monterone perpetuo dividimus et distribuimus hoc modo: domus nimirum quae in via recta, quae tendit ad ecclesiam clericorum societatis Iesu, in platea Alteria nuncupata consistunt, dictae ecclesiae s. Luciae. Domus vero, quae sunt secus viam, ante nimirum dictam ecclesiam ss. quadraginta, et quae .... eidem ecclesiae ss. quadraginta supradicti s. Stephani; reliquas autem tres domos e regione seu conspectu praedictae ecclesiae ss. quadraginta positas incipientes ab arcu, seu fornice mutinorum ad viam rectam ad Casarinos tendentem, s. Mariae de Monterone respective cum eorum habitatoribus pro tempore perpetuo pariter concedimus et assignamus, ac domos supradictas, sicut praemittitur, designatas reliquis earumdem ecclesiarum parochiis in perpetuum unimus et incorporamus.

§. 3. Fructus tamen, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque supradictae olim parochialis ecclesiae ss. quadraginta (non tamen incerta ex exercitio curae animarum provenientia) una cum habitatione domorum eiusdem ecclesiae dilecto filio Gabrieli Marescotto moderno ipsius ecclesiae rectori quoad vixerit, reservamus, illumque fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta praedicta propria auctoritate, ut prius, percipere, exigere et levare, ac usu et habitatione praedictarum domorum frui et gaudere, nec desuper a quoquam quavis auctoritate molestari, perturbari vel inquietari posse decernimus. Post illius vero obitum fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi ex nunc prout ex tunc, et e contra in duas partes perpetuo dividimus et separamus, ac unam hospitio pauperum sacerdotum praedictae ecclesiae s. Luciae, et alteram partes huiusmodi ecclesiae s. Mariae de Monterone perpetuo applicamus et assignamus ita, ut liceat rectoribus praedicti hospitii ac dictae ecclesiae parochialis s. Mariae de Monterone fructuum, redituum, proventuum, iurium et obventionum praedictorum pro rata possessionem libere apprehendere, eaque perpetuo exigere, percipere et levare, ac in eorumdem hospitii et ipsius s. Mariae ecclesiae, ac rectoris usus et utilitatem convertere.

§. 4. Insuper paramenta et ornamenta ecclesiastica quaecumque et qualiacumque sint, inter ecclesiam parochialem s. Mariae de Monterone praedictam, et confraternitatem stigmatum dividi debere decernimus.

§. 5. Praeterea ecclesiam ipsorum ss. quadraginta martyrum una cum eius domibus praedictis, salvo usufructu dicti Gabrielis ipso vivente, a cura animarum liberam et exemptam praedictae confraternitati stigmatum ita ut ipsius confraternitatis confratres illam reparare et restaurare, in eaque oratorium eorum extruere ac erigere, necnon ibidem eorum congregationes facere ac pietatis opera ipsi confraternitati incumbentia exercere libere et licite possint, perpetuo concedimus et assignamus ac donamus et elargimur: ipsamque confraternitatem in possessionem ecclesiae et domorum praedictarum ex nunc auctoritate praesentium inducimus ac ipsius confraternitatis confratribus, ut possessionem huiusmodi libere apprehendere ac perpetuo retinere, ac in ecclesia praedicta praemissa omnia facere et exequi valeant, cuiusvis licentia desuper minime requisita, licentiam et facultatem impertimur.

§. 6. Decernentes praemissa omnia et singula perpetua, valida et efficacia fore et esse, nec a quoquam quavis auctoritate fungente ullo unquam tempore quovis praetextu retractari, impugnari, invalidari vel annullari, praesentes quoque literas de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae, vel alio defectu etiam ex eo, quod interesse habentes vel praetendentes vocati et auditi non fuerint, notari, redargui vel impugnari, aut in ius vel controversiam revocari nullo modo posse: sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices etc.

§. 7. Quocirca dilecto filio nostro in alma Urbe vicario per praesentes committimus et mandamus, quatenus praesentes literas etc.

§. 8. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

§. 9. Volumus autem, ut dicta confraternitas in signum quod dicta ecclesia ss. quadraginta martyrum sit filialis collegiatae ecclesiae s. Marci . . . . et in illius . . . . recognitionem singulis annis in festo s. Marci evangelistae quatuor libras cerae albae laboratae eidem collegiatae ecclesiae s. Marci omnino dare teneatur.

Datum Romae apud s. Petrum die xxvii. Martii pontificatus nostri anno vi.

LXXII.

Indulget translationem monialium ad novum monasterium. Ex reg. secr. brev. in mense Aprili pag. 353.

Venerabili fratri episcopo Cathanien. salutem et apostolicam benedictionem.

EX debito pastoralis officii circa monasteriorum quorumlibet, et in eo Altissimo famulantium personarum, et praecipue feminei sexus statum solicite vigilantes, in illis eis libenter assistimus, per quae illarum occurratur incommodis et incolumitati, divina cooperante clementia, salubriter consulatur. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissae et conventus monasterii monialium s. Hieronymi Cathanien. ordinis s. Clarae sub cura fratrum minorum de observantia nuncupat. quod alias quondam Petrus Seminara Cathanien. in eius ultimo, quod de bonis sibi a Deo collatis condidit testamento mandavit, in domo quam ipse inhabitabat, fundari monasterium sub invocatione eiusdem s. Hieronymi, in quo moniales dicti ordinis perpetuo degerent et pro huiusmodi monasterii et monialium in eo degentium sustentatione, omnia bona quae ad id satis erant, assignaverit, voluit non aliter fieri quam ipse disposuerat, neque posse a sede apostolica impetrari huiusmodi suae voluntatis commutationem et in eventum, in quem aliter fieri vel commutatio aliqua desuper obtineretur, in omnibus eius bonis praedictis capellaniam ss. crucifixi in ecclesia Cathanien. fundatam, et hospitale s. Marci Cathanien. et alia loca pia substituit, prout in dicto testamento plenius dicitur contineri. Cum autem sicut dicta expositio subiungebat monasterium vix dicti testatoris voluntatem fundatum, et ex ordine dilectorum filiorum nostrorum s. r. e. cardinalium super statu regularium deputatorum ad clausuram redactum fuerit, compertum tamen sit, quod aer inibi tam ex vicinitate fluminis Giudicelli nuncupati illac decurrentis, quam ex aliis causis per medicos designatis admodum nocivus existit, ita ut moniales non possint inibi diutius absque vitae periculo commorari, quinimo ad tempus non valeant divinis vacare, prout decet, officiis, et timendum sit, nisi in alium salubriorem locum quantocius transferantur, omnes brevi tempore pereant, et monasterium ipsum penitus extinctum remaneat, ac propterea abbatissa et conventus praedictae sibi in alium salubriorem locum transferendi licentiam concedi cupiant, ideo nobis humiliter supplicari fecerunt abbatissa et conventus praedictae, ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur earumdem abbatissae et conventus incolumitati ac monasterii praedicti conservationi providere cupientes, necnon dicti testamenti tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis haberi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus attentis praemissis, abbatissae et conventui praedictis se in alium salubriorem locum in civitate Cathanien. per te eligendum, una cum tota dicti monasterii supellectili etiam sacra aliisque ad monasterium huiusmodi quomodolibet spectantibus bonis, transferendi licentiam auctoritate nostra concedas, neque propteren easdem abbatissam et conventum caducitatem incurrere, aut

super haereditate et bonis dicti Petri quavis auctoritate a quoquam, etiam praetextu substitutionis praedictae aut alias quomodolibet molestari posse.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die x. Aprilis pontificatûs nostri anno VII.

LXXIII.

Pro ministro provinciae Poloniae. Ex reg. secr. br. in mense Martio p. 439.

Dilecto filio provinciali ordinis minorum s. Francisci in regno Poloniae salutem et apostolicam benedictionem.

Alias discretioni tuae dedimus in mandatis, ut monasterium tui ordinis in oppido Nieswitii, quod dilectus filius nobilis vir Nicolaus Christophorus dux Olicae ex voluntate boa. mem. coniugis eiusdem ducis defunctae, quae ad hunc effectum certam pecuniarum summam legavit, erigere et fundare intendebat, quamprimum erigendum curares, acquirit illud convenientem fratrum numerum, non tamen duodecim minorem, qui in eo divino cultui iuxta regularia eiusdem ordinis instituta incumberent, introduceres, et ipsos fratres pietate ac doctrina praeditos ex locis tuae provinciae tibi benevisis deputares et in dicto monasterio constitueres, ac toties quoties opus foret, mutares et revocares aliosque in ipsorum locum, arbitrio tuo, prout expedire iudicaveris, substitueres et subrogares, prout in nostris in forma brevis litteris plenius continetur. Cum autem sicut nobis idem Nicolaus dux exponi nuper fecit, pro eius erga dictum ordinem devotione, ac ut christifideles ipsius oppidi quamprimum spiritualibus eorumdem fratrum operibus ad eorum animarum salutem perfrui valeant, cupiat, ipsosque fratres ad praedictum oppidum, licet monasterium quod non ita cito aedificari poterit, extructum non sit, quamprimum accedere nobisque supplicari fecerit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos illius pio desiderio benigne annuere volentes, eidem discretioni tuae per praesentes iniungimus ut praedictum religiosorum pietate, doctrina morumque integritate praestantium numerum, saltem ad proximum festum pentecostes ad praedictum oppidum, ut in eo assignatis per dictum Nicolaum ducem mansionibus etiam ligneis pro eorum habitatione donec monasterium extructum sit, et postea in eorum monasterio perpetuo remaneant, accedere omnino cures et facias, super quo tibi et dictis fratribus opportunam et amplam licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XXVIII. Martii pontificatûs nostri anno VII.

LXXIV.

Ratam habet Pii IV. pontificis voluntatem. Ex reg. secr. brev. in mense Aprili pag. 126.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quae a romanis pontificibus praedecessoribus nostris religiosis personis concessa sunt, ea ut perpetuo firma et stabilia sint, apostolicae confirmationis nostrae validitate roboramus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Alias

Digitized by Google

siquidem a fel. rec. Pio papa IV. praedecessore nostro emanarunt literae tenoris subsequentis, videlicet Pius papa IV. ad perpetuam rei memoriam. Inter caetera cordis nostri desiderabilia ad ea libenter animum applicamus, per quae conventus et alia regularia loca, in divini cultus augmentum et religiosorum Dei famulorum commodum ampliantur; et quae prius ordinata fuerant, aliquando rationabilibus de causis, dum fundatores id a nobis expetunt, immutamus ac aliter disponimus, prout rerum personarumque qualitate pensata conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Iacobus de Acaya civis Licien. quod alias ipse zelo devotionis accensus, necnon ob singularem quem ad s. Claram eiusque ordinem gerebat devotionis affectum, cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna bona felici commercio commutare, ac pro sua et coniugis ac progeniti, successorumque suorum animarum salute recogitans, de bonis sibi a Deo collatis ad Dei laudem et gloriam ac dictae s. Clarae reverentiam, eiusque ac sacrae religionis propagationem et divini cultus augmentum unum monasterium monialium Urbanistarum nuncupat. eiusdem ordinis s. Clarae in certo suo palatio in civitate Licien. consistente pro sororibus ipsius s. Clarae, et puellis virginibus ac certis aliis personis, sub certis modo et forma, ac cum certis conditionibus et pactis tunc expressis in monasterium huiusmodi recipiendis et admittendis rite construi et aedificari facere coepit, quod tam a provinciali fratrum ordinis minorum de observantia nuncupat. provinciae s. Nicolai in civitate Tarantin., quam a dilecto filio Angelo de Aversa fratre eiusdem ordinis et commissario generali in ipsius ordinis provinciali congregatione Barletae facta, ad quos id spectat, acceptatum fuit, licentia etiam super hoc a nobis per eumdem Ioannem Iacobum petita et obtenta, prout in nostris inde sub plumbo confectis literis plenius continetur. Et licet sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes Iacobus voluntatem suam et literas praedictas ad debitum finem perducere desideraret, in sororibus et puellis virginibus recipiendis et dictum monasterium adducendis, tum in civitate Licien. quam aliis circumvicinis locis exactissimam fecerit diligentiam, nihilominus forsan ob antiquorum monasteriorum monialium eiusdem civitatis Licien. multitudinem sorores et puellas virgines, quae iuxta nostram licentiam, et praedicti Ioannis Iacobi devotionem dictum monasterium ingredi, et omnipotenti Deo sub regulari observantia ac decenti plausura debitum exhibere famulatum, ac religionem eandem amplecti vellent, reponere non potuit; unde dictus Ioannes Iacobus in suo laudabili proposito firmiter permanens, et bona iam Deo dicata et ad eius laudem et gloriam destinata, ad profanos usus convertere nolens, sed laudabilem eius devotionem in aliam piam opus commutare peroptans, dictum monasterium, ipsi ut praemittitur, aedificari coeptum pro usu et habitatione dictorum fratrum minorum ordinis s. Francisci de observantia, ac in illud quoddam hospitale ad usum eorumdem fratrum minorum illius provinciae infirmorum cum medico aromatario et aliis ad hoc necessariis construi, aedificari, perfici ac construi facere cum omnibus et singulis gratiis, privilegiis, indultis, praerogativis, et exemptionibus in dictis literis contentis et concessis summopere cupiat. Quare pro parte dilecti Ioannis Iacobi nobis humiliter supplicatum fuit, quatenus ipsos fratres minores in dictarum abbatissae et monialium locum quod monasterium huiusmodi surrogare, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur quia pias christifidelium voluntates ad exauditionis gratiam libenter admittimus, dictamque religionem sincero confovemus affectu, praefatum

Ioannem Iacobum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon literarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, sine alicuius praeiudicio dicto Ioanni Iacobo monasterium in dicto palatio aedificari coeptum, ut praefertur, cum loco, coemeterio, claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis ac aliis officinis necessariis pro usu et habitatione perpetuis fratrum minorum huiusmodi, et illo dictum hospitale cum modico aromatario aliisque ad hoc similiter necessariis pro fratribus minoribus dictae provinciae infirmis curandi, salva semper ministri generalis et provincialis illius ordinis ad quos in solidum electio tam circa numerum quam personas fratrum in eodem monasterio recipiendorum, perpetuis futuris temporibus pertinere debeat, nec alias in omnibus et per omnia iuxta dictarum literarum formam et tenorem, ac cum omnibus et singulis facultatibus, indulgentiis, exemptionibus, privilegiis, concessionibus, indultis, favoribus et gratiis, quibus idem monasterium pro abbatissa et sororibus ac virginibus huiusmodi construi et aedificari facere concessum fuerat, pro eisdem fratribus minoribus aedificari, perfici et erigi faciendi licentiam et facultatem, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia minime requisita, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, eosdem fratres minores in locum dictarum abbatissae, sororum et virginum quoad hoc in omnibus et per omnia perpetuo surrogamus ac quoad hoc ipsius Ioannis Iacobi voluntatem, quatenus opus sit commutamus, dictumque monasterium cum illius hospitale ac omnibus et singulis suis annexis et connexis per eosdem fratres minores, et non abbatissam et sorores, ac virgines perpetuis futuris temporibus habitari, regi et gubernari, literis nostris praefatis in reliquis omnibus firmis remanentibus; et ita per quoscumque iudices et commissarios etc. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Hydruntino et episcopo Neritonen. sive eorum vicariis in spiritualibus generalibus ac dilecto filio curiae causarum camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus etc. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Romae sub annulo piscatoris die VI. Decembris MDXCVI. pontificatus nostri anno IV. Cum autem dilecti filii guardianus et fratres dicti monasterii cupiant praedictas literas pro illarum subsistentia firmiori per nos etiam perpetuo confirmari et approbari nos humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem guardianum et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas literas ac in illis contenta quaecumque auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Decernentes eas perpetuo validas, firmes etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die II. Aprilis pontificatus nostri anno VII.

LXXV.

Approbat erectionem conventus Ceneten. Ex reg. secr. brev. in mense Iulio pag. 86.

Venerabili fratri episcopo Ceneten. seu dilecto filio in spiritualibus vicario generali salutem et apostolicam benedictionem.

EXigit pietas ac singularis devotionis affectus, quo dilecti filii communitas et homines civitatis Cenetensis b. Franciscum confessorem eiusque religionem prosequuntur, ut eorum pijs votis praedictae religionis incrementum respicientibus, quantum cum Domino possumus, libenter annuamus. Cum itaque sicut pro parte eorum de communitatis et hominum consensu nobis nuper expositum fuit, ipsis dudum pro spirituali civium et incolarum dictae civitatis profectu, consolatione et commodo, ac animarum salute divinique cultus augmento cupientibus, ut in ipsa civitate in qua nullius ordinis religiosi nec alii, praeterquam cathedralis ecclesiae presbyteri existunt, una domus fratrum reformatorum ordinis s. Francisci de observantia erigeretur, dilecti etiam filii confratres confraternitatis s. Mariae de Misco nuncupatae eiusdem civitatis, ipsis fratribus pro domus huiusmodi erectione eorum ecclesiam eiusdem s. Mariae de Misco cum eorum campo concedere sub die xix. Martii praesentis anni mdxcviii. deliberaverunt, ipsique communitas et homines propterea nobis humiliter supplicari fecerunt, ut huiusmodi domum apud praedictam ecclesiam s. Mariae de Misco erigere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ad ea quae ad divini cultus augmentum, religionis propagationem ac animarum salutem pertinent intendentes, animadvertentesque ex huiusmodi domus erectione civium et incolarum dictae civitatis aedificationi ac animarum saluti tum ex confessionibus, tum ex divinorum officiorum frequentia plurimum consulere posse, ac propterea dictorum communitatis et hominum pio desiderio, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eosque et quemlibet eorum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae frater episcope seu discretioni tuae fili vicarie, per praesentes committimus et mandamus, ut iuxta praedictam confratrum confraternitatis b. Mariae de Misco deliberationem apud praedictam ecclesiam unam domum fratrum reformatorum ordinis minorum s. Francisci de observantia cum claustro, dormitorio aliisque officinis necessariis auctoritate apostolica erigere, atque domum et quae in titulum beneficii ecclesiastici, ut asseritur, nondum erecta extitit, de consensu eorundem confratrum, ecclesiam praedictam fratribus eiusdem ordinis istuc eadem de causa cum suorum superiorum licentia introducendis, una cum eorum campo, iuribus et pertinentiis universis pro eorum perpetuis usu, et habitatione ita tamen, ut decem ad minus fratres dicti ordinis ibi pro divinis officiis peragendis continuo residere debeant, concedere et assignare auctoritate nostra omnino cures et facias Ac eidem domui postquam erecta fuerit eiusque futuris guardiano seu ministro et fratribus, ut omnibus et singulis gratiis, indultis, concessionibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis et privilegiis quibus aliae eiusdem ordinis domus et fratres utuntur fruuntur et gaudent, ac uti frui et gaudere possunt et poterunt, in futurum uti frui et gaudere sine aliqua prorsus differentia possint et va-

leant, eadem auctoritate nostra concedas. Nos enim ex nunc irritum et inane decernimus, quidquid secus etc. Non obstantibus etc.

Datum Ferrariae die III. Iulii pontificatus nostri anno VII.

LXXVI.

Ut excitet domum in burgo Vallisluganae. Ex reg. secr. brev. in mense Novembri pag. 154.

Venerabili fratri episcopo Feretran. seu dilecto filio eius in spiritualibus vicario generali salutem et apostolicam benedictionem.

EXigit pietas ac singularis devotionis affectus, quo dilecti filii Sigismundus baro de Welispergg ac syndicus, universitas et homines burgi Vallisluganae tuae fraternitatis dioecesis b. Franciscum confessorem eiusque religionem prosequuntur, ut eorum piis votis in his praesertim quae ad praedictae religionis et divini cultus augmentum pertinent, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuamus. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt Sigismundus baro et syndicus, universitas et homines praefati, quod cum populus dicti loci valde numerosus existat et in eodem loco pro administrandis sacramentis tres et quandoque quatuor tantum sacerdotes existant, homines et populus praedicti sacramentorum ac aliorum spiritualium bonorum frequentia, ut cuperent, frui non possunt; quare ut in posterum eorum spirituali consolationi et divini cultus augmento, religionique seraphici p. b. Francisci amplius consulatur, cupiunt in dicto loco unam domum fratrum reformatorum ordinis eiusdem s. Francisci de observantia erigere et instituere. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut nostram in praemissis auctoritatem interponere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur pium eorumdem Sigismundi baronis ac syndici, universitatisque et hominum praedictorum desiderium summopere commendantes, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae frater episcope seu discretioni tuae fili vicarie per praesentes committimus et mandamus, ut in praedicto burgo Vallisluganae in loco ad hoc apto et accommodo a praedictis exponentibus assignando, et ad usum domus pro fratribus dicti ordinis eorumdem exponentium sumptibus decenter aedificando, unam domum fratrum reformatorum dicti ordinis minorum s. Francisci de observantia cum claustro, dormitoriis aliisque officiis et officinis necessariis, necnon apud ipsam domum ecclesiam cum campanili et campanis ac sacristia, in qua fratres dicti ordinis in eadem domo de suorum superiorum licentia introducendi, missas et alia divina officia celebrare possint, auctoritate nostra apostolica perpetuo erigere, ac ecclesiam et domum praefatas cum eorum iuribus et pertinentiis universis fratribus praedicti ordinis pro eorum perpetuis usu et habitatione ita tamen, ut duodecim ad minus fratres dicti ordinis, ibi pro divinis officiis peragendis continuo residere debeant, concedere et assignare eadem auctoritate cures. Ac eidem domui postquam erecta fuerit, eiusque futuris guardiano seu ministro et fratribus, ut omnibus et singulis gratiis, indultis, concessionibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis et privilegiis, quibus aliae eiusdem ordinis domus et fratres utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere sine aliqua prorsus differentia

possint et valeant, eadem auctoritate nostra concedas, irritum ex nunc et inane decernimus. etc. Non obstantibus etc.

Datum Ferrariae sub annulo piscatoris die xxiii. Novembris pontificatus nostri anno vii.

LXXVII.

Praeficitur episcopus Aliphen. Ex actibus consistorialibus in mense Augusto pag. 207.

Ferrariae in castello die veneris 7. Augusti fuit consistorium, in quo

Sanctissimus d. n. referente cardinali s. Georgii providit ecclesiae Aliphen. vacan. per obitum bon. mem. Henrici episcopi de persona fr. Modesti Gavazzi Ferrarien. ordinis minorum conventualium s. Francisci, curamque etc. comitten. Absolvens etc. cum clausulis etc.

LXXVIII.

Mittit Vincentium de Sumino visitatorem in provinciam Marchiae. Ex reg. secr. br. in mense Ianuario pag. 69.

Dilecto filio Vincentio de Sumino fratri ordinis s. Francisci reformatorum nuncupat. in provincia Marchiae visitatori et commissario apostolico salutem et apostolicam benedictionem.

Cupientes ut in domibus et conventibus fratrum reformatorum nuncupat. in provincia Marchiae ordinis fratrum minorum de observantia s. Francisci existentibus, debita observantia iuxta puritatem regulae ipsius s. Francisci et constitutiones nostras ac decreta nostrae reformationis introducatur, ac de tua prudentia, fide, integritate ac religionis zelo plurimum in Domino confisi, te in dicta provincia visitatorem et commissarium apostolicum auct. apost. ten. praes. facimus et deputamus, tibique ut ad dictam provinciam te conferas, ac omnes et singulos conventus et domos reformatorum huiusmodi visitare, ac in eis debitam huiusmodi observantiam iuxta instructionem per dilectos filios praelatos visitationis nostrae apostolicae factam, ac tibi eorum manibus subscriptam et eorum sigillis munitam tradendam, quam nos tamquam de mandato et ordine nostro factam eius tenorem ac si ad verbum insereretur praesentibus pro expresso et ad verbum inserto habentes, auctoritate et tenore praedictis confirmamus et approbamus, introducere auctoritate nostra cures; dantes tibi et concedentes plenam liberam et amplam auctoritatem et facultatem domos et conventus huiusmodi visitandi, et reformationem huiusmodi in eis et quorumlibet ipsorum introducendi; et ut commodius hoc facere valeas, quamcumque domum seu conventum fratrum de familia nuncupat. eiusdem ordinis de observantia, quae seu qui tibi ad reformationem huiusmodi introducendam commodior videbitur pro fratribus reformatis, etiam absque ulla solemnitate seu forma ad hoc iuxta regularia ipsius ordinis instituta et apostolicas constitutiones, necnon privilegia per apostolicam sedem eidem ordini concessa requisita, dimissis inde fratribus de familia existentibus, et ad alias domos

Digitized by Google

etiam de familia translatis recipiendi; necnon etiam domos seu conventus in quibus ipsi fratres reformati degunt, ipsis fratribus de familia relinquendi, dummodo tamen tam circa receptionem quam dimissionem domorum et conventuum huiusmodi aliquorum patrum reformatorum ipsius provinciae maturitate, consilio et reformationis zelo praestantium consensus accedat. Capitulum pariter custodiale fratrum reformatorum convocandi ac in eo praesidendi, ac ea quae ad huiusmodi reformationem stabiliendam spectare videbuntur, in eodem capitulo statuendi et ordinandi, quoscumque fratres tam ex reformatis quam ex familia accersiri faciendi, eosque quocumque opus fuerit mittendi, ac postea ad ipsorum conventus remittendi: quoscumque contradictores etc. eosque censuris huiusmodi alligatos declarandi, ac eosdem, si veniam petierint, a censuris et poenis eisdem in toto vel in parte, ac iniuncta illis poenitentia salutari, prout tibi videbitur, absolvendi; caeteraque in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria vel opportuna faciendi, gerendi et exequendi; mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae, ac aliis arbitrii nostri poenis ministro provinciali ac guardianis, prioribus et fratribus tam de familia quam reformatis praedictae provinciae, quatenus tibi tamquam commissario nostro apostolico in praemissis omnibus et singulis prompte assistant, pareant et obediant, alioquin sententias sive poenas quas in eos rite tuleris, ratas habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis et si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica et ad verbum expressa mentio habenda, aut aliqua alia requisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores ac si ad verbum insererentur praesentibus pro expressis habentes, ad effectum praesentium dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die XII. Ianuarii pontificatus nostri anno VII.

LXXIX.

Concedit facultatem recitandi officium ss. nominis Iesu. Ex reg. secr. brev. in mense Aprili pag. 199.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacratissimi nominis Iesu, in quo omne genuflectitur coelestium, terrestrium et infernorum, devotioni augendae devoto animi affectu, ut par est, intendentes, his quae a praedecessoribus nostris romanis pontificibus pro eiusdem ss. nominis officii concessa sunt, libenter apostolici muniminis firmitatem adiicimus, cum praesertim piorum principum vota id exposcunt, et alias in Domino conspicimus expedire. Alias siquidem a fel. rec. Clemente papa VIII. ad perpetuam rei memoriam, subsequentes: salvatoris Domini N. Iesu Christi, Dei Patris unigeniti, qui de summitate coelorum ad infima mundi pro generis humani redemptione descendens, et humanam carnem assumere non abhorruit, vices, licet immeriti, geramus in terris, sacratissimum nomen eius, in quo omne genu coelestium, terrestrium et infernorum flectitur, et preces nostras effundi ac nos salvos fieri oportet, et per quod saeculum est conversum, ac apostoli aliique sancti miraculis claruerunt, celebriter venerari cupientes, sacrae religioni deditos, qui singulis mundi vanitatibus spretis, ad ipsi Christo deserviendum se dicarunt, et alios christifideles ad id, quibusdam allectivis muneribus, in-

Digitized by Google

dulgentiis et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divinae gratiae aptiores. Sane siquidem exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Bonaventurae Duliensis ordinis fratrum minorum professoris petitio continebat, quod licet fel. rec. Sixti papae IV. praedecessoris nostri, officium de ipso ss. nomine Iesu per quemdam Bernardinum de Bustis fratrem dicti ordinis, dum in humeralis ageret, compositum, apostolica auctoritate approbaverit et confirmaverit; tamen illud aut aliquod festum de ipso benedicto nomine in ecclesia militanti non celebratur. Quare pro parte ipsius Bonaventurae, de generalis sui ordinis licentia nobis fuit humiliter supplicatum, quod ipsum officium in toto ordine fratrum minorum et sororum s. Clarae celebrari possit et debeat de caetero, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius ss. nominis Iesu venerationem, prout par est, augere, sinceris desideriis affectantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod de caetero in toto ordine fratrum minorum et sororum sanctae Clarae, singulis annis die decimo quarto mensis Ianuarii, festum et officium praedictum, duplex maius et solemne, de ipso ss. nomine Iesu celebrari debeat, apostolica auctoritate tenore praesentium statuimus et ordinamus. Et ut christifideles eo libentius ad dicti officii celebrationem accedant, quo ex hoc maiora dona spiritualia adipisci posse cognoverint, de ipsius Domini N. Iesu Christi misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, tam officium ipsum celebrantibus quam qui illius recitationi et decantationi interfuerint, ac quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam, pro felici statu romani pontificis et s. romanae ecclesiae, et adversus mahumeticam et lutheranam perfidiam, ac universalem principum et aliorum fidelium pacem devote visitaverint; similes indulgentias et peccatorum remissiones, quae a praedictis christifidelibus in officio festi corporis Christi et per illius octavas, in ecclesiis in quibus celebratur, interessentibus concessae sunt, concedimus et elargimur. Non obstantibus etc. Datum Bononiae sub annulo piscatoris die XXV. Februarii anno. pontificatus nostri anno VII. Cum autem etiam nuper officium proprium de eodem ss. nomine Iesu, nostra in congregatione sanctorum et per dilectum filium nostrum Caesarem, tituli sanctorum Nerei et Achillei presbyterum cardinalem Baronium, exaratum et emendatum extiterit, nos venerationem ss. nominis quotidie magis augeri, ac piis charissimae in Christo filiae Mariae romanorum imperatricis electae id humiliter exposcentis, votis benigne annuere cupientes, praeinserias Clementis VII. literas, ac indulgentias et alia in eis contenta, necnon officium praedictum ss. nominis Iesu, ut praedicitur, emendatum, apostolica auctoritate praesentium tenore perpetuo confirmamus et approbamus, illique confirmationem apostolici roboris adiicimus, ac officium praedictum emendatum et confirmatum, die quo festum praedictum celebratur per fratres ordinis minorum et sorores omnes eidem ordini subiectas, libere et licite celebrare posse concedimus.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die II. Aprilis, pontificatus nostri anno VII.

LXXX.

Pro redimendo Francisco Serra ordinis min. conventualium. Ex reg. secr. brev. in bullar. divers. lib. 2. pag. 168.

Universis et singulis praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

EX omnibus christianae charitatis officiis quibus aeterna salus per gratiam Dei comparatur, illa redemptori nostro Iesu Christo maxime placere credimus, per quae infelices captivi a tetra impiorum servitute revocantur. Horum enim plerique tempestivae redemptionis expertes sive longa consuetudine sive acerbitate vitae quam diris ibi cruciatibus conterunt, viam veritatis paulatim derelinquentes in infidelitatis errores denique prolabuntur. At quia tantae multitudini qua continenter urgemur, nequaquam per nos ipsos succurrere valemus, singulari erga illos misericordia commoti, pia pro ipsis christianorum auxilia cogimur implorare. Nuper siquidem accepimus dilectum filium Franciscum Serra ordinis fratrum conventualium nuncupat. s. Francisci professorem, ex loco Sassari Turritan. dioecesis oriundum, in itinere a pyratis turcis captum, et Iuliam Caesaream, Algerium appellatam, in miserandam servitutem abductum fuisse, imposito illi redemptionis pretio ducentorum scutorum, quod dilectus filius Franciscus Ciranus dicti ordinis etiam professor et eiusdem Francisci captivi frater consobrinus illius salutem, ne in aliquod fidei discrimen veniat, anxie procurans, ob eius paupertatem congerere non potest, nisi piis fidelium largitionibus adiuvetur. Quare nos ad dicti Francisci captivi salutem paterna charitate propensi, omnes christifideles quo possumus affectu hortamur in Domino, et ab ipsis omni studio contendimus, ut memores divini eloquii: quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: eiusdem Francisci captivi calamitati et impendenti periculo commiserescentes, pias tuas in huiusmodi redemptionem eleemosynas pro cuiusque arbitrio et voluntate, eidem Francisco Cirano viro triginta tres circiter annos nato, parum statura, oculis nigris et barba castanea, praesentes quas exemplari aut imprimi prohibemus, personaliter ostendenti conferant. Hortamur quoque in Domino omnes patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates caeteresque praelatos, ac parochialium ecclesiarum rectores eorumque vicarios, necnon verbi Dei praedicatores, ut in suis quisque ecclesiis, missis et concionibus, quo poterunt favore et auxilio eumdem Franciscum captivum populo commendent. Quod cum fecerint, statutum habeant se ab ipso redemptore nostro retributionis premium feliciter adepturos, sed ne pietatis specie quaestus impius consequatur. Volumus praesentes literas ad triennium tantum ab earum data computandum valere, nec intendimus quamquam excurso dicti triennii spatio ad eleemosynam obtento earumdem praesentium minari.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae [illegible] kalendas Aprilis pontificatus nostri anno VIII.

Digitized by Google

LXXXI.

Confirmat privilegia concessa provinciae s. Gabrielis. Ex reg. secr. brev. in mense Martio pag. 65.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quaecumque ad sacrarum religionum in ecclesia Dei institutarum conservationem et propagationem pertinent, ea pro nostri pastoralis muneris debito, cum a nobis petitur libenter concedimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque sicut accepimus, in regnis Hispaniarum provinciae s. Gabrielis ordinis fratrum minorum discalceatorum nuncupat. s. Francisci de observantia, dudum canonice erecta et laudabiliter instituta fuerit, cuius religiosi doctrina, verbi Dei praedicationibus, sanctitatis vitae exemplo christifidelibus ad salutem prodesse studeant, nos eamdem provinciam eiusque religiosos in eorum piis ac laudabilibus institutis confovere eorumque propagationi consulere, ac alias illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon singulares provinciae praedictae religiosos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus dilectorum filiorum provincialis, guardianorum et fratrum eiusdem provinciae nominibus, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, provinciam s. Gabrielis praedictam in eisdem Hispaniarum regnis iam pridem erectam et institutam eorumdem fratrum discalceatorum, cum omnibus et singulis eorum domibus seu monasteriis, et locis quae nunc obtinent et in posterum obtinebunt, praesentibus et futuris auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus; illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus. Praecipientes in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrio infrascriptorum iudicum infligendis censuris et poenis, dilectis filiis generali et aliis ministris, commissariis, provincialibus, definitoribus, vicariis, custodibus et guardianis, ex nunc et singulis aliis quacumque dignitate, auctoritate et potestate fungentibus, ne provinciam, monasteria seu domos, aut loca praedicta nullatenus directe vel indirecte, seu quovis quaesito colore vel ingenio dismembrare aut separare, seu dismembrari aut separari, vel alias quomodolibet inquietare vel molestare audeant, seu ab aliis inquietari vel molestari permittant, nec eorumdem fratrum discalceatorum vivendi modum aut rigorem dictae eorum observantiae habitus vilitatem contemnere, immutare seu retractare, aut in eis aliquid innovare seu attentare praesumant. Quinimo generalis minister, commissarii et alii praedicti fratribus dictae provinciae s. Gabrielis, ac eorum domibus, monasteriis atque locis quibus poterunt modis, auxilium, consilium et favorem praestent. Praeterea nos fratribus dictae provinciae quaecumque loca in regnis Hispaniarum ipsis pro tempore concedenda, nulla praelatorum ordinis licentia requisita, servata tamen forma concilii Tridentini seu interveniente sedis apostolicae auctoritate, necnon fratres praedictos de observantia ad eos transeuntes, nullo similiter suorum superiorum praehabito consensu, auctoritate et tenore praedictis licentiam et facultatem impartimur. Insuper cum dicti fratres discalceati perpetuum aliquod onus missarum per ipsos celebrandarum ex instituto suscipere prohibeantur, ac ex officio et debito charitatis pro suis benefactoribus vivis atque defunctis missae sacrificia celebrare et alia divina officia peragere debeant, seu saepius in illis celebrandis et peragendis plurimum occupentur, statuimus, ut nullus

superiorum praedicti ordinis fratrum minorum de observantia ipsis fratribus discalceatis aliquod onus missarum perpetuum, vel pro temporale iniungere, seu eos ad aliquas missas pro aliis particularibus personis celebrandas cogere vel abstringere possint. Stricte etiam inhibemus, ne pro capitulo celebrando quavisve alia de causa praedicti fratres provinciae s. Gabrielis visitari possint ab alio quam a ministro seu commissario generali, vel ab aliquo qui provinciae et discalceatorum existat, vel inter eos religiosus qui in Hispania recollecti communiter nuncupantur, sit de familia, praelaturaeque officium apud ipsos exerceat seu exercuerit. Volumus autem nihilominus, ut salvis supradictis, in reliquis dicti fratres discalceati provinciae s. Gabrielis subiecti remaneant iurisdictioni, visitationi et correctioni ministri generalis, sive commissarii per seipsos tantum vel per alios praedicti ordinis discalceatorum, seu fratrum recollectorum religiosos, eos corrigere ac in ipsos exercere valeant. Quocirca venerabilibus fratribus Placentinae provinciae Compostellanae et Paconis episcopis, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus etc. Contradictores quoscumque etc. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xxii. Martii pontificatus nostri anno vii.

LXXXII.

Largitur indulgentias confraternitati tertii ordinis s. Francisci. Ex reg. secr. brev. in lib. de indulg. pag. 50.

Ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris et D. N. Iesu Christi qui de sinu Patris ad infima mundi descendens et formam servi accipiens, in ara crucis pro humani generis redemptione pretiosissimum sanguinem suum effundere voluit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, eius tanto pretio redemptorum fidelium curae nostrae commissarum salutem anxie procuramus, quam, ut facilius consequi valeant, illos ad pietatis et charitatis opera quae ad illa gradus sunt, frequentanda, coelestium gratiarum donis allicere studemus. Cum itaque in Burgundiae, Galliae ac aliis ultramontanis partibus, ob singularem illorum christifidelium erga b. Franciscum devotionis affectum, aliquas confraternitates tertii ordinis eiusdem b. Francisci propediem benedicente Domino per dilectum filium Trebatium della Penna fratrem ordinis minorum conventualium s. Francisci, cui nos id nominatim commisimus, erigi speremus, nos ut christifideles ad confraternitates erigendas huiusmodi ingrediendas et pia in illis opera exercenda eo magis invitentur, quo ex hoc coelestis gratiae donis uberius se refectos esse conspexerint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus huiusmodi confraternitates per praedictum Trebatium ubivis locorum ultra montes erigendas ingredientur, die eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam, necnon in cuiuslibet eorum mortis articulo si pariter vere poenitentes, et confessi sacraque communione refecti, vel si hoc facere nequiverint, saltem vere contriti nomen Iesu ore vel corde pie invocaverint etiam plenariam, necnon eorum cuilibet qui in festivi-

Digitized by Google

tatibus s. Francisci, ac Portiunculae et Stigmatum, ecclesiam in qua institutae fuerint eorum confraternitates, aut alias ordinis s. Francisci devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione sanctaeque matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam pariter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem confratribus et consororibus quoties missis, et aliis divinis officiis aut congregationibus publicis et privatis in eorum oratoriis pro negotiis confraternitatis celebrandis interfuerint, ss. eucharistiae sacramentum ad infirmos, aut processionaliter deferendum pie associaverint, infirmos aut carceratos visitaverint, iisque et aliis indigenis adiuverint, pauperibus eleemosynam erogaverint, defunctorum corpora ad ecclesiasticam sepulturam comitati fuerint, aut pium aliquod aliud opus peregerint, quacumque vice aliquod praemissorum egerint, centum dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, ut earum exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum die VII. Martii pontificatus nostri anno VII.

Digitized by Google

LXXXIII.

Eligit Bonaventuram Secusium patriarcham Constantinopolitanum. Ex actibus consistorialibus pag. 224.

Romae apud s. Petrum die mercurii 10. *Martii fuit consistorium, in quo*

SAnctitate sua proponente providit ecclesiae patriarchali Constantinopolitan. vacan. per cessionem reverendiss. d. cardinalis Bevilaquae, de persona fr. Bonaventurae Calatahieronen. ministri generalis ordinis minorum de observantia, cum retentione officii generalatus huiusmodi usque ad celebrationem proximi futuri capituli generalis dicti ordinis, absolvens etc. cum clausulis opportunis etc.

LXXXIV.

Pallium eidem donat. Ex eisdem actibus pag. 228.

Romae apud s. Petrum die lunae 22. *Martii fuit consistorium, in quo*

SAnctissimus d. n. concessit pallium sumptum de corpore b. Petri fratri Bonaventurae ordinis s. Francisci de observantia patriarchae Constantinopolitan. ipso petente cum caeremoniis, facultatibus et clausulis opportunis etc.

LXXXV.

Eidem confert in basilica s. Petri de Vaticano canonicatum. Ex reg. secr. brev. in bullar. divers. lib. 1. pag. 119.

Venerabili fratri Bonaventurae patriarchae Constantinopolitan. salutem et apostolicam benedictionem.

PErsonam tuam nobis et apostolicae sedi devotam, tuis exigentibus meritis paterna benevolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus quae tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Dudum siquidem omnes canonicatus et praebendas basilicae principis apostolorum de Urbe tunc vacantes et in antea vacaturos collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Cum itaque postmodum canonicatus et praebenda dictae basilicae quos quondam Blasius Cangius dictae basilicae dum viveret, obtinebat per obitum dicti Blasii, qui nuper in romana curia diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad praesens, nullusque de illis praeter nos hac vice disponere potuerit sive possit reservatione et decreto obsistentibus supradictis. Nos tibi ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, ac praemissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a qui-

Digitized by Google

busvis excommunicationis etc. censentes, motu proprio non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate canonicatum et praebendam praedictos, quorum et illis forsan annexorum fructus, reditus et proventus centum ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, sive praemisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona seu per liberam resignationem dicti Blasii, vel cuiusvis alterius de illis in dicta curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranen. statuta concilii ad sedem praedictam legitime devoluta, ipsique canonicatus et praebenda dispositioni apostolicae specialiter vel alias generaliter reservata exsint, et super eis inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa cum annexis huiusmodi ac plenitudine iuris canonici, necnon omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi per te quoad vixeris etiam una cum ecclesia Constantinopolitan. quae in partibus infidelium existit, cuique praesse dignoscaris tenendos, regendos et gubernandos, ita quod liceat tibi debitis et consuetis dictorum canonicatus et praebendae suppertatis oneribus de residuis illorum fructibus, reditibus et proventibus disponere et ordinare, sicut illos pro tempore in titulum obtinentes de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dictorum canonicatus et praebendae tibi penitus interdicta, apostolica auctoritate commendamus. Decernentes prout est irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attentari. Quocirca venerab. fratri nostro episcopo Melphien. et dilectis filiis Marcello Vestrio, ac Fabritio Verallo eiusdem basilicae canonicis per apostolica scripta nostra simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, te vel procuratorem tuum nomine tuo in corporalem possessionem canonicatus et praebendae, ac annexorum iuriumque et pertinentiarum praedictorum inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, amoto exinde quolibet detentore facientes te vel pro te procuratorem praedictum ad praebendam huiusmodi in dicta basilica in canonicum recipi et in fratrem, stallo tibi in choro et loco in capitulo ipsius basilicae cum dicti iuris plenitudine assignatis, tibique de canonicatus et praebendae ac annexorum eorumdem fructibus, reditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores auctoritate nostra praedicta appellatione postposita compescendo. Non obstantibus etc. Quibus omnibus illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus: quod tu civis romanus originarius aut filius civis romani originarii non existis, ordinemque fratrum minorum de observantia nuncupatorum professus sis, contrariis quibuscumque. Quibus omnibus etc. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae idibus Martii pontificatus nostri anno VIII.

Digitized by Google

LXXXVI.

Confirmat ad biennium munus ministri generalis ordinis. Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. 159.

Venerabili fratri Bonaventurae patriarchae Constantinopolitan.

salutem et apostolicam benedictionem.

CUm pro nonnullis urgentibus negotiis opera fraternitatis tuae quae ex concessione et dispensatione nostra apostolica officium ministri generalis ordinis fratrum minorum s Francisci de observantia ad certum nondum elapsum tempus retines, adhuc uti decreverimus, propterea capitulum generale dicti ordinis pro novi ministri generalis electione celebrari non possit, nos, ne propterea officium ministri generalis huiusmodi vacare censeatur, et ordo praedictus aliqua sustineat detrimenta, providere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, te in eodem officio ministri generalis ad biennium a data praesentium computandum, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, tecumque ut dicto biennio durante officium praedictum ministri generalis una cum ecclesia Constantinopolitana retinere libere et licite possis et valeas, dispensamus. Mandantes propterea dilectis filiis ministris provincialibus, et fratribus universis ac definitoribus, guardianis et fratribus universis dicti ordinis, ut tibi tamquam eorum ministro generali prompte pareant et obediant, ac tua salubria monita et mandata suscipiant reverenter et efficaciter adimplere procurent. Non obstantibus etc.

Datum Tusculi die xxiii. Octobris pontificatus nostri anno viii.

LXXXVII.

Hortatur pontifex ut manus admoveant fratres conventuales in capitulo generali congregati ad ordinem reformandum. Ex reg. secr. brev. in mense Maio pag. 156.

Dilectis filiis provincialibus et universis fratribus vocalibus in capitulo generali ordinis min. conventualium Assisii celebrando legitime congregatis salutem et apostolicam benedictionem.

INter graves apostolici muneris curas, illa animum nostrum afficit magnopere ac solicitat, quae in regularibus personis reformandis maxime versatur. Cum igitur valde in Domino cupiamus, ut religio vestra ad Dei gloriam et christifidelium salutem et totius catholicae ecclesiae utilitatem optata accipiat in observantia regulari incrementa, idcirco vos in generali capitulo quod Assisii celebrabitur hoc tempore legitime congregatos paterne in Domino hortamur et monemus, ut reformationem ordinis vestri iam divina favente gratia coeptam totis viribus promovere, ac nostra decreta super eadem reformatione edita recipere et recepta executioni demandare, eaque necnon caeteras vestri ordinis constitutiones sacri Tridentini concilii et praedictis nostris decretis non contrarias, de caetero diligenter custodiri et observari curetis. Et quoniam refor-

Digitized by Google

matinois huiusmodi negotium prosperumque totius religionis regimen a capite, hoc est praelato et ministro generali vestro maxime pendet, de eo eligendo qui maxime idoneus sit, quique ea facere possit, sciat et velit, quae huic muneri necessaria omnino sunt, matura consultatione adhibita, in primis deliberare debetis. Porro cum dilectus filius Philippus a Gesualdo moderanus vestri ordinis minister generalis, et in vestro capitulo praesidens apostolicus a nobis specialiter deputatus duobus triennijs proxime elapsis, officio ministri generalis magna cum laude functus fuerit, et in restituenda regulari disciplina summum studium et diligentiam adhibuerit, vos similiter in Domino hortamur, ut dum in primis in vestro capitulo generali properatis, an sit in ministrum generalem eiusdem ordinis ad aliud triennium confirmandus nec ne, ac propterea eumdem Philippum ad hunc effectum ad vocem passivam ita ut in eodem capitulo in ministrum generalem vestri ordinis literis tamen eorum ad quos spectat votis accedentibus, iuxta vestri ordinis in reliquis ordinationes et statuta, iterum eligi possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium habilitamus, et cum ipso super hoc opportune dispensamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xviii. Maii pontificatus nostri anno vii.

LXXXVIII.

Erigit provinciam s. Didaci Mexici. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. 119.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quae ad religionum propagationem et decorem divinique cultus augmentum pertinere cognoscimus, ea libenter concedimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque sicut nobis pro parte dilectorum filiorum rectorum civitatis Mexicanae eiusdem civitatis nomine, necnon dilecti filii Petri de s. Antonio fratris ordinis minorum de observantia discalceatorum nuncupat. definitoris et procuratoris custodiae s. Didaci eiusdem ordinis regni Novae Hispaniae in Indiis Occidentalibus nobis expositum fuit, in dicta custodia septem conventus eiusdem ordinis iam erecti sint, et nunc dilectus filius Marchio del Valle alium conventum fundare coeperit, ac fratres in ipsis conventibus degentes integritate vitae, ac morum et regularis observantiae aliarumque virtutum exemplo, ac doctrina in illis partibus plurimum prodesse studeant, et si dicta custodia in provinciam erigeretur, proculdubio ad Dei gloriam et animarum salutem, conventuum et fratrum numero in dies magis ampliaretur. Nobisque propterea eorumdem rectorum ac Petri nomine humiliter supplicatum fuerit, ut dictam custodiam in provinciam erigere ac alias ut infra opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui religiosorum quorumcumque propagationem sincero desideramus affectu, erectionis dictae custodiae s. Didaci eiusque conventum, statum, modum et formam praesentibus pro expressis habentes, atque dilectos filios Gabrielem Baptistam modernum custodem, et definitores ac fratres universos et singulos eiusdem custodiae a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex sententia dilecti filii nostri Hieronymi tituli s. Pancratii presbyteri cardinalis Matthaei, dicti ordinis protectoris cui hoc negotium examinandum et nobis refe-

rendum commisimus: custodiam s. Didaci praedictam a provincia s. Gregorii Insularum Philippinarum a qua ipsa custodia dependet, seu cui subiecta est, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo separamus ac segregamus, ipsamque custodiam in provinciam s. Didaci nuncupatam perpetuo pariter erigimus et instituimus, illique sic erectae et institutae eiusque futuris pro tempore provinciali, definitoribus et fratribus, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, antelationibus, praerogativis, praeeminentiis, indultis et indulgentiis, quibus aliae provinciae eiusdem ordinis et praesertim provincia s. Iosephi discalceatorum, a qua haec sancti Didaci emanavit, eorumque provinciales, definitores et fratres de iure, usu, consuetudine et alias quomodolibet fruuntur, potiuntur et gaudent, ac frui, potiri et gaudere possint et poterunt in futurum pari modo, ac sine aliqua prorsus differentia uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant et debeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Decernentes etc. Praeterea hac prima vice praedictum Gabrielem Baptistam eiusdem olim custodiae s. Didaci custodem, seu si forsan ipse, antequam praesentes literae ad eum perveniant ab humanis decesserit aut alias inde abfuerit, dilectum etiam filium Michaelem de Conceptione nunc definitorem maiorem, in ministrum provincialem eiusdem provinciae s. Didaci creamus, constituimus et deputamus, mandantes propterea dilecto similiter filio commissario generali praedicti ordinis caeterisque ad quos spectat, ut postquam praesentes literae eo pervenerint, capitulum provinciale dictae provinciae per nos erectae celebrare seu celebrari faciant: ut in illo praedictum ministrum provincialem a nobis creatum, hac prima vice recipi et admitti, necnon definitores, et guardianos de more, iuxta regularia eiusdem ordinis instituta aliarumque provinciarum consuetudinem, eligi curent et faciant. Quocirca dilecto filio officiali ven. fratris nostri archiepiscopi Mexicani, per praesentes iniungimus, quatenus ipse etc.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die xvi. Septembris pontificatus nostri anno viii.

LXXXIX.

Franciscus Bruchius fit episcopus Litterensis. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 258.

Romae in monte quirinali die lunae 27. *Septembris fuit consistorium, in quo*

Referente reverendissimo card. Caesio providit ecclesiae Litteren. vacan. per obitum bon. mem. Ioannis Leonardi illius episcopi, de persona fr. Francisci Bruschi ordinis min. conventualium s. Francisci, absolvens etc. cum clausulis opportunis etc.

Digitized by Google

XC.

Deligitur archiepiscopus Antibarensis. Ex eisdem actibus pag. **221.**

Romae apud s. Petrum die mercurii **17.** *Februarii fuit consistorium, in quo*

Sanctissimus d. n. referente reverendissimo card. s. Severinae providit ecclesiae Antibaren. in provincia Albaniae in partibus infidelium turcarum vacan. iamdiu per obitum bon. mem. Ambrosii ultimi illius archiepiscopi, de persona fr. Thomae Ursini de Postereo ordinis min. de observantia s. Francisci, et attenta summa ecclesiae paupertate et dicti fr. Thomae professione, sanctissimus d. n. condonavit iura camerae et sac. collegii, absolvens etc. cum clausulis etc.

XCI.

Quaedam eidem commendat summus pontifex. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. **169.**

Venerabili fratri Thomae archiepiscopo Antibaren. Serviae primati salutem et apost. benedictionem.

Proximis hisce diebus animo libenti concessimus fraternitati tuae pallium de corpore beatissimi Petri principis apostolorum sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii cum archiepiscopalis nominis appellatione, illudque procuratori tuo de more tradi mandavimus, ut Dei gratia et nostra apostolica benedictione suffultus, tanto fructuosius in vinea Domini labores et ministerium tuum adimplere studeas, ad quod vocatus es. Magni episcoporum labores sunt, frater, magna solicitudine his praesertim luctuosis et difficillimis temporibus, in quae fines saeculorum devenerunt, sed magna quoque a summo patrefamilias proposita sunt praemia, et quae omnem sensum et cogitationem superant, servis fidelibus qui credita eis talenta sedulo negotiantur, et praecincti lumbos suos et lucernas ardentes in manibus gestantes, venturum Dominum vigilantes expectant. Nos autem de te valde confidimus frater, quod zelo charitatis incensus, ad animas Christo lucrandas verbo atque exemplo incumbes, ipso auxiliante a quo est omnis sufficientia nostra. Et quoniam Servianae provinciae es primas, te nominatim hortamur, ut episcopos illos Graecos, eiusdem Nascinae nationis qui non mediocrem spem nobis iniecerant, velle ad unitatem sanctae romanae ecclesiae catholicae redire, in hoc salutari proposito confirmes eisque efficaciter persuadeas, ut id re ipsa exequantur. Miserunt illi ad nos superioribus mensibus semel atque iterum, quod te non ignorare arbitramur, oratores suos, homines religiosos qui hanc unionem sanxerunt pollicili, quod item episcoporum illorum literae significabant; nos oratores benigne audivimus ac humaniter tractari iussimus, et literis paterno affectu respondimus, si vere illi et ex animo statuerent errores abiicere, schismata repudiare, catholicae fidei veritatem profiteri, et romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnoscere, nobisque, qui, licet indigni, Dei vices in terris gerimus, et beati Petri sedem et auctoritatem tenemus,

veram obedientiam praestare, nos vicissim paratos esse summa cum spirituali voluptate, intra gremium catholicae ecclesiae, extra quam non est salus, eos recipere eosque ut filios et fratres nostros et membra nostra, omni charitate amplecti et fovere. Tu igitur frater quem illorum episcoporum salutem sincere in Domino expetere non dubitamus, cum ad ecclesias illas deveneris, et in Serviandrum archiepiscoporum et episcoporum colloquium quovis modo veneris, et denique quacumque oblata occasione, omnique opportuno officii genere ne cessa, eos commovere facere et incendere, ut semina quae iacta sunt, crescant, ut, benedicente Domino, incrementum accipiant, et fructum optatae omnes ferant, et vere nobiscum in una fide, et in uno charitatis spiritu deiungantur. Cupimus autem a fraternitate tua de omnibus quae hac in re egeris, deprehenderis, audieris, certiores fieri; confidimus enim de tua prudentia et diligentia, quod nihil ad nos, nisi certum et exploratum praescribes. In re Deo valde accepta, muneri et personae tuae consentanea et nobis pergrata curam tuam pones, cuius etiam causa, ut in ea feliciter verseris, nostram tibi apostolicam benedictionem iterum impartimur.

Datum Romae apud s. Petrum die VII. Septembris pontificatus nostri anno VII.

XCII.

Praeficitur administrator ecclesiae Buduensis. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. 241.

Venerabili fratri Thomae archiepiscopo Antibarensi salutem et apostolicam benedictionem.

Cum alias fel. rec. Gregorius papa XIII. praedecessor noster bon. mem. Ambrosium archiepiscopum Antibaren. antecessorem tuum ecclesiarum Buduen. et Coronen. in spiritualibus et temporalibus, ac illorum bonorum administratorem ad eius beneplacitum constituisset et deputasset, nunque per obitum dicti Ambrosii archiepiscopi praedictae ecclesiae Buduen. et Coronen. administratore careant. Nos de tuae fraternitatis fide, prudentia et catholicae fidei zelo plurimum in Domino confisi, ac spectantes quod ut ecclesias praedictas Buduen. et Coronen. provide administrare curabis, te a quibusvis excommunicationis etc. censentes, te earumdem ecclesiarum Buduen. et Coronen. in spiritualibus et temporalibus, ac illorum bonorum administratorem ad nostrum et sedis apostolicae beneplacitum, auctoritate apostolica, tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus, tibi et omnes dictarum ecclesiarum Buduen. et Coronen. fructus, redditus, et proventus, ac iura et pertinentias summas Buduen. et Coronen. episcopis pro tempore existentibus per quoscumque quomodolibet debitas percipere, exigere et levare, et in ecclesiarum praedictarum, tuosque usus et utilitatem convertere, ac solventes de solutis quietare et liberare, caeteraque in praemissis necessaria et opportuna facere et exequi libere et licite valeas, quae ipsarum ecclesiarum episcopi pro tempore existentes facere possunt, et perinde ac si tu ecclesiarum earumdem episcopus a sede apostolica deputatus existeres, auctoritate et tenore praesentis licentiam et facultatem concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XXVII. Septembris pontificatus nostri anno VII.

Digitized by Google

XCIII.

Iubet ne aliquid innovetur circa sacra stigmata s. Catharinae Senensis. Bremond in bullar. fratrum. praedicat. tom. v. pag. 560.

Universis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis et aliis locorum ordinariis per universum orbem constitutis salutem et apostolicam benedictionem.

CUm sicut accepimus, nonnulli fratres ordinis s. Francisci praetendant imaginem sanctae Catharinae de Senis non esse depingendam cum stigmatibus, sed solius sancti Francisci imaginem ita depingi debere, ac super hoc saepe cum fratribus ordinis praedicatorum altercentur et contendant; nos huiusmodi altercationes et contentiones praecidere cupientes, negotium istud venerabilibus fratribus nostris s. r. e. cardinalibus super sacris ritibus et caeremoniis deputatis examinandum, cognoscendum et decidendum ac terminandum commisimus, cum decreto tamen quod interim nihil innovaretur. Ne autem dum in dicta congregatione praedictum negotium deciditur, in aliqua orbis terrarum parte circa hoc aliquid innovari contingat: vobis et cuilibet vestrum per praesentes committimus, et mandamus, ut auctoritate nostra curetis et praecipiatis sub censuris et poenis ecclesiasticis arbitrio vestro infligendis, ne in civitatibus, et dioecesibus vestris quisquam fratrum praedictorum s. Francisci, aut alii quicumque, donec in dicta congregatione cardinalium huiusmodi negotium stigmatum s. Catharinae definitum et declaratum fuerit, circa illud aliquid innovare, aut ulterius altercari vel contendere praesumant. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praesertim fel. rec. Sixti papae iv. praedecessoris nostri, caeterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Caeterum quia difficile foret, praesentes etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xxvii. Novembris pontificatus nostri anno viii.

XCIV.

Quaedam adsignat fratribus de observantia praesidentibus poenitentiariam s. Ioannis de Laterano Urbis. Ex reg. secr. brev. in mense Novembri pag. 92.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm alias postquam fel. rec. Sixtus papa v. praedecessor noster unum et unam ex canonicatibus et praebendis ecclesiae s. Ioannis Lateranen. de Urbe tunc primo vacaturos sub certis modo et forma tunc expressis perpetuo suppresserat et extinxerat, illorumque fructus, reditus, et proventus, iura, obventiones et distributiones quotidianas, etiam solis praesentibus dari ac per eos lucrifieri, et praecipue solitas, necnon alia emolumenta quaecumque collegio minorum poenitentiariorum eiusdem ecclesiae applicaverat et appropriaverat, prout in literis dicti praedecessoris desuper confectis plenius continetur. Cum suppressio et extinctio, necnon applicatio et approbatio huiusmodi canonicatus et praebendae ipsius ecclesiae, quos quondam Vincentius Cecius ipsius

ecclesiae canonicus, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Vincentii tunc vacaverit, effectum sortitae fuissent, nos post ipsius ecclesiae visitationem a nobis una cum nonnullis aliis ad id deputatis factam, ex certis tunc expressis causis, motu proprio et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, suppressionem, extinctionem, applicationem et appropriationem, ac literas supradictas cum omnibus et singulis in eis contentis, clausulis et decretis etiam irritantibus, apostolica auctoritate perpetuo revocavimus, cassavimus, annullavimus, irritavimus, ac praedictos canonicatum et praebendam in pristinum, et eum in quo antea quomodolibet erant, statum in omnibus, et per omnia perpetuo restituimus, reposuimus et plenarie reintegravimus. Insuper vicariam perpetuam eiusdem ecclesiae, quam dilectus filius Iacobus de Brancariis presbyter romanus tunc obtinebat, eiusdem Iacobi ad id accedente consensu, eisdem canonicatui et praebendae etiam perpetuo univimus, annexuimus et incorporavimus, necnon praedictos canonicatum et praebendam pro uno presbytero saeculari magistro in theologia, aut graduato, seu iuris utriusque vel decretorum doctore, qui in eadem ecclesia quae etiam parochialis existit, futurus canonicus poenitentiarius et curam animarum exerceat, confessiones audiat, ac etiam et singula omnia, ad quae pro tempore existens ipsi ecclesiae vicarius perpetuus quomodolibet tenebatur, supportare et adimplere debeat et teneatur, perpetuo affecimus et destinavimus. Praeterea eidem Iacobo canonicatum et praebendam praedictos cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ac habitationibus et aliis, quae praedictus Vincentius ratione eorumdem canonicatus et praebendae possidebat, contulimus, et de illis etiam providimus; voluimusque et perpetuo mandavimus, quod dictus Iacobus, et sui in dicto canonicatu et praebenda successores in perpetuum ex omnibus et singulis eorumdem canonicatus et praebendae fructibus, reditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis, necnon distributionibus quotidianis universis in quibuscumque rebus consistentibus, singulis annis summam trecentorum scutorum monetae collegio dictorum poenitentiariorum tunc et pro tempore existentium, suis debitis temporibus, prout eorumdem fructuum, reddituum, et proventuum, iurium, obventionum, et emolumentorum ac distributionum quotidianarum huiusmodi exactio occurret, et eveniret pro eorumdem poenitentiariorum victu, necnon singulo triennio alia quinquaginta scuta similia pro eorum vestitu persolvere omnino deberent, et successive perpetuo simplici beneficio ecclesiastico, beneficio nuncupato, in dicta ecclesia, tunc per liberam resignationem quondam Caroli Antonutii olim in eadem ecclesia perpetui beneficiati, de illo quod tunc in humanis agens obtinebat, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam vacante; nos illud sic vacans, et antea dispositioni apostolicae reservatum dilecto filio Andreae Dragonio dicta auctoritate contulimus, et de illo etiam providimus, ac praedicto Carolo ex causa resignationis huiusmodi pensionem annuam sexaginta scutorum dictae monetae eadem auctoritate reservavimus, prout in diversis nostris literis desuper confectis plenius continetur. Cum autem dictus Carolus nuper, sicut accepimus, apud sedem apostolicam diem clausit extremum, et in reservatione pensionis praedictae intentionis nostrae fuerit, ut iuxta deliberationem in congregatione deputatorum praedictorum desuper habita factam, pensio ipsa, dicto Carolo decedente, poenitentiariorum huiusmodi ad effectum dictum canonicum poenitentiarium pro tempore existentem a solutione dictorum trecentorum scutorum pro quantitate eiusdem pensionis dumtaxat exonerandi, cedere deberet; nos intentioni et deliberationi huiusmodi inhaerentes, ac ipsius canonici poenitenc

Digitized by Google

tiarii pro tempore existentis indemnitati ad hoc, ut onera ratione vicariae ac canonicatus et praebendae praedictorum incumbentia commodius perferre valeat, providere volentes, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus eidem collegio pensionem annuam perpetuis futuris temporibus duraturam sexaginta scutorum similium super ipsius beneficii fructibus, reditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, et distributionibus quotidianis ac aliis emolumentis universis insimul ad valorem annuum cxxx. ducatorum auri de camera vel circiter ascendentium, in quibuscunque rebus consistentibus eidem collegio per dilectum filium Hersilium de Angelis clericum modernum dicti beneficii possessorem, ac eius successores idem honorum pro tempore quomodolibet obtinentium, annis singulis in terminis ac cum omnibus et singulis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, clausulis, et decretis, modoque et forma, necnon sub sententiis, censuris et poenis in priori reservatione expressis, ac alias solitis et consuetis integre persolvendam, et ex dictis trecentis scutis deducendam et defalcandam perpetuo reservamus, constituimus et assignamus; summam vero dcc. scutorum huiusmodi ad ccxl. scuta similia dumtaxat reducimus et moderamur. Decernentes Iacobum et pro tempore existentem canonicum poenitentiarium praedictum ad solutionem ducentorum quadraginta scutorum similium dumtaxat modo et forma quibus supra teneri et obligatum existere, necnon de caetero unquam, et non ob solutionem dictorum sexaginta scutorum aliquas sententias, censuras, et poenas minime incurrere, neque desuper a nunc et pro tempore existentibus dicti collegii poenitentiariorum personis desuper quoquomodo molestari posse neque debere, irritumque et inane etc. Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit de non tollendo iure quaesito, aut de praestando consensu in pensionibus regulae communis, ac quibusvis apostolicis constitutionibus etc. Quibus omnibus et singulis etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et ad verbum expressa mentio habenda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xiii. Novembris pontificatus nostri anno viii.

XCV.

Tribuit facultatem quaedam bona vendi. Ex reg. secr. brev. in mens. Decembri pag. 146.

Venerabili fratri archiepiscopo Trinen. salutem et apostolicam benedictionem.

Sanctimonialium quae relictis mundi illecebris coelestis sponsi obsequiis se dicarunt, ut sub debita clausura, et ea quae decet regulari observantia quiete vivant, statui et commodis libenter consulimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque sicut nobis nuper significasti, ex quatuor monialium monasteriis civitatis Trinen. s. Ioannis et s. Clarae monasteriorum moniales ordinem s. Francisci de observantia profitentur, s. Ioannis vero reditus mille et trecentos circiter ducatos monetae regni constituant, moniales numero quatuordecim nunc sint, quae in communi vivant, et horas canonicas recitant; monasterii autem s. Clarae reditus ducentos quinquaginta circiter ducatos similes tantum constituant, qui propterea ob nonnullas causas

magna cum difficultate erigi solent, moniales vero numero viginti duo sint, quae ob monasterii paupertatem in communi vivere non possunt, sed quaelibet earum sibi victum per manualia servitia saecularibus praestanda mendicare cogitur, sicque ibidem divina exercitia passim intermittuntur; novissime vero quia dictum monasterium s. Clarae ruinam minabatur, tu moniales praedictas ad supradictum s. Ioannis monasterium transferri curasti, et si istae moniales in eodem monasterio s. Ioannis remanerent, eorumque monasterii s. Clarae reditus ipsi monasterio s. Ioannis perpetuo similiter unirentur, ibi omnes utriusque monasterii moniales quae eiusdem sunt ordinis, commode in communi vivere ac divinis obsequiis vacare possent: et praeterea cum monasterium s. Pauli ordinis s. Bernardi Cistercien. cuius reditus ducatos similes ducentos quinquaginta non excedunt, ac moniales octo, et novitiae tres in illo existentes ob earum paupertatem in communi vivere non possunt, et regulam parum observant, situm sit in loco ab habitatoribus remoto, et arci civitatis valde vicino, ubi moniales ipsae a militibus, et a carceratis aliisque personis saecularibus qui in locis eminentioribus dicti monasterii muris habitant, facile videri possint, cumque muri clausurae monasterii praedicti qui debiles sunt, ob ipsius monasterii paupertatem neque instaurari neque altiores fieri possint, necnon cum monasterium etiam s. Agnetis ordinis s. Benedicti, cuius reditus quadringentos ducatos similes vel circa constituunt, ac moniales numero viginti quatuor nunc sunt, prope mare situm sit, murosque clausurae demissos ob frequentes undarum maris percussiones valde debilitatos habeat, qui ob monasterii paupertatem reparari non possunt, ac moniales prospectui militum, qui muros civitatis custodiunt, ac etiam nautarum sint valde subiectae, fraternitati tuae utriusque monasterii monialium quae habitu similes sunt, et regula parum differunt, decori et commodo, ac de regularis earum observantiae augmento valde consultum iri existimat, si omnes insimul ad monasterium s. Clarae, quod instaurari coeptum est et in medio civitatis loco decenti et commodo situm est, transferantur, ibique unitis utriusque eorum monasterii reditibus in communi vivant, et sub eadem regula divinis obsequiis vacent. Nos qui monialium statui prospere dirigendo, ac divini cultus augmento libenter intendimus, fraternitati tuae pastoralem circa praemissa solicitudinem summopere commendantes, ac in his, ut par est, opportune providere cupientes, necnon singulorum monasteriorum praedictorum situationes, confines, qualitates ac annuos valores veriores praesentibus pro expressis habentes, ex voto venerab. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, fraternitati tuae, de cuius fide, prudentia et integritate plurimum in Domino confidimus, monasterii s. Clarae reditus et bona quaecumque praedicto monasterio s. Ioannis auctoritate nostra apostolica perpetuo uniendi, annectendi et incorporandi, et utriusque monasterii moniales in monasterio praedicto s. Ioannis existentes in illo perpetuo remanere debere, ac sub iisdem habitu et regula Deo famulari, ac iisdem gratiis privilegiis exemptionibus libertatibus immunitatibus et indultis, necnon reditibus et bonis caeteris et sine aliqua differentia uti et frui debere declarandi; ac propterea monasterii s. Pauli et monasterii s. Agnetis moniales cum eorum rebus et bonis universis ad monasterium s. Clarae, postquam instauratum fuerit, transferendi, easque omnes sub unam alterutrius ordinis s. Bernardi, vel s. Benedicti regulam et habitum arbitrio reducendi, reditus vero utriusque monasterii huiusmodi insimul perpetuo pariter uniendi, annectendi et incorporandi, ac monasterio praefato s. Clarae

applicandi, ipsasque moniales in monasterio s. Clarae transferendas: postquam translatae fuerint, iisdem similiter gratiis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus et indultis, necnon reditibus et bonis caeteris etiam et sine aliqua differentia uti et frui debere similiter declarandi, aliaque in praemissis, et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exequendi plenam liberam et amplam auctoritate apos. ten. pnes. facultatem et potestatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc. hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die xvi. Decembris pontificatus nostri anno viii.

XCVI.

Pro monasterio s. Clarae Zamoren. circa festivitatem corporis Christi.

Ex reg. secr. brev. in mense Martio pag 66.

Venerabili fratri episcopo Zamoren. salutem et apostolicam benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales monasterii conceptionis Zamoren. ordinis s. Clarae, quod cum in omnibus praedicti ordinis monasteriis consuetum sit solemnitatem ss. corporis Christi per totam octavam ss. sacramento publice in altari exposito celebrare, et ipsum idem institutum servare instituissent dilecti filii capitulum et canonici ecclesiae Zamoren. illis sese opposuerunt sub praetextu, quod solum in ecclesia cathedrali ss. eucharistiae sacramentum eo tempore publice exponi debeat, et eo nomine ipsam abbatissam et moniales molestare non cessant. Quare praedictae abbatissa et moniales litium anfractus evitare cupientes ad nos recursum habuerunt, ac humiliter nobis supplicari fecerunt, ut illis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur justis ac devotis ipsarum abbatissae et monialium petitionibus annuentes, de venerab. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super sacris ritibus et caeremoniis deputatorum, quibus hoc negotium examinandum commisimus sententia, harum serie decernimus ad populi devotionem augendam plurimum facere, quod ss. eucharistia pro octava ss. corporis Christi publice in altari exhibeatur, atque ordinarium loci id prohibere simpliciter non posse, ac propterea fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ne super hoc praedictas abbatissam et moniales per praefatos capitulum et canonicos, aut quoscumque alios ulterius molestari vel perturbari permittas, sed illas in hoc pio instituto confovere ac efficacis defensionis auxilio illis assistere auctoritate nostra cures, praedictos capitulum et canonicos et quoscumque alios contradictores per censuras etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die vi. Martii pontificatus nostri anno viii.

XCVII.

Ut Philippus III. Hispaniarum rex extrahere valeat partem reliquiae s. Laurentii martyris ab ecclesia s. Laurentii conventualium Neapoli.
Ex reg. secr. brev. in mense Iunio pag. 135.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico salutem et apostolicam benedictionem.

CUm sicut maiestas tua nobis exponi fecit, pro singulari devotionis affectu quam erga b. Laurentium martyrem geris, maxime cupias illius ecclesiae a cl. mem. Philippo rege catholico genitore tuo fundatae L' Escurial nuncupat. decorem ac fidelium erga illam devotionem in dies magis augeri, ac eandem ecclesiam sacrosanctis reliquiis, praesertim ipsiusmet b. Laurentii martyris insigniri, ac propterea partem aliquam reliquiarum eiusdem b. Laurentii, quae in ecclesia domus s. Laurentii ordinis fratrum minorum conventualium Neapolitan. sunt reconditae habere, et in praedicta ecclesia L' Escurial collocare desideres, nobisque propterea humiliter supplicari feceris, ut opportunam ad hoc licentiam tibi concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur pio desiderio tuo, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ac te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, maiestati tuae, ut per dilectum nobilem filium Henricum comitem de Olivares, tuum in regno Neapolis pro-regem, dictarum reliquiarum partes tibi per eiusdem domus superiores et fratres sponte concedendas, inde extrahi et ad praedictam ecclesiam s. Laurentii el Real transferri, ac in illa decenter collocari et custodiri facere libere et licite possis et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc. Volumus autem, ut earumdem reliquiarum partes in eadem ecclesia s. Laurentii Neapolitan. omnino remaneant.

Datum Romae apud s. Marcum die xvii. Iunii pontificatus nostri anno viii.

Digitized by Google

XCVIII.

Ut erigat conventum in provincia Terrae Novae in Macedonia. Ex reg. sec. brev. in mense Septembri pag. 102.

Dilecto filio Evangelistae de Bischief fratri ordinis minorum s. Francisci de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

PRo nostri pastoralis muneris debito de cunctorum christifidelium, sed praecipue eorum qui in partibus infidelium degunt, salute soliciti sumus, eosque spiritualibus muneribus et gratiis, quantum cum Domino possumus, prosequimur opportunis. Cum itaque sicut fide dignorum relatione accepimus in provincia Terrae Novae in Macedonia magna sit sacerdotum et religiosorum penuria, et christianorum tamen frequens, benedicente Domino, numerus reperiatur, cumque quamplures ecclesiae et parochiae sacerdotibus sint destitutae, multi ex christianis absque sacramentis e vivis decedant. Nos ad illorum statum paterne dirigentes, charitatis intuitu eorum animarum saluti prospicere cupientes, de tua pietate christianae religionis et animarum salutis zelo, necnon vitae morumque honestate ac doctrina super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, plurimum in Domino confisi, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut assumptis tecum tribus aliis eiusdem ordinis et nationis Albaniae fratribus sociis tuis in dictam provinciam Terrae Novae te conferas, ibique in ecclesia s. Blasii de Sacchiti quam vobis et dicto ordini apost. auct. ten. praes. concedimus, unum eiusdem ordinis conventum erigas, ibique praedicationibus, orationibus et aliis piis exercitiis, necnon sacramentorum administratione divinum cultum augere, et christifidelium animarum salutem promovere curetis. Dantes tibi sociisque tuis praedictis ad hoc idoneis confessionis et alia sacramenta etiam matrimonii in defectum parochorum in illis partibus ministrandi, et alia quaecumque quae ad divini cultus augmentum, christianae fidei propagationem et animarum salutem pertinere cognoveritis faciendi, gerendi et exequendi, necnon pro vestri ordinis propagatione novos conventus in aliis quibuscumque ecclesiis illarum partium sine alicuius praeiudicio erigendi, novitios ex natione Albanensium qui tamen qualitates iuxta constitutionem fel. rec. Sixti pp. v. praedecessoris ac decreta nostra de recipiendis novitiis edita, ac servata regularium vestrorum institutorum forma recipiendi ita, ut tam tu sociique praedicti, quam novitii praefati recipiendi omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis fratribus nationis Albanensium eiusdem ordinis concessis frui, potiri et gaudere valeatis et debeatis, plenam, liberam et amplam facultatem. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die xiv. Septembris pontificatus nostri anno ix.

Digitized by Google

XCIX.

Mittit visitatores apostolicos in Insulam Corsicae. Ex reg. secr. brev. in mense Novembri pag. 43.

Dilectis filiis nobilibus viris duci et gubernatoribus reipublicae Ianuen. salutem et apostolicam benedictionem.

DEstinavimus in Insulam Corsicae apostolicos visitatores et reformatores regularium dilectos filios Leonem de Mediolano decanum congregationis Cassinen. et fratrem Antonium Marzer ordinis fratrum minorum de observantia. Quare cupientes, ut dicti visitatores iniunctum sibi munus sine aliquo impedimento ad Dei laudem et eorumdem regularium quietem facilius adimpleant, vos paterne in Domino requirimus, ut ipsis visitatoribus apostolicis nullum impedimentum inferri permittatis, imo in omnibus in quibus opus fuerit, opportunum favorem et auxilium ac nostra causa libenter praebeatis. Quod nobis erit gratissimum.

Datum Romae apud s. Petrum die III. Novembris pontificatus nostri anno IX.

C.

Approbat fundationem conventus. Ex archivo s. Francisci Transtyberim tom. II. mss. prov. rom. ref. pag. 388.

Dilecto filio abbati seu commendatario monasterii Farfen. ordinis s. Benedicti seu eius in spiritualibus vicario generali salutem et apostolicam benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas et homines terrae Selisani in Sabinis iurisdictionis abbatiae Farfen. nullius dioecesis, quod ipsi pro devotione quam erga b. Franciscum gerunt, et pro spirituali eorum et conviciniorum consolatione cupiunt in eorum terra seu territorio unam domum pro conventu fratrum reformatorum ordinis s. Francisci ibidem introducendorum aedificare, nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut opportunam ad hoc licentiam illis concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur spirituali consolatione dictorum universitatis et hominum et dicti ordinis propagationi, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut si et postquam dicta universitas et homines licentiam a congregatione deputatorum super constitutione nostra de bono regimine huiusmodi impensa faciendi obtinuerint, et domum commodam pro habitatione duodecim ad minus fratrum dicti ordinis cum ecclesia, campanili, hortis et hortalitiis aliisque officinis necessariis et opportunis extruxerint, ibidem unum conventum fratrum reformatorum dicti ordinis s. Francisci, in quo duodecim ad minus fratres eiusdem ordinis perpetuo degant, auctoritate nostra apostolica erigas, et totidem in ipsum conventum fratres eiusdem ordinis introducas, eisque ut omnibus privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, praerogativis et indulgentiis quibus alii conventus et fratres eiusdem ordinis quomodolibet frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, sine aliqua differentia uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant,

concedas et indulgeas, super quibus omnibus et singulis plenam et liberam tibi facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xv. Martii pontificatus nostri anno ix.

CI.

Pro Graecii clarissarum monasterio. Ex reg. secr. brev. in mense Iulio pag. 300.

Dilecto filio nostro et apostolicae sedis apud dilectum filium nobilem virum Ferdinandum archiducem Austriae nuncio salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Mariae archiducissae Austriae viduae nomine nobis nuper expositum fuit, quod cum in infrascriptis locis dominii temporalis dilecti filii nobilis viri Ferdinandi archiducis Austriae dictae Mariae nati, videlicet in oppido Graecii Salisburgensis dioecesis unum s. Dominici in quo sex, et aliud eiusdem s. Dominici in oppido Marnberg a praedicto oppido Graecii quadraginta circiter milliaribus distanti, in quo quatuor, et reliquum monialium monasteria s. Clarae respective ordinum in oppido Iudenburgi a praedicto oppido Graecii quadraginta similiter milliaria distanti, in quo sex tantum moniales nunc reperiuntur, existant, et praedicta monasteria seu aliquod illorum opportuna provisione circa clausuram et status monialium reformationem indigent, ipsaque Maria archiducissa cupiat in oppido praedicto Graecii unum ordinis s. Clarae monialium monasterium aedificari, et si in dicto s. Dominici praedicti oppidi ordo s. Dominici perpetuo supprimeretur, ac ad illud aliorum duorum monasteriorum praedictorum moniales, res et bona quaecumque transferrentur, ipsaque duo monasteria cum eorum bonis et reditibus praedicto Graecen. erigendo perpetuo unirentur, ex hoc profecto non solum pio ipsius Mariae archiducissae desiderio satisfieret, sed etiam commodis, et utilitati tum in spiritualibus tum in temporalibus praedictorum monasteriorum valde prospiceretur. Quare dictae Mariae archiducissae nomine nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur piis eiusdem Mariae archiducissae votis, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, certam tamen de praemissis notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, de cuius fide, prudentia et integritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis te diligenter informes, et si tibi ita videbitur expedire, tam in primo dicti oppidi Graecii quam in aliis duobus supradictis monasteriis ordinem et essentiam regularem s. Dominici et s. Clarae respective perpetuo supprimendi et extinguendi, ac primodictum oppidi Graecii in monasterium monialium ordinis s. Clarae perpetuo erigendi, illique alia duo praedicta monasteria eorumque bona et reditus perpetuo similiter uniendi et incorporandi, moniales vero monasterii s. Clarae de Iudenburg, ac alias etiam aliorum monasteriorum ordinis s. Dominici ordinem s. Clarae recipere ac profiteri volentes, ad primodictum Graecen.; cateras autem ordinis s. Dominici moniales ordinem s. Clarae amplecti renuentes, ad alia eiusdem ordinis s. Dominici monasteria arbitrio tuo transferendi. Praeterea pro instructione monialium in monasterium primodictum Graecen. ad ordinem s. Clarae reducendum, si opus fuerit, aliquas eiusdem ordinis s. Clarae moniales ad hoc aptas et ido-

neas, ac ad id voluntarias, et de superiorum suorum licentia, ex aliis eiusdem ordinis s. Clarae monasteriis ad illud Graecense pariter transferendi, aliaque in praemissis, et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exequendi plenam et liberam per praesentes facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die xiii. Iulii pontificatus nostri anno ix.

CII.

Pro fundatione monasterii clarissarum in urbe Senensi Ex archivo ss. xii. apostolorum de Urbe.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter caetera cordis nostri desiderabilia etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum ac dilectae in Christo filiae Pasitheae Croci mulieris Senensis petitio continebat, quod alias seu nuper dilectus filius noster Franciscus Maria tit. s. Bartholomaei in Insula presbyter cardinalis Taurusius nuncupatus, et ex concessione et dispensatione apostolica maioris ecclesiae Senen. praesul, piis dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Claristinae magnae ducissae Hetruriae, ac communitatis et hominum praedictorum suasionibus aliisque rationabilibus causis adductus, a parochiali ecclesia s. Aegidii Senen. tunc per obitum quondam Iulii Boscarilli, olim rectoris dictae parochiae extra romanam curiam de mense Octobris anni Domini mdxcviii. defuncti vacante, curam animarum dilectorum filiorum, illius parochianorum, ac omne illius exercitium sua ordinaria auctoritate, et omni alio meliori quo potuit modo, perpetuo abdicavit, illamque et illud ac ipsos parochianos de illorum tamen consensu, partim ad s. Antonii partim ad s. Donati etiam Senen. parochiales ecclesias, etiam perpetuo transtulit, ipsamque ecclesiam s. Aegidii sine cura remanentem, illiusque domum et aedificia dictae Pasitheae, quae ab eius infantia tanto devotionis zelo ducta ac spiritualibus exercitiis adeo dedita extitit, ut tandem universa civitate Senensi mirante, ad perfectum usque iuxta pium et laudabile propositum dictae Pasitheae unum monasterium monialium ad Dei omnipotentis laudem sub invocatione et honorificentia s. Ioannis Baptistae, pro ipsius Pasitheae ac aliarum eius sociarum etiam virginum, quae de caetero spretis huius infelicis saeculi illecebris, sub perpetua clausura et regularis disciplinae norma ac paupertatis evangelicae iugo in viam Domini salubriter dirigi, ac illi suae virginitatis flores et honestatis fructus offerentes sempiternae gloriae beatitudinis feliciter promoveri exoptaverint, sub regula s. Clarae, ac omnimoda visitatione, iurisdictione et correctione archiepiscopi Senen. pro tempore existentis, perpetuis usu et habitatione construi faciendi, eadem auctoritate, et quantum in se fuit, pariter perpetuo concessit et assignavit. Et in eadem ecclesia s. Aegidii unam perpetuam sine cura cappellaniam sub invocatione, seu ad altare s. Francisci pro uno perpetuo illius cappellano futuro, cum nonnullis oneribus et obligationibus tunc expressis, dicta auctoritate erexit et instituit, illique sic erectae et institutae pro illius dote, illamque pro tempore obtinentis sustentatione omnes et singulos dictae ecclesiae s. Aegidii fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, qui viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, illa itidem ab eo perpetuo dismembrando et

Digitized by Google

separando, similiter perpetuo applicavit et appropriavit, dictamque cappellaniam a primaeva illius erectione huiusmodi vacantem, dilecto filio Fabio Piccolomineo archipresbytero dictae maioris ecclesiae, eadem auctoritate contulit et de illa providit. Et quia dictae maioris ecclesiae archipresbyteratus, cuius vacatione pro tempore occurente, praesentatio personae idoneae ad illum ad dilectas in Christo filias abbatissam et conventum monasterii monialium s. Marthae similiter Senen. cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis spectare dignoscitur, fructus, reditus, et proventus adeo tenues existunt, ut duodecim ducatos similes non excedant, et illum pro tempore obtinens, sub illius titulo sacris ordinibus initiari nequeat, ex tunc prout ex ea die et econtra, cum primum dicta abbatissa et conventus iurispatronatus et praesentandi personam idoneam huiusmodi renunciarent, dictamque cappellaniam ex tunc prout ex ea die et econtra vacare contingeret, eidem archipresbyteratui etiam perpetuo univit annexuit et incorporavit, et alias prout in publico desuper confecto documento plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, asseratur dictum Franciscum Mariam cardinalem sufficienti facultate ad id minime suffultum esse, et ob id, ne de praemissorum validitate aliquando dubitari contingat, pro parte communitatis et hominum ac Pasitheae praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quod potentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum aestimationem praedictam, et beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, singulares personas communitatis et Pasitheam ac Fabium huiusmodi a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ab ipsa ecclesia s. Aegidii curam parochianorum praedictorum, et omne illius exercitium apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo abdicamus, illamque et illud ac parochianos praedictos ad ecclesias s. Antonii et s. Donati, illarumque rectores nunc et pro tempore existentes, modo et forma quibus iam, ut praefertur, translata fuerunt, etiam perpetuo transferimus, et in eadem ecclesia s. Aegidii unam perpetuam sine cura cappellaniam, sub invocatione seu ad altare eiusdem s. Francisci pro uno perpetuo futuro illius cappellano cum eisdem oneribus et obligationibus, quae iam ei, ut praefertur, impositae fuerunt, dicta auctoritate etiam perpetuo erigimus et instituimus, illique sic erectae et institutae pro eius dote, illamque pro tempore obtinentis sustentatione omnes et singulos dictae ecclesiae s. Aegidii fructus, reditus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, illa ab ea similiter perpetuo dismembrantes et separantes itidem perpetuo applicamus et appropriamus, ita quod licent illam pro tempore obtinenti per se vel alium seu alios, eius et dictae cappellaniae nomine seu nominibus fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi percipere, colligere, exigere et levare, ac in suos et dictae cappellaniae usus et utilitatem convertere dioecesani loci nunc et pro tempore existentis vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita. Et ut dictus archipresbyteratus liberae collationis remaneat in eventum, in quem dicta abbatissa et conventus iurispatronatus et praesentandi personam idoneam huiusmodi renunciaverint, cappellaniam praedictam ex nunc prout ex tunc, cum primum illam per .... cessum, etiam ex causa permutationis vel decessum aut quamlibet aliam dimissionem vel amissionem, illam pro tempore obtinentis aut alio quovis modo, etiam apud sedem apostolicam, seu aliquo ex mensibus nobis et romano pontifici pro tempore

existenti, aut dictae sedi per quascumque constitutiones apostolicas, vel cancellariae apostolicae regulas editas et edendas, aut literas alternativarum, vel quaevis alia privilegia et indulta seu alias quomodolibet hactenus per dictam sedem concessis et imposterum concedendis, ac etiam de iure communi vel particulari aut alio quovis modo competentibus et competituris, et quomodocumque et quandocumque ac ubicumque, tam in romana curia quam extra eam vacare contigerit, etiamsi a primaeva erectione et institutione huiusmodi vacet, et tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem praedictam legitime devoluta, ipsaque cappellania dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, cum annexis huiusmodi ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem archipresbyteratui similiter perpetuo unimus annectimus et incorporamus, ita quod liceat illum pro tempore obtinenti, etiam per se vel alium seu alios, eius et dicti archipresbyteratus nomine seu nominibus, propria auctoritate corporalem, realem et actualem possessionem cappellaniae, et annexorum iurium, et pertinentiarum praedictarum libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, illorumque fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere et levare, ac in suos et dicti archipresbyteratus usus et utilitatem convertere, etiam dioecesani loci licentia desuper minime requisita. Et insuper eidem Paulheae, ut prope dictam ecclesiam s. Aegidii et in illius ambitu ac aedibus et aedificiis unum monasterium construere libere et licite valeat, dicta auctoritate apostolica concedimus, ipsumque ex tunc et econtra postquam constructum et debita clausura munitum fuerit, in monasterium monialium ordinis s. Clarae huiusmodi sub invocatione eiusdem s. Ioannis Baptistae cum coemeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliisque officinis necessariis, et opportunis pro competenti numero monialium, non minori duodecim et ad plus viginti, ibi introducendarum, quae habitum per alias moniales ordinis eiusdem s. Clarae gestari solitum suscipiant, et professionem per eas emitti solitam emittant regulares, et in illo sub eadem regula ac perpetua clausura et regulari observantia, et humilitatis spiritu, necnon paupertatis iugo, ac omnimoda visitatione, iurisditione, et correctione venerab. fratris nostri archiepiscopi Senensis, eiusque vicarii in spiritualibus generalis degant, et in eadem ecclesia s. Aegidii sanctissimum eucharistiae sacramentum in perpetuum et in infinitum, non tamen infra chorum vel septa monasterii, sed in publica ecclesia conservent, pariter perpetuo dicta auctoritate erigimus et instituimus, dictoque sic erecto monasterio ecclesiam sine cura remanentem huiusmodi, pro eius ecclesia etiam perpetuo concedimus et assignamus: necnon eidem monasterio illiusque abbatissae et monialibus pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praerogativis, antelationibus, favoribus, praeeminentiis, indultis, indulgentiis, peccatorum remissionibus et relaxationibus aliisque gratiis tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alia dicti ordinis monialium monasteria de iure, consuetudine, antiquitate, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ipsae pariformiter et aeque principaliter in omnibus et per omnia absque ulla penitus differentia, ac si specialiter et expresse, ac alias nominatim et specifice illis concessa fuissent, uti, potiri et gaudere possint et valeant, dicta auctoritate apostolica de speciali gratia indulgemus. Decernentes praesentes literas de subreptionis seu nullitatis vitio etc. Et nihilo-

Digitized by Google

minus volentes eidem Fabio, qui testimonio ordinarii de vita et moribus ac idoneitate commendatur, apud nos de vitae ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, horum intuitu gratiam facere specialem, dictam cappellaniam, cuius et illi forsan annexorum fructus, reditus, et proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem, valorem annuum, ut dictus Fabius asserit, non excedunt, a primaeva erectione huiusmodi aut alio quovis modo vacantem, cum annexis huiusmodi, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, eidem Fabio dicta auctoritate apostolica conferimus, et de illa etiam providemus. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, et praeposito ecclesiae Senen. ac vicario venerab. fratris nostri archiepiscopi Senensis in spiritualibus generali, per apostolica scripta mandamus etc. Nulli ergo omnino etc.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae XII. calendas Augusti pontificatus nostri anno IX.

CIII.

Fit metropolitanus ecclesiae Dublinen. Ex actibus consistorialibus pag. 278.

Romae apud s. Petrum die veneris 8. *Maii fuit consistorium secretum, in quo*

SAnctissimus d. n. referente reverendiss. d. card. Deza pro reverendiss. card. Matthaeio providit ecclesiae metropolitanae Dublinen. in regno Hirlandiae vacan per obitum . . . . . ultimi illius archiepiscopi de persona rev. fratris Matthaei de Oviedo Hispani ordinis s. Francisci min. de observantia, omnia requisita haben. fidemque professi cum condonatione iurium, absolvens etc. cum clausulis etc.

CIV.

Fit episcopus Pampelonen. Ex eisdem actibus pag. 290.

Romae in monte quirinali die lunae 25. *Septembris fuit consistorium secretum, in quo*

REferente reverendiss. d. card. de Avila fuit a ss. provisum ecclesiae Pampelonen. vacan. per translationem r. p. Antonii ad metropolitanam ecclesiam Burgen. de persona fratris Matthaei de Burghis ordinis fratrum min. de observantia, salvis pensionibus antiquis, et cum reservatione novarum pensionum scutorum trium millium et nongentorum monetae illius regni pro personis nominan. absolvens etc.

Digitized by Google

CV.

Fit episcopus Nicen. Ex eisdem actibus pag. **292.**

Romae apud s. Petrum die lunae **23.** *Octobris fuit consistorium secretum, in quo*

SAnctissimus d. n. referente reverendiss. Deto providit ecclesiae Nicien. vacan. per obitum bon. mem. Ludovici ultimi illius episcopi, de persona rev. fratris Francisci Martinenghi presbyteri Taurinen. dioecesis ordinis fratrum min. s. Francisci de observantia nuncupat. cum reservatione pensionis scutorum **250.** monetae romanae ad rationem iul. x. pro quolibet scuto pro persona seu personis nominan. absolvens etc. cum clausulis opportunis etc.

CVI.

Fit episcopus s. Iacobi de Cile. Ex eisdem actibus pag. **279.**

Romae apud s. Petrum die veneris **12.** *Maii fuit consistorium secretum, in quo*

SAnctissimus d. n. referente reverendiss. card. Deza ad praesentationem regis catholici providit ecclesiae de Cile in provincia de Perù Indiarum occidentalium vacan. per obitum bon. mem. Petri eius episcopi, de persona fratris Ioannis de Spinosa ord. min. de observantia in presbiteratu constituti, et omnia requisita haben. curam etc. committen. ac absolvens etc. cum clausulis opportunis etc.

CVII.

Plura tribuit archiepiscopo Antibarensi. Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. **165.**

Venerabili fratri Thomae archiepiscopo Antibaren. salutem et apostolicam benedictionem.

CUm sicut nobis exponi fecisti in provincia seu regno Serviae cuius tu primas existis, et finitimis regionibus turcarum tyrannidi subiectis reperiantur plurimae plebes et christifideles latino ritu viventes, qui inter alias ingentes calamitates quibus assidue in tyrannica infidelium servitute praemuntur, carent sacerdotibus et religiosis personis a quibus doctrinam christianam edoceantur, ecclesiastica sacramenta percipiant, et Dei verbum, sacras missas ac alia divina officia audiant, ac propterea fraternitas tua pro tuo pastorali munere ac christianae fidei iuvandae et conservandae, ac pietatis studio animarumque christifidelium illic commorantium salutis zelo accensa, ad eas partes cum aliquibus presbyteris et clericis saecularibus et regularibus de illorum superiorum licentia, ac cum nostra benedictione se conferre desideret, ut una cum illis valeat eisdem fidelibus divinum verbum praedicare, sacramenta conferre et ministrare, ac alia ecclesiastica munia praestare et in christiana doctrina confirmare. Idcirco nos salutare hoc tuum propositum in Domino

Digitized by Google

commendantes, fraternitati tuae in primis, ac eisdem sociis tuis qui tecum venient, paternam nostram benedictionem tribuimus et impartimur.

1. Deinde piis tuis in hac parte votis libenter annuentes, ut commodius praemissa ad omnipotentis Dei gloriam et honorem adimplere et exequi possis, quo maiori fueris facultate suffultus, fraternitati tuae, ut quamvis apud Antibaren. ecclesiam suam residere non potest, in episcopatu vel civitate Buduae apud Buduen. ecclesiam residere illiusque regimen et administrationem in spiritualibus et temporalibus donec ei de proprio pastore providerimus. suscipere.

2. Necnon ut aliquot religiosos viros idoneos et probatos, tam tui fratrum minorum de observantia et cuiusvis alterius ordinis regulares seu professores in sacris presbyteratus ordinibus constitutos ac etiam laicos, quam presbyteros et clericos saeculares, de suorum tamen licentia superiorum vel ordinariorum, in socios ad huiusmodi munus exequendum assumere et tecum adducere, quibus tu, quamdiu in dictis partibus eos morari contigerit, praesis.

3. Atque ut tam clericos et presbyteros saeculares et regulares, quam plebes et populos illorumque personas in dicta provincia et finitimis regionibus commorantes, qui proprium vel residentem non habent episcopum, citra praeiudicium ordinarii loci visitare et iuxta sacras et canonicas sanctiones corrigere et reformare.

4. Confirmationis sacramentum infantibus et aliis petentibus conferre.

5. Clericos quos ad id idoneos esse compereris, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, servata forma concilii Tridentini, promovere:

6. et cum male promotis, et in dictis ordinibus ac etiam in altaris ministerio ministrare valeant;

7. ac super quacumque irregularitate, praeterquam ex causa haeresis vel apostasiae a fide, aut ex homicidio voluntario, vel mutilatione membri et bigamia et simonia reali proveniente, dispensare.

8. Ac praeterea, si opus fuerit, idoneos presbyteros ad curae animarum administrationem in locis in quibus tibi opportunum esse videbitur, deputare.

9. Ac insuper eos qui in tertio vel quarto simplici, tertio et quarto mixto consanguinitatis et seu affinitatis gradibus scienter vel ignoranter de praeterito contraxerunt, ab excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis; necnon incestus reatu et excessibus huiusmodi, etiam in utroque foro, iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari, absolvere, et cum eisdem et cum aliis similibus gradibus coniunctis seu se attinentibus, matrimonia contrahere volentibus in futurum; ut impedimentis graduum consanguinitatis et seu affinitatis huiusmodi non obstantibus in matrimoniis huiusmodi remanere, vel ea de novo in faciem ecclesiae respective contrahere valeant, gratis dispensare.

10. Ac ut fraternitas tua et socii presbyteri praedicti missas et alia divina officia in partibus illis tam in ecclesiis et cappellis, quam etiam in oratoriis et aedibus privatis, ubi vobis propter periculum aut aliam necessariam vel rationabilem causam visum fuerit expedire, in loco tum honesto et decenti et a caeteris actibus libere celebrare.

11. Necnon ut tam tu quam socii tui presbyteri in locis praedictis, si parochus non adfuerit, quoscumque fidelium natos et infantes, necnon alios quoscumque ad veritatem fidei venire cupientes, recipere et baptizare.

12. Tu quoque et socii tui presbyteri in baptismo ministrando sacro chrismate et oleo cathecumenorum veteribus, seu eo anno non benedictis, si nova commode habere non poteritis, respective uti.

13. Insuper tu et praedicti socii presbyteri utriusque sexus christifidelium etiam presbyterorum peccatorum confessiones audire, eosque ab omnibus peccatis et excessibus, criminibus et delictis per eos commissis, necnon ab excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati extiterint, in quibusvis casibus tam episcopis et locorum ordinariis, quam nobis et sedi apostolicae quomodolibet reservatis, etiam in bulla die Coenae Domini legi solita, comprehensis, praeterquam homicidii vel mutilationis membrorum personae episcopi vel praelati superioris, iniuncta inde eis pro modo culpae poenitentia salutari ac aliis quae fuerint iniungenda, absolvere.

14. Ac quoscumque a fide christiana et catholica aberrantes, apostatas, haereticos et schismaticos poenitentes, et ad cor redeuntes seque ad gremium sanctae romanae ecclesiae recipi humiliter postulantes, si postquam haereses, schismata et errores suos atque a fide apostasiam publice vel occulte, prout vobis magis expedire videbitur, detestati fuerint, anathematizaverint et abiuraverint, ab apostasia, haeresi, schismate et erroribus suis, necnon excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, in quas praemissorum occasione incurrerint, iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari, et aliis quae duxeritis iniungenda in foro dumtaxat conscientiae, absolvere et liberare ac eidem gremio et unitati fidelium restituere et reconciliare libere et licite possitis et valeatis.

15. Praeterea saluti fidelium illarum partium consulere volentes, ut omnibus et singulis christifidelibus in praedictis partibus commorantibus vere poenitentibus, qui vobis aut aliis sacerdotibus saecularibus vel regularibus ab eorum ordinariis seu superioribus approbatis, seu alias quomodolibet deputatis peccata sua confessi fuerint, et sacram si poterunt eucharistiam susceperint, et iuxta ordinationem per vos desuper faciendam, aliquod ieiunium aut pietatis opus praestiterint, ac pro sanctae fidei christianae et catholicae ecclesiae exaltatione ac populi christiani salute pias ad Deum preces effuderint, semel plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate nostra, gratis tamen et absque ullo praemio, etiam in praesenti anno iubilaei concedere et impartiri similiter libere et licite possitis et valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, committimus et indulgemus, ac plenam et liberam desuper facultatem et potestatem damus et impartimur. Non obstantibus etc.

Volumus autem et declaramus huiusmodi facultates in praesentibus nostris literis contentas, ac fraternitati tuae et praedictis eius sociis omniumodo concessas in solidum tibi et eis ac cuilibet vestrum esse concessas atque ad quinquennium tantum duraturas, ac vobis in praedictis dumtaxat partibus turcarum tyrannidi seu temporali dominio subiectis, et non alibi commorantibus tam in provincia Serviae quam in dioecesi tua Antibaren. suffragari, nisi a nobis aliud expresse mandari contigerit in futurum.

Datum Romae apud s. Marcum die xv. Octobris pontificatus nostri anno IX.

CVIII.

Ut in partibus Indiarum non possint assumi ad munus provincialatus aliorumque officiorum, nisi filii vel incorporati in illis provinciis. Ex bullar. Cherubini tom. III. pag. 97.

Ad perpetuam rei memoriam.

His quae ad regularium personarum statum et commodum provide sunt ordinata, cum a nobis petitur apostolicae confirmationis robur libenter adiicimus.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus dilectus filius noster Hieronymus tituli s. Pancratii presbyter cardinalis Matthaeius nuncupatus, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia protector, ad quem nos supplicem libellum nobis pro parte dilectorum filiorum ministrorum provincialium et fratrum ordinis s. Francisci in partibus Indiarum occidentalium existentium porrectum remiseramus; quo quidem supplici libello nobis exponebatur, nonnullos commissarios generales ex Hispaniis ad praedicti ordinis provincias in partibus Indiarum huiusmodi proficiscentes, maximeque ad provinciam Limensem quae in regno del Perù sita est, privatis affectionibus motos, potiusque communi religionis utilitati inservientes, illos qui secum ex Hispania accesserant, administratus provincialis et alia ordinis officia promovere consuevisse, non in modicum earumdem provinciarum et praesertim Limensis detrimentum. Nobisque humiliter supplicabatur, ut huic malo occurrere dignaremur, maturo consilio et deliberatione praemissis, ac religionis seraphicae dictarumque provinciarum utilitati, necnon religionum omnium, et praecipue eorum qui in remotissimis orbis partibus, doctrinae exemplarisque vitae splendore catholicam fidem propagare nituntur, honori prospicere evidens, eiusdemque religionis statutis generalibus inhaerens decreverit et statuerit, ut in provinciis eiusdem religionis in partibus praedictis Indiarum, et praesertim in Limensi provincia, administratus provincialis seu quodlibet aliud dignitatis officium assumi non valerent alii dicti ordinis religiosi, quam illi qui eiusdem provinciae alumni essent, vel ad eam expresse ac nominatim missi ex Hispaniis cum ministri generalis aut commissarii Indiarum apud catholici Hispaniarum regis coram assistentes literis obedientialibus in illis provinciis incorporati fuissent: quod si secus fieri contingeret, irritum et inane omnino esset, et tam electores, promotores et fautores, quam electos quoslibet privationis ab eorum officiis ac inhabilitatis ad similia et alia in posterum obtinenda, poenas quas tunc inflixit ipso iure incursuros declaravit, prout in eisdem Hieronymi cardinalis protectoris patentibus literis sub datis die ultima Ianuarii proxime praeteriti expeditis plenius dicitur contineri.

§. 2. Cumque firmiora sint ea quae apostolicae confirmationis robore muniuntur, propterea pro parte provincialium et fratrum provinciarum praedictarum nobis humiliter supplicatum fuerit, ut patentes literas praedictas confirmare ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur earumdem patentium literarum totum tenorem praesentibus pro expresso habentes, ac ministros provinciales et fratres dictarum provinciarum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eiusdem Hieronymi cardinalis protectoris literas patentes praedictas omniaque

et singula in illis contenta, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae atque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, et nihilominus omnia et singula praemissa de novo statuimus et ordinamus, ac in provinciis praedictis observari debere volumus et mandamus, praecipientes in virtute sanctae obedientiae ac sub poenis supradictis eo ipso incurrendis, tam commissariis quam aliis superioribus et fratribus ad quos spectat et in futurum spectabit, ut praemissa omnia et singula inviolate observent et observari curent et faciant.

§. 4. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xv. Martii pontificatus nostri anno IX.

CIX.

Revocat statuta super perpetuitate definitorum aliorumque patrum. Ex bullar. Francisci Matriten. tom. I. pag. 414.

Ad perpetuam rei memoriam.

Seraphicum ordinem a b. Francisco confessore in militanti ecclesia in spiritu humilitatis institutum, et tot sanctorum virorum qui eius vestigia sequuti sunt meritis auctum, pristinae illius disciplinae, quantum cum Domino possumus, restituere cupientes, ea quae ipsi ordini perniciosa esse cognoscimus, pro nostri pastoralis officii debito de medio tollenda esse censemus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus ex quadam constitutione alias edita, in congregatione generali ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. s. Francisci Neapoli anno MDXC. habita, qua decretum fuit quod provinciales ministri actuales, et qui alias ministeriatus officio functi sunt, aut generales procuratores ordinis aut in romana curia commissarii, aut patres ordinis seu Terrae Sanctae guardiani, aut per tres annos continuos a secretis ministri aut commissarii generalis fuerint, in omnibus capitulis et congregationibus in definitorio votum consultivum et decisivum, in electionibus autem quibuscumque etiam electivum in sua quisque provincia tamquam perpetuo discreti, vocales et definitores perpetui habeant, sicut ii etiam qui generales ministri et commissarii item generales fuerunt in omnibus capitulis et congregationibus generalibus respective in definitorio, et electionibus quibuscumque simile votum consultivum, decisivum et electivum habent. Nonnulli dicti ordinis religiosi ob huiusmodi dignitatum seu munerum perpetuitatem, sive dictae aut aliarum quarumcumque ordinationum eiusdem ordinis, aut quorumcumque privilegiorum apostolicorum in genere vel in specie concessorum vigore concessam aut competentem, sanctae illius humilitatis obliti, spiritu superbiae inflentur; alii vero eorumdem munerum et dignitatum cupiditate ob earum diuturnitatem magis incendantur.

§. 2. Nos pro nostra pastorali solicitudine praedictis malis, ne ad ordinis perniciem redundent, occurrere cupientes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tam praedictam constitutionem in dicta congregatione generali Neapolitana editam, quam alias quascumque singulas ordinationes et statuta in quibusvis capitulis, aut

Digitized by Google

congregationibus generalibus aut provincialibus, seu alias quomodolibet edita quam quaecumque apostolica privilegia in genere vel in specie, quibusvis eiusdem ordinis fratribus, tam in Italiam quam extra Italiam, in quibusvis mundi partibus concessa et emanata, quibus in dicto ordine perpetuitas dignitatum, officiorum aut munerum quorumcumque conceditur vel permittitur, quarum et quorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo revocamus, annullamus et abrogamus, nulliusque roboris et momenti deinceps in perpetuum fore et esse, ac eos omnes et singulos qui vigore dictae constitutionis et aliarum dictae religionis constitutionum, huiusmodi definitoris aut patris aut alterius cuiusvis muneris perpetui dignitate, aut officio funguntur, ea dignitate et munere et officio absolutos ex nunc esse et fore, nec illis ulterius uti, fungi, quidquam in quibusvis capitulis aut congregationibus, vel dictis provincialibus quarumcumque provinciarum eiusdem ordinis primo celebrandis in ministros, aut definitores vel officiales praedictos hac vice eligi nullo modo posse volumus, decernimus et declaramus.

§. 3. Et nihilominus harum serie perpetuo statuimus et ordinamus, ut votum consultivum, definitivum, decisivum et electivum ad officia ordinis in capitulis videlicet et congregationibus, aut supradictis generalibus ubicumque locorum pro tempore celebrandis, minister generalis aut definitores generales actuales pro tempore; in provincialibus vero quarumcumque provinciarum eiusdem ordinis, eius respective provincialis et quatuor definitores actuales habere possint, peractoque tempore ministeriatus provincialis, tam ipsi ministri provinciales quam definitores provinciales, aut patris nomen, aut privilegium quisquam retinere illisque frui possit, nec de caetero similes constitutiones aut statuta in dicto ordine, aut in quacumque illius provincia vel conventu quovis modo fieri ullo tempore possint.

§. 4. Irritum nihilominus et inane decernentes etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die x. Aprilis pontificatus nostri anno IX.

CX.

Rata habet decreta edita a cardinali ordinis patrono quoad monasteria existentia in regno Lusitano. Ex bullario Roderici pag. 558.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanum pontificem decet ea quae per regularium superiores salubriter ordinata sunt libenter approbare, et si ipsorum ratio expostulat apostolicae suae confirmationis munimine roborare, prout in Domino conspicitur salubriter expedire. Cum igitur a dilecto filio nostro cardinali Matthaeo nuncupato, universi ordinis s. Francisci de observantia protectore, correctore et gubernatore emanarunt literae subsequentis tenoris, videlicet: Hieronymus tituli s. Pancratii s. r. e. presbyter cardinalis Matthaeus nuncupatus totius ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia protector, corrector et gubernator universis et singulis literas nostras patentes inspecturis, lecturis pariter et audituris, notum facimus, qualiter ad nostras aures nuper pervenit nonnullorum monasteriorum monialium de observantia regnorum Portugalliae procuratorias sive factorias sic communes esse aliquibus ex fratribus dictae observantiae,

ut ipsi universam curam, solicitudinem et administrationem pecuniarum, bonorum, redituum et litium eorumdem monasteriorum et per se ipsos gerant, non sine personarum saecularium scandalo ac suae regulae religionis ac professionis detrimento. Nos igitur qui ex iniuncti nobis officii ratione, iis omnibus quae contra observationem regulae b. p. Francisci, ac religionis et professionis eorumdem fratrum obligationem esse noscuntur, obviare tenemur, praesentium nostrarum literarum tenore decrevimus statuimusque et ordinamus, ac in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis privationisque officiorum et dignitatum, inhabilitatisque ad illa et alia in posterum obtinenda incurrendis poenis, mandamus moderois et pro tempore existentibus dicti ordinis de observantia ministris provincialibus, commissariis, visitatoribus, definitoribus, guardianis seu quibuscumque aliis praelatis et officialibus, ad quos id nunc spectat aut pro tempore spectabit, ut omnes et quoscumque dicti ordinis fratres, qui in dictis monasteriis monialium praedictas procuratorias seu factorias exercent infra trium dierum spatium a praesentatione praesentium nostrarum literarum computandum, a dictis procuratoriis sive factoriis omnino cum effectu amoveantur, et ad monasteria fratrum redire et eorum praelatis obedire faciant et procurent, factoriasque et procuratorias praedictas personis saecularibus bonae conscientiae, sicut antea fiebat a monialibus, committi curabunt; in quorum fidem has nostras patentes literas manu propria subscripsimus, instituimusque sigillo quo in talibus utimur muniri, et a secretario nostro firmari. Datum Romae in palatio nostrae solitae residentiae sub die ultima Februarii anno iubilaei mdc. Nos attendentes literas praedictas et earum observationem ad maiorem religionis perfectionem conducere maxime auctoritate apostolica tenore praesentium eas perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti aliosque et substantiales defectus, si qui in illis intervenerint, supplemus, easque validas et efficaces fore et esse, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, ac ab omnibus et singulis ordinis s. Francisci de observantia regnorum Portugalliae praelatis et superioribus nunc et pro tempore existentibus sub poenis in praemissis literis contentis inviolabiliter observari debere decernimus, non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xxiv. Aprilis pontificatus nostri anno ix.

CXI.

Aliqua decernit circa habitum fratrum tertii ordinis in regno Lusitaniae.

Idem pag. 557.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ut ea quae pro religionum et personarum in ipsis degentium bono et quiete per ipsarum religionum superiores statuta et ordinata sunt, firma et illibata perpetuo subsistant, nostrae confirmationis robur libenter adiicimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum igitur sicut accepimus dilectus filius noster Hieronymus cardinalis Matthaeius nuncupatus ordinis minorum s. Francisci de observantia ac fratrum tertii ordinis de poenitentia nuncupati protector, corrector et gubernator, pro maiori ipsorum fratrum de observantia et poenitentia tranquillitate et pace per suas literas sub datione anno a nativitate

Domini nostri MDXCV. die XIX. mensis Aprilis mandaverit, statuerit et ordinaverit, quod praedicti fratres tertii ordinis de poenitentia in regno Portugalliae existentes iuxta eorum regulam et indulta apostolica habitum gestare deberent, quodque talis habitus esset ex humili et vili panno contextus, eo videlicet modo, ut ex quatuor partibus lanae naturaliter nigrae et absque tinctura contextae, et una parte lanae etiam naturaliter candidae, et talis habitus fieret, et quod singulis quatuor libris lanae naturaliter nigrae adderetur una libra lanae albae, et alias prout in ipsius cardinalis Mathaei literis desuper confectis latius dicitur contineri. Nos igitur literarum tenoris ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro sufficienter expressis habentes, literas auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti aliosque etiam substantiales defectus qui in eisdem interveneriut, supplemus, easque contra omnes et quascumque revocationes, validas et efficaces fore et esse, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, et ab omnibus et singulis fratribus tertii ordinis de poenitentia nunc et pro tempore existentibus, et in Portugalliae regnis degentibus inviolabiliter observari debere, decernimus. Mandantes nihilominus omnibus et singulis ipsius ordinis de poenitentia ministris et praelatis tam praesentibus quam futuris in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae, officiorumque et dignitatum perpetuaeque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda ipso facto incurrendis poenis, non posthac alium habitum gestare possint, aut a suis patribus gestari permittant, nisi secundum modum et formam sibi in dictis literis praescriptam ab habitu fratrum minorum de observantia quoad colorem et formam omnino distinctam. Quocirca dilectis filiis spoliorum et iurium camerae nostrae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali, ac ipsius ordinis conservatoribus nunc et pro tempore existentibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dilectorum fratrum de observantia seu alicuius eorum fuerint requisiti praesentes literas, et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra praemissa, omnia et singula inviolabiliter observari, non permittentes eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XXVII. Aprilis pontificatus nostri anno IX.

CXII.

Interdicit ne aliquis concionaturus accedat ad monasteria monialium sub regimine fratrum de observantia, nisi sit missus et probatus a superioribus ordinis. Idem pag. 550.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm sicut accepimus ex rationabilibus causis pro monialium ordinis s. Francisci de observantia regnorum Portugalliae, quae curae et gubernio fratrum eiusdem ordinis sunt subiectae, quiete et regulari observantia maxime expediat, ne dictae moniales absque suorum superiorum et illorum ad quos spectat li-

centia, quoscumque praedicatores qui ex dicto ordine non fuerint, ad concionandum in earum ecclesiis invitare aut acceptare possint, nos in praemissis, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, ex voto venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium praepositorum, quibuscumque dicti ordinis superioribus in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro incurrendis poenis per praesentes mandamus, ut ipsi opportune provideant, ne posthac ad monasteria monialium concionatores ab ipsis non probati et missi accedant, idque sub censuris et poenis ipsis benevisis prohibeant, super quo plenam et amplam illis facultatem tribuimus. decernentes omnes et quascumque licentias, etiam a nobis aut a sede apostolica quomodolibet contra praesentium tenorem obtentas, nullas et invalidas omnino fore et esse etc.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die x. Maii pontificatus nostri anno IX.

CXIII.

Innovat constitutionem Sixti pp. v. pro fratribus observantibus Albaniae.
Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. 97.

Dilecto filio ministro provinciali provinciae Albaniae ordinis fratrum minorum s. Francisci salutem et apostolicam benedictionem.

RElegionis zelum ac pium studium, quibus tu atque alii tui ordinis fratres christifidelium animas in istis maxime regionibus spiritualibus solatiis indigentes sincera charitate assidue confovetis, certam nobis fiduciam praebent, fore ut facultatibus vobis per sedem apostolicam concessis salubriter et prudenter ad Dei gloriam eorumdemque fidelium fructum utamini; ideoque nos libenter ea quae ab eadem sede vobis hac de causa indulta fuerunt, nostra auctoritate approbamus. Dudum siquidem fel. rec. Pius pp. IV. praedecessor noster tunc existentis custodis ordinis fratrum minorum de observantia nuncupat. custodiae Albaniae in partibus infidelium supplicationibus inclinatus, eidem tunc et pro tempore existenti custodi dictae provinciae, ut in partibus suae custodiae totius Albaniae seu illius regionis sub ditione turcarum existentis, per se vel alium seu alios tot quot ex dictis fratribus ad id, necnon ad audiendum confessiones christifidelium utriusque sexus duceret deputandos quoscumque tam christifidelium huiusmodi prolem, quam etiam turcas et alios infideles baptizare, ac quaslibet utriusque sexus personas tam ecclesiasticas quam saeculares cuiuscumque status, ordinis vel conditionis forent, confessionibus illarum diligenter auditis, ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam talibus quod super eis sedes apostolica merito consulenda esset, a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuriis, et poenis per eos propterea quomodolibet incursis, contentis in bulla die Coenae Domini legi solita dumtaxat exceptis, auctoritate apostolica absolvere et illis pro commissis poenitentiam salutarem iniungere; necnon eucharistiae omni tempore praeterquam in die resurrectionis D. N. Iesu Christi ac etiam in dicto die resurrectionis tam eucharistiae, quam omni tempore extremae unctionis, ubi tamen non esset presbyter saecularis, curatus, seu si ibi foret de eius licentia sacramenta ecclesiastica administrare, illaque

Digitized by Google

ad infirmos deferre, et quoscumque matrimonium invicem contrahere volentes nullo canonico impedimento obstante, matrimonialiter et in facie ecclesiae copulare; nuptiasque benedicere et solemnizare, ac ecclesias sanguinis vel seminis effusione, aut quavis alia de causa pollutas, aqua prius per catholicum antistitem benedicta respersas in ordinarii loci absentia reconciliare, ac loca quaecumque eis in dictis partibus infidelium pro tempore pro divinis celebrandis, ac usu et habitatione fratrum huiusmodi concessa et concedenda recipere, et illa ac quaecumque alia bona immobilia in dictis partibus consistentia retinere et inhabitare absque conscientiae scrupulo seu censurarum incursu libere et licite valerent; liceretque custodi et fratribus per dictum et pro tempore praedictae custodiae custodem approbandum altare portatile cum debitis reverentia et honore habere, super quo in locis congruentibus et honestis celebrare possent, concessit et indulsit per suas in forma brevis literas sub dat. die xxvii. Septembris anno Domini mdlxv. pontificatus sui vi. expeditas, et deinde piae mem. Sixtus Papa v. etiam praedecessor noster tunc pariter existenti custodi eiusdem custodiae literas praedictas confirmavit per alias suas in simili forma brevis sub dat. die vii. Maii mdlxxxvii. pontificatus sui anno iii. expeditas, prout in singulis literis praedictis plenius continetur. Cum autem sicut nobis nuper exponi fecisti, ta qui provinciae ex dicta olim custodia Albaniae erecta minister provincialis exemplo eorum, qui pro tempore fuerunt, dictae olim custodiae custodes facultatibus huiusmodi ad salutem animarum spiritualemque consolationem christifidelium in illis partibus degentium uti intendas, et pro illarum subsistentia firmiori cupias literas huiusmodi per nos approbari; propterea nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos quibus universi gregis dominici nostrae curae divinitus commissi salus praecipue cordi est, atque eorum maxime qui in ipsis faucibus hostium christiani nominis versantur ac propiores periculo sunt, tuis supplicationibus inclinati, literarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, iuxta moderationem a Sixto praedecessore factam, tibi et pro tempore existenti ministro provinciali dictae provinciae, ut per te ipsum vel alium seu alios tui ordinis fratres ad hoc idoneos ab ordinariis locorum, si ibi fuerint pro tempore approbatos per te vel ministrum provincialem huiusmodi pro tempore existentem deputandos, ubi proprius parochus non existit, aut commode haberi non potest baptizare ac sacram eucharistiam omni tempore praeterquam in pascha, et tunc etiam eo tempore ubi proprius sacerdos aut parochus similiter non existit, ministrare; necnon eamdem sacram eucharistiam ad infirmos deferre, ac illam et extremae unctionis sacramentum eisdem infirmis ministrare et exhibere; matrimonia in facie ecclesiae solemnizare, nuptiasque benedicere, in iis tamen locis dumtaxat in quibus proprius parochus saecularis vel alius curatus non existit, nec alias et sine alicuius praeiudicio libere et licite valeatis, auct. apost. ten. praes. concedimus. et indulgemus. Easdem vero ipsius Pii praedecessoris literas quoad facultatem audiendi confessiones christifidelium ampliantes, tibi ac pro tempore existenti ministro provinciali, ut etiam per temetipsum seu alios tui ordinis fratres, ut supradictum est, approbandos et deputandos quoscumque christifideles utriusque sexus, quorum confessiones vos audire contigerit, non solum in praedictis casibus sedi apostolicae reservatis, verum etiam in bulla die Coenae Domini legi consueta, aut alias nobis et eidem sedi quomodolibet reservatis et reservandis, praeterquam homicidii,

Digitized by Google

et mutilationis membri in episcopo vel in alia persona ecclesiastica communi in foro conscientiae dumtaxat, dummodo res in iudicium deducta non sit, absolvere, iniunctis inde eis et eorum cuilibet poenitentia salutari ac debita satisfactione, et aliis quae de iure fuerint iniungenda similiter libere et licite possitis et valeatis, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Ac demum quoad reliqua omnia supradicta et caetera in illis contenta, quatenus praesenti nostrae moderationi non adversentur, auctoritate et tenore praemissis ad decennium tantum et non ultra approbamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, eisque approbationis nostrae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et quoscumque iuris et facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus, eademque omnia quae in illis expressa sunt iuxta formam et tenorem praesentium nostrarum literarum de novo, quatenus opus sit, concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XIII. Septembris pontificatus nostri anno IX.

CXIV.

Eligit commissarium generalem fratrum reformatorum. Ex reg. secr. brev. in mense Octobri pag. 44.

Dilecto filio commissario generali ordinis fratrum reformatorum s. Francisci de observantia salutem et apostolicam benedictionem.

CUpientes regimini et gubernio fratrum reformatorum s. Francisci de observantia opportune prospicere, ac de tua pietate, prudentia, religionis zelo ac in gubernando experientia plurimum in Domino confisi, tibi durante officio tuo commissarii generalis eiusdem ordinis, et absentia ministri generalis dicti tui ordinis, et vice ac loco ipsius praedictum ordinem universum fratrum reformatorum cum eadem auctoritate, superioritate, iurisdictione et facultatibus ministro generali totius ordinis s. Francisci de observantia competentibus et competituris in spiritualibus et temporalibus regendi et gubernandi plenam et liberam auctoritatem et facultatem tribuimus et impartimur. Mandantes propterea dilectis filiis custodibus ac aliis superioribus ac fratribus universis reformatis praedictis, ut tibi debitum honorem et reverentiam exhibentes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Caeterum volumus, ut quae nos per nostras sub plumbo in favorem eorumdem fratrum reformatorum seu alias expeditas literas disposuimus immutare aut aliquo modo alterare non possis, sed illa servare ac observare facere tenearis. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die II. Octobris pontificatus nostri anno IX.

Digitized by Google

CXV.

Quaedam statuit pro bono regimine provinciae Pietatis. Ex reg. secr. br. in mense Novembri pag. 83.

Ad perpetuam rei memoriam.

Militantis ecclesiae regimini divina disponente clementia praepositi, religiosorum qui in eadem ecclesia gratam Altissimo praestant famulatum prospero statui, quantum cum Domino possumus, consulere studemus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Volentes igitur felici regimini provinciae Pietatis fratrum discalceatorum s. Francisci de observantia in regno Portugalliae, quantum in nobis est, opportune prospicere, supplicationibus pro parte dilecti filii Simonis de Averio custodis eiusdem provinciae nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut fratres dictae provinciae in eorum strictiori observantia perseverare possint, illos statutis et ordinationibus generalibus capitulorum aut congregationum generalium eiusdem ordinis s. Francisci de observantia, in quibus de ipsis fratribus provinciae Pietatis specialis mentio non fiet, minime astringi, si in capitulo provinciali eius provinciae indicata fuerint, non conducere ordinationibus, consuetudinibus et modo vivendi dictae provinciae; circa receptionem vero novitiorum in eadem provincia modum per nostras in forma brevis literas sub datum die xxviii. Aprilis mdxcii. pontificatus nostri anno i. expeditas ministro et commissario generalibus et ministris provincialibus ordinis fratrum minorum de observantia in Hispaniarum regnis praescriptum; quod nimirum minister seu custos eiusdem provinciae Pietatis de consensu quatuor definitorum vel quatuor fratrum ex antiquioribus eius domus, in qua novitii recipiendi erunt, extra capitulum provinciale novitii ad habitum recipere valeant, servandas esse. Nullum praeterea praelatum ordinis, nec etiam ipsum cardinalem protectorem ipsius ordinis pro tempore existentem fratribus dictae provinciae Pietatis licentiam transeundi ad alias provincias, nisi ille sine ex discalceatis accedente etiam iusta causa et ministri provincialis dictae provinciae consensu concedere posse. Si qui autem fratres ex aliis ordinis provinciis ad dictam Pietatis provinciam transierint ibique fuerint incorporati, eos ad puram regulae observantiam ita addictos esse et fore, ac si in dicta provincia professionem emisissent, nec ulterius ad aliam provinciam, nisi modo praemisso, se transferre posse. Nullum insuper commissarium sive specialem sive generalem habeat commissionem, praeter commissarium generalem electum secundum bullam unionis, aliquam in eadem provincia iurisdictionem exercere vel habere posse, nisi ille ex discalceatorum provinciis fuerit assumptus, et si apostolica forsan auctoritate suffultus fuerit, non tamen in eadem provincia iurisdictionem sibi concessam censeri, nisi huius indulti specialis et derogatio facta fuerit, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus, praesentes literas perpetuo validas, firmas et efficaces existere, nec ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio etc. Quocirca dilectis filiis spoliorum ac iurium camerae apostolicae debitorum in Portugallia collectori generali etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die ix. Novembris pontificatus nostri anno i.

CXVI.

Ut fratres de observantia subsint in Peruano regno ordinariis locorum quoad animarum curam. Ex bull. Francisci Matritensis tom. 5. pag. 87.

Ad perpetuam rei memoriam.

Religiosorum quorumcumque qui ad salutem animarum christifidelium procurandam fidelem operam praestant, prospero ac tranquillo statui libenter consulimus, prout in Domino salubriter conspicit expedire. Cum itaque in partibus Indiarum multi fratres ordinis minorum de observantia s. Francisci ad Indos noviter ad fidem conversos christianam doctrinam edocendos, eorumque animarum curam exercendam, ob penuriam sacerdotum saecularium, ex apostolicae sedis speciali indulto deputari soleant, qui ab eorum superioribus nominati, ac a locorum ordinariis seu eorum officialibus approbati prius fuerint. Cumque sicut accepimus fratres sic ad curam animarum deputati, licet extra claustra in locis in quibus pro tali administratione deputantur, morentur, nihilominus certis cuiusque hebdomadae diebus ad conventus quos in locis principalibus habent, accedere debeant, et commissarios generales aliosque superiores quibus subsunt et obediunt et a quibus visitantur, habeant ita, ut extra claustra religionis morari minime dici possint. Nos eorum quieti et tranquillitati prospicere volentes, ex voto venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super consultationibus, et negotiis episcoporum et regularium praepositorum, fratres praedictos ordinis minorum de observantia ad animarum curam exercendam, ut praefertur, deputatos, in concernentibus curam animarum ordinario loci subesse, in reliquis vero non ordinario loci sed suis superioribus subiectos remanere, de quorum licentia extra claustra degunt: sicque ab omnibus censeri, ac ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere etc. Quocirca quibuscumque locorum ordinariis in Indiarum partibus constitutis, per praesentes committimus et mandamus, ne fratres praedictos contra praesentium tenorem super praemissis ullatenus perturbare, molestare vel inquietare audeant vel praesumant, quinimo illis in eisdem praemissis efficacis defensionis praesidio assistent et faveant. Contradictores etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die VIII. Novembris pontificatus nostri anno IX.

CXVII.

Ut archiepiscopus Calaritanus edita a visitatoribus apostolicis decreta in regno Sardiniae executioni demandet. Ex reg. secr. brev. in mense Novembri pag. 169.

Venerabili fratri Thomae archiepiscopo Calaritan. salutem et apostolicam benedictionem.

Ex iniuncto nobis apostolicae servitutis debito cunctorum ecclesiasticorum, praesertim regularium reformationi solicitis studiis intendentes, ea quae propterea iussu nostro provide ordinata sunt, debitae, ut par est, executioni demandanda esse censemus. Proinde cum quondam Clemens de Neapoli ordi-

Digitized by Google

nis s. Benedicti, et dilectus filius Antonius Marzer ordinis fratrum minorum de observantia professi, visitatores apostolici ad visitanda et reformanda monasteria et loca regularia regni Sardiniae a nobis nuper destinati, nonnulla decreta reformationi monasteriorum et regularium locorum huiusmodi convenientia ediderint, et ad nos retulerint, nosque illa in congregatione visitationis nostrae apostolicae examinari fecerimus, nunc volentes decreta et ordinationes huiusmodi debitae executioni, ut par est, quamprimum demandari, de tuae fraternitatis fide, prudentia, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, eidem fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut decreta et ordinationes huiusmodi, quae ad te una cum praesentibus nostris literis transmittimus, in singulis monasteriis et locis regularibus tam virorum quam mulierum cuiuscumque ordinis in isto regno Sardiniae existentibus, prout ad quodcumque illorum pertinet, debitae executioni demandari auctoritate nostra cures et facias, et ad hunc effectum superiores monasteriorum et locorum regularium huiusmodi ad te accersiri facias, et cuicumque illorum decreta ad illius conventum et subditos respective pertinentia, quorum exemplar authenticum illi consignabis, intimare, eisque sub censuris et poenis ecclesiasticis tibi visis praecipere, et intra tempus in eisdem decretis praefixum illa exequantur, et ubi terminus aliquis praefixus non fuerit, terminum aliquem arbitrio tuo etiam cum similibus censuris et poenis ecclesiasticis praefigere per acta alicuius publici notarii, eadem auctoritate nostra procures, ac terminis huiusmodi elapsis contra inobedientes et contumaces ad promulgationem et declarationem incursus poenarum et censurarum ecclesiasticarum, illarumque executionem procedas, super quibus omnibus et singulis etiam cum potestate citandi, et inhibendi quos et quibus opus fuerit, et per edictum publicum, ac sub censuris et poenis ecclesiasticis, necnon unum vel plures cum simili vel limitata potestate subdelegandi, aliaque in praemissis, et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exequendi plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc. Tu autem de omnibus per te gestis, nos certiores facere curabis.

Datum Romae apud s. Petrum die IX. Novembris pontificatus nostri anno IX.

CXVIII.

Mittit commissarium visitatorem in provinciam Angelorum. Ex reg. secr. brev. in mense Martio pag. 80.

Dilecto filio Ioanni de sancta Mariaministro provinciali fratrum minorum discalceatorum de observantia provinciae s. Ioseph in regnis Hispaniarum salutem et apostolicam benedictionem.

Decet romanum pontificem quem divina providentia patrem et pastorem omnium ecclesiae suae ordinem constituit, pro officii sui debito in id propensius et efficacius laborare, ut monasteria et alia regularia loca illorumque personae ad pristinum et debitum eorum regularis observantiae institutum opportune provisionis remedio quantocitius reducantur, abususque et scandala de medio submoveantur. Cum itaque sicut intelleximus in plerisque domibus et aliis regularibus locis ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum provinciae Angelorum in regnis Hispaniarum regularis vitae

Digitized by Google

et disciplinae observantia a certo tempore citra collapsa et offuscata sit, nos huiusmodi malis et incommodis tempestius antequam invalescant occurrendum esse censentes, ac de tuis fide, probitate, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, te in visitatorem dicti ordinis in provincia s. Angeli huiusmodi cum plena, libera et omnimoda facultate, potestate, et auctoritate tam quoscumque fratres dicti ordinis minorum observantium eiusdem provinciae s. Angeli et loca eorumque conventus, quam quascumque moniales curae eorundem fratrum subiectas earumque monasteria, auctoritate nostra visitandi, ac in illorum statum, famam, regulam, instituta, regimen, consuetudines, vitam, ritus, mores et disciplinam tam in capite quam in membris diligenter inquirendi, et quaecumque reformatione, mutatione, correctione, emendatione, renovatione ac etiam ex integro editione indigere cognoveris, reformandi, mutandi, corrigendi, emendandi ac ad debitum statum et vivendi modum reducendi, abusus quoscumque tollendi, institutiones, observationes, et disciplinam regulares in illis, in quibus excesserint, modis congruis restituendi, et reintegrandi, criminosos et delinquentes puniendi, carcerumque et aliis debitis poenis afficiendi, ac etiam voce activa et passiva suisque officiis et administrationibus suspendendi seu privandi et destituendi, necnon illorum loco alios ad officia et administrationes huiusmodi sufficiendi, contradictores, inobedientes et rebelles quoslibet, eisque auxilium, consilium et favorem praestantes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis fuerint, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliasque iuris et facti remedia compescendi, cogendi et compellendi, omniaque et singula alia, quae ad officium visitatoris apostolici de iure vel consuetudine quomodolibet pertinent, pro felici directione, gubernio, regimine et administratione domorum, locorum et personarum huiusmodi in praemissis, et circa ea necessaria et opportuna fuerint, faciendi, dicendi, gerendi, statuendi, disponendi, ordinandi et exercendi, ac quidquid desuper statueris et ordinaveris ab eis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, quibuscumque protestationibus, appellationibus, reclamationibus et aliis subterfugiis prorsus remotis, cessantibus et postpositis, observari faciendi, apost. auct. ten. praes. constituimus et deputamus. Decernentes omnia et singula, quae per te circa praemissa pro tempore decreta, statuta et ordinata fuerint, plenam roboris firmitatem obtinere, et ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, et nihilominus tam provinciali quam omnibus et singulis aliis ministris, guardianis custodibus, superioribus, officialibus, abbatissis et monialibus, et personis utriusque sexus domorum et locorum huiusmodi in virtute s. obedientiae, et sub excommunicationis poena districtius praecipiendo mandamus, ut te benigne recipientes et admittentes, ac sincera in Domino charitate praestantes tuis monitionibus, mandatis et ordinationibus in his, quae ad visitationis huiusmodi officium obeundum et exercendum pertinent, ac omnibus aliis praemissis sedulo parere studeant, nec te desuper per te vel alium seu alios molestare, perturbare aut inquietare audeant seu praesumant. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc. in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud s. Petrum die II. Martii pontificatus nostri anno IX.

Digitized by Google

CXIX.

Pro monasterio tertii ordinis terrae Durangi. Ex reg. secr. brev. in mense Ianuario pag. 82.

Venerabili fratri episcopo Calaguritan. seu dilecto filio eius officiali. salutem et apostolicam benedictionem.

EXpositum nobis nuper fuit pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae seu priorissae et monialium tertiariarum Beatarum nuncupatarum, terrae Durangi tunc Calaguritan. dioecesis, quod cum ipsae moniales, quae ante constitutiones fel. record. Pii v. et Gregorii xiii. rom. pontificum praedecessorum nostrorum super clausura monialium editas, clausuram servare non consueverant, sed extra clausuram sub obedientia fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupat. diversa pietatis et charitatis opera exercebant, et in parochiali ecclesia s. Annae dictae terrae quamdam cappellam sub invocatione s. Lucae cum sepultura habebant, ubi ad missas audiendas convenire, et decedentium monialium cadavera ecclesiasticae sepulturae tradi solebant, post publicationem dictarum constitutionum ad regularem clausuram sub obedientia eorumdem fratrum se reduxerint et nunc permaneant, et ecclesiam particularem iuxta earum monasterium habeant, seu aedificari faciant: eumque propterea supradicta cappella quam in praedicta parochiali ecclesia habent, frui non possint, cuperent ius et dominium quod in ipsa cappella habeant, in alium seu alios transferre, ac ab eo vel eis aliquam eleemosynam in fabricam dicti monasterii convertendam recipere posse, nobisque propterea humiliter supplicari fecerunt, ut opportunam ab hoc licentiam illis concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur easdem abbatissam seu priorissam et moniales specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati de venerab. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super negotiis episcoporum et regularium deputatorum, quibus hoc negotium examinandum commisimus sententia, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ea vera esse repereris, eisdem abbatissae seu priorissae et monialibus, ut ius et dominium quod in praedicta cappella s. Lucae habent, cuicumque seu quibuscumque eis benevisis personis concedere, et in illas transferre, ac ab eisdem aliquam convenientem eleemosynam ea de causa recipere, et in praedicti monasterii fabricam convertere libere et licite valeant, auctoritate nostra licentiam et facultatem concedas.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die x. Ianuarii pontificatus nostri anno viii.

Digitized by Google

CXX.

Pro monasterio s. Clarae Fanani. Ex reg. secr. brev. in mense Septembri pag. 192.

Dilecto filio nostro Hieronymo tituli s. Panceratii presbytero cardinali Matthaeio nuncupato salutem et apostolicam benedictionem.

CUm nos alias unum monasterium monialium ordinis s. Clarae in terra Fanani iurisdictionis monasterii s. Silvestri de Nonantula, cuius tu administrator apostolica auctoritate deputatus existis, erexerimus, ac inter alia, quod ipsum monasterium eiusque pro tempore existentes priorissa et moniales quoad curam iurisdictionalem abbatibus seu commendatariis pro tempore existentibus praedicti monasterii; quo vero ad curam sacramentalem fratribus ordinis s. Francisci de observantia subiectae forent, ordinaverimus, prout in nostris desuper expeditis literis plenius continetur. Cumque sicut accepimus in dicta terra Fanani nullum extet dicti ordinis s. Francisci monasterium; licet tunc erigendum esse praesupponeretur, nos ne propterea moniales praedictae sacramentorum cura destitutae remaneant, opportune providere volentes, circumspectioni tuae curam administrationis sacramentorum praedictis monialibus donec ibidem monasterium seu domus ordinis fratrum s. Francisci de observantia erectum fuerit, dilecto filio archipresbytero dictae terrae nostra auctoritate committendi, eadem auctoritate facultatem concedimus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XXVII. Septembris pontificatus nostri anno IX.

CXXI.

Ut componat discordiam circa iura sepeliendi inter fratres conventuales conventus Avellani et capitulum saeculare dictae terrae. Ex reg. secr. brev. in mense Februario pag. 32.

Dilecto filio vicario in civitate et dioecesi Marsican. praesidem apostolicum deputato in spiritualibus generali salutem et apostolicam benedictionem.

EXposui nobis nuper fecerunt dilecti filii guardianus et fratres domus s. Francisci tituli Avellani ordinis fratrum minorum conventualium nuncupat. Marsican. dioecesis, quod ipsi a circiter LXX. annis et ultra fuerunt et sunt in quieta et pacifica possessione sepeliendi in ecclesia dictae domus infantes et alias personas pro tempore decedentes, in eadem ecclesia sepulturam habentes absque interventu et licentia dilectorum filiorum abbatis et capituli ecclesiae s. Bartholomaei dictae terrae; de mense vero Septembris proxime praeterito, cum quaedam puella quae ius sepulturae in primodicta ecclesia habebat, obiisset, eamque guardianus et fratres praedicti sepeliissent, dicti abbas et capitulum ad primodictam ecclesiam, dum divina officia in ea celebrabantur, armata manu accesserunt et puellam sepultam de facto exhumarunt et vi asportarunt, non sine populi in primodicta ecclesia adstantis maximo scandalo. Cum autem sicut dicta expositio subiungebat, cupiant iidem guardianus et fratres eorum posses-

Digitized by Google

sionem iuris sepeliendi cadavera defunctorum qui in primodicta ecclesia sepulturam habent, manuteneri, et cadaver dictae puellae ad primodictam ecclesiam in primis et ante omnia reduci ac eisdem abbati et capitulo ne illos in posterum super huiusmodi iure sepeliendi molestare quoquomodo audeant seu praesumant, inhiberi facere, ideo nobis humiliter supplicari fecerunt dicti guardianus et fratres, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem guardianum et fratres, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus vocatis ad id qui fuerint vocandi, eam et alias huiusmodi auctoritate nostra prout iuris fuerit, ex sententia venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium super causas regularium deputatorum expedias, et eos qui praedictos excessus et praefatam exhumationem fecerunt debitis poenis punias, proviso interim ne alia inconvenientia ac scandala oriantur. Nos enim tibi etiam citandi et sub censuris ecclesiasticis et pecuniariis poenis inhibendi, ac inobedientes in illas incidisse, servata forma concilii Tridentini, declarandi, aggravandi, reaggravandi et interdicendi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, caeteraque in praemissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi, exercendi, exequendi plenam et liberam apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus facultatem.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die v. Februarii pontificatus nostri anno IX.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

RERUM NOTABILIUM

NOTAE ARABICAE PAGINAM
ROMANAE PARAGRAPHUM SIGNANT.

A

ADrianus Hosstadius obs. vir doctus obit 293. X.
Aegidius Borman m. 117. LX.
Age Macdaughlim m. 27. LXXI.
Agnes a s. Andrea obit 151. XLI.
Agnes de Britto obit 233. XXXIX.
Agnes de Tapia obit 151. XL.
Albertus Gallus m. 192. XIV.
Alexander Farnesius Parmae et Placentiae dux ac Belgarum copiarum praefectus tumulum nactus in ecclesia capucinorum Parmae 93. CXII. eius parentalia celebrata in ecclesia aracoelitana de Urbe 134. CIII.
Alexander cardinalis Medicaeus Clementis VIII. legatus cum Francisco Gonzaga episcopo Mantuano, et Bonaventura Secusio ministro generali ordinis pro iuunda pace inter Philippum II. Hispaniarum et Henricum IV. Galliarum reges 222. XV. pro ea consequenda eorum labores notantur 253. I. inter eos concordia firmatur 290. III.
Alexander a Mondavio conv. commissarius visitator 284. XCIX.
Alexander papa VI. amovet fratres observantes e coenobio s. Petri de Muralto Camerini, eosque immittit in conventum s. Francisci conventualium eiusdem urbis 362. LXIV. fratres conventuales recipiunt domum sub invocatione s. Angeli ibid.
Alexander VIII. ss. albo b. Paschalem Baylon adscribit 73. XCIV.
Aloïsia de Lamas obit 43. XIII.
Aloisia Manuel obit 151. XLI.
Aloisius Gomez dis. socius Hieronymi a Iesu disseminandi evangelii causa se confert in Iaponiam 533. LXXVI.
Aloisius a Roma ref. commissarius visitator 329. LIX.
Alphonsus a s. Bonaventura obs. fratrum delectum habet pro evangelizandis regionibus de Tucuman, Buenos Ayres, et Rio de la Plata 142. XIII.
Alphonsus de Cruce dis. literis floret 336. LXXXIII. et 398. CXXXIX.
Alphonsus de la Cueba obs. obit 154. XLIX.
Alphonsus Gesualdus archiep. Neapolitanus agit apud Clementem VIII. ut amotis fratribus observantibus moderatoribus regii monasterii s. Clarae eiusdem urbis, illud sui iuris faceret 301. XXXIII. eius voluntati cessit pontifex ibid. at reclamantibus monialibus eas subiecit pontifex minoritis reformatis 302. XXXIV.
Alphonsus Lupus obit. Eius ortus pueritia, et caetera vitae suae acta notantur 197. XXXI. et seq.
Alphonsus Martinez praeses fratrum observantium Novum Mexicum petentium 221. XI.
Alphonsus a Palentia dis. obit 355. XLIV.
Alphonsus de Solana obs. literis et sanctitate eximius 353. XXXVIII.
Alphonsus a Sousa obs. obit 259. XVIII.
Alphonsus de Tordesillas dis. obit 356. XLVIII.
Alphonsus Urbani obs. obit 27. LXXIII.
Ambrosii Capitii obs. archiep. Antibaren. et administratoris ecclesiae Buduen. acta narrantur 306. XLV. et seq. Eius obitus incertus 307. XLIX.

Digitized by Google

Ambrosius Mediolanensis cap. mira operatur apud Algerium 343. I.
Ambrosius Senensis cap. obit 111. XLIV.
Ambrosius Urbinas cap. vir pius et doctus obit 386. CXXXIV.
Ambrosius Zisoriensis cap. obit 234. XLII.
Andrea de Burgos clarissa obit 360. LIX.
Andreae (b.) Hispellatis corpus elevatur 281. LXXXVII.
Andreas Banonus def. generalis 377. CXII.
Andreas Berua conv. vir doctus 387. CXXXV.
Andreas a Cathania cap. obit 295. XVII.
Andreas a Cremona cap. obit 152. XLIII.
Andreas Davila obs. literis praestans 335. LXXXIII.
Andreas a s. Francisco obs. vir bonus et doctus obit 387. CXXXVII.
Andreas (b.) Hibernon dis. multis virtutibus emicat 316. XXI. et seq.
Andreas a Montebello obs. obit 235. XLV.
Andreas Setuvallensis obs. missionarius Insulae Ceylami m. 343. II.
Andreas a Sestino cap. obit 256. XII.
Andreas a Soto obs. doctrina eximius inclaret 119. LXVIII. commissarius generalis in provinciis Germaniae et Flandriae pro introducenda recollectorum familia 253. II.
Andreas Taurinen. cap. obit 111. XLIV.
Angela a s. Paulo obit 233. XXXIX.
Angelicus a Castroveterano novitius clericus cap. obit 152. XLIV.
Angelus Breisonius Gallus cap. obit 33. XCIII.
Angelus Galliottus obs. vir doctus floret 283. XCV.
Angelus Ioyosaeus cap. habitu, summi pontificis voluntate, dimisso, foederatorum partes suscipit in provincia Occitaniae 204. XLIX. reddita ibidem tranquillitate, iterum ad capucinos redit 330. LXI.
Angelus, in baptismate Vincentius, in insula Chii illustri Iustinianorum genere ortus, observantium institutum profitetur, ubi literis et concionibus praestans evasit 245. LXIX. a Pio IV. in Galliam mittitur cum Hippolyto cardinali Atestino ad sedandos haereticorum tumultus 245. LXX. fit commissarius visitator almi conventus Parisiensis 245. LXXI. a Philiberto Sabaudiae dynasta eligitur episcopus Genevae 245. LXXII. eius labores pro tuenda catholica fide ibid. episcopatum dimittit 246. LXXIII. summo ingenio praeditus, multa opera latina et graeca edit 246. LXXIV. obit 247. LXXV.
Angelus del Pas. in saeculo Ioannes Carolus, pueritiam inculpatam duxit, fratrumque observantium ordinem invitis parentibus ingreditur 236. XLIX. et seq. professionem emittit 237. LII studiis incumbit in Complutensi accademia, ac concionatoris munus explet 237. LIII. et seq. ad recollectos fratres transit 238. LV. eligitur minister provinciae recollectorum; at non multo post ab officio destituitur ibid. Romam ac inde Genuam advenit, ubi concienes habet, et quaedam opera edit 238. LV. et LVI. Hispaniam repetere cogitat; consilio tamen cuiusdam vetulae propositum mutat 239. LVII. in Siciliam concionandi gratia se confert 239. LVIII. Romam a Sixto V. vocatus, mandatum ab eo accipit explanandi sacra evangelia 240. LIX. alia typis vaticanis edit 240. LX. eius vitae ratio tam in iuvenili quam senili aetate 241. LXI. signis et miraculis in vita inclaret 241. LXII. pie decedit ibid. eius corpus transfertur 242. LXIII. sanctimoniam eius plures commendavere 242. LXIV.
Angelus Piceuus obs. obit 194. XVIII.
Angelus de Portalegre obs. obit 297. XXII.
Angelus de Rota Castello ref. commissarius generalis 311. LXI.

Digitized by Google

Anna ab Assumptione obit 360. LVII.
Anna de Fuentes obit 154. XLI.
Anna Maria de Placentia obit 360. LVIII.
Anna de s. Paulo obit 326. XLVIII.
Anonymi duo mm. 294. XIII.
Anonymus m. 319. XXIX.
Anonymus Hispanus obs. vir doctus 83. XCIX. et 281. LXXXVI.
Anselmus Monopolitanus cap. procurator generalis 330. LXII.
Anselmus a Serra cap. obit 325. XLVI.
Antonia a Iesu obit 299. XXVI.
Antonia de Resurrectione obit 359. LV.
Antonia de Santillana obit 110. XL.
Antonia de Trinitate obit 110. XL.
Antonii s. r. e. cardinalis Pallotta praecordia excepit ecclesia coenobii obs. Montiscassiani 146. XXV.
Antonii (b.) a Stronconio obs. corpus elevatur 328. LV.
Antonius Alvarez obs. vir doctus 34. XCVI. obit 293. IX.
Antonius Alverne obs. obit 28. LXXIV.
Antonius Angelorum Lusitanus tertii ordinis doctrina floret 388. CXXIX.
Antonius Badaioz dis. m. 261. XXV.
Antonius a Barrera cap. obit 325. XLV.
Antonius Benedictus Farabrichius obs. vir doctus, iam vicarius generalis ordinis, designatus s. r. e. cardinalis, Mediolani defunctus 145. XXII.
Antonius Bosnas def. generalis 377. CXII.
Antonius a Campomaiore obs. senex septuaginta annorum mira operatur apud Brasilianos 104. XXII.
Antonius a Conimbria obs. obit 354. XLI.
Antonius Delgado obs. doctrina conspicuus 208. LXVI. et 283. XCV.
Antonius a s. Dionysio obs. primus episcopus Insulae s. Thomae 84. CII.
Antonius de Figueroa obs. obit 289. XVIII.
Antonius Irles dis. obit 142. XLVI.
Antonius laicus obs. obit 28. LXXIV.
Antonius Leitao obs. obit 257. XVI.
Antonius de Leobschitio Silesita obs. vir pius tumulatus in ecclesia coenobii Tridenti 229. XXXI.
Antonius Marzer obs. eximis. visitator in Ins. Corsicae 284. XCIX.
Antonius Maqueda dis. obit 296. XIX.
Antonius de Martyribus tumulatus in ecclesia coenobii oppidi de Victoria in Brasilia 205. LII.
Antonius a s. Michaele obs. obit 49. XXIX.
Antonius a s. Michaele obs. episcopus Quitensis obit 234. XLIV.
Antonius a Montefranco commissarius reformat. 311. LXI.
Antonius Morenus observ. obit 28. LXXIV.
Antonius a Naugasacho m. Iaponensis 271. LIV.
Antonius Ortiz obs. commissarius generalis Peruani regni 97. VI. iubet ut in Peruanis provinciis bina statuantur coenobia recollectionis 192. XIII.
Antonius de Pactis commissarius reformat. 329. LIX.
Antonius Paupon socius Vincentii Mussart in restaurando tertio minorum ordine in regno Galliae 170. III.
Antonius Peruinus commissarius reformatorum 311. LXI.
Antonius a Regibus dis. obit 353. XXXIX.
Antonius cardinalis a Severinae praeses capituli generalis capucinorum 330. LXII.
Antonius de Taracon obs. obit 296. XX.
Antonius a Toro cap. obit 286. XII.
Antonius Trigonius conv. doctrina eximius 336. LXXXIV.
Antonius a Valdemoro obs. obit 259. XVIII.
Antonius a Vico cap. obit 286. XII.
Antonius Vulcanus ref. vir doctus floret 388. CXXXIX.
Archangela Tardera tertiaria obit 327. LI.
Archangelus Alarconius cap. vir pius et doctus obit 295. XV.
Archangelus Ariminensis cap. obit 203. XLVII.
Archangelus a Savona ref obit 357. L.
Artaldus de Alagon ex tertio saecula-

rium ordine vir doctus obit 119. LXVI.
Augustinus de Cupitis obs. vir doctus 83. XCIX.
Augustinus cardinalis Cusanus protector conventualium 84. CIV. praesidet eorumdem generali comitio 95. II.
Augustinus a Montebarochio obs. obit 235. XLV.
Augustinus Rodriquez dis. apostolus Iaponensium 141. X.
Augustinus Senensis cap. obit 204. XLVII.
Augustinus a Siciniano cap. obit 152. XLIV.
Augustinus Superbi conv. literis floret 292. VIII.

B

Balthassar Pachecus obs. e rostris dixit in comitio generali de Urbe 377. CXII.
Balthassar Vincentinus obs. def. generalis 377. CXII.
Baptista Fernandez obs. vir doctus inclaret 120. LXVIII.
Baptista Rotundanus cap. obit 46. XXII.
Baptistae (b.) in saeculo Camillae ex dynastis familiae Varani Camerini corpus elevatur, et inter clarissas vitae suae acta praetermissa narrantur 120. LXX. et seq.
Bartholomaei ab Anglario vita et corporis translatio expenditur 327. LII. et seq.
Bartholomaeus Anduxarus dis. obit 355. XLV.
Bartholomaeus Caesenas cap. obit 47. XXIV.
Bartholomaeus Caesenas cap. obit 47. XXIV.
Bartholomaeus Darrocensis cap. obit 29. LXXVIII.
Bartholomaeus de la Plaza obs. episcopus Insulae s. Iacobi de Cuba 283. XCIV.
Bartholomaeus Ruiz dis. apostolus Iaponensis 103. XVII. incola coenobii Nangasachi 218. III. in exilium actus a Taycosama Iaponiorum imperatore 353. XXXVII. obit martyrii desiderio frustratus ibid.
Bartholomaeus a Tridento obs. vir pius in ecclesia Tridenti tumulatus 229. XXXI.
Beatrix a Cruce obit 31. LXXXIII.
Beatrix Montoza obit 233. XXXIX.
Benedictus Felchia cap. Angliam regionem suam repetit pro ibidem instauranda catholica fide 330. LXIII.
Benedictus a Randazzo conv. obit 256. XIII.
Benedictus Salvensis cap. obit 111. XLII.
Benedictus Sangallo conv. vir doctus floret 208. LXV.
Benedictus a Venafro cap. obit 203. XLV.
Bernardinus Aragonensis cap. obit 111. XLII.
Bernardinus a Collepetracio cap. obit 151. XLII.
Bernardinus a Comudio obs. missionarius in California 221. XII.
Bernardinus Dinios obs. doctrina conspicuus 83. XCIX.
Bernardinus Eborensis obs. obit 334. XL.
Bernardinus de Obigones fundator tertii ordinis pro opitulandis infirmis obit 324. XLIII.
Bernardinus Panormitanus obs. vir doctus floret 388. CXXXVIII.
Bernardinus Scotinos def. generalis 98. VII.
Bernardinus Turaninus obs. literis clarus 333. LXXXIII.
Bernardinus Vicentinus guardianus s. Mariae Magdalenae Neapolis 98. VII.
Bernardus Auximas capucin. obit 30. LXXXI.
Bernardus Sabbia def. generalis tertii ordinis 207. LX.
Bernardus Somma obs. vir doctus floret 200. LXVI.
Birgitta de Vizitçao obit 359. LV.
Blasius Rodericus m. 193. XIV.
Bonaventura Bagnai conv. vir doctus obit 212. LXXII.
Bonaventura a Coelano obs. vitam la-

Digitized by Google

tinam s. Ioannis a Capistrano italicam reddit 335. LXXXIII.
Bonaventura Daumius obs. multa agit pro fide catholica in provinciis Austriae 343. III.
Bonaventura Gozar observ. obit 29. LXXV.
Bonaventura Hispanus cap. obit 358. LIII.
Bonaventura Meacensis m. Iaponensis 273. LXI.
Bonaventura a Montebarochio guardianus s. Clarae Neapolis 98. VII.
Bonaventura Secusius a Calatahierone minister generalis ordinis 97. VI. favet fratribus reformatis 140. V. quasdam leges pro eis edit 175. X. et seq. et pro recollectis 184. XI. et seq. mittitur a pontifice ad componendum dissidium inter Hispaniarum et Galliarum reges 222. XV. ordinis decorem promovet in Gallia et in Belgio 222. XVII. et in Italia 223. XVIII. eius labores pro inducenda concordia inter laudatos reges 253. I. inducit recollectos in provincias Germaniae Inferioris et in Flandriam 253. II. pacis foedus inter reges Hispaniarum et Galliarum componit 290. III. fit patriarcha Constantinopolitanus et canonicus basilicae s. Petri de Urbe, retento munere generalatus ordinis 329. LIX. mittit visitatores in custodias reformatorum ibid. agit pro componenda controversia de ducatu Salutiarum, eamque consequitur 350. LX.
Bonifacius de Sillis definitor generalis tertii ordinis 207. LX.

C

Caesar Estensis Ferrariae ducatu destitutus, eius dominium sibi vindicat summus pontifex 280. I.
Caesar Lippus conv. vir doctus 85. C. eius oratio habita in eorum comitio de Urbe 95. II.
Caesar Pergulensis conv. commissarius generalis 36. CI.
Callistus Martello obs. commissarius provinciae Syriae ac Terrae Sanctae aliquot instruxit cellulas in conventu Arnicae pro incolatu peregrinorum sacrae Palestinae loca petentium, ac coenobium Nicosiae 104. XXIII.
Camilla Peretti Sixti V. pontificis germana erigit ecclesiam s. Luciae penes oppidum Cryptarum in aede, in qua ambo natalem habuerunt 216. LXXXIV. et seq.
Camillus Caietanus patriarcha Alexandrinus et catholici regis nuncius, praeses capituli generalis observantium in urbe Vallisoleti 97. VI. eius mandatum de construendo fratrum valetudinario in urbe Hispalensi 142. XVI. definit controversiam circa aliqua iura 168. XCVII. decernit translationem conventus de Herrera 229. XXVII.
Candidi (b.) Ranzi corpus elevatur 340. LVII.
Candidus Brixiensis cap. obit 29. LXXVIII.
CAPITULA GENERALIA
Capucinorum 95. I. 228. XXIV. 330. LXII.
Conventualium 95. II. 224. XX.
Observantium 97. VI. 377. CXII.
Tertii ordinis 207. LX.
Carolus Beroardi obs. obit 83. XCVII.
Carolus Sperarelli conv. ob. 29. LXXVII.
Catharina de Ergote obit 149. XXXIII.
Catharina a Malhatten obit 298. XXVI.
Catharina a s. Maria obit 235. XXXIX.
Catharina de Quadia obit 149. XXXIII.
Catharina a Toro obit 151. XL.
Catharina Trestberger obit 298. XXVI.
Cherubinus a Nucibus cap. obit 46. XXII.
Cherubinus Sandolinus cap. vir doctus obit 386. CXXXIV.
Chrysostomus Albidonensis cap. obit 111. XLII.
Christina de Elia obit 42. X.
Christolinda de Angelis obit 285. X.
Christophorus Assisias procurator generalis cap. 95. I.
Christophorus de Cabazuelas dis. obit 48. XXVII.
Christophorus a Capitefontium minorum

observantium ordini adscriptus, eximius evasit in scientiarum cultura, ac linguis hebraica, graeca, latina et hispana 154. LI. primo suae provinciae, mox generalis ordinis minister renunciatus, gregem sibi commissum summa vigilantia vitaeque exemplaritate gubernavit 155. LII. archiepiscopus Caesariensis, et suffraganeus archiepiscopi Senonen. deligitur 155. LIII. in Flandriam inde se conferens, multos a fide devios ad catholicae fidei unitatem adduxit ibid. Romam advenit ad Sixtum pontificem se ab obiectis purgaturus; antea denunciatus fuerat apud legatum apostolicum, velut aliqua contra fidem protulisset 153. LIV. in Urbe decedit gemino ad eius tumulum apposito monumento ibid. et LV. plura scripsit; at multa passus est ob peregrinas quasdam sui ingenii exuberantis opiniones. Aliqua eius opera proscripta ab ecclesia fuerunt 156. LVI.

Christophorus Freixino obs. obit 325. XXXVIII.

Christophorus Lopez obs. apostolus Californiae 221. XII.

Christophorus Munch obs. obit 356. XLIX.

Christophorus Panormitanus ref. obit 50. XXXIV.

Christophorus de Salazar obs. Novi Mexici missionarius 221. XI.

Christophorus a Tolosa obs. commissarius generalis curiae romanae 97. VI.

Christophorus a Veruchio cap. vir doctus 248. LXXVII. obit 386. CXXXIV.

Clara Benamati obit 362. LXIII.

Clara a s. Francisco obit 359. LVII.

Clara Martinez obit 149. XXXIV. et seq.

Clara Suazi obit 362. LXIII.

Claudius Medulla obs. literis praestans 283. XCV. vicarius generalis ordinis 222. XVI.

Claudius de los Martyres primus minister provinciae s. Pauli discal. 140. V.

Claudius Picquet obs. doctrina clarus 283. XCV.

Claudius Prior obs. vir doctus floret 209. LXVI.

Clemens papa VIII. creatur 38. I. institutam ab eo visitationem ecclesiarum de Urbe per se absolvit ibid. causam agnoscit Francisci Bonfigli ministri generalis conventualium iam a munere demissi, eumque ad moderandum ordinem iterum assumit ibid. II. quaedam statuit pro monasteriis sanctimonialium in regno Portugalliae 87. CVIII. casus reservati ab eo editi pro omnibus regularibus 135. CVIII. et seq. eius studium pro ineunda pace inter reges Hispaniarum et Galliarum 222. XV. indicit iubilaeum ibid. deligit Franciscum Gonzagam episcopum Mantuanum, et Bonaventuram Secusium administrum generalem ordinis pro concilianda pace inter laudatos reges 222. XV. absolvit Henricum IV. Galliarum regem a vinculo excommunicationis 222. XVI. in ecclesia aracoelitana de Urbe solemnes precationes celebratae pro eiusmet pontifice a Ferraria ad Urbem redeunte 289. II. Amovet fratres de observantia a regimine clarissarum regii monasterii Neapolis 302. XXXIV. Caetera suis in locis.

Clemens XII. concedit indulgentiam plenariam in festivit. bb. mm. Iaponensium 280. LXXXV.

Clemens XIII. indulget clero Calagaritano recitationem divini officii et missae ad honorem b. Martini de Aguirre m. Iaponensis 288. XLIV.

Clemens Bontadosius conv. episcopus Neocastrensis 164. LXXXV. vir doctus obit ibid.

Clemens a Gravina cap. obit 203. XLVI.

Clemens a Montebarochio guardianus coenobii Constantinopolitani 98. VII.

Clemens Panormitanus cap. obit 203. XLV.

Clemens Placentinus cap. obit 256. XI.

Collegium Avenionen. conv. 334. LXVI.

Collegium Coloniens. convent. 385. CXXVIII.
Columbarius Mazzius definitor generalis 3. ord. 207. LX.
Concordia inter fratres conventuales et observantes 224. XXIII.
Conradus de Balneis cap. obit 234. XLIII.
Constantia de Ribera obit 360. LVII.
Constantia Velasquez obit 326. L.
Constantinus a Corinaldo commissarius fratrum conventualium reformatorum 36. CI.
Constantius Buccaferus conv. cardinalis insignitur a pontifice galero rubro 210. LXIX. eius scripta notantur, ibid. et seq. decedit 211. LXXI.
Controversia circa praecedentiam procuratoris generalis conventualium et observantium in cappella pontificia definitur 135. CVII.

CONVENTUS FRATRUM

Abellarum obs. 144. XIX. Aesii ref. 384. CXXIV. Airolae conv. 147. XXVII. Alasii ref. 384. CXXIV. Alcudine discalc. 384. CXXV. Alexandriae convent. 42. VIII. Alaxii cap. 109. XXXVI. Alfarae obs. 332. LXXI. Algariae obs. 107. XXVIII. Algaydarum obs. 41. VI. de Almagro dis. 254. IV. de Almaguera dis. 207. LVII. de Alora obs. 32. LXXXVIII. de Alparil recoll. 334. LXXVII. Alpense obs. 205. LV. Altusmontis cap. 255. VI. Alveti cap. 254. VI. Ambiani cap. 303. XXXV. de Ampudia dis. 333. LXXIV. Andegavi cap. 331. LXIV. s. Angeli in Vado ref. postea dimissus 365. XLI. Angeriae recol. 223. XVII. Aquilae ref. 42. VIII. Araiani cap. 109. XXXVI. Arcensis ref. 230. XXXII. de Arcos dis. 109. XXXIV. Arenae ref. 254. III. Ariae cap. 331. LXIV. Arnicae obser. 104. XXIII. Asculi 3. ord. 109. XXXV. Asoli ref. 207. LIX. Assisii cap. 208. LXIII. Audomaris cap. 147. XXVIII. Augustae Vindelicorum conv. visitatus 383. CXXVIII. Autogria obs. 205. LVI. Badae cap. 32. XCI. Baetiae obs. 41. VI. Baiolati conv. 32. LXXXVIII. Balgeaviae cap. 42. IX. Barrium Ducis cap. 255. VI. Baugi cap. 331. LXIV. Bellofortensis recol. 334. LXXIX. Biezensis recol. 253. II. Bibazensis obs. a turcis occupatus 41. VII. de Bilbao obs. 304. XXXVII. Bisbonae ref. 147. XXVI. Bivonae ref. 253. III. s. Blasii de Monte obs. 205. LIV. Blesae cap. 109. XXXVI. Boetendalis recol. 253. II. Bolsenae sive Vulsinii cap. 332. LXX. Bolsenae obs. 332. LXX. de Bornos dis. 109. XXXIV. Brinoti cap. 331. LXIV. Brontis obs. 255. VII. Brugae cap. 42. IX. Brundusii ref. 107. XXX. Buclaici ref. 31 LXXXVI. Burgensis ref. 332. LXXII. Burgi s. Dominici 3. ord. 303. XXXVI. de Butrugno obs. 383. CXXI. Burgi Lucensis ref. 304. XL. Cabelli cap. 147. XXVIII. Cabillonen. obs. 206. LVII. Cadanen. conv. 147. XXVII. Caesaraugustae cap. 303. XXXV. Caesenae ref. 254. III. Calaris cap. 42. IX. Calasii obs. 144. XVIII. et 206. LVI. Calatanixetae ref. 232. III. Calataphimi cap. 303. XXXV. Calataphimi 3. ord. 254. V. Calatiae cap. 42. IX. Calvariensis obs. 383. CXX. Cameratae ref. 42. VIII. Camerini conv. 362. LXIV. Camerini obs. 362. LXIV. Campaniae obs. 147. XXVI. Campectoracti cap. 32. XCI. Caracensis discalc. 32. LXXXIX. Carcassonae cap. 42. IX. Carleti obs. 255. VII. Carpinei conv. 331. LXVI. de Casacallena ref. 147. XXVI. Casamaximae obs. 208. LVI. Cassani ref. 303. XL. Castellucii ref. 207. LVIII. Castilenti obs. 304. XXXVII. Castrifranchi conv. 207. LVII. Castriveteris conv. 109. XXXV. Castronaulari cap. 303. XXXV. Catacensis cap. 303. XXXV. Cavomontis cap. 383. CXXX. Cenetensis ref. 303. XLI. Centi cap.

234. VI. Chiensis obs. datus iesuitis 84. CV. Cinguli ref. 32. XC. Cisterniui cap. 228. XXV. Citonii ref. 234. III. Civitatensis dis. 254. IV. Civitatis Novae ref. 32. XC. Claravallis cap. 147. XXVIII. Clarimontis cap. 109. XXXVI. Coelini ref. 107. XXX. Coelici cap. 109. XXXVI. Comi reform. 147. XXVI. Compostellae recol. 334. LXXVII. Coneliani ref. 207. LIX. Corabi cap. 147. XXVIII. Corniae conv. 32. LXXXVIII. Cryptaeaurene cap. 147. XXVIII. Cupertini ref. 107. XXX. Cutri cap. 385. CXXX. Draguinisui capuc. 331. LXIV. Duaci cap. 42. IX. Ecclesiensis cap. 228. XXV. Enuae cap. 303. XXXV. Estensis conv. 234. V. Fabriani cap. 42. IX. Fani cap. 228. XXV. de Faro obs. ab Anglis vastatus reficitur 229. XXIX. et 255. VII. Feltrae reform. 207. LIX. Ferentilli 3. ord. 385. CXXIX. Fesulis ref. 305. XL. s. Florae ref. 304. XL. Fontaneti obs. 383. CXXI. de Fonte Oboiuna obs. 107. XXIX. Fontiscostelli ref. 304. XL. Fontiscolumbae ref. 42. VIII. Francavillae ref. 207. LVIII. Frauenfeldensis cap. 228. XXV. Friburgi cap. 331. LXIV. de Fuentes obs. 304 XXXVII. Galatulae capuc. 331. LXIV. Gallipolis ref. 333. LXXII. Genuae cap. 109. XXXVI. Geruntiae conv. 109. XXXV. de Graial dis. 304. XXXIX. Gratasolii 3. ord. 385. CXXIX. Groedensis obs. 205. LII. Groningensis obs. dirutus 144. XVII. Guardiae Perticariae conv. 224. XXII. Guardiagrelis capuc. 331. LXIV. Guastallae cap. 32. XCI. Gulionisii ref. 147. XXVI. Gypsii cap. 32. XCI. de Herrera obs. 229. XXVII. Histonii ref. 107. XXX. Hortae cap. 228. XXV. Hostiliae obs. 206. LVI. Hostumi ref. 32. XC. Hydruntii cap. 147. XXVIII. Iuskensis obs. 383. CXX. Iesualbi cap. 42. IX. Imolae cap. 42. IX. Imolae ref. 204. III. Imolae 3. ord. 331. LXVII. Insulae Ebutiae obs. dimissus 235. VII. Insulae Margaritae obs. 104. XXI. Insulae Trinitatis obs. 104. XXI. insularum cap. 42. IX. Iemitiae discal. 333. LXXIII. de Ixar recol. 334. LXXVII. Lavelli cap. 32. XCI. Lauduni 3. ord. 385. CXXVII. Iavinine 3. ord. 385. CXXIX. Laurinhiana obs. 303. XXXVII. de Lazarolo obs. 206. LVI. Lectorensis obs. 304. XXXVIII. Legionensis dis. 254. IV. Leodii cap. 385. CXXX. Leonae recol. 41. VI. Licii obs. 305. XL. Liparensis obs. 383. CXXI. Lovanii capuc. 147. XXVIII. Lucaviae observ. 107. XXVII. Luci cap. 42. IX. Lucimaloris obs. 383. CXX. Luciniani cap. 42. IX. Maceratae cap. 228. XXV. Maloani obs. 229. XXVIII. Manduri ref. 207. LVIII. Manerbi cap. 42. IX. Maritimae ref. 333. LXXII. Martinegii ref. 305. XL. Masae refor. 32. XC. Massareni obs. 41. VII. Mazi dis. 141. VIII. Mechliniensis cap. 334. LXIV. Mechliniensis recol. 253. II. Mediolani cap. 109. XXXVI. Mediolani ref. 107. XXX. Melegnani obs. 206. LVI. Mercennae obs. 383. CXX. Metis recol. 253. II. Metis 3. ord. 383. CXXVII. Millunii 3. ord. 207. LXII. Minervini cap. 109. XXXVI. Misensis conventual. 32. LXXXVIII. Misuracae ref. 254. III. de Mollid obs. 41. V. Monachii cap. 385. CXXX. Monteleonae cap. 32. XCI. Montes cap. 208. LXIII. Montisalbani capuc. 109. XXXVI. Montiargivi recol. 334. LXXIX. Montiscalerii cap. 32. XCI. Montiscaroli reform. 234. III. Montiseassiani observ. 145. XXIII. Montiscavensi cap. 109. XXXVI. Montiscelii conv. 207. LVII. Montisgarganii cap. 208. LXIII. Montisludi cap. 385. CXXX. Montis s. Pauli obs. 144. XX. Montissancti ref. 32. XC. Montisandi recol. 334. LXXVII. Moo-

tisrisii ref. 207. LVIII. Morlupi ref. 107. XXX. Mosciani obs. 31. LXXXVI. Murciae discal. 333. LXXIII. Nancei cap. 109. XXXVI. Nangasachi dis. 141. XI. Nannetae cap. 255. VI. Narbonae cap. 32. XCI. Nari ref. 253. III. Neritouensis obs. 255. VII. Neritonensis ref. 255. VII. Nicosiae obs. 104. XXIII. Nieswitii obs. 255. VII. et 304. XXXVII. Nivellae recol. 253 II. Nivernensis recol. 222. XVII. Noisiacensis recollect. 334. LXXIX. Novariae cap. 385. CXXX. Occierii cap. 109. XXXVI. Ocrae ref. 107. XXX. Oeniponti cap. 109. XXXVI. Oleastri obs. 144. XVIII. de Olivenca obs. 142. XV. Olomuci obs. 107. XXVIII. Onabargensis obs. datus iesuitis 384. CXXI. Ophaeni cap. 385. CXXX. in Oppido s. Gabrielis obs. 221. XI. in Oppido de Victoria obs. 205. LII. Ozacae dis 141. X. Pagi obs. 32. LXXXVIII. Palatioli cap. 208. LXIII. Pali cap. 147. XXVIII. Palmuli obs. 144. XIX. Panormi obs. 206. LVI. Partanae cap. 303. XXXV. Pasquitii obs. 32. LXXXVIII. Pelagini obser. 206. LVI. s. Petri del Vallo conv. 32. LXXXVIII. Petrituli obs. 144. XX. Pithinaei cap. 42 IX. Placentiae 3. ord. 207. LXII. Plani s. Petri conv. 32. LXXXVIII. Podii Donadei ref. 107. XXX. Pontislimani dis. 42. VII. de Populo recol. 331. LXXVII. Potentiae ref. 42. VIII. Pragae cap. 385. CXXX. Pragae conv. 207. LVII. et 303. XXXVI. Primatii cap. 303. XXXV. de la Puebla recol. 334. LXXVII. s. Quirici cap. 32. XCI. Rapini obs. 31. LXXXVI. Regis in Hibernia obs. solo aequatus 304. XXXVII. Rheuofeldae cap. 228. XXV. Rhodi cap. 385. CXXX. Ricalmuti obs. 304. XXXVII. Rocchae Contradae obs. 32. LXXXVII. de Saechiti obs. 383. CXX. Salisani ref. 384. CXXIV. Salisburgi cap. 228. XXV. Salutiarum conv. 331. LXVI. Samboriensis obs. 332. LXVIII. Sambrensis recol. 253. II. Sanctigenesii obs. 145. XXI. Sanctiseverini ref. 147. XXVI. Sarthiani ref. 304. XL. Savonae ref. 254. III. Scorrani cap. 385. CXXX. Secli obs. 41. VII. Segniae cap 147. XXVIII. Senaelongae ref. 254. III. Senogalliae ref. 254. III. Septiniani conv. 207. LVII. Sergiani ref. 254. III. Siclis obs. 255. VII. Sisseensis obs. 144. XVII. Sokaliensis obs. 332. LXVIII. Solani cap. 255. VI. Sottevillae cap. 331. LXIV. Squillaci cap. 385. CXXX. Sublaci ref. 207. LVIII. Sussuvii ref. 42. VIII. Tabernis obs. 205. LIII. Taranti ref. 303. XL. Tarvisii ref. 207. LIX. Teneramundae cap. 208. LXIII. Thenensis obs. expoliatus 32. LXXXVIII. Tori obs. 41. VII. de Tomason obs. 32. LXXXVIII. Tononii cap. 331. LXIV. Tornaci cap. 42. IX. de Torrente dis. 229. XXVIII. Trani cap. 32. XCI. Tridenti ref. 229. XXX. Tugiensis cap. 228. XXV. Tullorum Leucorum cap. 331. LXIV. Turgoviae cap. 228. XXV. Turris Octaviae cap. 385. CXXX. Tuscaniae obs. 332. LXIX. Valencenae cap. 208. LXIII. del Valle dis. 254. IV. de Valle Aspera ref. 107. XXX. Vallettae conv. 385. CXXVIII. Vallis Agni ref. 207. XIX. Vallisluganae ref. 303. XLI. Vallisoleti dis. 384. CXXV. Velitris 3. ord. 385. CXXIX. Venetiis in Deserto ref. 147. XXVI. Venusii cap. 32. XCI. de Verderena obs. 142. XV. Verdunen. recol. 253. II. Veruchii ref. 254. III. Vicovarii 3. ord. 385. CXXIX. Vigueriae cap. 109. XXXVI. de Villabon recol. 334. LXXVII. Villacastin dis. 304. XXXIX. Villamartin obs. 142. XV. Villaefranchae obs. 229. XXVIII. Villae de Saxona obs. 32. LXXXVIII. Villeuae dis. 234. IV. Viminarii ref. 207. LIX. Vitellianae capucin. 109. XXXVI. Ulysipone 3. ord. 331. LXVII. Urbini ref. 234.

III. Wartemburgensis obs. 41. VII.
Kazelstorffensis obs. 105. XXV. et seq.
Conventus aliqui dis. Insularum Philippinarum dantur aliis diversorum ordinum regularibus 229. XXVI.
Cornelius Castellucius cap. vir doctus floret 120. LXVIII.
Cornelius Martini conv. vir doctus obit 118. LXIV.
Cornelius a Salve cap. obit 111. XLII.
Corinthus franciscanus de obs. funebrem orationem habet in exequiis b. Baptistae Varani 128. LXXXVIII.
Cosmas a s. Damiano obs. obit in urbe Hierosolymitana 319. XXX. et seq.
Cosmas Taguia m. laponensis 273. LIX.
Cosmas a Yoya laponensis valde benevolus erga franciscanos 141. X.
CUSTODIAE
Corsicae ref. 384. CXXIII.
del Dorado obs. 222. XIV.
Insulae Floridae obs. 332. LXXI.
in Paraguaia obs. 142. XIII
Venetiarum ref. 332. LXXII.

D

Damascenus a Rivello cap. obit 152. XLIV.
Damianus Giner obs. vir doctus floret 292. VII.
Damianus a Vulneribus obs. obit 354. XLI.
Decreta varia ss. congregationum de Urbe 168. XCVI. 251. LXXXV. LXXXVI. 285. CIII. CIV. 504. XL.
Didaci (s.) Complutensis tibia argentea in theca occluditur 249. LXXXI.
Didacus de Arze obs. doctrina praestans 388. CXXXVIII.
Didacus a Cruce dis. obit 352. XXXVI.
Didacus Dux obs. obit 322. XXXVII.
Didacus de Gaudix obs. idiomate arabico peritus 120. LXVIII.
Didacus ab Hitta observ. obit 323. XXXVIII.
Didacus Marzan obs. obit 49. XXIX.
Didacus Millanus dis. obit 153. XLVI. et seq.
Didacus Minor dis. obit 356. XLVII.
Didacus Perdomo obs. missionarius in California 221. XII.
Didacus de la Vega obs. literis clarus 208. LXVI.
Didacus a Vireta dis. obit 298. XXIV.
Dimas Serpi observ. vir doctus floret 387. CXXXVIII.
Dionysius de Fontearenda obser. obit 354. XL.
Dominicus de la Frontera dis. obit 197. XXIX.
Dominicus Gallart obs. obit 195. XVI.
Dominicus Seraphicus conv. com. visitator reformat. conven. 36. CI.
Dominicus de Vera classis praefectus fratrum obs. euntium in Doradum 221. XIV.
Domitilla Spalvieri obit 151. XLI.

E

ECCLESIAE CONSECRATAE
Montiscassiani 145. XXIII.
Centi 254. VI.
Lucernae 255. VIII.
Lucae 284. XCVII.
Segusii 93. CXI.
Sutrensis 231. XXXIII.
Volaterrae 284. XCVII.
Kazefenffensis 105. XXVI.
Edmundus de Garan ex tertio ordine saecularium archiepiscopus Armacanus decedit lancea in odium fidei confossus 294. XVI.
Eleutherius Albergonius conv. vir doctus inclaret 149. LXVII.
Elisabeth Angliae regina mortis legem tulit contra catholicos 27. LXXI.
Elisabeth Austriaca filia Maximiliani u. imperatoris et Caroli ex. Galliarum regis vidua obit. Eius virtutes in adolescentia, in coniugio ac vidua viro 43. XV. adduci haud potuit ad secundas obeundas nuptias 44. XVI. Viennae in clarissarum monasterium ingreditur ibid. XVII. tertii ordinis institutum profitetur, et eximiis austeritatibus incumbit

Digitized by Google

ibid. XVIII. nonnulla notantur in eius morte mirabilia 45. XIX. eius coenotaphium ibid. XX.
Elisabeth Costa obit 46. XXI.
Elisabeth Lopez obit 43. XII.
Elzearius Kugl obs. mira agit pro fide catholica in provinciis Austriae 343. III.
Emmanuel de Azevedo obs. obit 323. XXXIX.
Emmanuel de Britiande obs. obit 354. XL.
Emmanuel de Castroviridi obser. obit 48. XXIX.
Emmanuel de Costa vir pius erigit sacellum ss. protomartyrum ordinis in ecclesia coenobii s. Francisci Leyrae 284. XCVII.
Emmanuel Pinto rector collegii obser. trium regum Goae 285. VII.
Emmanuel de Quero episc. Cephalediensis arcam lustrat b. Gandulphi a Binasco 282. LXXXVIII.
Emmanuel Taurinensis cap. obit 203. XLV.
EPISCOPI
Acconensis Nicolaus Arresdoffius conv. 84. CIV.
Aliphanae Modestus Gavazzi conv. 306. XLIV.
Antiberensis et administrator ecclesiae Buduen. Thomas Ursinus obs. 333. LXXXII.
Argentinensis Bernardinus Quirinus obs. 34. XCVII.
Asculanus in Apulia Franciscus Bonfigli conv. 120. LXIX.
Audomarensis Iacobus Blasseus obs. iam episcopus Namurcen. 389. CXL.
Bellinensis Georgius Benigni conv. 165. LXXXVIII.
Bosnensis Franciscus de Stephano obs. 85. CVI.
Bosnensis Petrus a Gradovar obs. 249. LXXVIII.
Caceresis Ludovicus Maldonatus obs. 213. LXXV.
Caracensis Franciscus de Ortega obs. 389. CXL.
Cilensis Ioannes de Espinosa obs. 389. CXL.
Cilensis Petrus de Aquaia obs. 248. LXXVIII.
Conseranensis Hieronymus de Lingua obs. 120. LXIX.
Constantinopolitanus patriarcha Bonaventura Secusius iam minister generalis ordinis 329. LXIX.
Coriensis Franciscus Maldonatus obs. 242. LXXV.
Cubensis et Floridae Stephanus de Alzua obs. 248. LXXVIII.
Dublinensis archiepisc. Matthaeus Ovetensis obs. 389. CXL.
Guardiensis Bartholomaeus Beccarius conv. 34. XCVII.
Insulae s. Iacobi de Cuba Bartholomeus de la Plaza obs. 283. XCIV.
Insulae s. Thomae Franciscus a Villanova dis. 84. CII.
Leyglinensis Franciscus Ribera obs. 249. LXXVIII.
Liparensis Alphonsus Vitalis obs. 335. LXXXII.
Litterensis Franciscus Bruschius conv. 335. LXXXII.
Manilliensis archiepiscop. Ignatius a s. Ioanne sive Santibarez obs. 212. LXXV.
Mantuanus Franciscus Gonzaga obs. iam episc. Papien. 120. LXIX.
Meliapuranus Franciscus a Villa obs. 34. XCVII.
Minerbinus Laurentius Mangiocius obs. 248. LXXVIII.
Namurcensis Iacobus Blasseus obser. 248. LXXVIII.
Naxiensis archiepisc. Dionysius N. obs. 120. LXIX.
Nicaraguae Antonius Diaz obser. iam episc. s. Iacobi de Cuba 283. XCIV.
Nicensis Franciscus Martinengus sive Rasinus obs. 389. CXL.
Nonensis Horatius Belbetus conv. 84. CIV.
Papiensis Franciscus Gonzaga obs. iam episc. Cephalediен. 120. LXIX.
Pampelonensis Matthaeus de Burgos obs. 389. CXL.
Ragusinus archiepisc. Aurelius Novarinus conv. 34. XCVII.
Rhetimnensis Sebastianus N. obs. 165. LXXXVIII.

Salamanticae Didacus Ordonez obs. 212. LXXV.
Sanctae Agathae Gothorum Iulius Santucci conv. 212. LXXV.
Sancti Salvatoris Michael Cordubensis obs. 248. LXXVIII.
Senogalliae Petrus Rodulphus Tossinianus conv. iam episc. Venusinus 34. XCVII.
Stephanensis Nicolaus Necansius obs. 84. CII.
Tucuman Ferdinandus a Troio obser. 163. LXXXVIII.
Tudensis Franciscus a Tolosa obs. 283. XCIV.
Evangelista Adurno conv. commissarius visitator 224. XXII.
Evangelista a Canobio cap. vir doctus obit 209. LXVIII.
Evangelista a Gabiano obser. Terrae Sanctae custos facultatem accipit a Michaele Angelotto Thessaliae principe conficiendi testamenta peregrinorum ibidem decedentium 252. LXXXVIII.
Evangelista Gerbi, Marcellinus dictus, in oppido s. Marcelli Pistoriensis dioecesis ortus. Eius adolescentia et studia; adscribitur minoritis de observantia 113. L. studiorum causa in accademiam Parisiensem mittitur 113. LI. Pistorium reversus, concionatoris munus obtinuit et prosequutus est in principibus Italiae civitatibus 114. LII. In Urbe saepe conciones habuit coram summis pontificibus Pio v. Gregorio xiii. Sixto v. et Clemente viii. ibid. Praeclarum de eius concionibus vulgavit testimonium Federicus cardinalis Gonzaga 114. LIII. virtutibus floret 115. LIV. magni habitus est a ss. Philippo Nerio et Carolo Borromaeo 115. LV. cardinalitiam dignitatem sibi a Gregorio xiii. oblatam, aliasque dignitates recusavit ibid. Mortem sibi vicinam publice denunciavit, et pretiosam obtinuit ibid. LVI. eius iacturam luxit Clemens viii. ibid. LVII. Scripta eius notantur 116. LVIII. et viri docti, qui eius ingenium et sanctitatem commendarunt ibid. LIX.
Evangelista Pelleus conv. episc. s. Agathae Gothorum decedit 212. LXXIV.
Eugenius Odowhec Hiberous obs. vir doctus floret 388. CXXXVIII.
Eusebius a Venafro cap. obit 358. LIII.

F

Fabianus Bergomas cap. obit 30. LXXIX.
Faranda mittitur orator a Taycozama Iaponensium imperatore ad gubernatorem Manilae franciscanos fratres petiturus 100. XIII. Item Faranda Kiemon alter orator ad Manilae imperatorem ibid.
Fazumburus praeses Nangasachi imperatoris Iaponensium nomine monet franciscanos fratres, ut fugam capiant 218. III. eius mandatum pro parandis crucibus, in quibus suspendi forent verbi Dei praecones 263. XXXI. et seq.
Felix a Fratta commissarius Terrae Sanctae 98. VII. summae pietatis vir erga ss. Domini nostri sepulcrum 213. LXXVI.
Felix a Montefalco conv. commissarius visitator 96. IV.
Felix Pongadiensis cap. obit 152. XLIV.
Ferdinandus archidux Austriae, et Tyrolis princeps tumulatus in ecclesia coenobii obser. Oeniponti 217. LXXXVII.
Ferdinandus del Campo definitor generalis 98. VII. literis praestans 335. LXXXIII.
Ferdinandus Gomez obs. obit 98. LXXV.
Florentius Graius obs. vir doctus floret 388. CXXXIX.
Florentius Leydanus obs. vir doctus obit 103. XV.
Francisca a s. Antonio obit 298. XXVI.
Francisca de Belen obit 359. LVI.
Francisca de Cittaro obit 205. LI.

Digitized by Google

Franciscus a Cruce obit 45. XIII.
Franciscus a Cruce obit 389. LVI.
Franciscus Henriquez obit 434. XL.
Franciscus a s. Maria obit 339. LVII.
Franciscus de Alcozer obs. obit 354. XLII.
Franciscus Aloisius de Mitissea obs. commissarius fratrum exulum in Dersdum 222. XIV.
Franciscus de Angulo obs. obit 28. LXXV.
Franciscus Aprilianensis cap. obit 296. XVIII.
Franciscus de Arcubiana commissarius generalis curiae romanae mandat Antonio Ortiz commissario item generali super Peruviaque provinciis, ut quaedam coenobia fratribus recollectis concedat 192. XIII.
Franciscus Arelatensis cap. obit 256. XI.
Franciscus de Arzubiga commissarius generalis Indiarum 84. CIII.
Franciscus de Baldo obs. commissarius fratrum Californiae petentium 221. XII.
Franciscus a Belgioioso obs. primus minister provinciae s. Didaci 139. I. et 377. CXII.
Franciscus Blanus dis. Iaponensium apostolus 141. X. martyrio coronatus 260. XLV.
Franciscus de Bollega obs. obit 353. XLIII.
Franciscus Bonfigli minister generalis conv. ab ordinis regimine dimittitur 38. C. ad illum moderandum iterum restituitur 38. II.
Franciscus Bruschius procurator generalis conv. confirmatur 224. XX.
Franciscus Bursus obs. unus ex consultoribus congregationis de divinae gratiae auxiliis 311. LX.
Franciscus de Cabiera obs. obit 354. XLII.
Franciscus Cochius definitor generalis 98. VII.
Franciscus a Constantina obs. obit 493. XVII.
Franciscus Cordubensis dis. obit 322. XXXVI.
Franciscus sive Ferdinandus Davila ob. literis claram 54. XCVI.
Franciscus de Esposendente obs. obit 354. XL.
Franciscus Fabelante Iaponensis fratriliaris franciscalium 262. XXX. martyr 274. LXVIII.
Franciscus Feverdentius obs. literis floret 206. LXVI. 336. LXXXIII. et 388. CXXXVIII.
Franciscus Garganus s. ord. obit 257. XIII.
Franciscus Garonius conv. episc. Solmonen. obit 134. CII.
Franciscus a Gata dis. obit 27. LXXII.
Franciscus Gerinus episc. Balvoregii tumulatus in ecclesia coenobii ols. s. Spiritus Ferrariae 309. LIV.
Franciscus Gonzaga obs. epis. Mantuanen. mittitur a pontifice nuncius pro inunda pace inter reges Galliae et Hispaniae 222. XV. eius labores pro ea consequenda 290. III. dein feliciter consequitur ibid. literis floret 336. LXXXIII.
Franciscus Grassi conv. doctrina clarus 248. LXXVII.
Franciscus de Georgio obs. obit 356. XLIX.
Franciscus de Herrera obs. vir doctus extitit 209. LXVI.
Franciscus Hispanus commissarius reformat 311. LXI.
Franciscus ab Incarnatione obs. missionarius in Insula Ceylani 343. II.
Franciscus a s. Ioseph dis. obit 208. XXIV.
Franciscus Ioyosaeus cardinalis favet recollectis summi pontificis mandato 334. LXXVIII. et 384. CXXVI.
Franciscus a s. Lucia obs. obit 223. XL.
Franciscus Manerba obs. guardianus Terrae Sanctae 377. CXII.
Franciscus Maria ex marchionibus s. Mariae de Monte cardinalis titulum obtinet ecclesiae archiepiscopalis de Urbe 93. CXI.
Franciscus Mendosia m. Iaponensis 273. LVIII.

Franciscus Marliánus genere et doctrina praestans tumulatus in ecclesia coenobii de Pace Mediolani 216. LXXXVI.
Franciscus a Messapia cap. obit 358. LIII.
Franciscus a s. Michaële obs. missionarius Novi Mexici 221. XI.
Franciscus a s. Michaële sive de la Parilia dis. apostolus Iaponensis 103. XVII. martyrio affectus 270. XLIX. et seq.
Franciscus a Mirabello definitor generalis 98. VII.
Franciscus de Miranda obs. obit 296. XX.
Franciscus Monopolitanus cap. obit 111. XLIII.
Franciscus a Montecicardo obs. obit 357. LI.
Franciscus Nunez obs. vir doctus floret 200. LXVI.
Franciscus Ortitius Lucidus obs. vir doctus inclaret 200. LXVI. et 388. CXXXVIII.
Franciscus a Palumbaria obs. def. generalis 377. CXII.
Franciscus, antea Hieronymus Panigarola ortum habuit Mediolani nobilibus parentibus 157. LVII. eius ingenium et studia ibid. LVIII. fratrum observantium habitum induit, et professionem emittit 157. LIX. aetatis anno XXIV. Romae e rostris dicit in comitio generali ordinis coram Pio V. pontifice 158. LX. summi pontificis hortatu Parisios studiorum causa advenit cum Alexandrino cardinali pontificis nepote ibid. graecis hebraicisque literis in academia Parisiensi peritus evasit, et doctoris laurea donatus, calvinistarum errores sua eloquentia insectabatur 158. LXI. de eius dicendi vi praeclarum extat testimonium Federici cardinalis Borromaei 158. LXII. pluries in Urbe conciones habuit, et eius dicendi normam imitari cupiebant caeteri 158. LXIII. et seq. viri principes eum expostulabant, ut in suas civitates concionaturus accederet 159. LXV. in Parisiensi fratrum generali comitio apud electores agit, ut Franciscus Gonzaga sodalis eius ad tituli ordinis regimen assumeretur 159. LXVI. fit definitor generalis ibid. publicam concertationem super fidei dogmata in eo habuit ibid. Romam redit, et itidem verbum Dei annunciavit; postea Mediolanum se contulit expostulatus a s. Carolo cardinali Borromaeo, ut etiam in ea urbe conciones haberet 160. LXVII. eum ad Rhaeticas Valles lutheranorum erroribus oppletas idem s. Carolus adduxit 160. LXVIII. Mediolani praesedit congregationi vicariorum illius dioecesis 160. LXIX. Romam repetiit et conciones habuit ibid. inde Mediolanum se conferens, idem munus prosequitur ibid. s. Carolo aegrotanti ac morienti adstitit, ac de eo funebrem edixit orationem 160. LXX. Episcopus Chrysopolitanus et suffraganeus archiepisc. Ferrarien. deligitur, ac mox Astensis ecclesiae antistes 161. LXXI. socius mittitur a pontifice cardinalis Caietani pro componendo dissidio inter Henricum IV. Galliarum et Philippum II. Hispaniarum reges 161. LXXII. notantur eius labores et scripta pro eo consequendo ibid. ad suam Astensem ecclesiam reversus, laboribus fractus pie occubuit 161. LXXIII. eius parentalia 161. LXXIV. multa scripsit et edidit 162. LXXV. et seq. summe commendatur a multis scriptoribus 164. LXXXIV.
Franciscus a Paterno cap. obit 295. XVI.
Franciscus Perales obs. obit 296. XX.
Franciscus Petrut obs. episc. Chalcedonen. et suffraganeus archiepisc. Cameracen. prioratum obtinet b. Mariae Vallis Scholarum 35. XCIX.
Franciscus a Portella obs. obit 357. LI.
Franciscus Ramos dis. obit 112. XLV.
Franciscus Rasinus obs. praepositus archiepisc. Taurinen. haud tamen dignitatem obtinet 84. CIII.

Digitized by Google

Franciscus a Regibus obs. obit 297. XXIII.
Franciscus Ruiz obs obit 258. XVIII.
Franciscus a Rupe Aspidis ref. commissarius visitator 329. LIX.
Franciscus ex ducibus familiae Sabellae tumulatus in ecclesia cherdigerorum Foripompilii 308. LI.
Franciscus Sanchez laicus obs. obit 113. XLIX.
Franciscus Sanchez obs. vir doctus claret 283. XCV.
Franciscus a Sanctis dis. obit 356. XLVI.
Franciscus Sanna conv. commissarius visitator 96. IV.
Franciscus Sanzoles obs. vir doctrina praestans 120. LXVIII.
Franciscus Sierra dis. obit 48. XXVIII.
Franciscus de Sousa obs. vir doctus floret 248. LXXVII. fit minister generalis 377. CXII. eius epistola ad fratres provinciarum Italiae 379. CXVIII.
Franciscus Sporenus obs. episc. Sebastensis obit 282. XCI.
Franciscus a Strambino obs. primus minister provinciae Genuae 139. I.
Franciscus a Terranova ref. obit 256. XIII.
Franciscus a Tolosa obs. iam commissarius generalis Indiarum, definitor perpetuus pro utraque familia 97. VII. episcopus Tudensis obit 387. CXXXVI.
Franciscus a Trinitate dis. obit 153. XLV.
Franciscus a Valloncapella obs. episc. Namurcen. vir doctus obit 82. XCVII.
Franciscus a Vico rap. obit 328. XLVI.
Franciscus a Villavitiosa dis. obit 323. XXXVIII.
Franciscus (s.) a Xaverio societatis Iesu omnium primus evangelii praeco apud Iapones 90. XI.
Franciscus Ximenez obs. obit 235. XLV.
Franciscus Ximenez dis. vir doctus et pius obit 258. XVI.
Franciscus a Zamora obs. missionarius Novi Mexici 221. XI.

G

Gabriela Mayno obit 360. LVIII.
Gabriel Baptista primus minister fratrum discalceatorum provinciae s. Didaci Mexici 333. LXXV.
Gabriel ab Insulis Balearibus cap. obit 48. XXV.
Gabriel de Mata obs. doctrina clarus 292. VII.
Gabriel a Montenovo cap. obit 295. XVI.
Gabriel del Olmo dis. obit 235 XLVI.
Gabriel Ramirez commissarius generalis Indiarum erigit custodiam obs. s. Antonii del Dorado 222. XIV.
Gabriel de Ixe m. Iaponensis 273. LXII.
Gandulphi (b.) corpus elevatur 282. LXXXVIII.
Garcias a Salvaterra obser. obit 28. LXXIII.
Gaspar Cholleros definitor generalis 377. CXII.
Gaspar a Cuba obs. obit 233. XLV.
Gaspar de Cunga et Acebedo prorex Mexici 221. XI.
Gaspar de Monuerate dis. obit 154. XLVIII.
Gaspar a Peralta obser. missionarius Novi Mexici 221. XI.
Gaspar Portuensis discalc. obit 323. XXXVIII.
Gaspar a Viminoso discalc. obit 101. XXVIII.
Gaudentii (s.) episcopi Ariminensis exuviae elevantur a Petro Rodulpho conv. episcopo Senogallien. 166. XCIII.
Genebrada a s. Gabriele obit 232. XXXVIII.
Georgius Benigni conv. commissarius visitator apostolicus 86. CVII.
Georgius Ecker obs. vir doctus obit 293. IX.
Gerardus Veruust obs. vir doctus obit 244. LXVIII.
Germanus Kreitenich m. 105. XXV.
Gervasius a Perusio ref. commissarius visitator 311. LXI.

Gerardus Schwoll obs. obit 257. XIV.
Gottefridus Iones Anglus ref. zelo fidei restituendae inter suos, in Angliam se confert 93. CIX. obit martyr 294. XIII.
Gomez Perez Manilae moderator mittit Petrum Baptistam a s. Stephano dis. legatum suum ad Taycozamam Iaponiorum imperatorem 101. XVI. et seq.
Gonzalvus del Castillo dis. obit 322. XXXVI.
Gonzalvus Garcia laicus interpres fratrum franciscalium apud Iapones 103. XVII. aperit apud imperatorem legationis munus Petri Baptistae ibid. XVIII. martyrii palmam consequitur 270. LI. et seq.
Gregorius XIV. summus pontifex concedit galerum rubrum s. r. e. cardinalibus ex ordinibus regularibus assumptis 34. XCVIII. decedit 36. CIII.
Gregorius XV. mandat ut acta consistorialia pro sanctificatione b. Paschalis Baylon 65. LXXIII.
Guardianus ref. conventus a Francisci Transtyberim institutus eorumdem fratrum procurator generalis 305. XLII.
Guido Bartolucci conv. literis floret 284. XCVI.
Guido a Cortona cap. obit 30. LXXIX.
Guilielmus a Calatahierone ref. obit 50. XXXIV.
Guiomar de Angelis obit 232. XXXVIII.
Guiomar de Meneses obit 233. XXXVIII.

H

Hannibal Rossellius obs. literis praestans obit 387. CXXXVII.
Helena a Cruce obit 43. XII.
Henricus Sedulius obs. vir doctus floret 291. VI. et 293. II.
Henricus Willot obs. vir doctus 291. VI. obit 337. LXXXVI.
Hermannus a Lochen obs. vir doctus obit 244. LXVIII.
Hieronyma Lopez obit 360. LIX.
Hieronymus Acceptus ref. vir doctus floret 388. CXXXIX.
Hieronymus Angeloni cap. vir doctrina clarus 209. LXVII.
Hieronymus Aquariensis cap. obit 203. XLVI.
Hieronymus de Aquilar obs. obit 27. LXXII.
Hieronymus de Burgos dis. obit 112. XLV.
Hieronymus a Castroferrettorum cap. procurator generalis 228. XXIV. vicarius generalis ordinis 330. LXII.
Hieronymus a Castronovo ref. obit 357. L.
Hieronymus a Castravillari conv. commissarius visitator 224. XXII.
Hieronymus de Finario ref. commissarius visitator 311. LXI.
Hieronymus a Iesu dis. apostolus Iaponensis 141. X. consilio Petri Baptistae commissarii intet in Iaponia, ac inde Manilam petit 218. III. redit in Iaponiam et mira operatur in regno de Yendo 333. LXXVI.
Hieronymus Malfrus cap. literis floret 293. VIII.
Hieronymus Marabiotus obs. doctrina praestans 248. LXXVI.
Hieronymus Marchetti generalis tertii ordinis claustralium 207. LX.
Hieronymus cardinalis Matthaeus patronus minorum observantium causam cognoscit Francisci Bonfigli ministri generalis conv. ab officio dimissi 38. II. eius decreta circa regimen fratrum tertii ordinis in Lusitaniae et Baeticae provinciis 172. VII. et seq. confirmat decretum latum ab Augustino a Genua reformatorum custode 174. IX. eius decretum pro fratribus dis. urbem petentibus 191. XII. alia decreta pro habitu fratrum tertii ordinis 207. LXI. pro fratribus Romam petentibus 286. CIV. summi pontificis voluntate concedit fratribus reformatis procuratorem generalem 305. XLII. eius decretum quoad defunctorum libros 305. LXIII.
Hieronymus a Murrovallium obs. obit 323. XXXIX.

Digitized by Google

Hieronymus Pallanterio conv. vir doctus floret 208. LXV. et 337. LXXXIV.
Hieronymus Paterno tertiarius obit 236. XLVIII.
Hieronymus Picenus cap. obit 111. XLIII.
Hieronymus Riccius 3. ord. vir pius et doctus obit 337. LXXXV.
Hieronymus Rocchа conv. literis floret 330. LXXXIV.
Hieronymus a Sorbo cap. vicarius generalis 226. XXIV.
Hieronymus a Spiritu Sancto et socii mm. 319. XXIX.
Hieronymus Tinelli conv. vir doctus obit 244. LXVII.
Hieronymus a Tolentino conv. commissarius visitator 206. LVII.
Hieronymus a Vigueria cap. obit 296. XVIII.
Hieronymus a Villacarillo obs. commissarius generalis Peruani regni obit 97. VI.
Hieronymus Urbani conv. literis clarus 34. XCV. commissarius visitator 36. CI. obit 294. XII.
Hilaria de Silva obit 359. LV.
Hilarion a Iasolis cap. obit 47. XXIII.
Hilarius Cebensis cap. obit 296. XVIII.
Hilarius a Civitatenova obs. obit 357. LI.
Hippolytus et Aloisius ex gente Atestina cardinales tumulati in ecclesia observantium Tiburis 283. XCIII.
Hippolytus Maffaeus conven. doctrina floret 149. LXVIII.
Honorius a s. Maria disc. obit 236. XLVII.
Humilis a Tyraceno cap. obit 295. XVII.

I

Iacoberi (b.) corpus elevatur 249. LXXXI.
Iacobus Blassens obstitit episcopus Namurcensis 248. LXXVIII. habet funebrem orationem in obitu Philippi II. Hispaniarum regis 294. IV. multa scripsit, attamen bullam opus vulgavit ibid.
Iacobus Cremensis cap. obit 20. LXXIX.
Iacobus Gaudinus sive de Gandino commissarius reformatorum 223. XVIII. 329. LIX. occiditur a sicariis 357. LII.
Iacobus Garibi obs. literis floret 208. LXVI.
Iacobus de Grosseto ref. obit 357. L.
Iacobus sive Didacus Kisai jesuita vinculis detentus in urbe Oxacae in Iaponia 219. IV. martyrio coronatus 275. LXXIV.
Iacobus Montanari conv. doctrina clarus 336. LXXXIV.
Iacobus Suarez obs. a consiliis et a sacris confessionibus Henrici IV. Gallarum regis, literis praestans 335. LXXXIII.
Iacobus Superatensis cap. obit 152. XLIV.
Iacuinus Taycosamae imperatoris Iaponiae medicus catholicae fidei hostis 99. XII. 248. I. II.
Iaponiae topographica descriptio 98. IX. et seq.
Iesu Christi cruci affixi effigies Hierosolymis reperta in radice cuiusdam lilii 344. XCV. et seq.
Ignatius a s. Ioanne sive a Santibanez obs. archiepisc. Manilensis 242. LXXV.
Incognitus m. tumulatus in ecclesia coenobii obs. Nicosiae in Insula Cypri 105. XXIII.
Innocentius IX. summus pontifex creatur, qui vix altero suî regiminis mense expleto obit 37. CIII.
Innocentius XII. vulgat canonizationem b. Paschalis Baylon 73. XCIV.
Innocentius a s. Lucia ref. obit 194. XVIII.
Ioachim Sequeye m. Iaponensis 223. LXIV.
Ioanna a Baptismo obit 359. LVII.
Ioanna Helguera obit 205. LI.
Ioanna a Iesu obit 30. LXXXIII.
Ioanna a Cruce obit 34. LXXXIII.
Ioanna a s. Michaele obit 326. L.
Ioanna a Praesentatione obit 326. IL.
Ioanna a s. Stephano obit 359. LVI.
Ioannes de Alcazar dimalc. obit 107. XXIX.

Digitized by Google

Ioannes Alexandrinus cap. obit 386. LIV.
Ioannes a Tayde obs. obit 296. XXI.
Ioannes Antonius Bacchettoni episcop. Recineten. et Lauretanus tumulatus in ecclesia coenobii obs. Montisensiani 146. XXIV.
Ioannes Baptista Berardi conv. literis floret 292. VIII.
Ioannes Baptista a Bisiniano cap. obit 296. XVIII.
Ioannes Baptista Canoli obs. doctrina clarus 248. LXXVI.
Ioannes Baptista Castruccius cardinalis tumulum nactus in ecclesia s. Francisci Lucae 212. LXXIII.
Ioannes Baptista de Ferno commissarius visitator reformatorum 344. LXI.
Ioannes Baptista a s. Genesio obs. obit 146. XXI.
Ioannes Baptista de Madrigal dis. vir doctus obit 387. CXXXVII.
Ioannes Baptista Mexicanus obs. vir doctrina eximius 336. LXXXIII.
Ioannes Baptista Moles definitor generalis 377. CXII.
Ioannes Baptista Pisaurensis dis. obit 259. XX. et seq.
Ioannes Baptista Tauffer obs. concionator aulicus Maximiliani archiducis Austriae et Poloniae 405. XXVI.
Ioannes Bernardi m. 319. XXIX.
Ioannes a Buccino obs. defunctus in conventu Campaniae cum nocturnis 147. XXVI.
Ioannes Cabreira discipl. obit 323. XXXVIII.
Ioannes Calvius minister generalis ordinis defunctus in ecclesia coenobii Tridenti 230. XXXI.
Ioannes de Castro Montis observ. vir pius defunctus in ecclesia coenobii Castilenti, qui prae sui humilitate oblatum sibi munus episcopale remisit 304. XXXVII.
Ioannes Cepeda definitor generalis 377. CXII.
Ioannes de la Cerda obs. literis floret 328. LXXXIII.
Ioannes Clemens dis. obit 289. XIX.
Ioannes Cobos ordinis praedicatorum emittitur a gubernatore Manilae ad ineundum pacis foedus cum Taycozama Iaponiorum imperatore 400. XIII.
Ioannes a Contorso obs. guardianus Constantinopolitan. 377. CXII.
Ioannes a Colleamato cap. obit 29. LXXVIII.
Ioannes Corteza dis. obit 27. LXXII.
Ioannes sive Alphonsus a Cruce disc. vir doctus floret 356. LXXXIII. et 389. CXXXIX.
Ioannes a Cruce dis. vir bonus tumulatus in ecclesia coenobii de Grial 304. XXXIX.
Ioannes Curiel disc. obit 197. XXX.
Ioannes Dominicus Heselus obs. vir doctus obit 147. LXI. et seq.
Ioannes Dublinius obs. vir doctrina clarus 386. CXXXVIII.
Ioannes ab Escalona obs. missionarius Novi Mexici 231. XI.
Ioannes Franciscus a Bononia capuc. obit 152. XLIII.
Ioannes Franciscus Macolinus definitor generalis 98. VII. et 377. CXII.
Ioannes Franciscus a Salandra obser. guardianus coenobii ss. Salvatoris Hierosolymis multa egit apud imperatorem turcarum, ne nocturni sui coenobii facerent 405. XXIV.
Ioannes de Garrovillas minister provinciae disc. Insularum Philippinarum accipit epistolam Petri Martinez episcopi Iaponen. circa acta martyrii francicanorum in civitate Nangasachi 276. LXXVIII.
Ioannes de Guevara obs. obit 227. XXIII.
Ioannes Henriques observ. obit 385. XLIII.
Ioannes a Iesu dis. obit 235. XLVI.
Ioannes Laicus obs. obit 297. XXII.
Ioannes Laurentius dis. obit 153. XLV.
Ioannes a Luca obs. guardianus s. Clarae Neapolis 377. CXII.
Ioannes Iusitanus cap. obit 256. XI.
Ioannes a Manfredonia cap. obit 47. XXIII.
Ioannes a s. Maria discipl. obit 197. XXVIII.

Digitized by Google

Ioannes Maria Gennensis capuc. obit 325. XLV.
Ioannes Maria Italus disc. obit 323. XXXVIII.
Ioannes Maria a s. Leone commissarius visitator conv. 30. CI.
Ioannes Maria a Panormo commissarius visitator ref. 341. LXI.
Ioannes Mislanus observ. litteris floret 335. LXXXIII.
Ioannes Morales Infanzonis cap. vir pius obit 303. XXXV.
Ioannes de Moya dis. obit 324. XLI.
Ioannes Muniz obs. obit 49. XXIX.
Ioannes de Naba observ. obit 322. XXXVII.
Ioannes Navarrens cap. obit 112. XLIV.
Ioannes Oliver dis. vir pius et doctus obit 260. XXII.
Ioannes Onate capitaneus fratres de observantia adducit in Novum Mexicum 294. XI.
Ioannes de Ovando obs. vir doctus floret 388. CXXXVIII.
Ioannes Pacificus de Corral dis. obit 154. XLVIII.
Ioannes de Padilla obs. obit 355. XXXVIII.
Ioannes de Palmella obs. obit 335. XLV.
Ioannes Panes conv. commissarius visitator 96. IV.
Ioannes Paulus a Lozario conv. procurator generalis 36. C.
Ioannes Pauper laicus dis. in Japoniam se confert cum aliis franciscanis 248. II.
Ioannes Quizvis m. Iaponensis 275. LXIII.
Ioannes de Rada obs. unus ex consultoribus congregationis de divinis gratiae auxiliis 344. LX. procurator generalis ordinis 377. CXII.
Ioannes Ramirez definitor generalis 98. VII.
Ioannes Richel dis. obit 323. XXXIX.
Ioannes Ruffus obs. definitor generalis 377. CXII.
Ioannes de Sanctis dis. obit 324. XLII.
Ioannes a Seminaria cap. obit 111. XLIII.
Ioannes Soan sive de Goto iesuita 249. IV. martyrio afficitur in Iaponia cum franciscanis 275. LXXIV.
Ioannes Stephens obs. m. 260. XXIII.
Ioannes de Tobar et socii mm. 294. XIII.
Ioannes de Trinitate dis. obit 197. XXX.
Ioannes Troius obs. obit 257. XIV.
Ioannes de Vandela dis. obit 322. XXXVI.
Ioannes de Vega obs. obit 358. XLII.
Ioannes Velasquez obs. obit 154. XLIX.
Ioannes Ximenes obs. fundator congregationis s. Philippi Nerii Valentiae literis floret 292. VII.
Ioannis (b.) a Parma corpus transfertur 362. LXVI. praetermissa recantantur vitae suae acta 363. LXVII. et seq. eius cultus probatur 373. XCVIII.
Ioseph a Cardanete dis. obit 154. XLVIII.
Ioseph (s.) a Leonissa cap. eximia sanctitate emicat 318. XXVI. et seq.
Ioseph a Leontino obs. procurator generalis 97. VI.
Ioseph a Melphio conv. commis. visitator 169. LXXXIX. et 311. LXI.
Ioseph a Nemore obs. emandatur 205. LV.
Ioseph Piscalli conv. procurator generalis 331. LXV.
Ioseph de Rocha obs. obit 335. XLIII.
Irenaeus Brassavolus obs. literis floret 336. LXXXIII.
Isabella a Cruce obit 110. XLI.
Isabella a Francisco obit 359. LVI.
Isabella Morales obit 205. LI.
Isabella Vitellia uxor Hippolyti marchionis de Buere tumulata in ecclesia conv. Pisauri 307. I.
Isidorus Venetus obs. aliqua edit opera 85. XCIX.
Iulianus (b.) a s. Augustino obs. maximis virtutibus emicat 317. XXIV. et 366.

Digitized by Google

Iulius II. pontifex transfert legata ecclesiae coenobii obs. s. Petri de Muralto Camerini ad ecclesiam s. Francisci eiusdem urbis eisdem fratribus concessam 362. LXV. mittit Baptistam ex ducibus Varanae familiae clarissam in novum monasterium Firmi erectum 125. LXXXIV
Iulius Genellus conv. literis floret 84. CI.
Iulius Giornata conv. vir doctus floret 283. XCVI.
Iulius Prunianus conv. doctrina eximius obit 214. LXXII.
Iulius Santucci conv. episcopus s. Agathae Gothorum unus ex consultoribus congregationis de divinae gratiae auxiliis 314. LX.
Iuniperus a Gussaco cap. obit 325. XLV.
Iustinus a Nursia cap. obit 152. XLII.

L

Lambertus ab Aquisgrano obs 154. L.
Laura Vitellico obit 42. X.
Laurentius Athensis cap. obit 295. XVII.
Laurentius (b.) a Brundusio cap. definitor generalis 330. LXII. in Bohemia multa pro Dei gloria sustinet ibid.
Laurentius a Fulgineo commiss. visitator. reformat. 223. XVIII.
Laurentius Oscensis cap. obit 30. LXXX.
Leo Carazuma m. laponensis 272. LVI.
Leo a Mediolano monachus Cassinensis et Antonius Marzer obs. visitatores apostolici in Insula Corsicae 384. CXXIII.
Leonora de Aegypto obit 256. X.
Leonora de Manrique obit 110. XL.
Leonora de Meyra obit 360. LIX.
Leonora a s. Petro obit 110. XLI.
Leonora de la Puebla obit 299. XXVIII.
Leonardus a Iesu obs. custos s. Antonii in Brasilia 104. XXII.
Leonardus a Leonico definitor generalis 98. VII.
Lopetius Vzquieredo obs. missionarius Novi Mexici 221. XI.
Lucas a s. Antonio dis. obit 323. XXXVIII.
Lucas Calaber cap. obit 358. LIII.
Lucas ab Eratuertio cap. obit 294. XV.
Lucia a Valcaldaro corpus detegitur 328. LVII.
Lucius Aquisciola conv. vir doctus obit 83. XCVIII.
Lucretia Mauriquez obit 326. XLVIII.
Ludovici Teutonici corpus detegitur 328 LVIII.
Ludovicus Albutius vicarius generalis conv. loco Francisci Bonfigli officio generalatus destituti 38. C.
Ludovicus ab Ascensione obs. missionarius Insulae Ceylani 343. II.
Ludovicus Cremensis conv. doctrina clarus 208. LXV.
Ludovicus Frois iesuita auctor historiae mm. laponensium 103. XVIII.
Ludovicus Galatinus ref. obit 29. LXXVII.
Ludovicus laponensis annorum undecim m. 262. XXVII.
Ludovicus Ibarique laponen. m. 272. LV.
Ludovicus ab Insula conv. commissarius visitator 36. CI.
Ludovicus a Lacunigro cap. obit 358. LIV.
Ludovicus Hieronymi de Ore obs. literis praestans 292. VII. auctor vitae Blasii Roderici de Monte m. 193. XIV.
Ludovicus a Panormo cap. obit 234. XLII.
Ludovicus de Rebelledo obs. vir doctus floret 388. CXXXVIII.
Ludovicus a Roma munus procuratoris generalis reformatorum remittit 383. CIX.
Ludovicus Silvester conv. doctrina clarus 34. XCV.
Ludovicus Vitellianensis conv. vir doctus 283. XCVI.

Digitized by Google

M

Magdalena Borgia tumulum nacta in ecclesia obs. Pacis Mediolani 308. LII.
Magdalena a Trinitate obit 326. XLIX.
Magnus o Fredlinus m. 27. LXXI.
Marcellus Lantes curiae cameras apostolicae auditor vulgat concordiam articulorum peractam inter fratres conventuales et observantes 224. XXIII.
Marcellus Ribandeneira dis. missionarius Iaponen. 141. X. et 281. LXXXVI.
Marcus ab Antiquo obs. commissarius curiae romanae 377. CXII.
Marcus Antonius a Nixia minister provinciae Candiae 98. VII.
Marcus Antonius Raynaldus conv. vir doctus obit 337. LXXXV.
Marcus Ioannes Postalcanus obs. doctrina floret 388. CXXXIX.
Marcus Ioire obs. obit 354. XLII.
Marcus a Maraldo cap. obit 30. LXXIX.
Marcus Natalis procurator generalis conv. 36. C.
Marcus Ulyssiponensis obs. episcopus Portuensis plurium operum auctor decedit 33. XCIII. et seq.
Margarita Agullonia obit 360. LX. et seq.
Margarita ab Austria uxor Maximiliani pontifex mentitur suum 32. CII.
Maria de Angelis obit 30. LXXXII.
Maria Anna a s. Isidoro obit 151. XLI.
Maria de Aranda obit 299. XXVI.
Maria de la Columna obit 359. LVII.
Maria a Christo obit 232. XXXVIII.
Maria Elisabeth de Noels obit 46. XXI.
Maria a s. Francisco obit 298. XXVI.
Maria a s. Hieronymo obit 326. XLIX.
Maria Horvolan obit 30. LXXXII.
Maria a s. Iacobo obit 205. LI.
Maria a s. Iacobo obit 45. XIII.
Maria a s. Idelphonso obit 151. XLI.
Maria a Iesu obit 359. LVII.
Maria a Iesu obit 360 LIX.
Maria Magdalena obit 30. LXXXII.
Maria Magdalena de Pertocarrero obit 151. XL.
Maria et Gratia mulieres Meacenses in Iaponia in fidei constantia invictae 220. VII.
Maria de Ortega obit 326. XLVIII.
Maria de Reyneso obit 236. X.
Maria Sarmienta obit 360. LIX.
Maria a Spiritu Sancto obit 358. LV.
Maria a Spiritu Sancto obit 359. LV.
Maria a Transfiguratione obit 151. XLI.
Maria de Trinitate obit 359. LVII.
Mariae archiducissae Austriae et Ferdinando item archiduci Austriae commendat pontifex Antonium Brixien. conv. 214. LXXVIII.
Marina de Christo obit 360. LVIII.
Marinus Morus commissarius visitator conv. 36. CI.
Martialis de Sosa minister provinciae Portugalliae peste consumptus 297. XXII.
Martinus de Aduna definitor generalis 98. VII.
Martinus de Aguirre sive ab Ascensione dis apostolus Iaponensis 141. X. 219. IV. martyr occubuit 268. XLIV.
Martinus de Atmundos dis. obit 296. XIX.
Martinus a Iesu dis. obit 297. XXIV.
Martinus ab Inspa dis. obit 297. XXII.
Martinus Ignatius a Loyola dis. apostolus in regionibus de Tucuman, Buenos Ayres et Rio de la Plata 142. XIII.
Martinus Ruego obs. literis floret 292. VII.
Mastaeus Bardi obs. episcopus Clusinus obit 282. XC.
Mathias a Concha capuc. obit 325. XLVII.
Mathias Meacensis m. Iaponensis 220. IX. 274. LXVII.
Matthaeus de Burgos obs. commissarius generalis 97. VI. in eo munere confirmatur 222. XVI. literis clarus 336. LXXXIII. fit episcopus Pampelonensis 389. CXL.

Matthaeus de Castellavia obs. obit 337. LI.
Matthaeus de Martino de Silla conv. commiss. visitator 165. LXXXIX.
Matthaeus Sabinensis cap. obit 256. XI.
Matthaeus Strutius definitor generalis 3. ord. 207. LX.
Matthaeus a Terranova conv. commissarius visitator 96. IV.
Mauritius a Morra cap. vir doctrina clarus 209. LXVII.
Maximus Mantuanus cap. m. 204. XLVII.
Maximus Massanensis cap. obit 234. XLII.
Melchior Heulamus obs. literis floret 208. LXVI.
Michael de Agia obs. vir doctus floret 388. CXXXVIII.
Michael de Agnon m 261. XXV.
Michael Alvarez obs. commissarius visitator provinciarum Germaniae, confessarius Elisabeth austriacae viduae Caroli IX. Galliarum regis in monasterio ad reginam Viennae 44. XVII.
Michael Angelottus Thessalus princeps facultatem tribuit Evangelistae de Gubiano Terrae Sanctae custodi conficiendi testamenta peregrinorum ibidem decedentium 252. LXXXVIII.
Michael Angelus Genuensis cap. obit 325. XLV.
Michael Cozaqui m. laponensis 274. LXVI.
Michael de Estivales obs. obit 322. XXXV.
Michael Falconius dis. obit 112. XLVI. et seq.
Michael Gallus cap. obit 294. XV.
Michael a Moromanno cap. obit 325. XLVI.
MISSIONES FRATRUM MINORUM
In Bosniam Croatiam et Dalmatiam 344. III.
In Californiam 221. XII.
In Ioradum 221. XIII.
In Iaponiam 98. IX.
In Insulam Ceylam 142. XIII. 343. II.
In Novum Mexicum 221. XI.
Missiones capucinorum 204. L.
Modestus Mutinensis cap. obit 204. XLVII.
MONASTERIA
de Alcaniz 31. LXXXIV. de Almagro 3. ord. 31. LXXXV. Almeydae 300. XXXI. de Altamura 110. XXXVIII. Aquiani 110. XXXVIII. Barcinonense 335. LXXXI. Bitterense 335. LXXX. Brixiense 335. LXXXI. Bruxense 3. ord. 148. XXXI. Buiafanceuse 231. XXXIV. Cathanise 300. XXX. Cefuentes 3. ordin. 31. LXXXV. Cinguli 3. ordin. 110. XXXIX. Civitatis s. Angeli 232. XXXV. Corinaldi 31. LXXXIV. Cuellar 109. XXXVII. Daimel 3. ord. 31. LXXXV. de Burago 3. ord. 335. LXXX. de Faro 220. XXIX. 235. VII. de Faensalita 3. ord. 31. LXXXV. Fulginei 386. CXXXII. Graecii 386. CXXXI. de Guadalcanal 108. XXXVII. Iodemburgense 300. XXXI. Laurini 42. X. Leontini 42. X. Letiniaci 300. XXIX. Lonsiesaumier 206. LVII. Lucernae 3. ord. 255. VIII. Lugdeni 300. XXIX. Lycaodiae 208. LXIV. de Manresa concessum monialibus carmelitis 386. CXXXIII. de Mertos 147. XXIX. Meridae 208. LXIV. Mexici 300. XXIX. de Mondragon 3. ord. 232. XXXV. Montismelonis 147. XXIX. de Moron 232. XXXV. Neapolis 42. X. Netini 147. XXX. Nolae 42. X. Orduniae 3. ord. 300. XXX. Pergulae 386. CXXXII. Pisae 334. LXXX. Posnaniae 3. ord. 255. VIII. Praenestae 232. XXXVI. Reatis 110. XXXVIII. Rediutulti 110. XXXVIII. Ripae ransonum 235. IX. Senense 232. XXXVII. 386. CXXXI. Tiburis 3. ord. 232. XXXVI. Tuderti 334. LXXX. Vallelatae 148. XXX. Vallisoleti 386. CXXXI. Varsaviae 386. CXXXI. Vesliae 386. CXXXI. Vilnelongae 3. ord. 31. LXXXV. de Urbe 31. LXXXIV. 386. CXXXI. de Xerez 147. XXIX. Zamorense 3. ord. 255. VIII.

Monasterium s. Clarae Neapolis sublicitur a pontifice minoritis reformatis 301. XXXIII. et sequent. et cardinali ordinis patrono 302. XXXIV. abbatissae epistola pro ea re missa ad Philippum IV. Hispaniarum regem 301. XXXIII.
Moricus Siculus ref. obit 236. XLVIII.
Morieus a Visso cap. obit 325. XLV.

N

Nicolaus Auriolotus capuc. obit 203. XLV.
Nicolaus Caesareus conv. e rostris dicit in funere Isabellae Vitelliae uxoris marchionis de Ruere 307. L.
Nicolaus Hamos obs. archiepisc. Insulae Hispaniolae sive s. Dominici vir doctus obit 282. XCII.
Nicolaus Rossanensis cap. obit 234. XLIII.
Nicolaus de Seravia obs. missionarius Californiae 221. XII.
Nuntii Neapolitani 3. ord. obit 233. XL. et seq.

O

Obitius Brixianus capuc. vir pius et doctus obit 325. XLV.
Octavianus Raventius conv. vir doctus obit 243. LXVI.
Odorici (b.) a Portunaone corpus elevatur 166. XCII.
Oliverius Leondrata definitor generalis 98. VII.
Onuphrius Pintizanensis cap. obit 325. XLV.
Onuphrius a Sorbano cap. obit 325. XLVI.
Otho a Cortona cap. obit 30. LXXIX.

P

Pacificus Italus cap. obit 234. XLII.
Paschalis (s.) Baylon dis. vita 1. I. et seq. 50. XXXV. et seq. sanctam Deo animam reddit 54. XLIII. et seq. varii scriptores eius sanctimoniam commendarunt 82. XCVI.
Paschasius Anpantius obs. literis floret 291. VII.
Paulus v. beatorum albo adscribit Paschalem Baylon 65. LXXI. et seq.
Paulus Argoli conv. iuvenis annorum XXI. summo ingenio praeditus 32. XCII.
Paulus Caesenas cap. vir doctus 386. CXXXIV.
Paulus Ihariqui m. laponensis 274. LXV.
Paulus a Iesu dis. obit 336. XLVII.
Paulus a s. Maria dis. obit 297. XXIV.
Paulus Miki iesuita m. 249. IV. 274. LXX.
Paulus a Recineto obs. defunctus cum sanctitatis fama in conventu Montiscassiani 146. XXIII.
Paulus Siculus obs. obit 134. XLVIII.
Paulus a Sulmone definitor generalis 377. CXII.
Paulus Suxaqui martyr laponensis 272. LVII.
Pax inter Philippum II. Hispaniarum et Henricum IV. Galliarum reges inita 290. III.
Petri de Clavibus obs. corpus transfertur 205. LIV.
Petri (b.) Compatris corpus elevatur 165. XC. et seq.
Petri (b.) Guardiensis ossa elevantur 282. LXXXIX.
Petri (b.) a Moleano corpus transfertur, et acta pro eius publici cultus approbatione narrantur 373. XCIX. et seq.
Petronilla de Castilla obit 299. XXVI.
Petronilla Cunhia obit 43. XII.
Petrus Vercellensis cap. obit 47. XXV.
Petrus de Agrigento ref. commissarius visitator 311. LXI.
Petrus Alensis cap. obit 358. LIV.
Petrus Antonius Rostaus conv. literis praestans 95. II.
Petrus ab Arcu procurator generalis ref. 383. CIX.
Petrus ad Ascensione obs. ut peste afflictis opitularetur, eodem morbo occubuit 297. XXII.

Digitized by Google

Petrus Baptista Canisii m. 260. XXIV.
Petrus (b.) Baptista a s. Stephano dis. ad Iaponensium imperatorem legatus mittitur 101. XVI. Firandi eduliis recreatur a Petro Gomio iesuita in Iaponia praeposito 103. XVII. a Taycosama Iaponiorum imperatore Nangoyae benevole excipitur, eique suae legationis munus aperit 103. XVIII. Meaci cum sociis advenit 104. XIX. et seq. Meaci, Ozacae, Nangasachi aedes et oratoria pro suis et pro infirmis bina valetudinaria exstitat 141. VIII. et seq. quaedam prodigia in oratorio domus evenerunt 141. III. et seq. suos in unoquoque conventu constituit ibid. XII. saeva contra franciscanos exorditur persecutio 218. I. et seq. incidit in Iaponensium manus idem Petrus Baptista 219. IV. eius epistola ad Augustinum Rodriquez Nangasachi degentem ibid. V. in Meacensi custodia Iaponiis Christi fidem miro animi fervore annuntiat 261. XXVI. mortis sententiam contra eum sociosque suos lata ibid. Nangasachum adducitur, ingentia in itinere patiens opprobria 262. XXIX. martyrio afficitur 266. XXXIX.
Petrus Baroana obs. vir doctus claret 209. LXVI. et 248. LXXVI.
Petrus Belga cap. obit 203. XLV.
Petrus Caesaraugustanus dis. obit 356. XLVI.
Petrus Calanna conv. literis praestans 292. VIII.
Petrus a Campo obs. obit 49. XXX. et seq.
Petrus de Carrion dis. obit 356. XLVIII.
Petrus de Casanova m. 319. XXIX.
Petrus Colanna conv. literis floret 336. LXXXIV.
Petrus a Corpa m. 261. XXV.
Petrus de Esperanza dis. obit 153. XLV.
Petrus Ferrer dis. obit 48. XXVI.
Petrus Gomius praepositus societatis Iesu in urbe Firandi in Laponia franciscanos fratres benevole excipit, eduliisque recreat 103. XVII. ad eos Nangasachi degentes mittit grammaticam et dictionarium iaponico idiomate scriptum 141. XI.
Petrus Goadè obs. obit 49. XXIX.
Petrus Gonzales Carvaial classis praefectus adducit franciscanos in Iaponiam 103. XVII.
Petrus Hontoius obs. literis clarus 291. VII.
Petrus a s. Maria Malacitanus dis. vir doctus floret 292. VII.
Petrus Marsaeus conv. doctrina clarus 292. VIII. 387. CXXXV.
Petrus Martinez iesuita episc. Iaponen. mittit epistolam ad ministrum provinciae dis. Insularum Philippinarum de agone bb. mm. Iaponensium 270. LXXVIII.
Petrus a Massa obs. defunctus in ecclesia coenobii s. Genesii 145. XXI.
Petrus Medrano obs. obit 355. XLIII.
Petrus Miliens definitor generalis 98. VII.
Petrus de Molina obs. commissarius generalis Peruani regni 97. VI.
Petrus Morrigione iesuita scribit epistolam hortatoriam ad franciscanos fratres pro Christi fide apud Iapones in agone pugnantes 265. XXXV.
Petrus Nietus dis. obit 235. XLVI.
Petrus Orox disc. vir pius et doctus obit 258. XVII.
Petrus Ortiz disc. quadraginta sex franciscanos adducit in Insulas Philippinas 142. XIV.
Petrus Paulus obs. auctor sodalitii ss. Stigmatum s. p. Francisci de Urbe in ecclesia s. Petri in Janiculo 285. CII.
Petrus de Palaciis dis. defunctus in ecclesia coenobii Oppidi de Victoria in Brasilia 205. LII.
Petrus Petaviensis cap. obit 358. LIII.
Petrus de Pila obs. commissarius generalis Mexicanus 221. XI. renuit episcopatum ecclesiae Caracen. 389. CXL.
Petrus de Pisauro guardianus s. Mariae Aegyptiacae Neapolis 98. VII.
Petrus Pondruellus definitor generalis 98. VII.

Digitized by

Petrus Robertus de Andagio obs. vir doctus floret 165. LXXXVII.
Petrus Rodulphus Tossinianensis conv. episc. Senogallien. literis floret 164. LXXXVI. novo sarcophago occludit exuvias s. Gaudentii m. episcopi Ariminensis 166. XCIII.
Petrus Romero obs. obit 194. XVII.
Petrus Ruiz obs. primus praeses custodiae s. Helenae in Insula Florida 332. LXXI.
Petrus Salinates obs. mittitur a pontifice in Bulgariam, ubi notantur eius labores pro restituenda catholica fide 213. LXXVI. 250. LXXXII. 344. IV.
Petrus de Sanctis obs. laicus, ut peste afflictis opitularetur, eodem morbo occubuit 297. XXII.
Petrus Suquezico Iaponensis familiaris patrum societatis Iesu 262. XXX. eius acta martyrii 274. LXIX.
Petrus Trigosius ex iesuita cap. vir doctus obit 119. LXV.
Petrus a Turribus dis. obit 325. XL.
Petrus Vasquez obs. obit 321. XXXV.
Petrus de Velasco obs. m. 284. XXV.
Petrus de Verzuera laicus comes fratrum observantium Novum Mexicum petentium 221. XI.
Philippa a Conceptione obit 151. XLI.
Philippa a s. Francisco obit 43. XII.
Philippus II. Hispaniarum rex obit 200. IV.
Philippus III. Hispaniarum rex succedit parenti suo Philippo II. 290. IV. agit apud pontificem pro conficiendis actis canonizationis b. Paschalis Baylon, et pro canonizatione Salvatoris ab Horta 375. CVII.
Philippus Barchinonensis dis. obit 29. LXXVI.
Philippus Boscherius obs. literis floret 336. LXXXIII.
Philippus Diez obs. literis floret 283. XCV.
Philippus a Funiano cap. obit 296. XVIII.
Philippus Gesualdi minister generalis conv. 95. II. eius acta pro restituendo ordinis candore 96. III. mittit in provincias commissarios visitatores ibid. IV. eidem aliqua concedit pontifex 96. V. quaedam pro suis edit mandata ibid. destinat commissarios visitatores in varias provincias 165. LXXXIX. confirmatur in regimine 224. XX. literis floret 292. VIII. iterum in officio generalatus confirmatus 334. LXV.
Philippus a Iesu sive de las Casas dis. in Iaponiam se confert evangelii praedicandi causa 218. II. vinculis adstrictus in urbe Meaci 219. IV. martyrio pro fidei confessione coronatus 269. XLVI. et seq.
Philippus a Perusio et Ludovicus ab Insula conv. commissarii visitatores 56. CI.
Philippus a Ravenna conv. obit 298. XXV.
Philippus Ribottus cap. literis floret 292. VIII.
Placidus a Tyraceno cap. obit 358. LIII.
Prodigia 37. CIV. et seq. 169. XCVIII. et seq. 214. LXXX. et seq. 220. X. 287. CV. et seq. 309. LVI. 310. LVIII. et seq. 390. CXLIV. et seq.
Propertius Resta conv. epist. Gerunatinen. et Cariaten. praeses congregationis de auxiliis divinae gratiae 311. IX. literis clarus 336. LXXXIV.
PROVINCIAE
S. Didaci obs. 139. III.
Genuae obs. dividitur 139. I. II.
S. Iosephi dis. dividitur 140. VI. VII.
Mexici dis. erigitur 333. LXXV.
S. Pauli apostoli dis. erigitur 140. V.
Provinciae s. Gabrielis conventus 108. XXXII.
Provinciae s. Iosephi conventus 108. XXXIII.

R

Raphael Argentinus obs. vir doctrina clarus 388. CXXXVIII.
Raphael Astensis cap. vir doctus obit 243. LXV.
Raphael a Fonte conv. literis floret 292. VIII.

Raphael a Manseria cap. obit 203. XLV.
Rochus Morenus dis. obit 48. XXVIII.
Rudulphus II. imperator mandat ut fratribus de observantia coenobium Kazelstorffense restituatur 105. XXVI.
Ruphinus a Plates ref. obit 298. XXV.

S

Salvator Sardus cap. obit 234. XLIII.
Salvator a Tissa cap. obit 205. XVII.
Salvatoris (h.) ab Horta obs. corpus novo sarcophago occluditur 375. CVI. et expenditur a visitatoribus apostolicis ibid. promoventur acta ipsius 375. CVII. et seq.
Samuel a s. Antimo capuc. obit 47. XXIII.
Sanctes de Albacina obs. obit 323. XXXIX.
Sanctes a Ripatransonum ref. obit, et eius vita describitur 194. XIX. et seq.
Scipio ex marchionibus Conegae cardinalis tumulatus in ecclesia coenobii obs. oppidi s. Martini ab Aggere 133. CI.
Sebastianus (h.) ab Apparitio obs. virtutibus ac prodigiis emicat 343. I. et seq. a gravi infirmitate corripitur 344. V. sancte obit ibid. VI. et seq.
Sebastianus Mattelensis cap. obit 234. XLIII.
Sebastianus de Montalvan discal. obit 324. XLII.
Sebastianus Palmerinus conv. literis floret 292. VIII.
Sebastianus Vizcainus classis praefectus fratrum observantium in Californiam euntium 221. XII.
Seraphinus a Macerata conv. commissarius visitator 224. XXII.
Seraphinus a Neapoli cap. obit 111. XLIV.
Servantius Myricanus obs. obit 357. LXXXVI.
Sigismundus Poloniae rex urget restitutionem catholicae fidei in regno Suetiae 148. XXXII. confirmat privilegia concessa monialibus monasterii Posnaniensis ibid. et seq.
Silvester Albinganensis cap. obit 41. XXV.
Silvester a Cingulo capuc. obit 205. XLVI.
Silvester a Monteleone vicarius generalis cap. 95. L.
Silvester Rossanensis cap. vir doctus obit 243. LXV.
Silvestri (s.) papae et m. caput invenitur in ecclesia clarissarum a Silvestri in Capite de Urbe 249. LXXIX.
Silvius Sabellus cardinalis tumulatus in ecclesia arcoelitana de Urbe 337. LXXXVII.
Simon de Rubino definitor generalis 98. VII.
Sodalitium ss. Stigmatum s. p. Francisci erectum primo in ecclesia obs. s. Petri in Janiculo de Urbe transfertur in ecclesiam ss. xx. Martyrum 285. CII.
Stephanus de Burellas obs. literis floret 388. CXXXVIII.
Stephanus Claramontanus cap. obit 135. XLIV.
Stephanus de Randazzo cap. obit 286. XII.
Stephanus de Solis dis. obit 48. XXVI.

T

Tayconama Iaponensis callidissimis armis Iaponiae regnum invadit 99. XI. favet primo religioni catholicae ibid. At facinoi medici suis arte, bellum religioni indicit ibid. XII. idem imperator exigit fidelitatis promissum a Manilae gubernatore 100. XIII. persecutionis causae contra franciscanos in eodem regno 218. I. et seq. mittit vigiles in fratrum coenobia 219. IV.
Templum s. Mariae Novae obs. Neapoli instauratur 338. LXXXIX.
Terentius Mazzenio et socii obs. mm. 27. LXXI.
Tertius minorum ordo instauratur in Gallia 170. I. et seq.
Thaddaeus o Boyl obs. m. 280. XXIII.
Thaddaeus Sulivanus obs. obit 257. XV.
Theophilus Burgundus conv. vir doctus obit 119. LXIV.

Digitized by

Thomas a Beringhen m. 27. LXXI.
Thomas Coxaqui Iaponensis annorum quatuordecim 261. XXVII. martyrio coronatus 271. LIII.
Thomas Idanqui Iaponensis m. 273. LX.
Thomas a Massa obser. commissarius generalis lustrat Mediolanensem provinciam 37. CIII. eidem iubet Clemens pontifex ut Albanise custodiam ad provinciae dignitatem erigat 40. III. definitor perpetuus ordinis 97. VI. obit 148. LXIII.
Thomas a Miranda observ. obit 352. XXXVI.
Thomas a Montisponsonis observ. obit 357. LI.
Thomas Rotutianus cap. obit 47. XXII.
Thomas a Scalbais obs. obit 354. XLI.
Ticinensium pietas in fr. Bernardinum a Feltrio obs. 300. LV.
Tobias Henschellius obs. literis praestans 388. CXXXIX.
Tornacense gymnasium obs. 44. VI.
Tranquilla virgo obit 263. XIV.
Trebatius Marcelli conv. vir doctus et pius obit 324. XLIV.

U

Ufioius Taycozama imperatoris Iaponiorum administer christianorum nomine franciscanos capitulantium exquirit 210. IV.
Urbanus Navimburgensis m. 105. XXV.
Urbanus VIII. martyres Iaponenses franciscanos in beatorum album adscribit 279. LXXXIV.

V

Valentinus Friccius obs. commissarius generalis in Germaniae provinciis immittit fratres in coenobium Kazelstorffense 105. XXVI. vir doctus obit 117. LXI. et seq.
Valentinus Roderio dia. obit 154. XLVIII.
Valerius Bona conv. literis clarus 292. VIII.
Valerius Polydorius conv. literis floret 283. XCVI.
Valetudinaria in civitate de Cavite 32. LXXXIX. Hispali 142. XVI. in conventu Montisleonis et in conventu Polistinae 229. XXVIII.
Victor Fenus obs. vir doctus inclaret 285. XCVI.
Victor a Theodoro ex illustri familia de Wallier fr. cap. 204. XLVIII.
Vincentius Andriensis cap. obit 47. XXV.
Vincentius Lunellus minister generalis ordinis translatus in ecclesia coenobii Tridenti 230. XXXI.
Vincentius Mussart tertium s. Francisci ordinem in Gallia instaurat 170. I. et seq. acta vitae eius aptantur ibid. I. et seq.
Vincentius a Noronano cap. obit 152. XLIV.
Vincentius (b.) a Paulo iuvenili in aetate fratribus conventualibus educationis causa a suis maioribus conceditur 93. CX.
Vincentius a Politio obs. def. generalis 377. CXII.
Vincentius a Sanludecio cap. obit 47. XXV.
Vincentius Siculus obs. praelo committit ornamenta concionata in funere Alexandri Farnesii Placentiae et Parmae dicta 135. CVI.
Vincentius a Sunsino ref. commissarius visitator 314. LXI.
Virginia Baozzi obit 299. XXVII.
Vitalis (b.) a Bastia tertii ordinis corpus transfertur 328. LVI.
Walterus Fernagus obs. m. 260. XXIII.
Wolfangus de Steinkirchen m. 105. XXV.

Z

Zacharias Aucivalli conv. inquisitor generalis Senarum 165. LXXXVIII.
Zacharias Ulyssiponen. cap. vir doctrina clarus 165. LXXXVI.

INDEX REGESTI

GREGORII XIV.

AD augendam 444. XVI.
Apostolatus officium 397. III.
Apostoletos officium 398. IV.
Beati Francisci 404. VIII.
Circumspecta 407. XI.
Cum alias 398. V.
Cum in regno 409. XIII.
Cum sicuti 404. XI.
Decet interdum 406. X.
Mittimus 409. XII.
Quantum animarum 444. XV.
Quae ad sanctorum 410. XIV.
Referente 397. II.
Regimini 405. IX.
Religiosorum 403. VII.
Romanus pontifex 395. I.

INNOCENTII IX.

Ad aures nostras 442.

CLEMENTIS VIII.

Ad ea libenter 427. XIII.
Aequum est 454. XLI.
Alias discretioni 480. LXXIII.
Apostolatus officium 417. IV.
Cum ad salutem 476. LXX.
Cum alias 488. XCII.
Cum alias 499. XCIV.
Cum dilectus 470. LXIII.
Cum nos 528. CXX.
Cum pro 494. LXXXVI.
Cum sicut 416. III.
Cum sicut 512. CVII.
Cum sicut 429. XVII.
Cum sicut 519. CXII.
Cum sicut 446. XXXI.
Cum sicut 455. XL.
Cum sicut 466. LVIII.
Cum sicut 471. LXIV.
Cum sicut 499. XCIII.
Cum sicut 504. XCVII.
Cum sicuti 420. XVIII.
Cum sicuti 434. XX.
Cupientes 458. XLVII.
Cupientes 485. LXXVIII.
Cupientes 522. CXIV.
Decet romanum 447. XXXIII.
Decet romanum 525. CXVIII.
Decet romanum 451. XXXVII.
De bonum 467. LIX.
Destinavimus 506. XCIX.
Dilectae 507. CI.
Ex debito 449. XXXVI.
Ex debito 470. LXXII.
Exigit pietas 495. LXXV.
Exigit pietas 484. LXXVI.
Ex iniuncto 444. XXIX.
Ex iniuncto 468. LX.
Ex iniuncto 524. CXVII.
Ex omnibus 488. LXXX.
Exponi nobis 414. I.
Exponi nobis 419. IX.
Exponi nobis 434. XIX.
Exponi nobis 435. XXII.
Exponi nobis 453. XXXIX.
Exponi nobis 460. XLIX.
Exponi nobis 468. LXI.
Exponi nobis 503. XCVI.
Exponi nobis 506. C.
Exponi nobis 528. CXXI.
Expositum fuit 464. LV.
Expositum nobis 527. CXIX.
Ex suscepto 438. XXV.
His quae 515. CVIII.
In apostolicae 421. X.
In his nostris 476. LXXI.
Inter graves 494. LXXXVII.
Inter caetera 508. CII.
Iamprident 465. LVII.
Militantis ecclesiae 523. CXV.
Monasteriorum 430. XXIII.
Nuper 462. LIII.
Pastoralis 442. XXVIII.
Pastoralis nostra 474. LXVIII.

Digitized by Google

Paterna nostra 459. XLVIII.
Personam tuam 492. LXXXV.
Postulant 456. XLV.
Pro iniuncti 457. XLVI.
Pro nostri 505. XCVIII.
Proximis hisce 497. XCI.
Quae ad religionum 495. LXXXVIII.
Quae a romanis 480. LXXIV.
Quaecumque 434. XXI.
Quaecumque 448. XXXV.
Quaecumque 469. LXII.
Quaecumque 489. LXXXI.
Ratio pastoralis 472. LXVII.
Referente 417. V.
Referente 418. VI.
Referente 418. VII.
Referente 428. XIV.
Referente 437. XXIV.
Referente 448. XXXIV.
Referente 464. L.
Referente 462. LI.
Referente 462. LII.
Referente 471. LXV.
Referente 472. LXVI.
Referente 496. LXXXIX.
Referente 511. CIV.
Regularium personarum 440. XXVI.
Religionis zelus 475. LXIX.
Religionis zelum 520. CXIII.
Religiosorum 524. CXVI.
Reverendissimo 428. XV.
Romanus pontifex 414. II.
Romanum pontificem 517. CX.
Sacratissimi 486. LXXIX.
Sacrae seraphici 452. XXXVIII.
Sacrosancta mater 445. XXIX.
Salvatoris nostri 425. XII.
Salvatoris 490. LXXXII.
Sanctimonialium 504. XCV.
Sanctissimus 485. LXXVII.
Sanctissimus 492. LXXXIV.
Sanctissimus 497. XC.
Sanctissimus 511. CIII.
Sanctissimus 512. CV.
Sanctissimus 512. CVI.
Sanctitate sua 492. LXXXIII.
Seraphicum ordinem 516. CIX.
Significatum fuit 448. VIII.
Singulare studium 466. LVI.
Supplicationibus 428. XVI.
Suscepti muneris 463. LIV.
Tuae pietatis 455. XLIV.
Usus saepe 422. XI.
Ut antiquam 441. XXVII.
Ut ei quae 518. CXI.
Venit in provinciam 454. XLII.
Vestro nomine 446. XXXII.
Vir religiosus 455. XLIII.

FINIS TOMI VIGESIMITERTII.

Digitized by Google

Antonius S. Officii die 1. Iulii 1859.

IMPRIMATUR

Fr. Thom. M. Airoldi Ord. Praed. Sacr. Theol. Mag. et Inq. Gen.

Die 30. Iulii 1859.

VIDIT

Pro Excellentiss. ac Reverendiss. Domino Delegato Apostol.

Fr. C. Aplani Vic. Pro-R. P.

Die 11. Augusti 1859.

IMPRIMATUR

Pro Viro Eminentiss. et Reverendiss. Archiep. Epise.

ANTONIO BENEDICTO ANTONUCCI

Canon. Sebastianus Petrelli.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google